DANDINI, Anselmo, *fl.*1700.

De suspectis de haeresi, opvs in duas partes distributum quarum altera, de iis, qui dicuntur suspecti de haeresi ; altera de poenis, quibus plectuntur suspecti de hae resi. Auctore Anselmo Dandino Caesenate ... Ad S.D.N. Clementem XI. pont. max. Romae, ex typographia Dominici Antonii Herculis, sumptibus Vincentii de Romanis, 1703.

DE SUSPECTIS DE HAERESI.

DE
SUSPECTIS DE HAERESI
OPUS

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM,

QUARUM

Altera, de iis, qui dicuntur suspecti de Hæresi;

Altera, de Pœnis, quibus plectuntur suspecti de Hæresi.

AUCTORE

ANSELMO DANDINO CÆSENATE,

Olim in Patria Sancti Officii Consultore, nuuc Utriusquè Signaturæ Referendario, & Sacræ Congregationis Indicis Consultore.

AD S. D. N.

CLEMENTEM XI. PONT. MAX.

ROMAE, Ex Typographia Dominici Antonii Herculis in via Parionis. 1703.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sumptibus Vincentii de Romanis Bibliopolæ sub signo Fontis, in Foro Pasquini.

SANCTISS. D. N.

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

ANSELMUS DANDINUS DIUTURNAM VITAM,

Et felicitatem perpetuam precatur.

DIVINA Providentia (BEATISSIME PATER) quæ ibi maximè elucescit, ubi majora conspiciuntur discrimina, SANCTITATEM TUAM elegit difficillimis

mis

692176

mis temporibus istis, quæ tot bellorum in dies ingruuentium periculis obnoxia sunt; eamquè Dominus præesse voluit Catholicæ Ecclesiæ, quam pretioso suo Sanguine acquisivit. Supremam hanc Dignitatem, rarissimo exemplo, tantâ detrectasti modestiâ, ut omnibus innotuerit, Te, PATER SANCTISSIME, egregiis virtutibus, ac morum elegantiâ summum Pontificatum mereri potiùs, quàm consequi studuisse, quo (ut verbis Plutarchi ad Trajanum scribentis utar) *tantò dignior judicaris, quantò à crimine ambitionis videris esse remotior*. At tandem generosam istam animi Tui moderationem Purpuratorum preces vicerunt; vicit & pietas Tua, quæ tàm ingens Christianæ Reipublicæ detrimentum non est passa, & incredibili totius Orbis lætitiâ, Divinæ vocationi acquievisti. Ex eo die, quo ad Apostolatus apicem evectus fuisti, paci inter Reges, & Principes Christianos stabiliendæ jugiter intentus, nullis laboribus parcis, ut belli præludiis, quæ bello ipso sunt horridiora, eliminatis, Grex Tibi commissus securâ fruatur tranquillitate: Charitas Christi, quæ Te urget, ità paternum SANCTITATIS TUÆ animum sollicitat, ut irrequietum sit cor tuum, donec Justitia, & Pax sese osculentur. Hanc felicitatem, Te Auctore, expectat Orbis: In Montes enim pollicetur Regius Propheta, Pacem à Domino descensuram, & in inferiores Colles promanaturam, dum clamat: *Suscipiant Montes Pacem Populo, & Colles Justitiam*. Tu quidem in excelso sapientiæ, & dignitatis fastigio collocatus, vere præclarus es Mons: colles sunt reliqui Reges, & Principes Terræ; ideò sub clypeo Tuæ Clementiæ, quam operibus egregiis mirè illustras, Populi conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. At quoniam vera Pax in fidei unitate consistit, ea major est sollicitudo SANCTITATIS TUÆ, ut extirpatis hæresibus, jubar Catholicæ Fidei totum terrarum Orbem illuminet. Tanta verò est Etherodoxorum perfidia, ut quamvis illis sufficere

debeat

debeat heroica Summi Paſtoris Virtus, ut ad ovile revertantur, tamen erroris veſtigio firmiter inhærentes, à recto tramite cæteros avertere, non minùs ſubdolè, quàm indeſinenter quærunt. Ad eludendas igitur eorum technas, Deus exercituum Tibi uni elargitus eſt militantis Eccleſiæ ductum, & auſpicium: Armis vigilantiæ, & ſapientiæ certabis, donec vinces: Ut autem tanquàm gregarius miles te Ducem ſequar, ea omnia in unum collegi, quibus ſuſpecti quoquomodo de hæreſi dignoſci queant. Tali pacto arbitratus ſum, fieri poſſe, ut inveſtigentur Hæreticorum latebræ, & faciliùs capiantur vulpeculæ, quæ demoliuntur Vineam Domini Sabaoth: Manifeſtum eſt enim, tutiùs naves in Portum dirigi, ſi ſcopuli detegantur; arceſquè obſeſſas optimè ſervari, ſi patefactis hoſtium inſidiis cuniculi aperiantur. Cum igitur opus, qualecumquè ſit, Deo adjuvante, confecerim, illud humillimè offero, dicoquè Supremo Eccleſiæ Univerſalis Antiſtiti. Dignetur SANCTITAS VESTRA reſpicere, non quidem munuſculi levidenſæ paupertatem, ſed animi ſinceritatem: Deus enim reſpexit animum pauperculæ illius Viduæ, quæ duo tantùm minuta miſit in Gazophylacium. Interim Sanctiſſimis pedibus provolutus, Tibi ad Chriſtianæ rei triumphum, ac decus, diuturnum precor Imperium.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

D. de Zaulis Episc. Verulanus Vicesg.

APPROBATIO REVISORUM

Ex Commissione Reveren diss. P. Sac. Pal. Apost. Mag.

NON sinè profectu, semel, iterùmquè perlegi Librum ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. meo Anselmo Dandino, Utriusquè Signaturæ Referendario, conscriptum, cui titulus: *De suspectis de Hæresi*, in eoquè nedum sanam, & Catholicam Doctrinam haberi reperii, nihilvè esse in eo scriptum, quod Fidei Dogmatibus, & Ecclesiæ Romanæ documentis adversetur, sed omnia ità elaboratè, doctèquè pertractata, ut propterea prælo digna censeri debeant, si jis, quibus id juris est, ità videbitur. Et in fidem hac die 2. Junii 1701.

Ego Marcellus Severolus, Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ Votans, & Decanus.

EGO infrascriptus ex commissione Reverendiss. P. S. A. Pal. Magister perlegi, & diligenti attentione lustravi Opus, cui titulus (*De suspectis de Hæresi*) studio Illustriss. & Reverendiss. D. Anselmi Dandini, Utriusquè Signaturæ Referendarii elaboratum, ac preter vulgarem censuram, quod nihil in eo deprehendi dissonum à Catholica Fide, Sacris Canonibus, & bonis Moribus, assero esse Opus pulchra eruditione, pereleganti Stylo, & singulari perfectum Ingenio. Insuper summa dexteritate concinnatum ob singularitatem materię in solis versans theoriis, nihil praxis tangens. Laborem igitur, qui maximo omnium profectu lustrari queat, Typographica luce dignum censeo.

Ego Fr. Thomas Granellus Ord. Minorum Regularis Observantiæ Sancti Francisci, Lector Iubilatus, Supremæ Romanæ Inquisitionis Qualificator, ac Sacrarum Congregationum Rituum, & Indicis Consultor.

CUM attentè, accuratèquè perlegerim Librum, cujus titulus est (*de Suspectis de Hæresi*) tanta doctrinę copia, tàm varia, ac multiplici rerum notitia, ac tàm uberi dicendi facultate, ab Illustriss. ac Reverendiss. D. Anselmo Dandino, Utriusquè Signaturę Referendario, solidè elaboratum, fateor ad Catholicam fidem tuendam validissimum esse munimen, dum in eo quidquid de Sacramentis, aliisquè Fidei dogmatibus, Lectoribus exhibet, pręstantissimorum Authorum doctrinis comprobat, & uti primęvę Christianitatis Ritibus consonum, vetustis Fidei Orientalis corroborat argumentis; Ideòquè cum sit Opus ubiquè doctum, ubiquè facundum, ubique Catholicum, instantèr, ac instantissimè rogo, ut publicę luci mandet, tanquàm publicæ utilitati, & ubiquè Gentium summoperè proficuum.

Faustus Naironus Maronita, Syriacæ linguæ in Almo Urbis Archigimnasio Professor, Bibliothecæ Alexandrinæ Custos, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Eustachii de Urbe Canonicus.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Pal. Apost. Magister.

INDEX PRAELIMINARIUM.

PRAELIMINARE I.

Quid sit suspicio. pag. 1.

PRAELIMINARE II.

Explicatur definitio Suspicionis. 2.

PRAELIMINARE III.

De differentiâ inter suspicionem, & præsumptionem. 3.

PRAELIMINARE IV.

De suspicionis gradibus. 5.

PRAELIMINARE V.

Ex quibus suspicio inducatur. 7.

PRAELIMINARE VI.

Ex Parentibus. 9.

PRAELIMINARE VII.

Ex educatione. 10.

PRAELIMINARE VIII.

Ex vitâ anteactâ. 12.

PRAELIMINARE IX.

Ex Dictis. 15.

PRAELIMINARE X.

Ex factis. 16.

PRAELIMINARE XI.

Ex Amicis. 17.

PRAELIMINARE XII.

Quid sit Hæresis. 19.

PRAELIMINARE XIII.

De errore intellectus. 20.

PRAELIMINARE XIV.

De errore voluntario. 21.

PRAELIMINARE XV.

De Timore. 26.

PRAELIMINARE XVI.

De errore contrà aliquam propositionem Catholicam. 27.

PRAELIMINARE XVII.

De errore cum pertinaciâ. 29.

PRAELIMINARE XVIII.

De errore in eo, qui baptismum recepit. 33.

PRAELIMINARE XIX.

Quotuplex sit hæresis. 36.

PRAELIMINARE XX.

De dictis, factis, aliisquè, hæresis suspicionem inducentibus. 38.

INDEX
CAPITUM, SECTIONUM, SUBSECTIONUM, ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT I.

De Blasphemis. pag. 41.

SECTIO I.

Quid sit Blasphemia. 44.

SECTIO II.

Quotuplex sit Blasphemia. 90.

SECTIO III.

Quæ sint Blasphemiæ Hæreticales absolutæ, & quæ conditionales. 99.

SECTIO IV.

De proferentibus Blasphemias hæreticales. 106.

SECTIO V.

Qui sint Blasphemi consuetudinarii? Quidvè de eisdem statuendum? 113.

SECTIO VI.

An aliquando Blasphemi evitare possint hæresis suspicionem. 118.

CAPUT II.

De Superstitiosis. 136.

SECTIO I.

De Idololatris. 137.

SUBSECTIO I.

Quid sit Idololatria externa? 141.

SUBSECTIO II.

An liceat Idololatria externa? & an inducat hæresis suspicionem? 145.

SECTIO II.

De Magis. 149.

SUBSECTIO I.

Quisnam sit finis eorum, qui Magiam exercent. 152.

SUBSECTIO II.

Quænam sit Magorum potestas. 153.

SUBSECTIO III.

De eorumdem Magorum Modo in operando. 164.

§. I.

De pacto cum Dæmone. 167.

§. II.

De Verbis, seù Characteribus, quibus utuntur Magi. 171

§. III.

De signis Magorum, quibus dicuntur eorum verba non operari virtute supernaturali Divinâ. 172.

SUBSECTIO IV.

De Magiâ Naturali. 178.

§. I.

An in Corporibus Cœlestibus consistat Magia Naturalis. 179.

§. II.

INDEX.

§. II.

An in corporibus animatis consistat Magia Naturalis? 181.

§. III.

An in corporibus inanimatis Magia naturalis consistat? 190.

SUBSECTIO V.

De regulis, quibus dignoscitur, naturalis num sit mirabilis effectus. 191.

SECTIO III.

De Divinatoribus. 195.

SUBSECTIO I.

Quid prænunciare valeat naturalis divinatio. 199.

SUBSECTIO II.

Quid Diabolica Divinatio præmonstrare valeat. 204.

SECTIO IV.

De Sortilegis. 206.

SUBSECTIO I.

Quot, & quibus conditionibus licitè sortes consulantur. 207.

SUBSECTIO II.

An sortes divinatoriæ sint licitæ. 210.

SUBSECTIO III.

Quot modis exerceantur sortes divinatoriæ. 122.

SECTIO V.

De vanæ observantiæ Studentibus. 219.

SUBSECTIO I.

Quinam sint vanis observantiis studentes. 222.

SVBSECTIO II.

De Arte Notoriâ, Paulinâ, cæterisquè vanis observantiis ad bona comparanda. 227.

SECTIO VI.

De Maleficis. 229.

SUBSECTIO I.

An dentur Maleficia. 230.

SUBSECTIO II.

Quid operari possint Malefici. 231.

SUBSECTIO III.

Quonam pacto operentur Malefici. 234.

SUBSECTIO IV.

De signis, quibus dignoscantur Malefici. 239.

SECTIO VII.

De jis, qui superfluum, vel falsum cultum Deo exhibent. 242.

SUBSECTIO UNIC.

De superstitionibus ob superfluum, vel falsum cultum expressè damnatis. 244.

CAPUT III.

De jis, qui Sacramentis abutuntur. 262.

SECTIO I.

De abusu Sacramentorum in conficiendo. 264.

SUB-

INDEX.

SUBSECTIO I.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ex defectu potestatis. 265.

§. I.

De Polygamis, qui viuente primâ Vxore, aliam ducunt. 272.

§. II.

De Polygamis similitudinariis. 280.

§. III.

De Polygamis, qui contrà voluntatem Vxoris Ordines suscipiunt, vel Religionem ingrediuntur. 287.

§. IV.

De aliis abusibus Sacramentorum in conficiendo ob defectum potestatis. 290.

SVBSECTIO II.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitam materiam. 294.

SUBSECTIO III.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitam formam. 301.

SUBSECTIO IV.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitum locum. 306.

SUBSECTIO V.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitum tempus. 310.

SUBSECTIO VI.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitas caremonias. 316.

SUBSECTIO VII.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitas dispositiones. 326.

SECTIO II.

De abusibus Sacramentorum in offerendo. 328

SUBSECTIO UNIC.

De abusu Sacramenti Eucharistiæ, quatenùs est Sacrificium. 332.

SECTIO III.

De abusu Sacramentorum in conferendo. 336.

SUBSECTIO I.

De Sacramentorum abusu in conferendo ex defectu potestatis. 339.

SUBSECTIO II.

De Sacramentorum abusu in conferendo ob non debitam materiam. 345.

SUBSECTIO III.

De Sacramentorum abusu in conferendo ob non debitam formam, locum, tempus, Caremonias, & dispositiones. 354.

SUSBECTIO IV.

De Sacramentorum abusu, in conferendo subjecto incapaci. 364.

SUBSECTIO V.

De abusu Sacramentorum in conferendo non debito fine. 378.

SUBSECTIO VI.

De abusu Sacramentorum in conferendo, non adimpletis iis, ad quæ Minister exindè tenetur. 383.

SECTIO IV.

De Abusu Sacramentorum in suscipiendo. 387.

SE-

INDEX.

SECTIO V.

De abusu Sacramentorum in omittendo. 392.

CAPUT IV.

De Hæreticorum fautoribus, & defensoribus. 395.

SECTIO I.

De Hæreticorum fautoribus. Ibid.

SUBSECTIO I.

De Fautoribus ex omissione. 398.

SUBSECTIO II.

De Fautoribus ex commissione. 405.

§. I.

An liceat Principi seculari concedere Hæreticis salvum-conductum? 410.

§. II.

An liceat Principi Seculari permittere hæreticis libertatem conscientiæ? 414.

§. III.

An liceat in Hæreticos conferre dignitates. 418.

SECTIO II.

De Hæreticorum defensoribus. 421.

SUBSECTIO UNIC.

Quales sint Ministri, qui nec directè, nec indirectè impediri possunt. 433.

CAPUT V.

De Conversantibus cum Hæreticis. 434.

SECTIO I.

An prohibita sit conversatio cum Hæreticis, annè suspicionem hæresis ingerat? Ibid.

SECTIO II.

De Conditionibus, quibus licet conversari cum Hæreticis. 441.

CAPUT VI.

De retinentibus, & legentibus libros Hæreticorum. 456

SECTIO I.

An hujusmodi librorum retentio, ac lectio sit periculosa, & suspicionis hæresis inductiva. Ibid.

SECTIO II.

De circumstantiis, quibus excusantur à suspicione hæresis Hæreticorum libros retinentes, & legentes. 461.

CAPUT ULTIMUM.

De cæteris suspectis de Hæresi. 473.

SECTIO I.

De cæteris suspectis de Hæresi tàm ob ea, quæ immediatè adversantur Ecclesiæ, quàm ob ea, quæ immediatè Deo opponuntur. 473.

SECTIO II.

An sint de hæresi suspecti proferentes propositiones hæreticas, vel parùm Catholicas. 477

SUBSECTIO I.

De Propositionibus, quæ hæresis suspicionem inducunt. Ibid.

§. I.

INDEX.

§. I.

Quid sit Propositio de fide, quidvè Propositio hæretica ipsi opposita? 480.

§. II.

Quid sit Propositio Theologica, quidvè Propositio Erronea eidem opposita? 484.

§. III.

Quid sit propositio sapiens fidem; quidvè propositio sapiens hæresim ipsi opposita? 488

§. IV.

Quid sit propositio pia, Quidvè Propositio impia eidem opposita. 491.

§. V.

De propositione temerariâ, aliisquè similibus. 492.

§. VI.

De Propositione malè sonante, aliisquè similibus. 496.

§. VII.

De aliis propositionibus suspectis censurabilibus. 499.

SUBSECTIO II.

De regulis, quibus dignoscitur propositio, quæ infert hæresis suspicionem. 501.

FINIS INDEX.

DE

DE SUSPECTIS DE HAERESI

PRAELIMINARIA

AD

PRIMAM PARTEM.

PRAELIMINARE I.

Quid sit suspicio.

SUMMARIUM.

1 *Definitio duplex: quid rei, & quid nominis.*
2 *Ab etymologiâ nominis Suspicionis cur incipiendum?*
3 *Etymologia nominis* Suspicio.
4 *Opinio Prisciani, undè sit verbum* Suspicio.
5 *Opinio Vossii.*
6 *Suspicio quid notet in Tribunalibus.*
7 *Usus vocis* Suspicio, *& ejus definitio quid rei.*

1 NE illotis manibus, ut in proverbio est, materiam hanc pernobilem attingamus, à definitionibus incipiendum est, iuxtà Ciceronis præceptum *lib. 1. offic.* relatum à Bald. *in Prælud. feud. num.* 8. Nos proindè inhærentes Philosophorum principiis, qui duplicem in quâlibet re definitionem considerarunt, alteram quid nominis, alteram quid rei explicantem, ab etymologiâ exordium cæpimus, cum ipsa quid nominis concernat, cumquè ea sit
2 semper in scientiis præponenda ne rei desit cognitio, nomine rei ignorato, ut benè inquiunt Joan. Solorzan. *de jurib. ac Eminent. canon. viridar. sect. 1. num.* 1. Joan. de Laur. *de ætate ad omnia beneficia, cap.* 1. & Nevizan. *in sylv. nupt. libr.* 1. *pag.* 130. *numer.* 170.
3 A verbo *suspicio*, quod notat, *sursùm aspicio*, derivare suspicionem, communiter ferè censetur: Antiquitùs enim usurpatum fuit *susùm*, *pro sursùm*, ut apud Priscianum *libr.* 1. *cap.* 1. *de litterarum numero, ac permutatione*: Hinc Cato *cap.* 157. *Ità subducito susùm animam, quamplurimùm poteris.*

Similiter Veteres nostri sumebant *specio*, pro *aspicio*: eo Ennium usum, docet Varro *libr.* 5. *de l. l.* Imò & *spicio* eâdem significatione usurpasse Priscos, patet ex Plaut. *Mil. Glor.*

act. III. sc. II. Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit. Quamvis Lambinus ediderat *specit*, sed Plautus Parisiensis á Simeone Carpentario emendatus, & Venetiis cum variorum notis editus, dicit, *spicit*, prout etiam ità retinuerunt Camerarius, & Duza in suis editionibus, teste Vossio *in etymologic. in verbo suspicor.*

4 A *susùm* igitur, & *spicio*, ut docet idem Priscianus, originem traxit verbum *suspicio*, hoc est *sursùm aspicio*, quo significatu Virgilius cecinit.

O fortunati! quorum jam mœnia surgunt,
Æneas ait; & fastigia suspicit Urbis.

At quia, qui ruinam metuunt, sursùm aspiciunt, hinc hujusmodi verbum significationem quoquè sortitum est, aliquem pro suspecto habendi: hoc sensu Salustius *in Iugurth. Per idem tempus Bomiclar, (cujus impulsu Ingurthæ deditionem, quam metu deservit, incæperat) suspectus Regi, & ipse eum suspiciens, novas res cupere, ad perniciem ejus dolum quærere.*

5 Eruditissimus verò Vossius *in d. suo Etymol. in verbo suspicor*, credit, suspicionem dici, non *à susùm*, sed *à sub*, quod tribus rationibus mihi videtur probari posse: Prima est, quod apud Græcos dicitur ὑποψία: Ὑπὸ autem est *sub*: Secunda ratio est, quia eædem prorsùs sunt literæ, sinè ullâ variatione in *subspicio*, rejectâ tantummodò *b*, quemadmodùm in voce *subgrundia* respuitur *b*: Tertia est, quia, qui suspicatur, clàm, demissè, & (ut ità dicam) sub oculo aspicit, utpotè timens, nec tamen audens, timorem suum, quem ignorat, an subsistat, patefacere; vel quia subindè aspicit, ne à malo, quod timet, præveniatur.

6 A *suspicio* deductum est *suspicor*, quo in hac significatione utuntur auctores, ut inter alios Ovidius, dum dixit

Quæcumque æquor habet, quæcumque pericula tellus,
Tàm longæ causas suspicior esse moræ.

Sicquè in Tribunalibus per hujusmodi verbum exprimitur actio illa interna, quâ quis malũ in aliquo quodammodò, non in aperto, aspicit; in quâ acceptione intelligitur suspicio activa, & formalis, non autem objectiva, quæ est indicium, quo movemur ad suspicandum, ut advertit Card. Laurea *de fide in 3. lib. sentent. Scoti, disp. 16. artic. 1. num. 2.*

7 Hactenùs de suspicione quò ad nomen; superest, ut de ipsâ agamus quò ad rem; & quamvis, antequàm quid sit, definiatur, nedùm etymologiam ejus nominis exponere, sed & usum oporteat, quo sæpènumerò provehimur in ipsius rei perceptionem, quemadmodùm Plato *in Cratylo*, & multis in locis Aristoteles ostendit: Hoc tamen intelligendum, quoties nomina sunt æquivoca. Tunc enim inspiciendum, quot modis sumantur. At suspicio eumdem usum, & eamdem significationem sortita est penès omnes, scilicet in malam partem, itàut, juxtà Ciceronem 1. *de finibus*; *Suspicio improborum facta insequatur, deindè sermo, atquè tùm accusator, tùm Judex.*

Omissis itaquè quampluribus suspicionis descriptionibus, ipsam definio cum Viro eruditissimo Scaligero (quem sui ævi vocat prodigium Justus Lipsius) adversùs Cardanum, *de subtilit. exerc. 317.* quod nempè sit, *Criminis incerta repræsentatio.*

PRAELIMINARE II.

Explicatur definitio Suspicionis.

SUMMARIUM.

1 *Suspicio semper in malam partem sumitur, ut habetur ex definitione Sancti Thomæ.*

2 *Suspicionem definiunt Baldus, & Paramus, qui tamen rejiciuntur, retentâ in parte Scaligeri definitione.*

3 *Tres sunt probationis gradus, ad quorum*

rum tertium nequit reduci suspicio.

4 *Ad suspicionem reducitur primus, & secundus probationis gradus.*

5 *Præsumptio quotuplex sit?*

1 UT superiùs allata suspicionis definitio explicetur, observandum; Dici (*Criminis*) quia, ut innuimus, suspicio semper in malam partem accipitur. Facit ad intentum descriptio D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. & quam laudat Symanch. *in lib. Catholicarum Instit. tit.* 50. *de præsumpt. n.* 22. ac *in Praxi contrà hæreses tit.* 41. *num.* 1. Ait enim S. Doctor, suspicionem esse opinionem mali ex levibus inditiis provenientem.

2 Melior autem videtur allata Scaligeri definitio, quàm ea Baldi *in rubric. C. de probat. num.* 4. ac Param. *de orig. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 9. *num.* 65. qui tenent, suspicionem esse passionem animi aliquid firmiter non eligentis: nam in primis hæc Baldi, & Parami definitio competit etiam dubio, quo stante dubitans firmiter non eligit; & deindè suspicio nequit dici passio, quia opinio, prout est suspicio ex D. Thomâ, nullam passionem involvit, sed est quoddam indicium tantummodò pertinens ad potentiam intellectivam. Hinc meritò Scaliger *loco supracitato*, vellicat æmulum Cardanum, qui contendit, suspicionem esse parvum timorem: Meritò, inquam, cum suspicio sit tantùm repræsentatio, ideòque in intellectu; Timor verò in voluntate. Propter hanc rationem recedere cogimur ab eodem Scaligero in eo, quod asserit, suspicionem opponi spei firmæ. Quomodò enim opponi potest, cum suspicio, & spes sint in diversis subjectis, illa in intellectu; hæc in voluntate? Spei namquè opponitur desperatio: Suspicioni certa repræsentatio. Potiùs ergò illa duo disparata, quàm opposita, censenda sunt.

3 Dicitur tandem (*incerta representatio*) quia suspicio reduci nequit ad tertium probationis gradum, qui certitudinem exigit: Fagnan, *in* 1. *lib. Decretal. de constit cap. ne innitaris*, *num.* 26. Tres enim sunt hi gradus, ut perbellè distinguit Fagn. *ibidem*. Nam postquàm de aliquo orta sit dubitatio, sinè animi applicatione magis ad unam, quàm ad alteram partem, si concurrant signa, vel argumenta aliqua, quibus inclinemus animum potiùs ad unam, dicitur oriri primus gradus; si hujusmodi signa crescant, oritur secundus; tertius autem certitudinem requirit. Hinc observandum, non generaliter definiri suspicionem, quando dicitur, esse leve indicium, & leve argumentum, juxtà Bartol. *in l. admonendum ff. de jurejur. numer.* 21. & Fagnan. *loc. cit.* nam non competit cuicumquè suspicioni: Ex indiciis enim evidentioribus oritur etiam suspicio, ut patebit ex infrà dicendis in divisione suspicionis graduum, itàut, quo ad suspicionem;
4 nedùm primus, verùm etiam secundus probationis gradus reducatur, quemadmodùm dici potest quòad
5 præsumptionem: Quippè hæc etiam quandoquè est vehemens, quandoquè violenta: Sed quia nullus adhuc, quem repererim, Auctor satis clarè assignavit, quodnam discrimen sit inter suspicionem, & præsumptionem, non erit abs re, super hoc sententiam meam, qualiscumquè erit, proferre.

PRAELIMINARE III.

De differentiâ inter suspicionem, & præsumptionem.

SUMMARIUM.

1 *Suspicionem esse multò minùs præsumptione, opinatus est Menochius: sed rejicitur.*

2 *Suspicio, & præsumptio promiscuè sumuntur.*

3 *Violenter suspectus de hæresi punitur, ut præsumptus hæreticus.*

4 *Ex pluribus præsumptionibus oritur suspicio.*

5 *Differentia inter præsumptionem, & suspicionem.*

6 *Sicut ex præsumptione non oritur præsumptio, ità nec ex suspicione oritur suspicio.*

1 SUSPICIONEM longè inferiorem esse præsumptione, credidit Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 5. num. 17. & lib. 6. præsumpt. 61. num. 8.* Quarè, qui præsumuntur hæretici, uti tales damnantur, quod secus est in illis, qui damnantur uti suspecti. Hoc tamen (pace tanti Auctoris) non subsistit, quoties de suspicione, & præsumptione ejusdem qualitatis sermo sit, putà, si comparatio fiat inter suspicionem vehementem, & præsumptionem vehementem, & sic de cæteris: Non minùs enim oritur præsumptio, si indicia sint graviora, quàm si sint levia; sed tantùm erit ipsa, vel major, vel minor: Nec dici potest, quod præsumptio levis, sit idem ac suspicio vehemens; nec quod sit præsumptio vehemens, idem ac suspicio violenta: Layman. *in Theolog. moral. de justit. lib. 3. tract. 3. par. 2. cap. 2. de temerario judicio, suspicione, &c.*

2 Confunduntur igitur suspicio, & præsumptio, ac promiscuè sumuntur, ut ex Directorio inquit Limborch. *hist. inquisit. lib. 3. cap. 11.* Ricciull. *de jur. person. quæ sunt extra Ecclesiam*, Passarin. *in praxi process. quæst. 18. art. 1. num. 17. & seqq.* & ad 6. *decretal. cap. ut inquisitionis, n. 34.* & Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. quæst. 10. num. 106. in fine*: Quod etiam fateri coactus est suprà allegatus Menoch. *lib. 5. præsumpt. 6. num. 15.* inquiens, violenter suspectos puniri, ut hæreticos, non tamen ut ve-
3 rè hæreticos, sed ut præsumptos. Rectè itaquè suspicionem idem prorsùs esse, ac præsumptionem, tenet Alex. Alens. *in Summ. part. 3. qu. 43. membr. 7.*

Nec officit, ex multis suspicionibus, pròut ajunt Menoch. *ibid. lib. 1. quæst. 7. num. 54.* Limborch *loco cit.* Brun. *de indiciis, & tortura, quæst. 8. part. 2. num. 4.* & Param. *loco cit.* oriri præsumptionem, & non è contrà, nam hac ratione con-
4 tendimus, ex pluribus præsumptionibus oriri quoquè suspicionem: Mulier enim, quæ semel fuit impudica, talis futura præsumitur, juxtà regulam, de quâ Layman. *ubi suprà num. 8. in fin.* & nos infrà; Si quis verò eam adeat, non præsumitur, quod velit cum ipsâ, juxtà commune proloquium, salutationem Angelicam recitare: Ex his itaquè duabus præsumptionibus oritur legitima suspicio, quod ille sit fornicarius.

5 Totum autem discrimen, quod vertitur inter suspicionem, ac præsumptionem, desumitur ex definitione suspicionis traditâ *in præliminari præcedenti*, nimirùm suspicionem solùm in malam partem; præsumptionem verò in utramquè sumi, id quod etiam adnotavit Card. Laurea *de fide in 3. lib. sentent. Scoti, disp. 16. art. 1. n. 2.* Undè nonnulli præsumuntur boni; nonnulli præsumuntur mali: Præter hanc, nulla alia diffe-
6 rentia intercedit: & sicuti ex præsumptione non oritur præsumptio; ità nec ex suspicione oritur suspicio: Bartol. *l. 2. §. Divus ff. de jure Fisci*: Carena *par. 2. de Apostat. & Schismat. tit. 3. §. 11. n. 41.* Bordon. *cap. 9. sect. 1. num. 37. & 38.* Sanchez *ad præcept. Decal. lib. 2. cap. 10. num. 14.* Suarez *de censuris. disput. 21. sect. 1. n. 14.* Quamobrem, qui favent suspectis de hęresi, non sunt suspecti; & ex eâdem ratione, duæ suspiciones leves non faciunt unam vehementem, prout videtur sentire Farinac. *quæst. 195. num. 24.* quicquid dicant Locat. *judic. verb. Abjuratio, num. 1.* & Peña *par. 3. comm. 43.*

PRAELIMINARE IV.

De suspicionis gradibus.

SUMMARIUM.

1 *Sicut præsumptio alia levis; alia probabilis, alia violenta: ità suspicio triplex est, & quid unaquæquè sit?*

2 *Refellitur Suarez, & cum eo Panimola, ac Del Bene, dum docent, Polygamiam inducere suspicionem tantùm de levi.*

3 *Polygamia in duobus casibus levem inducit suspicionem de hæresi.*

4 *Exempla suspicionis levis, probabilis, & violentæ.*

Suspicioni levi adhærens peccat mortaliter, quia per eam gravis proximo injuria irrogatur. Ibid.

5 *Suspicio levis magis propriè est temeraria, quâ laborans non est denunciandus.*

6 Bi-

6 *Bigamia quando inducat levem tantum suspicionem.*
7 *Suspicio vehemens quid sit, exemplum ad eam explicandam.*
8 *Suspicionis violentæ exemplum in jure canonico.*
9 *Suspicio violenta ad tertium probationis gradum reduci nequit contra Layman, quia potest subesse falsitati.*

1 QUEMADMODUM præsumptio alia est temeraria, proveniens ex causis puerilibus, vel levibus, quæque non attenditur; alia verisimilis, quæ admittitur ad probationem semiplenam, aut ad purgationem inducendam; alia violenta, quæ ad pronunciandum, & condemnandum sufficiens reputatur: ità suspicionis gradus triplex est; levis, vehemens, & violentus: Transmier. *de Denunciat. quæst.* 4. *cap.* 5. *num.* 2. Caren. *de Offic. Sanctæ Inquisit. par.* 3. *tit.* 3. §. 12. & Limborch. *histor. inqu. libr.* 3. *cap.* 11. de hujusmodi gradibus latè tractant Thom. Hurtad. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 1. del Bene *de offic. S. Inq. part.* 1. *dub.* 166. qui Pegnam, Farinaccium, & plures alios citat. Param. *de orig. S. Inqu. lib.* 3. *q.* 10. *à num.* 107. & Card. Laurea *de fide in* 3. *lib. sentent. Scoti d. disp.* 16. *artic.* 1. *per totum*.

2 Si enim inquiratur de contingentibus rarò, ut in aliquibus, suspicio est levis; de contingentibus frequenter, ut in pluribus, suspicio est vehemens; de contingentibus semper, ut in omnibus, suspicio est violenta: Farinac. *de hæresi quæst.* 36. *num.* 110. Peña *par.* 2. *comm.* 80. Sousa *in aphorism. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. *& seq.* Limborch *ubi supra per totum illud cap.* 11. del Bene, *de offic. S. Inquisit. part.* 1. *dub.* 166. *à num.* 2. Hurtad. *loco cit.* & clariùs Suarez *disput.* 24. *sect.* 2. *num.* 1. ubi ait, quod suspicio levis est, quæ procedit ex indiciis, quibus aliquando, sed rarò, concluditur, ut inire nuptias cum aliâ uxore, vivente primâ: vehemens est, quæ procedit ex indiciis efficacibus, licet interdum deficiant, ut sunt actus hæretici, pactum cum Dæmone: violenta est, quę moraliter ęquivalet sufficienti probationi, & præsertim fundatur in jure, sed admittit probationem in contrarium: Vanquel *in Breviar. sexti, & Clement. fol.* 174. *lit. H.* Card. Albitius *de Inconst. in fide cap.* 16. *num.* 35.

Advertendum tamen est, quod Suarez *loco citato*, cui adstipulantur Panimolla, *decis.* 63. *num.* 31. & P. del Bene *d. dub.* 166. *num.* 2. venit refellendus, eo quia levem explicavit suspicionem exemplo contractus nuptiarum initi durante primo Matrimonio. Hoc enim pacto (quidquid sentiat sacra Hispaniarum Inquisitio, de quâ Limborch *loc. cit. cap.* 15. & juxtà quam locutus est Farinacc. *de hæresi q.* 178. *n.* 73.) apud nos inducitur suspicio vehemens, adeout delinquens præsumatur verè hæreticus. Philipp. Franc. *in cap. accusatus in princip. num.* 3. *de hæret. in* 6. Palat. Rub. *in repetit. cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* §. 18. *num.* 25. Azeved. *tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *num.* 3. & Passarin. *in* 6. *decretal. de hæretic. cap. ut Inquisitionis num.* 145. ubi addit, quod attenta gravitate, & frequentia delicti Polygamiæ, & quod Lutherani Italiæ propinqui ex una parte, & Turcæ ex alia admittunt pluralitatem uxorum, Summi Pontifices meritò, & prudenter præsumpserunt hoc delictum ex hæresi Lutherana, vel infidelitate Turcica procedere, eosque propterea delinquentes, ut suspectos de vehementi habendos esse. Ideò pro crimine bigamiæ imponitur abjuratio, vel de hæresi formali, si Polygamus contra Sacramentum Matrimonii habuit errorem in intellectu; vel de vehementi, propter suspicionem hæresis ex ipso facto ortam Farinac. *d. q.* 178. *num.* 68. *in fine*, Limborch *ubi supra* in terminis Inquisitionis Romanæ, Hurtad. *resol. moral. tract.* 5. *resol.* 4. *cap.* 2. & ita definivit Lucius III. *in cap. ad abolendum, de hæreticis*.

3 Duplici casu est tamen suspicio levis, quæ ex hujusmodi contractu oritur.

Primo, quoties non probetur talis contractus ex confessione propriâ, nec ex facti evidentiâ, nec ex testium legitimâ productione; vel quando non sint fortia, ac vehementia indicia, quo casu tamen Polygamus abjurare debet. Eymer. *director. Inquis. p.* 2. *q.* 55. *& p.* 3. *rubr. de quarto modo nu.* 161. & ibi Peña *com.* 40. *&* 80. Sousa *in aphoris. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 11. Farinacc. *de hæres. q.* 187. *n.* 3. *& q.* 194. *num.* 27.

Secundo casu, si de contractu ipso jam

jam pateat, sed qualitas contrahentis impediat suspicari, nisi leviter, ad tradita per Carenam *p.3. de abjurat. tit.* 12. §.*9. num.*45. *vers. primò*. Menoch. *cons.* 149.*num.*47.

4 Rectiùs igitur assignanda sunt cujuscumque suspicionis exempla.

Si quis audiens sonum vespertinum *Avæ Mariæ*, nunquam deponat galerum, & ob id existimetur hæreticus, hujusmodi suspicio levis est, ac temeraria, cui qui firmiter adhæret, mortaliter peccat, juxtà D. Thomam 2. 2. *q.* 60. *art.*3. Tunc enim fundatur super re adeò incertâ judicium certum. Quinimò nec desunt, qui putant læthali culpâ contaminari, si quis tali suspicioni adhæreat, licet intra latitudinem ambiguitatis, quam in se claudit suspicio, maneat. Soto *de just. lib.*3. *q.* 4. *art.* 3. Bañes *ad q.*60. *de just. art.*3. *&* 4. Aragon. *pag.* 66. *col.*2. *& pag.* 68. Molan. *Theolog. pract. tract.*3. *cap.*36.*n.*32. & ipse S. Thomas *eodem art.* 3. *in resp. ad* 2. *&* 3. si benè perpendatur. Quare juremeritò opinio contraria Cajetani *in sua summul. verb. suspicio*, *& in* 2. 2. *ad* 2. 2. *ad q.* 60. *art.*3. rejicitur ab Auctore, qui prædictam summulam variis notis locupletavit: ratio est, quæ ab eodem assignatur; tum quia homines valdè indignè id ferunt, putantque sibi magnam fieri iniuriam, si ejusmodi suspicio de jis in re gravi concipiatur; undè Cæsar; *nec suspicio decet in domo Cæsaris*, & apud Tacitum 1. *Histor.* Julius Civilis, ex eo, quod Vitellius de ipso suspicatus est, quod se sanguine Capitonis cruentasset, adversus Imperatorem, Theutones, Gallos, Belgas, aliosque Populos excitavit; ob id prudenter Othone ullâ suspicione sibi maximè infensum haberet Marium Celsum, ipsum, ut ait idem Tacitus; *Statim intra intimos amicos habuit, & mox bello inter Duces delegit.* Tum etiam, quia ex suspicione tali solet detractio sequi, aut alia similis injuria exterior, quæ ex genere suo continet culpam mortalem: id porrò maximè veritatem habet, quando suspicio non solum est temeraria, sed etiam pertinax, quia tunc non ex imbecillitate humani intellectus, sed ex malevolentiâ, quam quis habet erga proximum, originem sortitur.

5 Sed advertendum, quod hujusmodi suspicio levis, magis propriè loquendo, nuncupari debet temeraria, cum in se, non autem per comparationem ad vehementem, & violentam levis sit; & ideò, qui ea laborat minimè est denunciandus. Lup. *in edictis part.* 2. *lib.* 14. *dist.*1. *art.*3. Verum datur alia suspicio in se notabilis, quæ appellatur juridica ab Hurtad. *resol. moral. tract.*5. *cap.*4. *resol.* 9. & à Passerin *in* 6. *decret. cap. ut inquisitionis n.*32. eo quia ipsa fundetur, vel inferatur ab aliquo jure positivo, & constitutione Apostolica, secundum quam præcipuè denominanda est quælibet suspicio, illaque tunc dicitur tantummodo levis per comparationem ad vehementem, & violentem, ut docet

6 idem Lupus *ibidem*. Hujus suspicionis exemplum est, si quis vivente uxore transeat ad secundas nuptias, nec concurrat ulla circumstantia, ex quâ desumi possit, quod malè sentiat; & è contra appareat, quod ipse ex amoris impulsu has nuptias contraxit, eo quod sit in libidinem propensus; & hoc pacto explicatur Farinacc., qui in *tractatu de hæresi q.*178.*n.*68. ait ex auctoritate Peñæ, Polygamos quandoque vehementer, quandoque leviter esse suspectos.

7 Exemplum autem suspicionis vehementis affert Simanch. *in prax. contra hæreses, tit.*41. *num.* 3. Si quis, videlicet, explicitè neget aliquas propositiones fidei, quas tenetur ex officio scire; ex eo enim, quod interdum quis ex ignorantia hujusmodi propositiones negat, non insurgit suspicio violenta, sed tantummodo vehemens, undè huic suspicioni competit ea definitio, quam affert Corn. *in l. admonendi num.* 105. *ff. de jur. jur.* quod scilicet sit animi motus cum hæsitatione aliquid eligentis: de hac re latissimè del Bene *loco cit. num.* 3. & Limborch. *d. cap:* 11: ubi addit, qui hæretico dedit osculum, judicio Synodi Tarraconensis, hæreseos vehementer esse suspectum.

8 Pro suspicionis violentæ exemplo adduci potest illa suspicio, de quâ in c. *litteris de præsumptionibus. Accusatores* (sunt verba Textus) *matrimonii produxerunt Testes firmiter asserentes, quod postquam mulier cum prædicto viro contraxerunt matrimonium, consanguineum*

viri

viri ejusdem, solum cum solâ, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, ea ut credebatur, intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt multis locis secretis, & latebris, ad hoc commodis, & horis electis; ex hujusmodi violentâ, & certâ suspicione fornicationis, potest sententia divortii promulgari, de quo suspicionis gradu videri potest apud Simanch. *Catholic. instit. tit.* 5. *de præsumpt. num.* 26. *in prax. hæreseos tit.* 41. *num.* 4. del Bene *d. dubit.* 166. *à num.* 9. Limboch. *d. cap.* 11. & Param. *loco cit. à numer.* 110.

9 Hæc tamen suspicio violenta ad tertium probationis gradum reduci non potest, quicquid dicat Layman. *laudato loco lib.* 3. *de justitia lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 2. *de temer.* nam cum subesse possit falsitati, & quia Xenocratis exemplum habeamus, qui solus cum solâ absque jacturâ suæ pudicæ constantiæ cubavit; & quia his solis actibus impuris absque copulâ aliquando expleatur impudicitia, certitudinem eam non exigit, quam tertius probationis gradus requirit.

PRAELIMINARE V.

Ex quibus suspicio inducatur.

SUMMARIUM.

1 *Septem sunt causæ ex quibus oritur suspicio.*
2 *Suspicio ex patriâ.*
3 *Patriæ multum debemus.*
4 *Cur Romanis vetitum cum exteris nuptias contrahere.*
5 *Qualitas climatis plurimum confert, ut dignoscantur ingenia.*
6 *Aëris temperies indicat ingenii præstantiam, & è contra; nec non mores.*
7 *Ex patriâ inducitur suspicio nedum attento aëris climate, sed etiam inspecta Incolarum qualitate.*
8 *Nicolaus V. purpurâ dignum non existimauit Jo: Baptistam Millinum, quia Romanum.*
9 *Suspicio orta ex patriâ cessat in personâ eximiæ virtutis.*

EXplicatis essentiâ, ac omni suspicionis differentiâ, modo restat exponere, ex quibus suspicio inducatur.

1 Septem causas assignat Carena, *de off. S. Inquisit. p.* 3. *tit.* 3 *à.* §. 4. *usque ad* §. 9. suspicionis inductivas: Patriam, Parentes, educationem, vitam anteactam, dicta, facta, & qualitatem amicorum, cum quibus conversamur, juxtà illud Senecę *lib.* 1. *de ira*; *Sumuntur mores à cõversantibus, & D. Bernardi. Ne te sanum dixeris dolentem latere*. Hæ suspicionis causæ in crimine hæresis potissimum sunt observandæ, ut monet Paramus *de origine, & progress. S. Inquisit. lib.* 3. *q.* 9. *num*: 54. & proinde eas ipse fusè explicat, id quod præstant etiam Eymeric. *in* 3. *p. director. in tit. de modo interrogandi Reum accusatum pag.* 452. Alex. de Alel. 3. *par. q.* 45. *membr.* 7. & Limborch. *in histor. inquisit. libr.* 3. *cap.* 11.

2 Ex patriâ suspicio benè infertur, nam, ut inquit Sabellic. *lib.* 3. *cap.* 4. apud Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 50 *n.* 18.
3 nos multa debemus Patrię, eo quod jis moribus prędititi simus, qui regioni, in qua nati sumus, peculiares sunt; undè Nathanaël apud Joannem, ait, à Nazareth potest aliquid boni esse? Ulpianus quoque loquens de venalibus Servis, plerumque dicit, quod natio Servi, aut provocat, aut deterret emptorem; nec alia de causa videtur fuisse Romanis vetitum, cum exteris nu-
4 ptias contrahere, sine speciali facultate, ut patet ex illis verbis Senecæ *lib.* 4. *de benefic. cap.* 35. *Promisi tibi filiam in matrimonium; postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum extraneo connubium*; nisi quia id cavebant Romani, ne puritas latina exterorum sanguine contaminaretur; imò Concilium Novatense *in c. quando dist.* 24. jubet, ordinandorum patriam investigari, ut proindè sciatur, quibus ipsi sint imbuti moribus.

5 Et quidem, si perpendatur qualitas aëris, seu climatis, hanc plurimum conferre fatebimur ad eliciendum super incolis judicium, quaproter cecinit Italus Poëta:

La terra molle, lieta, e dilettosa
Simili à se gli abitator produce:

ac auctoritate Aristotelis, ab aeris temperie

perie utique inferri ad ingenii præstantiam; & ab aëris inclementia ad ingenii hebetudinem, dixit Rota *p. 8. recent. decis.* 270. *num.* 10. cui congruit illud Ovidii 2. *de Pont. eleg.* 7.

Temperie Cæli corpusque, animusq; juvatur.

6 Hinc nationes suos sibi peculiares mores habere, quotidiè experimur, ut advertunt Salvian. *lib.* 7. *de providen.* Solorzan. *de jure Indiarum tom.* 1. *lib.* 2. *num.* 58. Tit. Liv. *decade* 5. *lib.* 5. Vegetius *lib.* 1. *de re milit.* Joan. Boëm. *de moribus omn. gent. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 184. Pancirol. *in Thesauro var. pag.* 172. Guilem. Vandenoy *de moribus, & gestis Gallorum pag.* 4. *& seqq.* Christof. Crus. *de indiciis delict. par.* 1. *cap.* 23. & Param. *de orig. S. Inquisit lib.* 3. *q* 9. *num.* 55. Id, quod etiam testatus est inter alios, Doctissimus Concivis meus Claramontius *in semejot. libr.* 2. *cap.* 6. §. 4. *& cap.* 7. §. 1. *cum sequen.* ubi de ferè omnibus Nationibus loquitur: & ante ipsum, Claudius Ptolomeus *in lib.* 2. *Quadripartitæ constitut.* omnium ferè Orbis Nationum inclinationes descripserat, allatis physicis rationibus, ut ejus est mos, ac desumptis à posito stellarum, quæ aëris qualitates alterare solent: hoc loco obiter contra astro logiam judiciariam colligitur ex sententia Ptolomei Principis Astrologorum, stellas nihil influere in hominũ mores, nullamque in eorum liberas actiones potestatem habere, sed tantum ab ipsis alterari corporis temperamentum, juxtà quatuor elementares qualitates, quæ sunt: caliditas, humiditas, frigiditas, & siccitas, quæ relationem habent ad quatuor corporis humores, qui sunt: flavabilis, sanguis, pituita, & malencholia; undè perspicuum est, stellarum influxus majoribus viribus non esse præditos, quam sint cibi, & aromata, quidquid deblateret Christof. Crus. *de indic. delict. part.* 1. *cap.* 25. cum aliis.

7 Ex Patriâ ergo inducitur suspicio, quæ quidem, ut ait Param. *d. q.* 9. *n.* 55. *in fine*, cum aliis adminiculis conjuncta multum valet contra reum; & inducitur, nedum attento aëris, Regionisque climate, verum; etiam inspectâ Incolarum qualitate, undè rectè Caren. *p.* 3. *tit.* 3. §. 4. *num.* 15. *de offic. S. Inquisit.* Anglicanum, ait, magis de hæresi præsumi, si edat carnes, quàm Italum; &

8 quia Romanorum mores tempore Nicolai V. nimium depravati videbantur, quominus ab ipso Pontifice Cardinalis crearetur Joannes Baptista Millinus, hoc unum solum obstitit, quod Romanus erat, teste Platinâ, *in orat. ejusdem Joan. Bapt.* Don. *tom.* 2. *n.* 10. *pag.* 385. excessus tamen austeritatis Nicolai improbandus videtur, nam eximia Millini virtus satis, superque patebat; simili

9 namque casu omnis suspicio, quæ ex Patria oritur, cessat, cum non sit impossibile, ex pessimâ Patriâ, vel propter mores in eâ degentium depravatos, vel attentâ climatis perversitate, ac vili loci conditione, optimum oriri civem, quandoquidem hac de re loquens Aristides dixisse fertur; vobis ò Lacedemones, & Græci reliqui, qui nunc adestis, dicimus, quoniam locus nec virtutem præstat, nec adimit.

Appositè proindè cecenit Juvenalis

Summos posse Viros, & magna exempla daturos
Vervecum in Patriâ, crassoque sub aere nasci.

Et Ausonius Severo Cæsare,

Punica origo illi, sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, cum valet ingenium.

Nec laude dignum puto Alexandrum Severum, qui cum Syrus esset, volebat tamen videri, traxisse originem de Romanorum gente, eumque pudebat, Syrum se dici. Tiraquell. *de nobilit. cap.* 12. *num.* 6. præstabat enim, quod potius gloriaretur virtute suâ Patriam nobilitasse, quemadmodum fecisse Damonidem, dicit Plutarch. *in apophteg.* cum enim à Chori Magistro in ultimam Chori partem locatus fuisset; *Rectè profectò,* inquit, *Ductor Chori excogitasti, quo pacto quoque inhonoratus locus, honorabilis fieret*; cui congruit illud Anacharsis dictum, de quo Galenus *in exortat. ad Artes. Vides*, inquit Galenus, *non obstitisse Anacharsi Scithæ, quominus esset in admiratione, & inter sapientes numeraretur, tametsi genere barbarus esset. Huic cum quidam exprobaret, quod genere barbarus esset, & Scytha, mihi quidem* (inquit) *Patria dedecori est: tu verò, Patriæ.* Quid respondisset, si tali virtute

orna-

ornatus, Patriam habuisset Romam? rectè igitur Platina *loc. cit.* subjungit. *Tanta est infelicitas nostrorum temporum, ut cum multis Patriæ splendor ad consequendos honores profecerit, solis Romanis obsit.*

PRAELIMINARE VI.

Ex Parentibus.

SUMMARIUM.

1 *Ex parentibus criminosis oritur suspicio, quia filius accipit non solùm corporis substantiam à parentibus, sed & virtutes, & vitia.*

2 *Ratio similitudinis morum inter filios, & parentes fortè est, quia ad operationes animi concurrit organorum qualitas, & similitudo in utrisq;* n.3.

4 *Filii hæreticorum privantur ipso jure beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis. Spurii non possunt promoveri ad ordines Ecclesiasticos.* ibid.

5 *Quare tanti fiat nobilitas.*

6 *Faciliùs quod improbus sit filius improbi, quàm probus filius probi.*

7 *Exempla parentum filios excitant.*

1 EX parentibus criminosis oritur suspicio, cum filius præsumatur talis, qualem habet Patrem, Alciat. *lib.* 1. *præsumpt. cap.* 48. Alph. de Castro *lib.* 2. *de justa hæret. punit. cap.* 8. Tiraquell. *in l.* 7. *Cennubial.* Param. *de orig. S. Inq. lib.* 3. *q.* 9. *num.* 56. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 15. *num.* 24. *& lib.* 6. *præsumpt.* 33. *&* 58. *per tot.* Christof. Crusius *de indictis, par.* 1. *cap.* 24. ubi latè: nec fructus diferre solent ab arbore, ex quo producuntur, ut inquit Servator. *Mathæi c.* 7. & glos. ait, quod filius est argumentum ambulans super terram incontinentiæ Patris; cui congruit ipsa experientia; sæpè enim, inquit Gozales *de filiis presbyteror. cap.* 1. *num.* 6. eventus docuit, filios non tantùm corporis substantiam à Parentibus, verùm & genium, affectionem, virtutes, & vitia accipere, undè benè Cicero *lib.* 6. *epist.* 6. *ad Cecinam*, ait, Filium esse imaginem animi, & corporis Patris; quare seditiosi milites apud Aquilejam, cum trucidassent Julium Maximinum Romanorum Imperatorem unà cum filio, conclamarunt, ex pessimo genere, ne Catulum quidem relinquendum, ut refert Sextus Aurelius Victor in ejus vita, ad quod facit illud Juvenalis:

—— Expectas, ut non sit adultera, Large,
Filia, quæ nunquàm maternos dicere Mæchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? ——

Et Horatius:

Non imbellem feroces;
Progenerant Aquilæ columbam,

adeout, quemadmodum mali corvi, malum ovum, hoc est, nequissimorum nequissimi etiam sunt filii, teste Salomone *cap.* 3. *proverb.* ità Aquilæ, bonum ovum, Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 58. *num.* 9. Justinian. *in l.* 2. §. *quæ omnia Cod. de vet. jur. enuclean.* ubi commendat Anatolium virum juris peritum, argumento ducto à peritia Majorum suorum, quod etiam advertit Herman. Kirchner. *de offic. & dignit. Cancellarii lib.* 3. *cap.* 3. *num* 3.

2 Ratio autem hujus tantæ similitudinis erit fortassè, quia corpus, & anima, juxtà Ficinum, proportione quâdam harmonicâ sibi invicem congruunt, motusque corporis in animam, sicuti & animæ in corpus facillimè, & vehementissimè penetrant. Hinc est, quod ad operationem animi maximè concurrit organorum qualitas, quarè narrant de illis duobus gemellis, adeò inter se similibus, qui eodem tempore vitæ periodum clauserunt, & ambo in Sanctorum Catalogum adscripti fuere; de quibus habemus in Martyrologio, & notis Baronii.

3 Ista verò organorum similitudo præsumi potest in filiis, ex eo quod ipsos videmus, sæpè faciem parentum, formamque referre, adeòut dicat Aristoteles *lib.* 2. *Polit. cap.* 2. ac Stobæus *serm.* 42. Garamantas, & superioris Lybiæ Populos, qui privatim matrimonia nesciunt, & ob rejectam ex incæsti lascivientis luxuriâ castitatis disciplinam, proprios liberos ignorant, ex similitudine formæ dumtaxat agnoscere, quam non leve filiationis argumentum esse, tenet etiam Rota *rec. par.* 6. *decis.* 314. *n.* 11. *& par.* 9. *tom.* 1. *decis.* 68. *n.* 8. *&* 9.

Cum ergò filii naturaliter sequantur Parentum vestigia, prout quoque testatur Fagnan. *in cap. urgentis, de haeret. n.*11. hinc est, quod filii haereticorū beneficiis, & pēsionibus Ecclesiasticis ipso
4 jure privantur; id, quod decisum fuit in Sacra Rota corā Peregr. *in Conchen. pensionis, die 6. Martii* 1598. revocante decisionem Peñae in eadem causa antè hac emanatam, ut adnotant Fagnan. *loco cit. num.*31. *vers. sed postea*, Tondut. *quaest. & resol. beneficial. cap.*4. *num.*2. *p.*1. & tradunt Ventrigl. *prax. rer. notab. par.*1. *annot.*2. §. 3. *num.* 32. Fermosin. *alleg. fiscal par.*1. *alleg.*38. *num.*48. licet non desint contrarium tenentes, ut, caeteris omissis, Campanil. *diversor. jur. can. rubr.*11. *cap.*26. *num.* 21. Add. ad Rox. *de incompatib Regnor. part.*3. *cap.* 2. *num.*50. *tom.* 2. Pastor. *de Benefic. lib.* 3. *tit.*19. *num.*2. ex piâ tamen consuetudine inductum est, quod hujusmodi filii ipso jure non priventur, imò, quod absque difficultate dispensationem consequantur, teste Baldello *de fide*, *& infidelit. lib.*1. *disp.*53. de hac re latè P. del Bene *de offic. S. Inq. p.*1. *dub.*174. *coroll.*1. Hinc est etiam, quod spurii non possunt promoveri ad ordines Ecclesiae ex suspicione, scilicet in continentiae Paternae, quae praesumitur quoque esse in filiis. Gonzalez *loc. cit.* Afflict. *decis.* 36. Clar. §. *final.* *q.* 21. *vers.* 1.

5 Nec ob aliam causam tanti fit nobilitas, nisi quia, cum non possit esse à virtute sejuncta, Tiraquell. *de nobilit. cap.*20. *num.* 21. praesumptionem inducit, quod etiam filii nobiles virtute Parentum resplendeant, teste Aristotele *lib.*3. *Reth. ad Theodocten. cap.* 16. *Nobilitas*, sunt ejus verba, *& educatio ad faciendam fidem adhibentur: verisimile enim est, probos ex probis; & benè educatum in probum virum non evasisse*. Quin, si improbus est filius, vix reputatur optimos habuisse Parentes, quod innuit Homerus:

Non aeques ipse Pater fuerat tibi mehercle, Paleus.
Non Thetis est Genitrix: Plaucum te protulit aequor;
Aeriaeque rupes, mens quod tibi dura, feroxque est.

6 Cum autem natura sit magis ad vitia prona, fatendum erit, faciliùs improbum fore filium improbi, quàm probum filium probi, praecipuè, quia filius non tantùm Parentibus similis reddatur à natura, verùm etiam ab eorum exemplo. Hoc enim filios excitat: Panorm. *in cap. venerabilis colum.* 2. *de praebend.* hinc Virgilius:

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et Pater Aeneas, & Auunculus excitat Hector?

7 Porrò, si tanta est efficacia exempli Paternae virtutis, ut excitet, ac corruptae naturae ad vitia prolabenti resistat, quid operari poterunt criminum exempla, quę à Progenitoribus praebentur filiis, quos auctoritate regere, ac recto exemplo à teneris usque annis instruere debent? miratur propterea Martialis, quod ebriosi filia aquam biberet:

Miror, quod Basi filia potat aquam.

Et quàmvis negari nequeat, posse ex Thersitâ quoque Achillem oriri, prout de Baccho Ovid.

—— Potuit de Pellice natus
Vertere Maeonos, pelagoque mergere Nautas;

Attamen, quia praesumptio adaptatur ei, non quod potest esse, sed quod frequentiùs accidit, juxtà vulgatum Jurisconsultorum axioma, de quo Rot. *recent. par.* 3. *decis.* 126. *num.* 1. *in fin.* hinc, si malam Parentûm qualitatem, mala etiam filiorum educatio subsequatur, ut plerùmque accidit, suspicio adversus eosmet filios non erit levis, non obstantibus, quę subjungit Menoch. *d. praesumpt.* 58. *num.* 1. Simanch. *lib. Catholic. instit. tit.*50. *num.*11. & Alciatus, *de praesumpt. Praesumpt.* 24. *num.* 2.

PRAELIMINARE VII.

Ex educatione.

SUMMARIUM.

1 *Ex malâ educatione oritur suspicio.*
2 *In Sacrâ Scripturâ filiorum mala educatio valdè inculcatur.*
3 *Licurgi factum ad vim educationis ostendendam.*
4 *Propter periculum malae educationis filiorum non permittitur Catholicorum*

rum matrimonium cum Hæreticis. *Urbanus VIII. quibus conditionibus permisit Principi Catholico matrimonium cum fæminâ hæreticâ*. ibid.

5 *An infans, invitis parentibus baptizatus, sit eis restituendus?*

1 EX malâ educatione suspicio quidem, nec levis, oritur: Nàm quemadmodùm Parentes concurrunt ad corporis productionem, ità educatio concurrit ad efformandum animum: Lactant. *lib. de opificio Dei, c.* 19. Abulens. *de optimâ politiâ, num.* 148. & Alciatus *lib.* 1. *præsumpt. cap.* 24. quos citat, & sequitur Paramus *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *q.* 9. *n.* 57. latè Merbes. *in Summ. Christ. dissert.* 7. *qu.* 90. *quæstiunc.* 2. Porrò non immeritò Divina Sapientia tantoperè
2 filiorum educationem Parentibus commendavit; inquit enim Ecclesiasticus: *Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos à pueritiâ eorum*. Et rursùs idem: *Qui docet filium, laudabitur in illo*; & mox *Equus indomitus evadet durus, & filius remissus evadet præceps*. Sic Paulus Apostolus: *Vos Patres*, inquit, *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplinâ, & correctione Domini*. *Quemadmodum enim* (ait Bernardin. Scodobius *in Autentic. pag.* 130. *num.* 3.) *obstetrices manibus tenella infantium corpora effigiant, ità educatio mores componendo in primum virtu-*
3 *tis vestigium collocat*. Id comprobavit Licurgus apud Plutarch. *de liberorum educ.* Is enim duos Catulos iisdem prognatos canibus, diversâ omninò ratione educavit; alterum delicatum, & luxuriosum; alterum indagini, & venationibus aptum reddens, & deinceps, cum frequentes in concionem Lacedæmonii cõgressi fuerint: *Magnum*, inquit, *Spartani ad virtutem concipiendam momentum adfert educatio, quod ego vobis jam nunc commonstrabo*; simulque duos istos Catulos productos (positâ in medio patinâ, & lepore) dimisit, quorum cum alter illicò leporem, alter patinam peteret, neque etiamnùm assequerentur Lacedæmonii, quid sibi Catulis illis ostendendis vellet: *Hi*, inquit, *iisdem nati Parentibus, diversâ educati ratione, ventri alter deditus; alter venaticus, evaserunt*.

4 Propter igitur hujusmodi periculum malæ educationis, non permittitur Catholico matrimonium cum hæreticâ, & è converso: Concil. Eliberit. *cap.* 4. *&* 5. Mattheu *de re crimin. cap.* 56. *num.* 8. Solorzan. *de jure Indiar. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *à num.* 10. Roxas *de incompatibil. Regnor. par.* 3. *cap.* 3. *per tot.* Etsi Urbanus VIII. illud permisit Duci Neoburgico Vvolfango cum filiâ Bipuntinâ hęreticâ, inter alia voluit, quod ipse sub *verbo Principis* promitteret, prolem tàm masculinam, quàm fœmineam ex eo matrimonio edendam, statim ac nata esset, piis, & exploratæ probitatis, ac Catholicæ Religionis zelo præstantibus viris tradere, qui eam à Catholicis nutricibus ali, & in dies catholicè educari, & in eâdem Fide Catholicâ instrui, omni studio curarent; & hæc seorsim à Principe matre, & hæreticorum semper omni conversatione
5 semota. Undè reprobanda est Calderini opinio, qui *cons.* 3. *de Judæis* ait, puerum infantem, baptizatum invitis Parentibus, illis esse restituendum, prout eum repobat Riciull. *de jur. person. lib.* 2. *cap.* 34. *per tot.* Nàm dato, quod puer Judæus baptizetur invitis Parentibus, quod utique est illicitum, dummodò non adsit casus, de quo Solorzanus *de jure Indiarum, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 14. præsertim, quoties est persona privata, qui eos baptizare intendit: D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. Suarez *in* 3. *q.* 68. *art.* 10. *disput.* 25. *sect.* 4. Tonell. *manuduct. infidel. ad fid. conclus.* 2. *nu.* 1. Solorzan. *d. lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 32. ubi ait ex doctissimo Navarro, quod si contingat, patrem infidelem mori, non possit ejus filius infans baptizari reluctante matre, quàmvis ejus avus paternus superstit ad christianam fidem conversus, qui instet, nepotem penès eum educari, & baptizari debere. Quod tamen non subsistit, dum petente Avo Christiano, baptizandi sunt nepotes infantes, etiam reluctante Patre, seu matre hæbreâ, ut latè docent Gratian. *discept. for. cap.* 977. Paitell. *expedit. civil. expedit.* 66. *in annot. n.* 38. & latissimè Tonell. *manuduct. ad fid. cap.* 8. *per tot.* & signanter *num.* 13. ubi sic Romæ pluries judicatum refert. Sed etiàm reluctante Avo paterno, nepotes ad instantiam Avi materni baptizari

zari possunt, eâdem ratione, quod sicuti mater potest baptizare communes filios invito Patre, ita Avus maternus baptizare potest communes nepotes, invito Avo paterno, ut prosequitur Tonell. *loco cit. num. 16. & seqq.* Dato, inquam, quod puer hæbreus invitis parentibus baptizetur, nunquàm est restituendus, etiam præstitâ cautione de exibendo filio, cùm pervenerit ad ætatem legitimam; & quod interim non detestabitur fidem Christianam, quemadmodum declaratum fuisse Romæ, testatur Ricciul. *loc. cit.* Nimium enim facile est puerilem animum falsis dogmatibus imbuere; quare per Concilium Toletanum filii baptizati, à patrûm infidelium potestate, & consortio liberantur, ne illorum iterum involvantur erroribus: Solorzan. *ubi suprà lib. 3. c. 3. n. 12.* Carol. Ant. de Lucc. *ad discept.* Gratian 978. *sub n. 6.* Vrsill. *ad Afflict. decis. 151. num. 9.* Imò Platoni nec placuit, ut à nutricibus narrarentur Infantibus fabulæ, quæ cum se in tenellos, ut ait Cicero *lib. 1. & 4. Tuscul. quæst.* insinuent animos, vix unquàm funditùs possunt evelli, ex quo tot præjudicia ad inquirendam, & agnoscendam veritatem eveniunt: laudandæ propterea

6 sunt illæ duæ genitrices potentissimæ, altera Honorij Imperatoris, altera Henrici III. Galliarum Regis; de illâ namque cecinit Claud. *Panegyr. 4. ad Honorium.*

Ipsa Quirinali partum te cinxit amictu
Mater, & ad primos docuit reptare curules.

De hac autem postremâ memini me legisse *in vitâ Cardinalis Morosini. Italico Idiomate conscriptâ*, quod cùm ejus Filius Henricus III. adhuc puer, quadam occasione sermonem habuisset cum quibusdâ Hugonottis, ipsum alapâ percussit, ex quo insurrexit in Reali animo infantis avversio adversùs hujusmodi acatholicos, quam nunquam deposuit.

PRAELIMINARE VIII.

Ex vitâ anteactâ.

SUMMARIUM.

1 *Suspicio inducitur ex vitâ anteactâ propter malum habitum.*

2 *Malus habitus adauget naturalem ad vitiorum propensionem.*

3 *An in nobis mala inclinatio reperiatur?*

4 *Quilibet debet præsumi innocens, nisi præsumptio sit in alterius præjudicium.*

5 *Ad eliciendum judicium super aliquo, spectari debet vita anteacta.*

6 *Regula semel malus &c.*

7 *Ex vitâ anteactâ oritur suspicio respectu cujuscumque criminis.*

8 *Ex vitâ anteactâ insurgit suspicio tàm respectu præteriti, quàm futuri criminis.*

9 *Suspicio ex præteritâ vitâ ad futuram oritur tantùm in eodem, vel simili genere criminis.*

10 *Aliqualis etiam oritur suspicio in dissimili crimine.*

11 *Quando crimen est per naturam suam alterabile cum tempore, ex præterito non oritur suspicio ad futurum.*

12 *Neque oritur suspicio, quando adest triennalis resipiscentia.*

1 Ex vitâ anteactâ inducitur suspicio, cum ex eâ producatur habitus
2 malus: Clarè hoc scripsit Gregorius Magnus Maximiano Episcopo Syracusano his verbis: *Quia ex transactâ in te vitâ didicimus, quid etiam de tuâ subsequenti conversatione præsumamus.*

Haud obscurè veritatem eamdem indicavit Stobæus *serm. 44. Sic in omnibus judiciis semper præteritam vitam considerare oportet, tùm in illis causis maximè, in quibus vita ipsa accusatur.*

Meritò proindè ex præterito ad futurum efficax argumentum desumitur: *cap. litteras in fin. cap. cum in juventutem, de præsumpt.* S. Thom. *2. 2. quæst. 49. art. 1.* ait: Interrogationi, quid est, quid erit, responsum damus: *Quod fuit.* Ratio est, quia malus habitus adauget naturalem ad vitiorum promptitudinem, & inclinationem, de quâ *in c. omnis ætas 12. quæst. 1.* Aristoteles *in 2. Ethic.* & D. Thomas *2. 2. quæst. 166. art. 2. ad 3.* ubi ait, quod, ut homo efficiciatur studiosus, opus est, ut caveat ab his, ad quæ natura maximè inclinat; imò si admittere velimus, non reperiri in nobis hanc malam inclinationem, prout contendit probare Menoch. *lib. 5. præsumpt. 1. à nu. 7. usque ad 16.* adhùc oriretur ex

vitâ

vitâ malè ante actâ suspicio, quemadmodùm ipse tenuit *ibid.num.*32. *& præsumpt.* 32. *num.* 1.

3 Ego autem negarem id, quod Menochius omnibus nervis nititur probare, malam scilicet inclinationem in nobis non reperiri: Fateor, naturę principia esse talia, secundùm quę, opitulante Deo & ipsam felicitatem naturalem assequi possumus, juxtà D. Thom. 1.2. *quæst.* 62. *art.* 1. Fateor pariter, apud aliquos receptam esse Durandi opinionem *in* 2.*sent. dist.*31. *quæst.* 3. quâ habetur, peccatum originale, non secùs ac actuale, non esse in essentiâ animæ, sed in potentiâ solâ: Fateor tandem, copiosam fuisse Christi Redemptionem, ut restituti, quemadmodùm ait Menochius *ibidem num.* 12. verè dicamur primævo statui bonitatis.

Negari tamen non potest, nos adhuc esse veluti Centauris similes, habentesque legem in membris nostris, ut Apostoli verbis utar, repugnantem legi Dei, quarè Div. Ambrosius, liberum Arbitrium, quale nobis hodie est, vulneratum vocat; quinimò & illud claudicare, ait Augustinus apud Pallavic. *hist. lib.*1. *cap.*15. *num.* 5. Hinc scripsit

4 Stobæus *serm.* 44. *Cogita connatum esse hominibus peccatum*. Atque Metrodones apud eumdem *serm.* 14. *lethale venenū generationis nobis omnibus infusum esse*. Hanc ad malum pronitatem unusquisquè nostrorum in se experitur, & per primum peccatum humana natura corrupta fuit: *Genes.* 8. *& cap. omnes* 12.*quæst.*1. ubi referuntur verba Concilii Toletani quarti *cap.* 23. Omnis ætas ab adolescentiâ in malum prona est. Verùm quia hujusmodi propensio non est tanta, quominùs rectè operemur, licet aliquo cum labore, hinc est, quod cum suspicari de aliquo, de cujus vitâ anteactâ nihil constet, sit ei in præjudicium, debemus semper quemlibet præsumere innocentem, dummodò non agatur de alterius præjudicio; nam tunc non præsumitur quis bonus: Menoch. *ibid. n.* 19. & S. Thomas 2.2. *q.*70. *art.*3. *in respons. ad* 2. cujus verba lubet huc adferre: *De quolibet præsumendum est bonū, nisi appareat contrarium, dummodò non vergat ad periculū alterius, quia tunc adhibenda est cautela, ut non de facili unicuique credatur*.

5 Ad eliciendū igitur judicium, in primis spectanda sunt (inquit Quintilianus *lib.*5. *institut.Orator. cap.*10.) anteacta, dictaque: Ex præteritis enim æstimari solent præsentia, cui consonat illud Ciceronis *in orat. pro Aulo Cluentio*: *Perindè, ut opinio est, de cujusque moribus, ità quod ab eo factum sit, existimari potest*; undè effluxit regula, quod semel

6 malus, semper præsumatur malus: *cap. semel malus, de regul. jur. in* 6. *& l. non omnes* §. *à Barbaris, ff. de re milit.* ubi, si miles malè anteà se gessit in militiâ, de eo suspicari possimus, quod in futurum malè quoque se gerat: Param. *de orig. S.Inquis.lib.*3. *q.*9. *num.* 60. Menoch. *de præsumpt.lib.*5.*præsumpt.*32.*per tot.* Mascard.*de probat.vol.*2.*conclus.*1003.*n.*37. Mattheu *de re crim.cap.*36. *num.*32. Carrer. *in pract. crimin.pag.* 61. Petr. Pecc. *in reg.*8. *num.* 3. latè Christoph.Crusius *de indiciis delict.par.*1.*cap.*104.& Nicol. Everhard. *in loc.argumentor. legal. loc.à tempore ad tempus*.

7 Hæc autem suspicio, quæ juris appellari potest, ad tradita per Menoch. *ibidem num.* 17. insurgit respectu cujuscumquè criminis; undè qui semèl fidem non observat, obnoxius est suspicioni, quod inposterùm eam non sit servaturus: Bald. *in l.Cornelia ff.ad S.C. Sylla, & in l.* 3. *C.de Episc.audien.* Hinc est etiam, quod qui semel est falsarius, credatur futurus talis: Aretin. *in leg. si ex falsis, & l.penult.C.de transact.* & qui homicidium commisit, reputetur occidisse eum, cujus homicida ignoratur: Alciat. *in tract de præsumpt.præsumpt.*7. *num.* 5.

8 Et insurgit respectu tàm præteriti, quàm futuri criminis. Quò ad præteritum, tenet Alciatus *in tract. de præsumpt.præsumpt.* 9. Everhard. *ubi suprà num.*19. & propterea Vidua fornicatrix creditur idem fecisse vivente Marito. Hujusmodi suspicio tamen levis asseritur à Mascard. *dict. conclus.* 1003. *numer.*17. ac tali pacto concordantur opiniones hac in re inter se discordantes: Nam ex notitiâ similis perpetrati criminis negari nequit, oriri quamdam suspicionem, tametsi levem, ex eo quod, si crimen aliud fuisset peractum, utiquè de

eo

eo apparuisset post aliquod tẽporis spatium, undè non est efficaciter suspicandum. Prætetquàm quod in occultis accipere debemus interpretationem in meliorem partem: *Cap. si omnia 6. qu. 1. & cap. ex tua, de Sortileg.* Quò ad futurum probat Everhard. *loco cit. num.* 18. Mascard. *ubi suprà num.* 44. & Menoch. *d. præsumpt.* 32. *num.* 44. & 45. his tamen limitationibus.

9 Prima est, quod talis suspicio non procedat, nisi in eodem genere criminis: Mascard. *ibid.* Barbos. *in regula, qui semel, num.* 8. Petrus Pecch. *in ead. reg. num.* 7. vel illi simili, & cùm quo connexitatem, seù dependentiam habeat: Menoch. *dict. præsumpt.* 32. *num.* 23. & 24. Farinac. *in praxi criminali quæst.* 23. *num.* 3. Ratio est, quoniam à similibus fieri potest argumentum: Jacobus Aretinus *apud Bartol. in l. Cassius num.* 2. *ff. de Senat.* scribens, quod semel malus in unâ re, semper præsumitur mala facere in aliâ, & simili: Mechov. *lib.* 6. *Philosophiæ Paraenet. cap.* 1.

10 Cæterùm qui malus est in uno, habet non modicam præsumptionem contra se, quod malus sit in aliis, licèt dissimilibus; quoniam unum peccatum est causa alterius, secundùm illud *Psalm.* 124. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*: Quibus in verbis Regius Vates vocavit peccata, *obligationes*, quasi quod primum peccatum de se obliget ad aliud, scribente etiam S. Greg. *lib.* 25. *Moral. cap.* 13. *Peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, peccatum est, & causa peccati*. Cecinit Juvenalis.

Quis ——
Peccandi finem imposuit sibi? Quando recepit
Ejectum semel attritâ de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

Videas D. Th. *part.* 2. *quæst.* 75. *artic.* 4. ubi ostendit, quod unum peccatum est causa alterius, & D. Aug. *Ennarrat. in Psalm.* 57.

11 Secunda, quod non procedat, quoties crimen sit per naturam, seù ætatem alterabile, ut de crimine libidinis in juvene non præsumendo in jam facto sene: Menoch. *ibidem, nu.* 43. & *lib.* 6. *præsumpt.* 37. *n.* 35. ubi hoc casu pręsumi (cessante causâ) voluntatis mutationem, quia illecebrę carnis in sene deficiunt, & senectus futurę incontinentię suspicionem aufert. Attendantur verba Pelagii Papæ ad Episcopũ Florentinũ, quæ referuntur *in c. Fraternitatis dist.* 34. *Et ætas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur*. Suffragatur Seneca *declamat.* 2. ibi: *Adolescens luxuriosus peccat; senex luxuriosus insanit*. Ratio hujus est frigiditas, quæ (ut inquiunt Galenus *lib.* 5. *de sanitate tuenda*, & Aristot. *lib.* 7. *histor. animal. cap.* 3. *in fine*) senilis corporis statum comitatur. Imò etiam loquendo de aliis vitiis, avaritiâ exceptâ, nequit suspicari hominem senem malum esse ex eo quod in juventute malus fuerit: Etenim senex habet majus motivum probitatis, scribente S. Cypriano: *Plus omnibus religioni operam dare, senibus convenit, quos præsentis seculi florida ætas transacta reliquit*. Quarè S. Amb. relatus *in cap. in solicibus de pænit. dis.* 3. videtur docere, in senibus pęnitentiam pręsumi. Tunc enim maximè urgemur, ait, cum caro cedit. Democriti vox erat apud Stobęum *Serm.* 212. *Robur, & forma corporis bona sunt; senectus autem flos temperantiæ, & prudentiæ*. Æschines apud eundem *ibid. Senectus justior est juventâ*.

Tertia, quod locum non habeat, quando, qui malè vixerit, jàm resipuerit, saltem per triennium: Mascard. *dict. Conclus.* 41. Menoch. *dicta præsumpt.* 32. *nu.* 30. & antè istos, Salicet. *in l. si fidejussor. §. fin. ff. qui satisd. cogat.* Alciat. *de præsumpt.* 3. *n.* 3. Jason. *in l. si priùs n.* 42. *ff. de nov. oper. nunciat.* Tusch. *concl.* 28. *n.* 24. Ubi scribit, quod si quis probaret bonam famã per trienniũ, probaret emendationem: Roman. *Cons.* 236. Et ratio est, quia per triennii lapsum præsumitur quis de malo effectus bonus, & de crimine emendatus: Gomez. *in Regula Cancell. in Reg. de Trien.* Farinac. *cit. num.* 27. & alii plures, & præsumptio una tollitur per aliam: *l. eum qui, C. de Epis. & Cler. cap. absit* 11. *quæst.* 3.

Addit Menoch. *nu.* 41. prædicta procedere, dummodò post pœnitentiam

non sit relapsus. Imò sufficere, quod quem simplicitèr pœnituerit, dummodo hoc appareat per aliquem actum non æquiuocum.

PRAELIMINARE IX.

Ex Dictis.

SVMMARIVM.

1 *Ex malè dictis oritur suspicio.*
2 *Dolus ex malè dictis quando arguiatur?*
3 *Crimen falsi quando suspicari possit in instrumento.*
4 *Homicidium suspicari licet in eo, qui mortem occisi antè tempus nunciavit.*
5 *Suspicio oritur ex dictis tùm prolatis, tùm scriptis.*
6 *Dicta, vel scripta, ut suspicionem inducant, non debent esse æquivoca, nisi prolata sint à Viro malæ famæ.*
7 *Suspicio ex dictis liberis, & claris debet oriri.*

1 EX malè dictis oriri sospicionem, testatur ipsa sermonis definitio, quam Julius Scaliger *de caus. linguæ lat. lib.* 1.*c.*4. in medium exhibet, dùm ait, esse dispositionem vocûm ad interpretandum animum: Declaratur ergò animus, & dicitur talis, qualem prolata verba significant, vt quoque habetur *in l. Labeo* §. *Servius fatetur, ff. de suppellectile legata* latè Eymer *in* 3. *part. direct. in tit. de signis, & indiciis exterioribus, & ibid.* Peña *comm.*24. *vers. verum nos, & vers. illa facta* Albertinus *de agnoscend. assert. quæst.*3. Paramus *de orig. Sac. Inqu. lib.*3.*q.*9. *à num.*87. Sess. *decis. Aragon. vol.*4. *decis.*450. *num.*2. unde rectè orationem appellauit Cic. *in* 1. *de legibus* mentis interpretem, cui consonat, quod dixit Bald. *in c. Mandatum, in princ. de rescript.* mentem scilicèt esse radicem verborum, & substantiam primam: Cor esse Imperatorem linguæ, & sub jugo mentis, verba consistere, tamquàm sub proprio originali: Ob id antiquitùs *Loquere, & cognoscam te*; quod aliis verbis exprimit illud Euang. *Loquela tua manifestum te facit.* Immò, iuxtà Cassiod. *lib.*3. nullum reperiri potest majus mentis nostræ testimonium, quàm qualitas inspecta verborum, quæ multipliciter considerari potest: Animadvertendum enim est, an reus de facti veritate rogatus varius sit, incenstans, titubans: Christof. Crusius *De indiciis delict. par.* 1. *cap.* 13. *per totum*, vbi variatio, & titubatio vocantur signa malæ conscientię; Item, an ejus sermo soleat esse mendax; nàm, vt ait D. Chrisost; *Homo mendaciis deditus, nil, nisi pravum, & pessimum excogitare potest*: latè Crusius *ubi supra cap* 34. similiter, an ipse aliquod malum minitatus sit, quod postea subsequatur, iuxta eundem Crusium *loco citato cap.* 35. vbi, quod minæ ad torturam indicium faciunt. An pariter in sermone soleat esse maledicus: siquidem maledici, & obtrectatores præsumuntur ad peccandum proniores, ut prosequitur Crusius, de quo suprà, *cap.* 29. Animadvertendum est etiam, an reus ante delicta alicui in aurem locutus sit; nàm si homo, cui insusurravit, paulò post delinquat, inde indicium ad torturam depromi, ait ex Baldo, & Pecc. idem Crusius *dicta par.* 1. *cap.* 58. *n.* 8.

Benè igitur ex malè dictis inducitur suspicio, itaùt credi possit quodcumque crimen commissum, prout verba præseferant.

2 Si enim intelligimus de dolo, vtique arguitur ex dictis falsitatem continentibus *l. si quis affirmaverit*, §. 1. & *l. quod venditor, ff. de dolo*, Mascard. *de probat. concl.* 531. *num.* 19. & 76. quarè impetrans rescriptum, expressis falsis qualitatibus, dolosè id egisse præsumitur: Crauett. *in cons.* 282. *num.* 8., oprtet tamen, ut inferatur ex hujusmodi dictis dolus, quod mendax consequatur aliquod commodum. Ruin. *cons.* 29. *num.* 9. *lib.* 1. Si loquimur de crimine simoniæ, ejus suspicio dubio procul oritur ex dictis, quibus resignans expresse protestatur, se resignare ad commodum alterius, & valdè instat, ut illi conferatur Beneficium, Cassador. *decis.* 2. *num.* 5.

3 Si sermo sit de crimine falsi, maximè licitum erit suspicari, illud adesse in instrumento, quando quis asserit in judicio, nolle uti ipso Instrumento eâ de re confecto, sed velle probare testibus:

bus: Corn. *in Cons.* 223. *col.* 2. Crau. *in cons.* 134. *num.* 3. & 31.

4 Tandem si intelligatur de homicidio, certum est, rectè nos suspicari, illum esse ipsius conscium, qui antè tempus verisimile, quo fama verè potuit ibi pervenire, mortem nunciavit occisi. Ripa *lib.* 1. *respons. cap.* 16. *num.* 3. Quâ in re egregiam habemus Ciceronis authoritatem pro Sexto Roscio Amerino; *Occisus est*, inquit Tullius, *à cœna rediens; nondùm lucebat, cum Ameriæ scitum est. Quid hic incredibilis cursus? Quid hæc tanta celeritas, festinatioque significat? Non quæro, quis percusserit; nihil est, Glausia, quod metuas; non excutio te, si quid fortè ferre habuisti, non scrutor: Nihil ad me arbitror pertinere, quoniam cujus consilio occisus sit, invenio; cujus manu percussus sit, non laboro.* Idcircò, si quis manifestet alicui, imminere magnum periculum, quod subsequatur, dicitur conscius delicti, & punitur eâdem pænâ, quâ plecteretur, si delictum perpatrasset, juxtà Bartoli sententiam, propter quam tamen ipsius Bartoli animam in inferno cruciari, asseruit Baldus, ut videre est penès Cruf. *de indiciis delict. par.* 1. *cap.* 58. *num.* 13.

5 Nec interest ad inducendam suspicionem, an hujusmodi dicta sint tantummodo prolata, vel scriptis exarata: scriptura enim est quid accidentale, nec sermonis significationem variat, & proptereà tàm oritur suspicio, quod Uxor sit ulterium commissura, ex eo quod oretenus proferat verba impudica erga aliquem, quam si per litteras amatorias quid simile scribat, ut probant Cruf. *de Indic. delictor. par.* 2. *cap.* 7. *n.* 7. De Amen. *de delict. tit.* 4. §. 4. *num.* 11. & Sperell. *decis.* 136. *num.* 29.

6 Oportet tantùm, quod hujusmodi dicta non sint æquivoca, quibus non inducitur criminis suspicio; & quod non oriatur ex ipsis presumptio heresis, cum ipsa sumenda sint in sensu Catholico, dixit Castropal. *oper. moral. p.* 1. *tract.* 4. *disput.* 3. *punc.* 3. *num.* 4. nisi mala fama loquentis aliter suadeat, quia propositio ambigua Viri bonæ famæ non est interpretanda in sensu heretico. Tondut. *resol. beneficial. cap.* 34. *nu.* 7. Aptissimum apud Ludouicum Bail. *in sum. Concil. to.* 2. *p.* 76. *col.* 2. habemus exemplum in Liberio Summ. Pont. Hic enim approbavit formulam fidei à semi-arrianis in Syn. Sirmien. confectam, in quâ, suppresso nomine *consubstantialis*, filius Dei dicebatur, *Patri similis*: Porrò ly *similis* verbum ambiguum est. Hinc à Semiarrianis Hæreticis prolatum excludere intelligebatur consubstantialitatem Filii cum Patre; At secus à Liberio Papa pronunciatum, qui semper fuerat, & erat tunc Catholicus, quidquid crocitet Maimburgus.

Non obstat quidquid dicat in contrarium Card. de Lugo *de virt. fid. Divinæ, disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 9. nempè quod re verâ talia verba suspicionem inducant, quia per accidens eam occultant. Nescio enim quo jure dici possit, quod per accidens occultent, dùm requiruntur verba certa, & univoca ad detegendam hæresim, & ratio est, quia ea interpraetatio, quæ referri potest ad delictum, refert ad non delictum. Bursat. *cons.* 278. *num.* 6. *lib.* 3. Tondut. *resol. beneficial.* 34. *num.* 7. *in fine*, Paul. Christin. *decis. Belgic. tom.* 1. *decis.* 97. Sperell. *decis. For. Eccles.* 175. *num.* 1.

7 Opportet etiàm, quod sint libera, clara, & ideò non signis, quæ sint imperceptibilia, notata; non fatua, sed significatiua eorum, quæ sunt in animo, ad hoc ut inducant suspicionem criminis; tametsi ad inferendam suspicionem insaniæ requiratur, ut sint inordinata, & fatua. *c. legimus* 93. *distinct.* ac interrogationibus, vel sibimet parùm cohærentia, Alex. Rauden. *in comment. de Analogis, cap.* 30. *num.* 39. Quamobrem legimus apud Gonguinum *lib.* 9. *hist. Franc.* Carolum VI. Galliarum Regem, cum insanire incepisset, verba parùm sibi cohærentia, atque inordinata loqui consuevisse.

PRAELIMINARE X.

Ex factis.

SUMMARIUM.

1 *Suspicio ex facto plus validior, quàm ex dicto.*

2 *Facta dupliciter consideranda, vel ut antecedentia, vel ut consequentia.*

3 *Ex factis antecedentibus oritur suspicio.*
4 *Item ex factis consequentibus.*
5 *Facta, ut suspicionem inducant, debent esse univoca.*

1 INter suspicionis causas hucùsque allatas nulla major, quàm ea, quæ ex dictis habetur; superest alia adhuc validior, & est, quæ ex factis: Quippè plus facto, quàm verbis mens declaratur *c.delicti filii*, *il secondo*, *de appell.*, & ibi Dec. *in 2.notab.* Albertin. *de agnoscend. assert. quæst.3.num.7. & quæst. 30. num 2.* Zanchin. *de hæret. cap.22.num.7.* Sess. *decis.440 num.8. & decis.450. nu.2. vol.4.* Param. *de orig. Inqu. lib.3. quæst.9. à num.90.* qui plures citat; nam cum notitiæ eorum, quę intrinsecùs extant, ex extrinsecis hauriantur. Specul. *in tit. de advocat. §.5. vers. idem non videat*, & inter extrinseca nil facto aptius animum patefaciat, quoniam ad illud peragendum majora requiruntur, jure meritò propterea facta dicuntur principaliter apta ad declarandum animum facientis Johann. Borcholten. *in Pandect. de acquirend. vel amittend. possess. comment. cap.3 pag.85.* & quidem nonne suspicaremur, malè de fide sentire eos, quos videremus ad aras idolorum thus incendere; dæmones colere, & invocare; ab illisque responsa petere? Param. *ubi supra.*

2 Porrò dupliciter considerari possunt facta vel uti antecedentia, vel uti consequentia; sivè vel uti præparatoria, vel uti accessoria, cum illa antecedant, hæc subsequantur crimen, seu factum principale. Menoch. *de præsumpt. lib.6. præsumpt.3.n.2.* Ex factis antecedenti-

3 bus oritur suspicio ejus criminis, quod illa proximè subsequitur. Bartol. *in l.2.n.5.ff. de jurisdict. omn. judic. & in l. ambitiosa 22.ff. de Decretis ab ordin. fact.* Hinc si quis arma, scalas, & alia instrumenta ad delinquendum apta, & idonea sibi comparaverit, vel fabricaverit, & in vicinia subsequutum sit homicidium, vel adulterium, indicium contra emptorem exoritur, Christof. Crusius *de indic. delict. part.1. cap.16. num.1.* Narrat proindè Blanc. *de indic. in l. fin. n.6. ff. de qq.* se vidisse, quod quidam fecerit experientiam super armaturâ cum pugione an pertransiret? qui die sequenti hominem occiderat, & subdit, quæstioni subactum fuisse confessum, quod ideò pupugisset armaturam, quò periculum faceret, an pugio etiam per ossa humana transiturus esset.

4 Quod dictum est de factis antecedentibus, seu præparatoriis, idem dicendum de factis consequentibus, ex ipsis scilicet oriri suspicionem ejus criminis, quod illa tanquam signum immediatè antecedit. Idcircò præsumitur reus, qui confestim post patratum maleficium fugit, & per loca invia, & insolita cucurrit. Bartol. *n l.1.ff. de bon. eor.* Cothman. *respons.1. num.743. passim vagante*, Crusius, *de quo suprà, cap. 11.* Sic etiam dicitur oriri indicium adversùs eum, qui reum criminis malitiosè celat, maximè quoties occultator visus sit præsens reo, quando delictum perpetravit, idem Crus. *loco cit. cap.19.*

5 Quemadmodum autem superiùs explicatum est de dictis, ita quoque dici debet de factis, scilicet oportere, illa esse univoca, & talia, ut ipsa per se importent crimen: Ugolin. *de Censur. Papæ reser. 2.part. cap.1. §.1. num 17.* Sanchez *ad præcept. lib.2. cap 8.num 7.* Alberghin. *Man. cap.2. num.2.* apud quos habetur, oportere, actus hæresis suspicionis inductivos esse tales, ut, qui eos exercet, communiter reputetur hæreticus. Hinc est, ex actibus indifferentibus non induci criminis suspicionem, proùt in terminis hæresis firmant Sayr. *in Thæsaur. tom.1. lib.3. cap.4. num.26.* Del Bene *de offic. S. Inquis par.1. dub.12. num.5.* Tondut. *resol. beneficial. par.1. cap.34. num.7.*

PRAELIMINARE XI.

Ex Amicis.

SUMMARIUM.

1 *Ex Amicis improbis oritur suspicio.*
2 *Ratio, quia inter dissimiles rara est concordia.*
3 *Aristotelis dictum: Amicus non est aliud, quàm una anima in duobus corporibus.*
4 *Amicus sufficit Amici mores suis similes*

les reddere, Ferdinandi Imperatoris dictum.

5 *Faciliùs vitia, quam virtutes amicitiâ acquiruntur.*

6 *Catholicorum egregia exempla in Hæreticis evitandis.*

7 *Ex omnibus actibus amicitiæ oritur suspicio.*

1 EX amicis improbis inducitur etiam suspicio; Nam Regius psaltes canit: *Cum Sancto Sanctus eris, cum electo electus eris, & cum perverso peruerteris.* Cui Salomon consonat dicens: *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Ad idem facit Euripidis sententia in Phœnice, qui ait: *Mala improborum consuetudo sui placet, is, qui fiet vir, non rogo, sciens sodalium illum convenire moribus.* Nec prætereundum est Theognidis monitum à Platone in Memnone, & à Xenophonte in convivio relatum.

Justa docent justi: pravis convixerit antè
Quæ fuerat probitas, protinùs effugiet.

Unde Obsopæus in suo poëmate *lib.* 1. *pag. mihi* 8.

A sociis de te subjurgit opinio vulgi;
Fama perit pravo clara sodalitio.
Ergo graves tibi junge viros, tibi junge modestos,
Si famam claræ nobilitatis amas.

2 Ratio est, quia, ut ait idem Obsopæus: *Inter dissimiles rara est concordia*; nam, ut inquit Plato, *pares cum paribus jucundissimè congregantur*; & communi adagio dici solet: *Amicus est alter ego*; Immò etiam: *Anima est magis vbi amat, quàm ubi animat*: Quam sententiam

3 videtur quoque protulisse Aristoteles, quando interrogatus, ut refert Diogenes Laert. *in ejus vitâ pag. mihi* 277. respondit, *Amicum nil aliud esse, quàm vnam animam in duobus corporibus habitantem*; Quare benè Salustius: *Idem velle, atquè idem nolle, ea demùm firma amicitia est.* Talis fuit illa Ciceronis, cujus Amici pari doctrinâ excellebant, quemadmodum ipse fatetur, inquiens: *Quùm quotidiè mecum haberem homines doctissimos.* Immo idem Tullius plus diligebat Pomponium Atticum, quàm Q. Atticum sibi affinem, ut indicari possit (sunt verba Cornelij *in Vita Pomponii*) plus in amicitiâ valere similitudinem morum, quàm affinitatem: Rectè igitur à malâ voluntate unius amici, inferri potest ad voluntatem alterius, Christof. Crus. *de indiciis delictorum par.* 1. *cap.* 8. *per totum.*

4 Alia accedit ratio, amicum scilicet ex se sufficientem esse alterius amici mores suis similes reddere, id, quod minimè ignoravit Rex ille Ferdinandus, qui cum Principem Puerum Caroli V. fratrem, quorum Avus erat, è fenestra Palatij conspexisset Cardinali Ximenio sociatum deambulantem, eum altiori voce sic alloquutus est: *Euge nepos tali comite, à cujus latere, si quid mihi credis, nunquam discedes*, teste Donio d' Attichy, *in Flor. histor. S.R.E. Cardinal. tom.* 3. *in vita ejusdem Cardinal. num.* 64.

5 *pag. mihi* 24. Faciliùs verò, quàm virtutes, vitia, velut contage, traduntur ab amicis invicem, sumunturque morbi animorum, ut ait Lipsius *lib.* 1. *epit.* 8. indè illud Palingen. *in Cancro.*

——Quos esse malos nosti aufuge namque
Haud facilè est tribulos, & spinas inter eundum
Illæsos habuisse pedes, illæsaque crura.

Ob id etiam ex improbis amicis inducitur suspicio, præcipuè si ipsi hæresi crimine sint infecti. Hoc enim, non secus ac Cancer., serpit: Ideoque legimus apud Theod. *lib.* 4. *hist. Eccl. cap.* 12.

6 & Baron. *tom.* 4. *ann.* 370. Eunomium Episcopum Arrianum adeò infensum fuisse Catholicis Ciuitatis Samosatæ, cui ille præerat, ut ne balnea quidem ingredi voluerint, in quibus ipse lotus fuerat, nisi abjectâ priùs aquâ, quæ membra illius hæretici tetigerat; & eodem pariter odio prosequutos fuisse Lucium ejus Successorem, eâdem hæresi infectum, ac non minori sollicitudine cum vitasse, quod clarè enituit quadam die, cum ipse mulo insidens transiret per Plateam, ubi aliquot pueri pilâ ludebant; nam fortè accidit, ut ipsa dum pila ad terram delapsa volutabatur, in pedes dictæ mulæ impegerit, tunc alto clamore oborto puerorum dolentium, eorum pilam contami natam fuisse, & infectionem contraxisse à contactu vecturæ illius hæretici, ad pilam purgandam se contulerunt, & accenso virgarum fasciculo, ipsam sæpius duxerunt, & tradiderunt, ut quoque narrat

Mer-

Merbes. *in summâ Christian. par. 1. 2. qu. 57. pag. 175. col. 2.*

7 Cum autem inter amicitiæ actus adnumerentur, amicis inservire; ipsorum sermones, seù prolatos, seu scriptos lubentèr audire; ad ipsos literas deferre ipsisque auxilium, & pecuniam præstare, ac hujusmodi alia: hæc omnia erunt inductiva suspicionis, prout in terminis hæresis testatur Farinacc. *de hæresi quæst. 192. num. 55.* sed de his omnibus in suâ sede.

PRAELIMINARE XII.

Quid sit Hæresis.

SUMMARIUM.

1 *A rei principio tractatus ejus exordiendus est.*
2 *Hæresis ethymologia unde proveniat: tres sententiæ ad hoc.*
3 *Vera hæresis etymologia.*
4 *In quo sensu Scriptores Ecclesiastici acceperunt hæresim.*
5 *Hæresis hodiè semper in malam partem accipitur.*
6 *Hæresis nomen quos compræhendat propriè.*
7 *Hæresis definitio quid rei.*

1 ET quia res attingenda est per sua principia, quibus prò fundamento positis, ad particularia descendere liceat, ut quantum fieri possit, nil amplius circà quod agitur, desideretur, operæpretium duxi, ipsam quoque hæresim, de cujus suspectis tractamus, explicare, quid, & quotuplex 2 sit. In ipsâ definitione secundum nomen oritur inter Doctores quæstio, vndè Hæresis Etymologia proveniat: Quidam enim tenent, quod ab *Erro* dicatur, videlicèt ab errore recti, & deviatione à recto, juxtà rectitudinem Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ; Alii affirmant, Hæresim ab *Ercisco* dici, quod in idem sonat, ac *Divido*, quasi Divisionem ab vnitate fidei. Nonnulli credunt, provenire à verbo *Hæreo*, cum hæreticus firmiter erroribus inhæreat, Ecclesiæ veritate neglectâ: sed supradictis opinionibus posthabitis, quas reiciunt Card. de Turrecrem. *in cap. Hæresis 24. quæst. 3.* Baldell. *de fid. & infidelit. disp. 21. num. 1.* Tholosan. *in Syntagmat par. 3. lib. 33. cap. 4.* Cum istis 3 crederem, verum, & proprium Hæresis Etymon Electionem significare à verbo græco αἱρέομαι, quod latinè in Electionem sonat, ex auctoritate D. Hieronymi, de qua *in Cap. Hæresis 24. qu. 3. & ibi* communiter Interpretes Tertullian. *de Præscript. Hæreticorum num. 6. litt. B.* Duall. *in 2. 2. D. Thom. de Peccat fidei opposit. quæst. 7. de Hæresi, art. 1. tom. 2.* Philipp. Gamachæus *in primam secundæ D. Thomæ quæst. 11. de Hæresi, cap. 35. tom. 1.* Thomassin. *Theolog. dogmatic. tom 3. tract. 1. cap. 13. num. 1.* Io: Launojus *Epistol. 15. num. 692. par. 7.* Royas *de Hæretic. singular. 73. in princ.* Crespet. *summ. Cathol. fid. verbo Hæresis, pag. 433.* Anneus Robert. *Rer. judicatar. lib. 1. cap. 12. pag. 218 circa finem* Canis. *in Juris canon. Summ. lib. 3. tit. 15.* Quapropter, quoties opinio sivè vera, sive falsa, electa est ab aliquo, Hæresis dici potest: sic antiquitùs quatuor dicebantur esse Principes Philosophornm hæreses: *Academica; Peripatetica; Stoica;* & *Epicurea*, quas signat Maroin Ciri.

Si me iam summâ sapientia pangeret Arce,
Quatuor antiquis, quæ hæresibus est data consors.

Et Cic. de Catone Stoico: *Est in eâ hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, nec dilatat argumeutum, sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, quod vult, efficit;* ac *lib. 14. epist. 16.* meminit hæresis Vestorianæ, quia Vestorius alienus erat à dialecticis, ut ipse alibi explicat.

4 In materiâ autem fidei, qui Christum, ejus fidem, & Ecclesiam; ac in eâ receptam, & propagatam doctrinam diligit, is ex eâ nihil praelegit, sed totam deligit, & amplectitur, & proindè, qui ex ipsâ aliquam propositionem sibi tantummodo credendam eligit, in Hæresim incurrere dicitur, dum fides in rebus jam definitis nulli electioni famulatur, seù arbitrio proprio, sed alieno, nempè Dei, & Ecclesiæ: Si quidem in credendo Deo revelanti, aut Ecclesiæ, quæ ab eo auctoritatem infallibilem proponendi res ipsas fidei habet, arbitrium, & judicium proprium submittimus, atque, ut in-

quit Apostolus, captivamus; idcircò cum priùs electio, seu Hæresis in bonam partem significaret, hodiè apud
5 Christianos semper in malam partem intelligitur, itaùt errorem tantummodo, & falsæ sententiæ electionem importet, Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. ad tit. de Haretic. num. 7.* Petricc. *de milit. & Triumph. Eccles. lib. 1. disp. 2. vers. videndum igitur* Ricciullus *de jur. personar. lib. 5. cap. 1. num. 1.* Scaccia *de judic. lib. 1. qu. 7. nu. 5.* secundùm quam significationem latè sumptam omnes, qui extra Catholicam Ecclesiam sunt, etiam Judeos, Idololatras, & cujuscumque generis infideles complectitur, Tholosan. *vbi suprà, num. 5.* Vignat. *de hæret. qu. 2. num. 31.* Zanchin. *de hæret. cap. 2. nu. 14. 15. 18. & seqq.*

6 Propriè autem ad solos Christianos à Catholicis Sanctionibus discedentes pertinet, ut innuunt Glossa *in Clement. vnicâ, de usuris*, Gundisalvus Villadiego, *qu. 2. de hæreticis*, Tholosan. *vbi suprà* Vignat. *dict. qu. 2. num. 34.* & Ghirland. *post eumdem, loco citato num. 3.* Scacc. *de Sent. & re judic. gloss. 1. qu. 1. num. 179. in fin.* Limborch. *histor. Inquisit. lib. 3. cap. 1.* Vossius *in etym. Rom. verb. hæresis*, vbi ait, quod Christianis αἵρεσις est Dogma adversans principiis Religionis Christianæ: In quo sensu nos modò illam accipimus, proùt in foro Ecclesiastico regulariter accipi solet, ideòque dicimus:

7 Hæresim esse errorem Intellectus voluntarium contrà aliquam propositionem Catholicam cum pertinaciâ assertum ab eo, qui baptismum accepit; sic communitèr definitam per Covarvu. *lib. 3. var. cap. 1. num. 2.* Sanctarell. *de hæresi cap. 1. dub. 1. num. 2.* Fagnan. *in cap. damnamus, num. 21. de summâ Trinit.* Ricciul. *de Jure person. lib. 5. cap. 1. num. 1.* Merbes. *in summâ Christian. par. 1. 2. qu. 55. pag. 163. col. 1.* Volp. *resolut. moral. 81. num. 3.* Petricc. *de Milit. Eccles. dict. lib. 1. disp 2.* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. ad tit. de Hæret. num. 10.* Campanil. *diversor. jur. canon. rubr. 11. cap. 26. num. 28.* Sess. *decis. Aragon. vol. 4. decis. 439. & 440.*

Ut autem hæc definitio liqueat, agendum est:

De errore intellectus,
De errore voluntario,
De errore contra aliquam propositionem Catholicam,
De errore cum pertinaciâ,
De errore in eo, qui Baptismum recepit.

PRAELIMINARE XIII.

De errore intellectus.

SVMMARIVM.

1 *Omnis hæresis est cum errore, quia sub genere vitiorum.*
2 *Quomodò dicatur hæreticus ille, qui exteriùs tantum fidem negat.*
3 *An sit hæreticus qui profitetur Catholicam propositionem, credens eam esse hæreticam.*
Percutiens Laicum, credens percutere Clericum, non est excommunicatus.
4 *Ratio.*
5 *Defendens opinionem hæreticam, nequit dici hæreticus, si errorem suum supponeret judicio Sedis Apostolicæ.*

1 IN definitione superiùs allatâ dicitur, *error intellectus*, nam nulla hæresis reperitur absque erroneo judicio: Sanctarell. *de hæresi, cap. 1. dub. 1. n. 2. post medium*, Anton. Escobar. *in Theol. moral. to. 6. lib. 47. cap. 8. n. 56.* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. n. 11. & seqq.* Sess. *decis. d. vol. 4. decis. 440.* cum ipsa sit sub genere vitiorum, ideòque nonnisi vitium, & errorem continere potest, sicut è contra fides, cui opponitur hæresis, tamquam virtus necessariò includit actum virtutis, videlicet verum assensum errori, & falsitati contrarium, ut benè ponderat Bordon. *in Tribun. cap. 9. num. 6.* Fermosin. *dict. tract. 2. num. 12. & 13.* Et quamvis, qui in fide non errat, exteriùs
2 tamen negat articulum fidei, sit hæreticus, proùt tenent Caiet. *2. 2. quæst. 12. art. 2. in fin. & qu. 44. art. 1. ad finem*, Castro-Palao *in oper. moral. par. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. nu. 16.* (de quâ re latè Antonius Escobar. *in Theol. Moral. tom. 6. lib 47. dict. cap. 8. num. 62.*) Hoc tamen locum sibi vindicat in foro exteriori; Ecclesia enim de externis, non de occul-

occultis judicat. Ricciull. *de jur. person. lib.5. de hæret. cap 3. num.4.* Simanc. *de cathol. instit. tit. 13. n. 15.* Repert. Inquisit. *verbo probatio, vers. nota* Rojas. *de hæret. 1. part. n. 304. & seqq.* Farinacc. *de hæresi quæst. 179. num. 55. & seqq.* Castro-Pal. *oper. moral. par. 1. tract. 4; disp. 3. punct. 2. n. 17.* Anton. Escobar. *vbi suprà.* Cum igitur semper sit necessarius error in intellectu ad constituendam rationem formalem hæresis, ut etiam dixit
3 Ricciull. *ibidem, cap. 1. num. 4. in fin.* consequenter putat Simanch. *de Catholic. instit. tit. 31. num. 9. vers. proindè*, quempiam non esse hæreticum, si profiteatur opinionem Catholicam, & veram, credens, eam esse contrà Catholicam veritatem, quemadmodum, qui credens percuteret Clericum, & realitèr percutiat Laicum, non incurrit excommunicationem Canonis, *Si quis suadente &c.* At reverà hæreticum esse, probant Ricciull. *loc. cit. cap. 5. num. 3.* Farinacc. *qu. 179. num. 2. vers. quod è contrà.* Baldell. *de fide, & infidelitate, disput. 32. num. 12.* De Lug. *de fide, disput. 17. Sect. 5. n. 85.* & plures alii, relati per Pueron. *ad Bullam Cœnæ, cap. 1. num. 69.* Del Bene *de offic. Inquis. dub. 13 sect. 7. num. 9.* & Caramuel. *Theol. fundam. num. 1356. in Resol. casuum.* Ratio est, quoniam in sic credendo quis regulatur non à lumine supernaturali, sed à lumine proprio, sequens discursum sui intellectus, quem submittere deberet; cum Fides sit rerum non apparentium. Quare non credens formalitèr, quod tenet Ecclesia, at materialiter tantùm ex parte obiecti, nequit dici, quod non sit in errore. Ricciull. *ibidem, num. 6.* Sanchez. *ad præcept. lib. 2. cap. 7. num. 30.* Macedo *in quæst. 1. de hæresi, assert. 2.* Pueron. *dict. cap. 1. num. 69. vers. quibus occurrimus.* Præsertim, quia existimat, posse Catholicas veritates falsitati subesse: Sanctarell. *de hæresi, cap. 1. dub. 2. num. 12. in fin.*

4 Non officit, quod dictum est de percutiente Laicum prò Clerico, nam excommunicatio in hac materiâ non oritur ex animo, sed ex actu, qui cum tendat in Laicum, licèt Animus feratur in Clericum, non causat excommunicationem, ut benè ait Ricciull. *ibid. num. 7.* At in rebus concernentibus Fidem, inspicitur animus, ac Fides virtualis; et propterea adorans hostiam non consecratam, talem tamen eam putans, non committit idololatriam, Ricciull. *loc. cit. num. 3.* Immò, si quis
5 opinionem hæreticam defenderet, non posset dici hæreticus, si errorem suum supponeret judicio Sedis Apostolicæ: Gundisalvus Villadieg. *de hæreticis q. 2.* Duallius *in 2. 2. de peccatis fidei oppositis, qu. 7. de hæresi, art. 1. tom. 2. pag. 341.* Fagnan. *de Summ. Trinit. Cap. damnamus, num. 20.* Param. *de orig. Inquisit. lib. 1. cap. num. 2.* Lup. *super edictis, par. 2. lib. 10. distin. 4. art. 1. Diff. 2.* vbi addit, non sufficere ad hoc, vt quis sit hæreticus, errorem materialem in intellectu, sed requiri errorem formalem; & ante illos, D. Augustinus, S. Hieronymus, S. Bernardus, S. Thomas, & Tertullianus, quos citat, & sequitur, Del Bene *de offic. S. Inquisit. par. 1. dub. 2. pet. 2. num. 4. & 7.*

PRAELIMINARE XIV.

De errore voluntario.

SUMMARIUM.

1 *De ratione hæresis, sicut & cujuslibet criminis est, quod voluntariè committatur.*

2 *Bordonus reiicitur, dum asserit esse, idem dicere, hæresim esse errorem voluntarium, & esse errorem pertinacem.*

3 *Non est hæreticus, qui paratus est suum errorem corrigere.*

4 *Limitatur multipliciter præcedens propositio.*

5 *Rustici, mulieres, simplices, & hebetis ingenii in hæresim incidentes excusantur: Limitatur tripliciter, n. 6. 9. & 10.*

6 *Ignorantia invincibilis excusat ab hæresi, & pertinaciâ: Ibid. n. 6.*

7 *Hujusmodi tamen ignorantia, ut difficilis probationis non juvat.*

8 *Nec datur.*

11 *In foro externo sola probabilis ignorantia excusat errantem in fide.*

12 *Ignorantia, vt sit probabilis, debet esse invincibilis.*

13 *In foro interno ignorantia etiam affectata excusat.*

14 Con-

14 *Contrarium tenent multi alii.*
15 *Prior tamen sententia defenditur.*
16 *Jocus excusat ab hæresi.*
17 *Explicatur D. Hieronymus in oppositum.*
18 *Recitatio hæresis aliorum sinè dolo, excusat ab hæresi: Explicatur.*
19 *Inadvertentia, & lubricitas linguæ ab hæresi excusat.*
20 *Subitaneus impetus ex ira excusat ab hæresi.*
21 *Differunt iratus, & iracundus.*
22 *Excusatur ab hæresi, qui invitus patitur blasphemias.*
23 *Excusat ab hæresi Metus, quo quis coactus fidem negavit.*
24 *An Marcellini Papa lapsus fuerit ex errore in intellectu. Sed Marcellinum purgant Bellarm. & Baron.*

1 Diximus quoque, hæresim esse, *errorem voluntarium*, cum de ratione, nedum hæresis, sed cujuscumque criminis sit, ut voluntariè committatur; Sanctarell. *de hæresi, cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 2. *in fin.* & Bordon. *loco cit. nu.* 8.
2 ubi tamèn sugillandus, dùm asserit, dicere, quod hæresis est error voluntarius, idèm esse ac dicere, est error pertinax; nam cum voluntarium, juxtà Aristol. sit illud, quod est in Agente singula præcognoscente, sequitur, non esse errorem voluntarium (modò inferiùs explicando) eam propositionem hæreticalem, quam quis in ebrietate pertinaciter tuetur; undè patet differre pertinaciam à voluntario; Nec omnem errorem cum pertinaciâ esse voluntarium, licèt in homine sanæ mentis aliud sit dicendum, sed tunc non omnis error voluntarius erit pertinax: Undè si
3 quis falsum opinetur, credens sic teneri ab Ecclesiâ, ut superiùs innuimus, dummodò paratus sit, se corrigere, ubi in errorem se lapsum cognoscat, non erit hæreticus, ut docent communiter Canonistæ apud Farinacc. *de hæresi, qu.* 178. *num.* 18. *versic. ex quibus, & qu.* 193. *num.* 3. Fagnan. *ubi supra*. Param. *de lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 11. Zanchin. *de hæret. cap.* 2. *n.* 11 & post eum, Vignat. *de hæret. qu.* 2. *n.* 37. *& seqq.* Volp. *resol. moral.* 81. *nu.* 4. Ricc. *prax. for. Eccles. par.* 2. *resol.* 8. *nu.* 3. De Magistr. *Sylu. Eccles par.* 2. *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. *vers sextò requiritur*: Pistach. *de superstit. par.* 2. *cap.* 20. *num.* 24. Canis. *summ. jur. can. lib.* 3. *tit.* 15. §. 1. Alvar *specul. jur. Pontif. de Hæretic. cap.* 53. *fol.* 354. *vers. quantum ad tertium*. Sess. *decis. Aragon, vol.* 4. *decis.* 539. *n.* 20.

4 Hæc illatio tamen non procedit in jis, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, si intelligatur de Laicis; in jis, quæ in Conciliis sunt definita, si sermo sit de Prælatis curam animarum habentibus; in jis, quæ in dicto Symbolo, & in nonnullis aliis fidei nostræ articulis compræhenduntur, respectu Clericorum, qui commodè studere possunt; nam quo ad ea, quæ quis explicitè scire tenetur, & credere, hujusmodi error non excusat. Repertor. Inquisit. *vers. error*. Calder. *de hæret. num.* 7. Farinac. *q.* 179. *num.* 4. Zanchin *d. cap.* 2. *num.* 3. & 4. Volp. *d. resol.* 81. *num.* 26. Pistach. *ubi supra num.* 25. Fermosin. *tract. crimin.* 2. *ad rubr. de Hæretic. qu.* 2. *num.* 18. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. *& seqq.* Contenta autem in Symbolo, Laici; definita in Conciliis, Prælati; &, quæ compræhenduntur in dicto Symbolo, & in nonnullis aliis Fidei nostræ articulis, Clerici, qui commodè possunt studiis operam dare, explicitè scire, & credere tenentur, Fagnan. *in cap. damnamus, de summ. Trinit. & fid. cathol.* Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 21. & 22. quare Sanchez *lib.* 2. *ad præcept. cap.* 7. *num.* 25. ex Toleto, subjungit, quandoque in homine docto reperiri sufficientia, ut reputetur hæreticus, quæ in homine rustico essent insufficientia, quod latè expendit Del Bene *de offic. S. Inquisit. part.* 1. *dub.* 3. *pet.* 2. *à num.* 17. & *dub.* 4. *num.* 6.

5 Ex eadem ratione rustici, ut testantur Simanch. *de catholic. tit.* 17. *dub. de defens. reor. num.* 21. Tolet. *in summ. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 28. mulieres, ut volunt d. Simanch. *ibid. num.* 28. Repert. Inquisit. *verb. fides, vers. verum*; simplices, & qui sunt hebetis ingenii, quemadmodum tenet Sanchez *ad præcept. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 25. *n.* 25. per simplicitatem in hæresim incidentes, non possunt dici formaliter hæretici, quæ tamen in tribus casibus limitari debent.

6 Primò in articulis fidei, quos ipsi explicitè scire, & credere tenemur: Alber-

bertin. *in repert. de hæret. in 6.* Graff. *decis.d. par.1. lib. 2. cap. 8. num. 18. 19. 20. & 21.* nisi adsit ignorantia invincibilis. Hæc enim excusat ab hæresi, & pertinaciâ; nam cum illa involuntaria sit, imputabilis non est, ideò S. Augustinus *in epist.48.* ait; *Porrò tot gentium populos ipsa ignorantia ostendit innocentes*; & contra Cresconium *cap. 26. Si enim conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit; nunc incipit lædi, quia*
7 *scivit*: Ea tamen non præsumitur, & consequenter propter difficultatem probationis non prodest, Riciul, *de jur. person. lib. 5. de hæret. cap. 7. numer. 7.* Quinimò hodiè vix potest in praxi verificari hujusmodi ignorantia post tàm apertam Christianæ Religionis notitiam, & tàm latè patentem Evangelii promulgationem, Riciull. *loco cit.*

8 Ulterius, regulariter loquendo, non datur ignorantia invincibilis fidei ad salutem necessariæ, saltem pro toto tempore vitæ in adultis: multa Sacræ Scripturæ, & SS. PP. loca allegat ad hoc probandum Laurea *de fide, disp. 12. artic.4. num.77.* præcipuè, quod Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, ex Evang. Joann. *cap. 1.* & quod Deus vult omnes homines salvos facere: Adde, indubitatum esse, quod infideles non carent gratiâ sufficienti ad salutem; ideò habent aliqualem notitiam, vel lumen fidei; primum enim auxilium est illuminatio ad quærendam fidem, & ad audiendum, & credendum, dum proponitur, nam sine fide impossibile est, placere Deo: antecedens negavit quidam auctor eâ ratione, quod in remotissimis regionibus non sit prædicatum Evangelium, vel si prædicatum fuit aliquando, ejus memoria est deperdita. Sed hæc ratio frivola est, quia præter modum excitandi fidem per externam prædicationem, potest Deus internè illuminare, ut loca inquirantur, in quibus Evangelium prædicatur, ut legimus factum cum Cornelio: profectò si hoc admitteretur, homines, vel essent excusabiles ab observantiâ Divinæ legis, quatenus eis non esset promulgata; vel eadem lex divina esset impossibilis. Etenim nihil est volitum, quin præcognitum: ut ergo divinæ pietati hanc non inferamus injuriam, quod impossibilia præcipiat, fateri tenemur, quod si ex aliquo casu desit externa fidei prædicatio, vel nulla adsit memoria, quod ibi fuerit prædicatum, Deus Populos illos si rectè secundum legem naturæ vixerint, illuminabit ad dubitandum de propria Religione, & ad veram inquirendam.

9 Secundo casu limita, quoties convicta sit eorum simplicitas, & tamen persistant in errore, Campegg. *in addit. ad Zanchin. tract. de hæret. cap.1. litt.B.*

10 Tertio casu limita, si moniti non curent consulere peritiores, Simanch. *de cathol. institut. tit.38. rub. de fide catholica. num.28.* Zanchin. *loco cit.*, vide etiam P. Del Bene *de offic. S. Inqu. part. 1. dub. 4.*

11 Hæ limitationes procedunt quoad forum exteriùs, in quo sola probabilis ignorantia excusat, Azor. *tom.1. lib. 8. cap.9. quæst.8. in fine.* Carena *in prax. p.2. tit. de hæret. §. 1. num. 68.* Ductus enim ignorantiâ probabili non habet voluntatem contradicendi doctrinis Ecclesiæ, D. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 2.* ideòque si motus est, ut ait Cyprianus *in tract. contra Demetrium*, ad malum, mendacio fallente, multò magis movebitur ad bonum, veritate cogente.

12 Hæc autem ignorantia ad hoc, ut sit probabilis, & justa, requiritur, quod sit invincibilis, quæ præsumi nequit in eo, qui tenetur scire, sed solùm in eo, qui non tenetur scire, Menoch. *cons.28. num. 176.* Quòad forum verò interiùs, igno-
13 rantia etiam affectata excusat ab heresi, quando ille, qui affectat, est paratus obbedire Ecclesiæ; hæcque est communis Theologrum sententia, quam tuentur Canus, Sayrus, Becanus, Carena apud Dianam *part. 4. tract. 7. resol. 36.* Sanctarell. *de hæresi cap.1. dub.5. num. 23.* Farinac. *quæst. 179. num. 30. in corpore.* Philippin. *de Privil. ignor. cap. 6. par.4. num.199.* ubi plures allegat. Bordon. *de Sacro Tribunali, c. 9. n. 45.* Immò adest textus *in clementina S. Porro, de summâ Trinitate*. Et tradit etiam P. Del Bene *de offic.S.Inqu. p.1. dub.3 sect. 5. num. 2.* Ratio hujus sententiæ est, quia hæresis importat electionem sententiæ propriæ, contrariæ sententiæ Ecclesiæ,

clesiæ proponenti revelationem; adeòque nequit dari electio propria, neque contumacia, nisi sciatur sententia Ecclesiæ; sicque de facto processerunt Romani Pontifices, & Concilia in definitione veræ sententiæ, & in condemnatione hæresis, nam primùm fecerunt decretum, deindè publicarunt; postmodum eos, qui contradicebant, hæreticos declararunt. Adde, quod hujusmodi affectatio provenit ex nimiâ desidiâ discendi, non ex pertinaciâ, nec ex Ecclesiæ præceptorum contemptu, juxta distinctionem allatam à Ricciull. *de jure person. lib.* 5. *de hæret. cap.* 7. *in fin.*

14 Negativa tamen sententia habet multos patronos à laudatis Dianâ, & P. Del Bene relatos, eamque non improbabilem putat Laurea *de fide, disput.* 14. *art.* 3. §. 3. *num.* 77. 81. *& seq. ac n.* 91. citat auctores pro eâdem sententiâ negativâ. Ratio ejusdem est, quia hæc ignorantia nō excusat in aliis peccatis, ut est decantatum principium penès Canonistas, & Morales Theologos, adeòque neque in peccato hæresis: nam veracitati divinæ non debetur minus obsequium, quam alteri virtuti à Deo imperatæ: & certè si operans cum dubiâ conscientiâ peccat eodem genere peccati, quo peccaret, si haberet notitiam certam de peccato, quia in illo dubio habet affectum certum ad peccatum, ita in casu theologizandum venit: Præterea si hæc ignorantia affectata ab hæresi excusaret, nullus ferè filiorum hæreticorum, qui à suis Patribus hæresim didicerunt, esset verus hæreticus, quia omnes isti vincibiliter ignorant. At Ecclesia omnes istos habet uti hæreticos, & quando veniunt ad Fidem Catholicam, recipiuntur cum abjuratione formali hæresis, quando sunt adulti post annum 14.

15 His tamen non obstantibus, non recederem à priori sententia, quæ est communis. Nec officit, quod hujusmodi ignorantia non excuset à cæteris peccatis: in his enim scientia non est circumstantia requisita ex parte objecti, sed tantùm conditio requisita, ut actus sit liber, & humanus: Verum ignorantia vincibilis non tollit volntarium; in peccato autem hæresis cognitio propositionis Ecclesiasticæ est circumstantia substantialiter requisita ex parte objecti P. Del Bene *de offic. S. Inqu. p.* 1. *dub.* 13. *sect.* 5. *num.* 8. Ecclesia autem cogit filios hæreticorum ad abjurandum, quia hujusmodi ignorantia non excusat in foro externo, & in ipsis præsumitur pertinacia, quæ etiam eum, qui ignorat, constituit hæreticum: si quis enim v.g. nesciat an aliquid sit contra scripturam, vel contra Ecclesiæ definitionem, & tamen ita dispositus est, ut etiamsi sciret esse contra ea, contradiceret, is certè sperneret scripturam, & Ecclesiam, neque ejus ignorantia, quæ in hoc casu diceretur vincibilis comitans, ad aliud reduci posset, quam ad hæresim. In filiis autem hæreticorum præsumitur talis ignorantia concomitans, nam negant hæretici, Ecclesiam esse regulam credendi, quam constituunt in scriptura suo sensu explicata, & proindè nolunt aliter credere, etiamsi illis sufficienter ostendatur, contrarium esse verum, & tenendum, ut benè ratiocinatur Duall. *in* 2.2. *D. Thomæ, de peccatis fidei oppositis, quæst.* 7. *de hæresi, art.* 1. *tom.* 2. *pag.* 343.

16 Præter ignorantiam justam, & simplicitatem, de quibus supra, excusat etiam ab hęresi jocus, quo verba hęreticalia proferantur, cum non sit in jocante error voluntarius: imò nullus error. Sanctarell. *cit. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 30. Bordon. *in Tribunal., cap.* 9. *qu.* 24. *n.* 78. *&* 80. Zanchin. *de hæret. cap.* 7. *num.* 9. Lopez *in alleg. impress. post Vignat. de hæret.* §. 4. *num.* 17. *fol.* 99. *&* §. 7. *n.* 10. *fol.* 104. Sess. *decis. Aragon. vol.* 4. *dec.* 439. *num.* 20.

17 Quamobrem D. Hieronymum dicentem, ex verbis inordinatè prolatis incurri hæresim, interpretatur cum S. Thom. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Gundisalvus Villadiego *de hæreticis, q.* 1. ut sit intelligendus, ex hujusmodi verbis per jocum prolatis posse incurri hęresim ab imperitis audientibus, & tali pacto explicari potest D. Gregor. *lib.* 1. *epist.* 24: dum scribit, incautam locutionem in errorem protrahere, & latiùs Sanctarell. *ubi supra*, ubi ex authoritate Cani negat, ea verba, quę citantur tamquam S. Hieronymi, apud eumdem reperiri; immò Hieronymū contrarium docere *ep.* 17.

ep. 17. ad Damasum, in quâ ait de nomine *Hypostasis*, hæresim esse non ex verbis, sed ex sensu judicandam.

18 Quidquid autem dicitur de verbis, per jocum prolatis, idem dici debet de recitatione, quâ quis sinè dolo malo aliorum hæreses refert: Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 37. *n.*61. Sousa *in aphoris. lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 4. Gabriell. *cons.* 174. *num.* 1. *tom.* 2. In hoc tamen Inquisitores passim non admittunt hujusmodi excusationē, & diligentèr examinant qualitatem personę loquentis; modum loquendi; & scandalum datum: Gundisalvus Villadiego *de hæreticis*, *q.* 1. *in fine*, Judicial. Inqusit. *verb. hæret. num.*33. Albertin. *de agnosc. q.* 36. *num.* 18. Sousa *in aphor. lib.*1. *cap.*13. De Magistr. *in Sylv. Eccles. p.*2. *lib.*2. *tit.* 3. *c.*2. *n.*27. & 28. Talia enim proferens, in dubio habet contra se pręsumptionem malæ intentionis: Calder. *de hæret. credent. num.* 6. Hæretici enim passim ad suos errores evulgandos hoc artificio utuntur, ut ex personâ alterius, errores suos proponant: Sic Pelagius unum, & alterum argumentum contrà fidem Catholicam proposuerat, ut videretur velle doceri, & aliorum sentire responsa, ex quo capite, antequàm S. Augustino innotuisset, ab eo est laudatus; at posteà, ubi comparvit doctrinę, & zeli nomen, nudam erroris assertionem sustinuit. Meritò quidam hoc titulo insignem subiit mortificationem Parisiis: tentaverat enim impugnare Christiana dogmata, & Judaismum instaurare, ut scribit Gerson, adductus autem à Cancellario Parisiensi coram Episcopo, & frequenti cœtu excusabat, se locutum esse, ut Judæum; subintulit Cancellarius: locutus es, ut Judæus; revocabis, ut Christianus.

Quâpropter in his casibus loquens debet probare suam exceptionem: Homobon. *in exam. tom.* 1. *tract.* 79. *n.* 4. Volp. *resol. moral.* 145. *num.*21. & 22. Dummodò verba non sint dubia, quo casu ad excludendum delictum, in bono sensu sunt intelligenda: Royas *de hæret. p.* 1. *num.*209. Decian. *lib.*5. *c.*37. *num.* 6. Gabriell. *d. cons.* 174. *numer.*2. Menoch. *cons.* 82. *num.*15. 17. & *seq.* & *num.* 33. Merbes. *in summ. Christian. p.* 1. 2. *qu.* 56. *concl.* 2. *pag.* 168. *col.* 1. *in fin.* & *col.* 2. *pag.* 169. *regul.* 1. & dummodò non narrentur hęreses, appositâ earumdē confutatione, ut facere solent Doctores, qui falsa dogmata impugnant, ipsa narrantes: Bordon. *loc. cit. num.* 11.

19 Excusat ab hæresi etiam inadvertentia, seù lubricitas lingu ę: Gundisalvus Villadieg. *de hæreticis*, *qu.* 1. Carena *de hæret. nu.*2. & 29. §. 12. Farinacc. *de hæresi*, *qu.* 179. *num.* 39. Zanchin. & Lopez *ubi suprà*, Vignat. *de hæret. q.*19. *n.*200. Elysius *in Clypeo contrà hæretitos*, *q.* 42. *art.* 2. *vers. secunda Clausula*, *fol.* 248. Fermosin. *tract. crim.* 2. *in cap. si aduersùs*, *de Hæretic qu.* 3. *nu.* 29. Sess. *d. dec.* 439. *nu.*20. *uol.* 4. Tunc enim adest error, sed non est voluntarius, & eâ ratione revocata fuit per Theodoricum Gothorum Regem donatio facta à quodam Agapitâ, teste Cassiodoro *epist.* 11. *lib.* 2. *uariar.*

20 Ità quoque subitaneus impetus ex irâ operatur, ne quis dicatur hęreticus: Peña *par.*3. *comm.*17. *uol.* 1. Farinacc. *dict. qu.*179. *num.*42. Lopez *dict.* §. 7. *n.*16. Volp. *resol. moral.* 81. *n.*3. *antè finem*, Fermosin. *cit. cap. si aduersùs*, *d. q* 3. *n.*22. Ratio est, quia in irato non agit quodammodò voluntas, quarè Virg. *Æneid.*2. Furor, iraque mentem præcipitant, cui consonat illud Horatii *Epist.*2. *lib.*1. *Ira, furor brevis est*. Mentem namque nimiùm permovendo confundit, adeòut quid loquatur, vel quid faciat iratus, ignoret, quemadmodùm ait S. Greg. *moral. lib.*5. *c.*31. ex quo fit, quod definiatur ira, esse brevis furor, ac nil aliud, quàm irrationalis impetus, prò ut quoque testatur sacra eloquentia aurea *hom.*30. *ad Populum Antiochenum*, & ob id per iratum non incurritur hæresis.

21 Videtur tamen hic de rigore sermonis usurpandum terminum iracundi, potiùs, quàm irati, nàm, ut notat Cornelius à lapide ad illa verba Apost. *Epist. ad Ephes. cap.* 24. *uers.*26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, ira est naturalis passio, & sæpè licita hinc Psalmista: *Irascimini*, & *nolite peccare*: Imò nonnunquam sancta: Aliquando impatientē, ajebat S. Bernardus laudabilem; iracundia verò est irę excessus, & effervescentia animi impetuosi,

quia præter rationem quis contrà aliquem concitatur.

22 Similitèr excusatur ab heresi, qui invitus cogitationes, & hæreticas blasphemias patitur, quamvis ipsis videatur consentire: Deficit enim plena voluntas, & quia proveniunt ex suggestione Demonis ad impediendam conscientiarum bonarum tranquillitatem, post iteratos actus contrarios, contemni debent; Sanchez *lib. 2. cap. 7. n.* 13. quem sequitur Baldell. *de fide & infidelit. disp.* 31. *n.* 14. Fermosin. *tract. crimin tract.* 2. *ad rubr. de Hæretic. qu.* 3. *num.* 3. *& plurib. seqq.* Lup. *in edict. cit. loco art.* 2. *diff.* 1. Graff. *dec. aur. par.* 1 *lib.* 2. *c.* 8. *num.* 12. 13. *&* 14. Hinc Seraphicus D. Bonaventura *in opusc. de Profectu Religiosorum, cap.* 3. ità inquit: *Tentationes contrà fidem, ac de spiritu Blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec pugnando vincere, quia quantò plus indignamur nobismet ipsis, & disputamus cum eis, magis refricatur eorum rabies, & accenditur; & rarissimè hæ tentationes uiris malis accidunt, quia eos uinctos, & quasi suos Dæmon possidet: Sed solùm eueniunt uiris bonis, ut sic illos ab oratione, & uiâ Domini retrahant.*

23 Tandèm excusat ab hæresi metus, quo quis coactus fidem ore abnegat, eam tamen corde retinens: Farinacc. *quæst.* 183. §. 3. *num.* 23. Mantua *Cons.* 241. *n.* 32. *tom.* 2. Volp. *resol. moral.* 1. *nu* 9. *in fin.* Scacc. *de Commerc. & camb.* §. 2. *qu.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 19. *n.* 67. *vers. tertium notandum*, Fermosin. *tract. crimin.* 2. *ad cap ex literis, de Hæretic. q.* 1. *num.* 18. Campanil. *diuers. jur. can. rubr.* 11. *c.* 5. *n.* 4. Avendan. *de metu, lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 78. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap* 8. *num.* 34. Undè Marcellini lapsum non fuisse infidelitatis errorem in intellectu, sed pusillanimitatem contrà debitam fidei professionem, qualis fuerat triplex Petri negatio, ait Cabassutius *in notitiâ Concil. ad Concil. Sinuess.*

24 At Marcellinum purgant Belarmin. *de Romano Pontifice, lib.* 4. *cap.* 8. *&* 9. *in fine.* Baronius *ad annum* 302. *à num.* 90. Card. de Turrecrem. *in cap. potest & cap. nunc autem, dist.* 21. Graff. *dict. cap.* 8 *num.* 30. & novissimè, nedùm Purpurâ, verùm etiam doctrinâ, & pietate Eminentissimus Cardin. Ursinus, Dignissimus olim Patriæ meæ Præsul, mihiq; in Sacro Chrismate Patrinus, in suâ *Dissert de corpore D. Bartholomæi.*

Quoniam autem non omnis timor excusat, non erit incongruum, hic nonnulla subtexere, quibus magis in hac parte enucleatur definitio, quam intendimus explicare.

PRÆLIMINARE XV.

De Timore.

SUMMARIUM.

1 *Nedùm fœminæ, sed & viri fortes terreri possunt.*

2 *Metus cadens in constantem Virum, quinque requirit conditiones.*

3 *Coactio absoluta liberat ab hæresi, sicut & conditionalis.*

4 *Hæc tamen non liberat à culpâ lethali: ibidem.*

4 *Coactio conditionalis minuit culpam.*

5 *Quando non obstante coactione conditionali, quis non liberetur ab hæresis suspicione?*

1 ET si faciliùs timeant fœminę, quàm viri, undè minor metus excuset mulierem, prout ait Fagnan. *in c.* 28. *n.* 14. *de sponsal.* Ricciull. *de Iur. personarum lib.* 6. *cap.* 5. *n* 9. nihilominùs etiam viros terreri, scribit Tacitus *in lib.* 15. *Ann.* Non omnes enim induunt animũ Ajacis apud Senecam *in Agamen, uers.* 532. & Cæsaris, qui tantâ animositate loquitur apud Lucan. *lib.* 5. Debet igitur admitti timor, qui cadere possit in constantem virum, ut est mortis periculum, aut corporis cruciatus: Fagnan. *loc. cit. n.* 9.

2 Requiruntur autem quinque conditiones, ut timor, seu metus cadat in constantem virum, sicut notant Sanchez *de matrim lib.* 4. *disp.* 1. *num.* 10. Sperell. *dec.* 79 *num.* 43. & Rota coram Peñ. *decis.* 1140. *tom.* 2. Prima, ut malum minitatum sit grave; secunda, ut sit probabiliter certum; tertia, ut perterrefaciens potens sit mandare minas executioni; quarta, ut sit solitus minitata exequi; quinta, quod perterrefactus nõ possit facilè resistere hujusmodi malo. Quoties ergò adsunt hę circumstan-

tiæ,

tiæ, rectè dicitur adesse timor talis, ex quo oritur impedimentum libertatis, quod coactionem nuncupant conditionalem, ut etiam apud Francisc. Sarment. *de redditib. Ecclesiast. par.* 1. *cap.* 4. *sub uum.* 7. & ità nuncupant ad distinctionem coactionis præcisæ, & absolutæ, per quam quis cogitur apostatare, putà si quis ligatus circumcidatur; vel ejus genua vi flectantur ab alio antè Idola, quo casu nec est hæreticus, nec peccat mortaliter, quoniam in tali coactione dicitur pati, & non agere, ut benè ait Ricciul. *loco cit. num.* 2. *&* 3. Coactio verò conditionalis, & si liberet ad hæresi, nàm tunc corde creditur, quod impeditur ore proferre: Ricciull. *ibidem num.* 4. Verùm non liberat à culpâ lethali, quià eo casu quis vitam magis profundere tenetur, quàm fidem negare, ac voluntariè peccat eligens magis illud, per quod negat, quàm illud, quod negat: Ricciull. *loco superiùs citato*, *n.* 5. *&* 6. Campanil. *diversor. jur. can. rubr.* 11. *cap.* 5. *n.* 4. Avendan. *de metu, lib.* 2. *cap.* 43. *sub num.* 52. *vers. tertiò fit*, Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 31. & ideò rectè subjungit idem Ricciull. nempè, quod licet coactè neget, negare tamen dicitur, nam voluntas coacta, voluntas est. Hoc pacto dicuntur gravissimè peccasse Christianos in primitivâ Ecclesiâ, quos Libellatos nuncupant, juxtà S. Cyprianum *epist.* 52. *ad Antonianum*, Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *c.* 5. *Resol.* 40. §. 2. *n.* 433.

4 Hæc tamen coactio minuit ipsam culpam ex eâdem ratione, quâ timor minuit pœnam, ut firmat Raynald. *in synt. Crim. cap.* 6. §. 1. *à num.* 36. siquidem ex timore maxima fit spirituum perturbatio, undè eâ facillimè ipsa ratio vacillat: Imò testatur Hipocrates *in lib. de Virg. morb. n.* 1. quod ex timoribus adeò fortiter pavent homines, ut delirent:

5 Quandoque tamen, non obstante tali coactione, quis non liberatur à suspicione hæresis: Salell. *de mater. Tribun. lib.* 4. *cap.* 5. *Reg.* 352. *num.* 117.

PRAELIMIMARE XVI.

De errore contra aliquam propositionem Catholicam.

SUMMARIUM.

1 *Potest quis credere totum, quod fide Catholicâ est credendum, & esse hæreticus, tunc scilicet si non credat revelationi speciali sibi factæ.*

2 *Hoc stante, quomodò salvetur data definitio hæresis.*

3 *In quo differat hæresis ab apostasiâ?*

4 *Hæresis, & apostasia inter se confunduntur.*

5 *Schismaticus per quid ab hæretico differat?*

6 *Error contra theses naturales non constituit aliquem hæreticum.*

1 MInus fortasse videntur explicare hujusmodi verba in Definitione, quàm ipsum definitum: Siquidem potest quis credere totum id, quod fide Catholicâ est credendum, & nihilominùs esse hæreticus: Qui enim revelationi speciali sibi factæ, quam certò, & fimiter putat esse divinam, non credit, est hæreticus: Ità Azorius, Sanchez, Vega, Catharinus, & Svarez, quos allegat, & sequitur Sanctarell. *de hæresi, cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 9. & Del Bene *de offic. S. Inq. par.* 1. *dub.* 8. *num.* 1. *vers. Respondetur*. Imò hujusmodi revelationi fides adhibenda est, licet sit contrà præceptum juris Ecclesiastici, vel naturalis largè sumpti, ut inferiùs explicatur. Credidit enim Abraham revelationi, quâ ipse jubebatur, ut filium occideret: Advertendum tamen est, quod talis revelatio debet esse certa, nec sufficit, quod sit probabilis: latè Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 54. §. 7. Verùm non

2 ob id nostra infringitur definitio, nam sivè revelationes Divinæ ab Ecclesiâ nobis proponantur; sivè immediatè à Deo, parùm interest, quarè utrasque eâdem Fide Divinâ supernaturali, & Theologicâ credere tenemur, ut ex Concil. Trid. & quampluribus Authoribus probat Sanctarell. *ibidem*, adversùs opinionem eorum, qui admittunt, non credentem revelationi privatæ in-

 cur-

currere crimen infidelitatis, non autem hæresis: latè apud Bellarmin.*lib.3. de justif. cap.3.* & P. del Bene, *ubi suprà num.* 4. Quibus addi potest alia ratio, eum nempè, qui non credit revelationi hujusmodi, sentire, Deum posse mentiri, quando in particulari aliquod revelet. Hoc autem esset errare in Doctrinâ catholicâ, prout docent Bordon.*ubi suprà, nu.*56.& Lup. *dict.lib.*20. *art.*2.*Dif.*12. Cùm igitur Propositio catholica sit, nunquam Deum posse mendacio subesse, jam liquet, per illa verba, quibus hęresis asseritur error contra aliquam propositionem catholicam, non explicari minùs, quàm habeatur per definitum: Attamen, quia specialis revelatio est aliis incognita, hujusmodi divinę revelationi non credęns, non est hęreticus coram Ecclesiâ, sed coram Deo: Lupus *loco cit.*

3 Diximus contrà aliquam, & non contrà omnes Ecclesię propositiones: nàm in hoc tantùm differt hæresis ab Apostasiâ, quod illa sit contrà aliquam; hæc contrà omnes Catholicas veritates: Farinacc. *de hæresi, qu.*183.§.2. *num.*13. Suarez *de Fide, disp.*16. *tract.*5. *num.* 3. Volp. *ressolut.moral.*81.*num* 6. Ricciull. *de jur. person. lib.*5. *cap.*1. *num.* 14. fusè Salell. *de Mater. Tribun.fidei, lib.*1. *regul.*107. *num.*16. 17. *& à nu.*27. P. Del Bene *de offic. S. Inquis. par.* 1. *dub.* 13. *sect.*4. *à num.* 20. Gamachęus *in* 1. 2. *D. Thomæ,qu.*12. *de Apostasiâ, cap.*36. & Duall.*in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 8. *de Apostasiâ, tom.*2.*pag.*373. Quarè Julianus Imperator Apostata appellabatur à SS. PP. Non indè tamen sequitur, quòd etiam, qui recedit in parte à fide, non possit minùs propriè appellari Apostata: Card.de Lugo *de virt. Fid. Divin. disp.* 18.*sect.*4.*nu.*96.Alvarez *specul. jur.Pontific.de Apostat.fol.*252. Sicuti è contra Apostasia dicitur species hæresis,ut per Text. *in c. contrà Christianos, de hæresi in* 6. Farinacc. & aliis quod, citat Raynald. *observ.crim.cap.*1.§.2.*ad* 7. *n.*106.

4 *fol.*81. Quarè ista nomina confunduntur inter se, ut liquet ex Baldell. *cons.* 95. *num.* 2. Imò ad effectum, de quo nunc agimus, Apostasia, & hęresis non constituunt speciem diversam, ac pari passu judicantur hæreticus, & Apostata: Burlatt. *cons.*280.*num.*10.18.*&* 50.*lib.*3. Gamachęus, & Duall.*locis citatis*. Alvarez *ubi supra*. Nicol. *lucub.can.tom.*2. *lib.*5. *tit.*9.*num.*1. Sess. *decis.*468.*nu.*19.

5 *vol.*4. Non ità dicendum respectu schismatis, quod constituit speciem diversam ab hæresi: schismaticus enim, ut talis, separatur ab unione, non secundùm fidem, sed secundùm charitatem, ut advertunt Gundisalvus Villadiego *de hæret.qu.*3. Ambrosius de Rusconib. *in Triumpho Catholicæ veritatis, lib.Prohem.cap.*9. Alvar.*specul. jur. Pontif. de schismat.fol.*241. Fermosin. *tract.crimin. tract.*2.*ad rubr.de schismat.num.* 2.3. *&* 4. Passerin.*in cap.Ad succidenda, num.*4. *& seqq. de Schismatic. in* 6. Campanil. *diversor.jur.can.rubr.*11. *cap.*26. *nu.*39. Siquidem duplex est unio, una, quę fit per charitatem; altera per fidem: per primam junguntur membra capiti; per secundam omnes fideles sunt grex sub uno pastore: & quando schisma dicitur hæresis, hoc non est, quia schisma propriè hæresis sit, sed quia ad illam disponit: Ordinariè tamen schisma est conjunctum hęresi, ut benè advertit Eminentissimus Albitius *de inconstantiâ in fide, cap.*10.*num.*19. ubi latè tractat de schismate, Alvar.Pelag.*de planct.Eccles. lib.*1.*cap.*65.Passerin.*in tit.de schismat.in* 6.*n.*13.*&* 14. Canis. *in juris canon.sum lib.*3.*tit.*15. *vers. Schismatici undè dicti*. Concludendum est igitur, hęreticum eum esse, qui aliquam negat tantùm Propositionem, dummodò illa catholica sit. Non enim sufficeret, si error

6 esset circa res naturales, aut contrà theses Astronomicas, ut ait Rojas apud Ricciull.*loc.cit.num.*13. Undè vellicandus Limborch, qui *in hist. Inquis. lib.*3.*cap.*1. ait, hæreticum à catholicis existimari, qui negat propositionem merè philosophicam: Quoties enim propositio, licet in se sit merè philosophica, definitur ab Ecclesiâ Catholicâ, non est amplius censenda merè philosophica, quòcirca utique erit hęreticus, negans pertinaciter, animam rationalem esse formam corporis humani, ut ex Clementinâ unicâ, *de summâ Trinit.* inquit Bernardus Comensis *in Lucernâ Inquisit.in voce Hæresis*, §.14.

PRAE-

PRAELIMINARE XVII.

De errore cum pertinaciâ.

SUMMARIUM.

1 *Quanta sit hominum pertinacia in fovendis erroribus.*
2 *Pertinacia errantem in fide constituit hæreticum.*
3 *Ratio hujus.*
4 *Pertinacia est complementum, & forma hæresis.*
5 *Quidam ex SS.PP. tenuere Angelos esse corporeos.*
Alii Chiliastarum sectam secuti sunt. ibi.
Nullus autem prædictorum fuit hæreticus, & cur. ibi.
6 *Pertinacia ad hæresim constituendam quid requirat?*
7 *Protestatio Auctoris libri excusat à notâ hæretici limita.*
8 *Qui dicit propositionem contra fidem non absolutè, sed dubitativè, & simul protestando, non est hæreticus.*
Sed tamen appellatur infidelis. ibi.
9 *In rebus ab Ecclesiâ definitis, & quæ scire tenemur protestatio non excusat.*
10 *Pelagii, & Celestii hæresiarcharum protestatio cur ipsos non relevaverit.*
11 *Protestatio non excusat eum, qui in judicio monitus, ut resipiscat, monenti non paret.*
12 *In propositionibus expressè ab Ecclesiâ non damnatis prædicta regula non procedit.*
Contrarium alii sentiunt: Sed non sequendi. ibi.
13 *Protestatio, quâ quis profitetur se paratum retractare suum errorem, si per argumenta convincatur, non excusat ab hæresi.*
14 *An requiratur monitio, ut quis dicatur pertinax.*
15 *Admonitio necessaria est ad justificandam incorrigibilitatem.*
16 *Termini ad effectum, ut hæretici resipiscant, quales debeant esse cum hæreticis negativis.*
17 *Admonitio prædicta non est necessaria respectu illius, qui diù latenter in errore fuit.*
18 *Ad hæresim non requiritur obstinatio, quæ est pertinacia major, & quomodò id intelligatur.*
19 *An sit hæreticus, qui indirectè adversatur Ecclesiæ auctoritati.*
20 *Qui est pertinax in nondum definitis ab Ecclesiâ, est hæreticus, & quandò?*
21 *Pertinax est, qui falsâ opinione putans, aliquid esse ab Ecclesiâ definitum, contrarium tamen sentit.*

1 CUm admirabilis sit hominum in fovendis erroribus pertinacia, ut ait Muretus *in Proper. pag. mihi* 171., hinc est, quod humanum ingenium potiùs rerum naturam, inquit Cic. *Tusc. quæst.* 5., quàm errorem suum damnare mavult; & potiùs fallibilem credit veritatem ipsam, quàm se decipi.

2 Hujusmodi pertinacia est, quæ errantem in Fide constituit hæreticum, *Non enim*, sunt verba S. Petri Damiani *lib.* 1. *epist.* 13. *antè fin. Error hæreticum, sed pervicax obstinatio facit; nec omnes hæretici censendi sunt, qui opinantur errores; sed qui pertinaciter, & audacter prædicant falsitatem*, ut etiam habetur ex auctoritate D. Augustini *in cap. Dixit Apostolus* 24. *qu.* 3. & communiter tenent, omissis aliis, Thomassin. *Theolog. dogmatic. tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 13. Duall. *in* 2.2. *D. Thomæ, de fide, qu.* 7. *art.* 1. *pag.* 34. Petricc. *de milit. & Triumphant. Eccles. lib.* 1. *disput.* 2. *vers. videndnm igitur*. Ricciull. *de jur. personar. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 11 Albertin. *de hæretic. qu.* 5. *num.* 19. & *qu.* 13. *n.* 14. Dartis *in* 2. *par. decret. caus.* 24. *qu.* 3. *litt. L. fol.* 240. Clar. *prax. crim. lib.* 5. § *hæresis*, *n.* 2. Ric *prax. for. Eccles. p.* 2. *resol.* 8. *n.* 3. Volp. *resol. moral. resol.* 81. *num.* 4. Param. *de Orig. Inquis. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 11. Zanchin., & post eum, Campeg. *in addit. tract. de haret. cap.* 1. *ad litt. A.* Del Bene *de offic. S. Inquis. par.* 1. *dub.* 2. *pet.* 2. Fermosin *in cap. Cum ex injuncto qu.* 1. *num.* 20. *tract. crimin.* 2. Sess. *decis. Aragon. vol.* 4. & *decis.* 439. *num* 32. & *decis.* 446. *nu.* 3.

3 Ratio est, quia hæresis, sicut & alia peccata, non committitur, nisi præcedat consensus hæreticantis; ignorans autem, & inaduertens non videtur consentire per *l. nihil.* 117. *de regulis juris*.

4 Est igitur error cum pertinaciâ propriè

priè complementum, & forma hæresis, ut præter allegatos, firmat Elysius *in Clypeo contrà hæret.qu.42.art.2.fol. 247. circà fin.* ubi testatur de communi, hæreticos non posse præsumi, nec esse plures Sanctos, & Catholicos viros, qui errores, ac hæreses docuerint, & tenuerant. Ità etiam dixit S. Thom. 22.*qu*.5.*art*.3. & ex sententiâ D. Augustini Brun. *de hæretic.c.*1.*fol*.3. *in princ.* Fermosin. *tract.crim.tract.*2.*qu*.2. *n*.19. *ad tit.de Hæretic.*& revera, quis crediderit de hæresi suspectos Hilarium, Augustinum, Bernardum, ac complures alios, qui dixerunt Angelos esse cor-
5 poreos; licet Augustinum non tenuisse hanc sententiam, probet doctissimus Noris *in suis vindiciis Augustinianis*. Quis affirmaverit, in hujusmodi suspicionem incidisse Irenæum, ac alios, qui scripserunt, dejectos de Cœlo malos Angelos, eò quòd in terris cum mulieribus congressos,& ex eis homines progenitos fuisse? Quis putaverit hæreticos ipsum Justinum, Irenæum, ac ceteros, qui fuerunt Chiliastæ? non potuerunt dici pertinaces adversùs Ecclesiæ auctoritatem in his propositionibus, ab ipsâ Ecclesiâ nondum definitis. Ad
6 effectum enim, ut quis in re hac pertinax dicatur, requiritur quod habeat pravam voluntatem resistendi veritati, & Definitioni Ecclesiæ, ac illius auctoritate neglectâ, adhùc in suâ opinione persistat: Sanctarell.*de hæres.cap.*1.*dub*.4 *num*.17. Del Bene *de offic.S.Inqu.par.*1.*dub*.2 .*petit*.2.*per tot.* Baldell. *de fide*, *& infidel.disp.*32.*num*.2.Navarr.*in sum.cap.*11.*num*.22. Tondut. *resol. beneficial cap*.34.*num*.6. Fermosin. *ad tit. de Hæret.qu.*2.*num*.19.*tract.crim.*2. & pro-
7 indè hæreticus judicandus non est, qui protestatur, omne, quod vel profert, vel scribit, submittere correctioni S.Ecclesiæ Catholicæ, proùt auctores orthodoxi cautè in principio, vel in fine librorum suorum facere consueverunt: Fagnan. *cap.damnamus,num.*1. 20. *& seqq. de summâ Trinit.& fid.Catholic.* Baldell. *ubi supra*, *num.* 18. Vignat. *de hæret. quæst.* 19. *num.* 198. *& ibi* Peña, Lopez. *in suis allegat.*§.3. *num*.6. Menoch. *cons.*82.*num.*174.*&* 175. Limborch.*in laudato cap.*11.Del Bene *de offic.S.Inqu. par.*1. *dub*.5. Adeoùt, si doctrina in his libris proposita sit perversa, attentâ tali protestatione, Auctor ab Hæresis notâ salvetur; liber verò comburatur, sicuti evenit Abbati Joachim, cujus scripta damnata fuere in Concilio Lateranensi quarto sub Innocentio III.relato *in cap. damnamus*, *de summâ Trinit.*, *& Fide Catholicâ*, ac notavit Possevin. *in apparatu sacr.tom.*2.*verbo*, *Joachimus Abbas* Sed ipse Abbas damnatus non legitur, ut ibi observat Glosa *in verbo, Florensi Monasterio*, & auderunt Alvarez *in specul.jur.Pontific.cap.*53.§.*de hæreticis*, *versic. quantùm ad tertium*, Fagnan. *in dict. cap. num.* 15. Sanctarell.*de hæresi*, *cap.*1.*dub.*6. *nu*.26. Animadvertendum, quod protestatio, de quâ suprà, tantùm excusare poterit, quandò agitur de rebus dubiis, quæ per Ecclesiam definitæ non fuerunt: Sanctarell. *ibidem*, *num*.27. Peña *comm*.26. *p*. 1. Sousa *in aphorism. lib.*1.*cap.* 24.*num*.5: Bordon: *loc:cit.n.* 36. & Del Bene *ubi suprà*, *num.* 2. Nam cum hujusmodi protestatio excludat pertinaciam, quæ est de essentiâ hæresis, consequentèr eximit ab hæresi, quam aliàs incurreret dubitans non quidem in dubiis, sed in definitis: Goffred. *in summ. de Hæreticis*, *num.* 1. Quippè Fides, ut ait D.Bernardus, ambiguum non habet, & si habet, fides non est:
8 Attamen si quis aliquam propositionem contra veritatem Catholicam non sibi notam assereret, non absolutè, sed dubitativè, ac insimul protestaretur credere, quod credit Ecclesia Catholica, eo casu non esset hæreticus, cum diceretur suspendere actum judicii, præponderans tantum rationes utriusque partis, & pendens potius ad unam partem, prout videtur innuere Sanchez cum Beccano, & Turriano: Sanctarell. *loc. cit. cap*.1. *dub*.3. *num.* 14. &, relatis hinc indè opinionibus, Del Bene *de offic.S.Inqu.par.*1.*dub.*6.*per tot. & nu.* 14. Non tamen dicendum est, quod Beata Virgo dubitaverit, quando Angelus ei loquutus est: *Quomodò fiet*, inquit, *quoniam virum non cognosco*? Nam quamvis non esset tàm facilè scire mysterium absconditum à sæculis, quod nec superiores potestates scire potuerunt, nihilominùs cum hujusmodi dubitatio non congruisset perfectioni Virginis, hinc rectè docet Ambrosius de Rusconibus

in Triampho Catholicæ Veritatis, libr. proœm. cap. 10. Beatam Virginem sic interrogantem, tantummodò modum quæsivisse, ut illud fieret, quod Angelus prænunciabat. Imò asserentem non absolutè, atsolummodò dubitativè propositionem aliquam contrà veritatem catholicam, vocat infidelem Lup. in d.dist.4. art. 1. disp. 3. eò quod nullum eliciat actum positivum, sed tantùm privativum: Materiam hanc fusè examinat inter alios Duall. in 2. 2. D. Thomæ, de peccatis fidei oppositis, qu.7. de hæresi, art.1. tom.2. In rebus verò ab Ec-
9 clesiâ jam definitis, & quæ sint tales, ut eas quis scire teneatur, protestatio non excusat in foro exteriori: Alphons. de Castro de justâ hæret. punit. libr.1. cap.2. Decian. tract. crim. lib.5. cap.558. Menoch. d. cons. 82. num. 125. & 176. ubi, quod in eo tantùm procedit, qui scire tenetur implicitè; in eo autem, qui tenetur explicitè, ignorantiam non præsumi. Hinc Pelagius, & Cęlestius Hęresiarchę subdolè obtulerunt Zosimo Papæ libellum. Eâ enim arte illum composuerant, ut, licet ibidem negarent originale peccatum, condemnationem evitarent; addentes hanc protestationem: *Si fortè, ut hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur*. Hæc, inquam, verba nullatenus excusare poterant perversos Hæresiarchas: nam Innocentius primus Zosimi immediatus prædecessor, jam errorem illum damnaverat, ideò in eis non præsumebatur ignorantia.

10 Eò minùs protestatio excusare potest in judicio, in quo quis monitus sit à Judice, ne aliquam propositionem, seù doctrinam promoveat, quæ hæresim continet, non vult tamen recedere, & à sua opinione resipisci, ut adnotant Del Bene d. dub. 5. in coroll. num.7. Decian. d. cap. 558. nu. 8. Et fortiùs hoc
11 poterit habere locum, si non crederet ipsi judici, Inquisitori, aut Episcopo, cui si fidem adhiberet, utique se ab errore retractaret: Est enim evidens pertinacia, non præstare fidem Episcopo, seù Inquisitori admonenti in expressè damnatis: Alphons. de Castro de punit. hæret. cap. 10. col. 5. Farinac. de hæresi q. 196. num. 10. Volp. resol. moral. 81. num.25. Pasqualig. decis. 162. num.1. & seqq. Baldell. disput.32. num.18. Rebuff. in prax. benef. fol. 274. §. quæret quis.

12 In propositionibus autem ab Ecclesiâ non expressè damnatis, supradicta procedere non debent, juxtà ea, quæ tradunt Cardinalis de Lugo de fide, disp. 20. sect.5. n.160. Pasqualig. decis. 163. num.6. in fin. Parlador. quotid. differ.107. num.14. Pueron. ad Bullam Cœnæ, c. 1. num.72. Et quamvis non desint Auctores contrarium sentientes, quos cumulant Sanctarell. de hæres. cap. 1. dub.6. num.28. & Del Bene de officio S. Inquis. par.1. dub.4. petit.2. Prior tamen sententia mihi verior videtur, eò quia Episcopi, & Inquisitores non habent assistentiam Spritus Sancti, ac propterea in propositionibus nondum definitis, qui fidem ipsis non præstat, hæreticus dici nequit, ut ultrà superiùs adductos, firmant etiam Duall. in 2.2. D. Thomæ, de peccatis fidei oppositis, q.7. de Hæresi, ar.1. tom.2. pag.343. ubi subjungit, tunc committi peccatum potiùs temeritatis, & arrogantię, quàm hæresis; & Trullench. in exposit. Decal. lib. 1. cap. 2. num. 14. ubi tamen addit, quod in foro externo judicabitur pertinax, & hæreticus.

13 Nec eximitur à pertinaciâ, qui se profitetur paratum retractare errorem, si per argumenta convincatur ab Ecclesiâ, cum maximum sit sacrilegium, opinionem hominum anteponere opinioni Ecclesiæ, sivè veritati Divinæ; nam debet quilibet, non argumentis, sed auctoritati se submittere, ut ratiocinantur Sanchez ad præcept. lib.2. cap.7. nu.6. & alii relati per Baldell. d. disp.32. nu.8. Pueron. d.c.1. num.53. Non levis etiam
14 oritur quæstio, an requiratur monitio, ut quis pertinax dicatur, in quâ sunt discordes opiniones, dum alii affirmativam, alii negativam sententiam sequuntur, quos congerit Del Bene de offic. Inqu. par.1. dub.2. petit.2. Mihi tamen cum dicto Del Bene negativa opinio arridet, quam etiam tuentur Suarez de fid. disp.19. sect. 3. num. 23. Paramus de orig. Inquisit. lib.1. tit.1. cap.4. num.5. Ricciull. de jur. person. lib.5. cap.2. nu.10. Baldel. d. disp. 32. num. 12. Fermosin. ad tit. de Hæret. tract. crimin.2. qu.4. n.3. & 4. & in praxi servatur, prout firmat Paramus d. cap.4. num.5. Non enim prava voluntas adhùc resistendi flectitur

per

per simplicem admonitionem, quoniam eumdem effectum, quem sortiri potest admonitio, meliùs, & faciliùs consequi possunt libri, ac definitiones Conciliorum: Card. de Lugo *de virt. fid. Div. disp.* 20 *sect.* 5. *num.* 18. Simanch. *de catholic. tit.* 48. *num.* 7. & 8. & quilibet in casu hæresis dicitur admonitus à Judice, & à jure: August. de Ancon. *de potest. Eccles. quæst.* 5. §. *ad primum*, *litt.* C. Hoc tamen procedere crederem respectu illorum, qui eos libros, easque definitiones explicitè scire tenentur, non verò respectu rudis, & juris non periti, juxtà relatam auctoritatem Menoch. *cons.* 82. *num.* 175. & 176. & advertit etiam Del Bene *loco citato, num.* 9.

15 Quamvis tamen hujusmodi admonitio minimè necessaria reputetur ad constituendum aliquem in pertinaciâ, nihilominùs necessaria est ad justificandam ejus incorrigibilitatem, ut sapientèr docent Card. de Lugo *loc. cit. n.* 158. & Baldell. *d. disp.* 32. *num.* 12. ad hoc ut in foro externo puniri possit; undè, prout testantur Peña *lib.* 2. *comm.* 65. *vers. in his pertinacibus*, & Carena *par.* 2. *tit.* 2. §. 3. *num.* 15. inolevit praxis in Tribunali S. Officii retinendi diù hæreticos pertinaces in carceribus, & sæpiùs mittendi ad illos, admonitores doctos viros, curando, ut resipiscant, ad quem effectum dantur primi, secundi, & tertii termini: De hujusmodi monitionibus consule Gudisalvum Villadiego *de hæreticis*, *q.* 8.

16 Hi autem termini longiores esse debent cum hæreticis negativis, qui sunt illi, qui non obstante, quod testes integri, & legitimi probaverint, eos discredidisse; nihilominùs persistunt in negativâ, quod scilicet non discrediderint, nec unquàm se diversimodè ab Ecclesiâ sentire, ac sensisse, ut docent Raynaldus *observ. crim. ad c.* 1 *super* 3. *n.* 56. Fermosin. *tract. crim.* 2. *ad tit. de hæretic. num.* 16. Cum his proindè hæreticis differendum est judicium usque ad annum, quo reducantur ad Ecclesiæ ovile: Lupus *in allegat. in materiâ hæresis, post tractat. de donat. inte. vir, & vxor.* §. 3. & 4. Card. de Lugo *loc. cit.* qui *n.* 157. reprobat doctrinam Alciati.

17 Porrò ea admonitio, quam diximus necessariam ad justificandam pertinaciam, in eo non videtur necessaria, qui latentèr diù in errore persistit: Sanchez *ad præcept. lib.* 2. *cap.* 7. Baldell. *d. disp.* 32. *num.* 12. Et non sine ratione; nam ad constituendam pertinaciam, non requiritur temporis diuturnitas, adeò ut temporis momento hæresis culpa perpatrari possit, adinstar aliorum peccatorum: Alberghin *Man. cap.* 1. *de hæret. num.* 8. & ante ipsum Cajetan. 2. 2. *q.* 11. 2. *notab.* Baldell. *d. disp.* 32. *num.* 11. Duall. *in* 2. 2. *D. Thom. de peccatis fidei oppositis q.* 7. *de hæresi*, *art.* 1. *tom.* 2. *pag.* 343. & Merbes. *in Summ. Christian. p.* 1. 2. *qu.* 55. *pag.* 163. *col.* 2. *circa med.* Perficitur enim solo consensu, præsuppositâ notitiâ, quod sit error in fide: Volp. *resol. moral.* 81. *num.* 5. Idcircò hujusmodi pertinacia non requirit perseverantiam in errorē, ut advertit Laurea *de fide, disp.* 14. *art.* 3. §. 2. latè rem discutiens, qui etiam *sub num.* 71. ait ad hæresim non requiri

18 obstinationem, quæ est pertinacia major, quod venit intelligendum de hæreticis non ignorantibus, aliquam doctrinam esse contrà Ecclesiæ definitionem, ei tamen adhærentibus etiam per momentum, quamvis posteà corrigantur. Illi autem sunt obstinati, qui contendentes de aliquâ doctrinâ nondum definitâ, eam pro viribus defendunt, & post ejus damnationem, perseverant in suâ sententiâ, quales fuerunt Arrius, & alii Hæresiarchæ. Si igitur ad constituendum aliquem hæreticum, sufficit pertinacia, quæ etiam per momentum temporis perficitur, quid dicendum de eo, qui diù perseveraverit, & latenter, ex quo præsumitur non ignorantia, sed malitia, ut benè ait Sanchez *loc. cit.*?

19 Videndum etiam, an dicendus sit pertinax, qui indirectè refragatur Ecclesiæ authoritati, videlicet ob cupiditatem lucri, seù gloriæ, & affirmativè respondet Card. de Lugo *d. disp.* 20. *num.* 163. Baldell. *d. disp.* 32. *num.* 9. Pueron. *d. cap.* 1. *num.* 68. *vers. nec tamen.* Nam sicut in aliis peccatis hæc cupiditas sufficit ad peccandum contrà obedientiam, justitiam, religionem, & alias virtutes, licet non habeatur pro fine formaliter volito, injustitia, inobedientia, irreligiositas, &c. Sic etiam peccatur pertinaciter contra auctoritatem Ecclesiæ, negando id, quod scimus ab Eccle-

sia

siâ doceri, quamvis non intendamus, formaliter Ecclesię contradicere: immò qui vult aliquid necessariò connexum cum alio effectu, licèt ipsum effectum non intendat, dicitur illum directè velle, quia volendo causam, vult implicitè effectum in eâ causâ virtualiter inclu-
20 sum. Sequitur posteà, an sit pertinax, qui in nondum definitis amplectitur aliquam partem, eo animo, ut sit paratus ad eam tuendam, etsi contrarium Ecclesia definiat, ac pariter pro parte affirmativâ resolvitur à Card. de Lugo *ibidem num.* 167. Pueron. *d.cap.*1.*nu.*69. *& seqq.* Credit enim, quæ definiuntur
21 ab Ecclesiâ posse falsitati subesse, ex quâ ratione sequitur, quod similiter pertinax dicendus sit, qui falsâ opinione putans, aliquid esse ab Ecclesiâ definitum, contrarium tamen sentit: Card. de Lugo *d.disp.*20.*sect.*5.*num.* 167. ubi reprobat Simanchi sententiam oppositum tenentem, Baldell. *d.disp.*32.*nu.*12. Pueron. *d.cap.*1.*num.*69.

PRAELIMINARE XVIII.

De errore in eo, qui baptismum recepit.

SUMMARIUM.

1 *Ille propriè reputatur hæreticus, qui susceptâ fide per baptismum, ab eâ se separat per hæresim.*

2 *Ut quis dicatur hæreticus coram Ecclesiâ requiritur baptismus undæ, coram Deo sufficit baptismus flaminis.*

3 *Cathecumenus deserendo fidem Catholicam an, & quomodo hæreticus dicatur?*

4 *Neque Pagani, neque Judæi incidere possunt in hæresim.* num.5. & 8.

6 *Judæorum impudentia, & protervia in suâ superstitione.*

7 *Philippus Augustus Rex Francorum quâ de causâ à suo Regno Judæos expulit.*

9 *Judæi si post acceptum baptismum redeant ad ritus Judaicos, sunt hæretici, licet non fuerit eorum baptismus descriptus in libro.*

10 *Ex Decreto Pauli IV. Judæi, qui in Lusitaniâ remanserunt, si judæizant, censentur à fide apostatasse.*

11 *Judæi in infantiâ etiam invitis parentibus baptizati, redeuntes ad ritus judaicos sunt hæretici.*

12 *Judæus, vel Paganus non baptizatus, putans se talem esse, si contra fidem sentiat, est hæreticus.*

13 *Coactè baptizati, si à fide recedant, sunt hæretici.*
Dummodò tamen coactio non fuerit absoluta.

14 *An invalidè baptizatus, si recedat à fide, sit hæreticus? cum distinctione respondetur.*

1 Diximus ad essentiam hæresis, errorem requiri in eo, qui baptismum recepit: nam is propriè reputatur hæreticus, qui fidem amplexus catholicam, aliter posteà sentit, & se separat superbus ab Ecclesiæ simplicitate, ut Capharnaitæ, & aliqui Domini Discipuli ab auctore vitæ, & ab Apostolis; ut à D. Paulo ejus Discipuli Phigillus Hermogenes, Philotus, & Hymenæus, quemadmodum ait Tertullianus de *præs. hæret.* Tolos. *Synthagm. lib.*33. *c.*4. *num.* 5. qui proindè indicio proprio condemnantur, dimittentes catholicam sententiam, quam professi sunt, juxtà ipsum D. Paulum ad *Tit. cap.*3.

2 Verùm, quia implicat, fidem catholicam amplecti, ac esse sine baptismo, saltem flaminis: hinc necesse est, ut quis incurrat hæresim, aliquo modo baptismum dicatur habuisse: hoc tamen discrimine, quod ad hoc, ut ab Ecclesiâ judicetur aliquis esse hæreticus, requiritur Baptisma undæ; ut autem quis coram Deo sit hæreticus, sufficit baptisma flaminis: hoc pacto concordari videntur illæ duæ sententiæ inter se diametraliter oppositæ, de quibus Lup. *d. art.* 2. *dif.* 13. latè Bordon. *ubi suprà, à n.*16. ac P. Del Bene *de offic. S. Inqu. part.* 1. *dub.* 10.

3 Igitur parùm rectè, hæresim quandoque incurri absq; baptismo, credidit Bernardus de Lutzemburgo, qui in suo catalogo inter hæreticos descripsit Avicennam, Averroem, & alios, prout observat Ambrosius de Rusconib. *in Triumpho Catholicæ veritatis, lib. procem. cap.*9. & Sanctarell. *de hæresi, cap.*1. *dub.* 2. *num.* 3. qui firmavit etiam, Cathecume-

cumenum posse dici hæreticum, quoties deserat Fidem Catholicam. Potest enim Cathecumenus esse hæreticus tantumodò coram Deo, ac in foro interno: Nicol.*res.Civil.can.lib.*4 *tit.*18. *n.*3.*to.*1. & Guttier. *d.q.*32.*n.*35. non autem, quo ad Ecclesiæ Judicium: Card. de Lugo *de virt. fid. divin. disp.*21.*sect.*4. §.1.*num.* 139. Fragol. *de regim. reip. par.* 1. *lib.* 1. *disp.*2.*n.*229. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 3. Baldell. *d. disp.*36. *num.*11. *& seqq. & disp.* 22. *num.*18. P. Del Bene *ubi suprà*, Fermosin. *tract. crim.* 2. *ad tit. de hæretic. qu.* 2. *num.*7. Tonell. *manduct. Infid. ad fid. concl.*2. *sub num.*6. siquidèm Cathecumenus mente, non re ipsâ recepit fidem, ideòque potentiâ proximâ, non actu est in Ecclesiâ; quare D. Aug. *lib.* 2. *de Symb. in princ.* asserit, cathecumenos esse similes hominibus conceptis, nondum tamen natis: ut enim quis sit actu in Ecclesiâ, oportet, quod habeat jus ad Sacramenta Ecclesiæ, quale minimè habet Cathecumenus, & oportet quod sit ipsi Ecclesiæ conjunctus per signum visibile à Christo institutũ, nempè per baptismum: Sanctarell. *loc. cit.* §. *Objicies cum Alphonso*: hæcque est ratio, quare Cathecumenus non possit, quo ad Ecclesiæ Judicium, dici hæreticus: Card. de Lugo *ubi suprà*; idque fit evidentiùs, si advertamus, eum non posse cogi ad petendum baptisma: nec, ut non redeat ad Judaismum, vel Paganismum: Sanctarell. *loc.cit. num.*5. *in fine*; nec consequenter puniri, si à fide recedat: unde Inquisitores, quandò volunt aliquem punire ob hæresim, inquirunt prius, an fuerit baptizatus: Sanctarell. *ibidem*.

4 Eâdem, & fortiori ratione, Pagani Sacrâ baptismatis undâ non abluti nequeunt incidere in hæresim: D. Tho. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. *& qu.* 11. *art.*1. Carena *par.* 2. *tit.* 14. §. 1. Sanctarell. *de hæresi, cap.*1.*dub.*2. Soccin. Sen. *cons.*71. *num.* 11. Vignat. *de hæret. num.* 34. ibiquè, Peña Brunus *de hæret. lib.*1. *cap.* 1. *pag.* 3. *in princ.* Volp. *d. resol.*81. *num.*4. Vener. *exam.Episc. lib.* 11. *cap.* 4. *n.* 19.

5 Idem dicendum de Judeis, ut patet ex ijsdem auctoritatibus suprà allegatis: quamvis enim Judæorum pertinax sit genus in suâ superstitione; itaut ipsi nihil non licitum reputent, quoties arbitrantur, suam Fidem se aliquo modo promovere posse, ad quem effectum nullum penitus lapidem immotum relinquunt, dummodo veritatem Evangelicam impetant, aut calumnientur, ac in Christianos sæviant, ut accidit tempo-
6 re Trajani, quando eò proterviæ, atque audaciæ processerunt Judæi, ut cum peregrina Christianorum, aut paganorum mancipia sibi coëmissent, ad domesticam religionem addacta circumciderent, quod Trajanus lege singulari
7 vetuit, *l. circumcidere ff. de pœnis*. Hinc non injuriâ Philippus August. Rex Francorum Judæos, publicatis bonis, Regni finibus exegit, quandò contrà leges, Christianos circumciderent, ac pro servientibus (hoc enim verbo Historia Dionysiaca utitur) sibi manciparent; & alia hujusmodi perfidę nationis Hebręorum passim in historiis leguntur exempla: & licet, uti hostes Christianorum, sæpè ab aliis quampluribus Provinciis jussi sint excedere, nec ob aliud alicubi tollerentur, nisi ut usque in finem seculi appereat cunctis Regionibus, quæ ad lucem Evangelii ex paganismo quotidiè accedunt, & accessuræ sunt, eos fuisse primum dilectum Dei populum, eisque ab initio Mundi fidem, ac cognitionem veri Dei datam, & Messiæ, quem adventum respuerunt, & morti ingratissimi homines tradiderunt. Tolos. Synthagm. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11.

8 Quamvis, inquam, ita sit, attamen Judæi nequeunt dici hæretici, cum non sint per januam Baptismi ingressi Ecclesiam; si autem accepissent baptismum, ut, & Pagani, quoties priores ritus servassent, habendi essent tamquam hæretici, & cogendi ad observandam Christianam Religionem: Menoch. *de arbitr. cap.*546.*n.*23. Farinacc. *de hæresi q.*178.*n.* 139. Alciat. *cons.*29. *in princ. lib.*7. Fermosin. *tract. crim. tract.* 2. *ad text. in cap. Tuæ, qu.*1. *num.*5. *de schismat.* Passerin. *in cap. contra Christianos, num.*5. *de Hæretic. in* 6.

9 Amplia primò, quamvis non appareret de ipsorum baptismo, ex eo quod non fuerit descriptus in libr. Parochi: Cantera *qu. crim. de hæret. num.*4. Diana *tit.*8. *part.*4. *resol.*113. Guttier. *prax. crim. & civil. qu.* 32. *num.* 32. dummodò enutriti inter Christianos, & conversati

fati essent, ficuti de quodam Mauro te-
10 statur Castropalao *tom.1.tract.4. disp.8. punct.16. §.6.* undè decrevit Paulus IV. *die ultimâ Aprilis*, *anno* 1556. de quo Decreto Diana *p.4. resol.pag.* 324. quod scilicet Lusitani, qui eâ in provinciâ permanserunt, & posteà in Italiam venientes judaizaverint, censerentur Apostatæ, non obstante, quod expositi torturæ negassent se baptizatos, vel christianè vixisse: Scias, quod in Lusitaniâ non toleratur hæbreus, nisi fuerit baptizatus, & christianè vixerit, quod habetur apud Eminentiss. Albit. *in libello*, cui titulus est, *Risposta all'historia della Sacra Inquisitione, composta già dal R.P. Paolo Servita*, *à pag.* 148. *& pag.* 163.

11 Amplia secundò, etiamsi Judæi, vel Pagani fuerint in infantiâ baptizati: Fragos. *de regim. Reipub. tom.* 1. *libr.* 1. *disp.2. num.* 227., quod procedit, etsi fuerint baptizati, invitis Parentibus: nàm licèt usu carentes contrà Parentûm voluntatem non sint hâc undâ abluendi, juxtà doctrinam D. Thom. *in 3. p. qu.* 68. innumeri, quem sequuntur Doctores, ut videre est apud Ricciull. *de jur.person. lib.2.cap.*32. Sperell. *decis.*1. *à num.* 25. Avendan. *de metu*, *lib.*1. *cap.*17. *num.*60. Boss. *de patr. potest.cap.*3. *à num.* 321. attamen si baptizentur, recipiunt characterem, & efficiuntur subditi Ecclesiæ, à quâ proindè discedere nequeunt: Salern. *cons.* 14. *per tot. lib.*1. Bols. *de patr. potest. cap.* 3. *cap.*3. *§.* 9. *num.* 319. Afflict. *decis.* 151. *num.*8. Sperell. *d. decis.*1. *num.* 36. Ricciull. *d. lib.2.cap.*34. *per tot.* qui reprobant sententiam verè erroneam Calderini *cons.*3. *de Judæis* indicentis, puerum hebræum itâ baptizatum posse Parentibus concedi, præstitâ cautione de restituendo in ætate legitimâ, &, quod interim non detestabitur christianam fidem, ut dictum est suprà.

12 Amplia tertiò, si Judæus, vel Paganus reverá non baptizatus, sed putans se talem esse, in errorem inciderit contrà Catholicam Religionem cum pertinaciâ: Tunc enim, ut hæreticum puniri posse, dixerunt. Azor. *tom.* 1. *lib.8.cap.*9. *q.*3. *in fin.* Farinacc. *de hæresi*, *qu.* 148. *num.* 135. Passerin. *in cap. contra Christianos*, *num.*10. *de Hæretic.in* 6. Fermosin. *tract. crim.* 2. *ad cap. cum Christus*, *q.*10. *num.*9. *de hæretic.* Ratio est, quia saltem non careret baptismo flaminis, ut voluit Symanch. *de catholic. tit.* 31.*n.*5. quæ tamen ratio mihi non satisfacit, nam voluntas suscipiendi baptismum, non dat jus Ecclesiæ, ut cogat eum, qui non est baptizatus, ad baptisma suscipiendum; & tantò minùs ad permanendum in eâ voluntate: Card. de Lugo *de virtute fidei Divinæ, disp.*20. *nu.* 140. *&* 141.

13 Amplia quartò, & si coactè fuerit baptizatus: Passerin. *in cap. contra Christianos*, *num.*7. *de hæretic. in* 6. Avendan. *de met.lib.*2. *cap.*17. *sub num.*56. Calderin. *de hæret. rub. de his, qui condemnantur ut hæretici, num.*1. Farinac. *d.q.*178. *num.*142. (Vide Del Bene *de offic. Inqu. par.*1. *dub.*10. *num.* 10.) quod tamen intellige, dummodo, vel coactio non fuerit præcisa, aut absoluta: Tunc enim aliter sentiendum: Passerin. *d. cap. nu.*8. Avendan. *de metu lib.*2. *cap.*17. *sub n.*56. *vers. undè Judæi.* Paris. *cons.* 2. *num.* 2. *lib.*4. & Eminentiss. Albitius, *ubi suprà à pag.*150. vel si talis fuerit, attamen baptizatus non reclamaverit posteà, aut per aliquos actus positivos baptismum approbaverit, & sic metum purgaverit: Paris. *d.cons.*2.*n.*26. Marquard. *de Judæis p.*3. *cap.*2. *num.*9. Avendan. *de metu d. lib.*2. *cap.*17. *num.* 57. Ricciull. *de jur. person. extrà grem. Eccles. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 3.

14 Verùm quæstio est, an qui fuerit baptizatus invalidè, ipseque putans, se verè baptizatum, uti talem se gessit, si posteà à Fide recesserit, hæreticus censendus sit: quâ in re distinguendum est; vel invaliditas baptismi provenerit ex defectu legitimæ materiæ, seù legitimæ intentionis Ministri; & tunc hæreticus non esset censendus: Fermosin. *tract.crim.* 2. *ad tit.de Hæret. qu.*2.*n.*10. *&* 11. Vgolin. *de censur.Pontif. reservat.* 2. *p.cap.*1. *num.*3. *in fin.* Card. de Lugo *de virt.fid. diuinæ, disp.*20. *Sect.* 4. *§.* 1. *num.*140. Baldell. *de Fide*, *& infidelit. lib.*1. *dist.*36. *& seqq.* ubi procedere dicit in foro exteriori; secùs in interiori. Quoties enim adest hujusmodi nullitas, habet locum Concil. Trid. *Sess.*14. *cap.* 2. ibi: *Cum Ecclesia in neminem Judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per*

 bap-

baptismi Januam fuerit ingressus; & benè ponderat Card. de Lugo *loco cit. num.* 140. Vide tamen Eminentissimum Albitium, *ubi suprà à pag.* 140. vbi explicat, in quibus casibus infideles, & Iudæi subsint ecclesiasticæ jurisdictioni.

Vel invaliditas baptismi est tantum ex parte baptizati, & in hoc casu utiquè censendus hæreticus, quò ad forum externum; Nam Ecclesia præsumit validè baptizatum, nisi contrarium probetur: Card. de Lugo *loco cit. nu.* 145. Passerin. *de statu hominis, qu.* 187. *art.* 1. *num.* 66. Fermosin. *dict. tract.* 2. *qu.* 2. *num.* 10.

PRAELIMINARE XIX.

Quotuplex sit hæresis.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis triplex est, interna; externa; interna, & externa simul.*

2 *Hæresis interna habet totum, quod requiritur ad esse hæresis; sed per eam non incurritur in pœnas, etiam spirituales.*

3 *Hæresis externa de per se non est propriè hæresis: sufficit tamen ad incurrendas pœnas in foro fori.*

4 *Hæresis externæ definitio.*

5 *An in aliquo casu liceat abnegare fidem actu externo? & num. 6.*

7 *Archidiaconi doctrina reprobatur.*

8 *Externis factis negare fidem illicitum est.*

9 *Ob timorem tormentorum non licet externè tantùm fidem negare.*

10 *Si metus sit absolutus, externè negans non est hæreticus, nec peccat: si sit conditionalis, peccat, non tamen est hæreticus.*

Saltem in foro interno. ibi.

1 EXPLICATA essentiâ hæresis, nunc videamus, quotuplex sit; & triplicem esse, ait Alberghin. *man. cap.* 2. *n.* 2. Sayr. *in Thesaur. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 19. Aliam scilicet internam; aliam externam; & aliam internam, & externam simul.

2 Hæresis interna (quæ etiam dicitur mentalis) licet sit vera, & perfecta, quia totum habet, quod requiritur ad malitiam peccati hæresis, quod ex solâ mentis cogitatione, animique deliberatione perficitur: Fagn. *in cap. dolentes, num.* 60. *de celebrat. Missar.* Nicol. *resol. civil. crim. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 18. *num.* 25. Volp. *resol. moral.* 81. *num.* 5. tàmen ex ipsâ solâ non incurritur in pœnas etiam spirituales contrà hæreticos decretas, ut est communis Theologorum sententia, teste Limborch. *in histor. Inquis. lib.* 3. *cap.* 3. eamque amplexi sunt Fagn. *ubi suprà*: Bursat. *cons.* 289. *nu.* 13. *lib.* 3. Sayr. *de Censur. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 15., & *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 21. Vener. *d. cap.* 4. & pluribus relatis Pueron. *ad Bullam Cœnæ c.* 1. *num.* 91. ubi respondet contrariis: Del Bene *de offic. S. Inquisit. par.* 1. *dub.* 49. *petit.* 2. ubi recenset ferè omnium Doctorum opiniones super hoc inter se oppositas: Omitto alios, quia lector non est laboriosâ auctorum enumeratione onerandus; sed rectâ eorum, quæ dicuntur, dispositione, ac varietate recreandus.

3 Hæresis externaècontra de per se non est propriè hæresis; & hæreticus tantùm externus in foro interno non incidit in excommunicationem, aliasquè pœnas spirituales: Sayr. *dict. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 25. Fermosin: *allegat. Fiscal. p.* 1. *allegat* 50. *num.* 10. & *seqq*; Suarez *de fide disp.* 14. *sect. ult. num.* 3. Less. *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 43 *dub.* 2. *num.* 11. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 8. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 164. Granadus *in* 2. 2. *controvers.* 1. *tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14. & complures alii; ad quas pęnas incurrendas vtriusque hæresis concursus requiritur, internæ scilicet, & externæ, quæ ubi conjunctim in aliquo reperiuntur, eum verè efficiunt hęreticum, vt illum definiendo, docet Pueron. *ad Bullam Cænæ, cap.* 1. *num.* 39. Verùm in foro fori, cum ab externis tantùm judicetur, tàm ad præsumendam internam hæresim externa judicia sufficiunt, quàm ad incidendum in pænas hæresis, sivè temporales, sivè spirituales: Sayr. *dict. num.* 25. Vener. *dict. cap.* 4. *num.* 23. Pueron. *ab Bullam Cœnæ, cap.* 1. *num.* 59. & 65. Passerin. *in cap. cum contumaciâ, num.* 59. & 60. *de Hæret. in* 6.

Et quia ad externam hæresim reducucuntur, qui dicto, vel facto se reddunt suspectos de hæresi: Menoch. *de præ-*

præsumpt.lib.5.præsumpt.6.n.14. de hac igitur solâ disserendum erit.

4 Hæresis externa ea dicitur, quando quis actu externo abnegat fidem, nec constat, an ipsam corde retineat: Suarez. *de fide,disp.14.Sect. vlt. num.4.* Passerin. *d.cap. cum contumaciâ, num.58.& 59.de hæret.*

5 An verò liceat abnegare fidem actu externo in aliquo casu, fuit quæstio, quę antiquis etiam temporibus torsit Sanctorum Patrûm ingenia. Immò S. Ambrosius *serm.69. de S.Eusebio*, laudat ipsum Eusebium, qui hæreticis se hæreticum mentitus est, ut de hæresi filium liberaret: Hunc tamen sermonem non esse Divi Ambrosii, notant Cardinalis Bellarmin. *de scriptoribus Eccles.in Censurâ operum Ambrosii*, & Cardinalis Baronius *tom.3. anno Christi 355.*

6 Hodiè verò facillimè resolvitur talis quęstio, dum hodiè evidens est, numquã licere, seù propter propriam, seù propter aliorũ utilitatem mentiri: Burgoz. de Paz. *in proœm.ad ll. Thauri, n. 271.* Alphons.de Castro *adversus hæreses lib. 10.vers. mendacium*: Corduba *qq.Theol. lib.1. qu.29.* Sot. *de ratione tegen.secret. num.3. qu.3.concl. 1.* Hæc externa Fidei abnegatio quid aliud est, nisi mendacium in rebus fidei, ut advertit Franciscus Sylvius *in D. Thomam 2. 2. in quæst.94.artic.2.conclus.3.*& latè probat Vasquez *in 1.2.disp:182.cap.4.num.9.*ac quid aliud, nisi auferre Christo externam fidei professionem: Ricciull. *ubi suprà*, itaùt negare, se esse Christianum, sit, ac negare ipsum Christum: *non solùm abnegat Christum* (inquit August: *relat.in cap. non solùm, il secondo 11.qu.3*) *qui dicit eum non esse Christum, sed etiam qui cum sit, negat se esse Christianum: Dominus enim non ait Petro, Discipulum meum te esse negabis:sed me negabis:negavit ergò ipsum,cum se negavit ejus discipulum*; Ideò nullo casu licebit, sicuti latissimè comprobant Card. de Lugo *de virtute fidei divinæ,disp.14.sect.5.§.4.* Macedo. *lib.3.de Clavibus,cap.11.*P.Del Bene *de offic.S.Inqu.par.1.dub.11.*Thom. Hurtad. *Resol.Moral.tract.5.cap.5.Resol. 40.41.& 42.*& Merbes. *in summ. Christian.part.1. 2.qu. 26.*

7 Fuerunt nonnulli Sanctissimi Viri, qui simularunt se voluisse discedere à Fide, quos non condemnat Archidiaconus *in c.vtilem 22.q.2.*defensus à Theophilo Raynaldo *in appendice ad lib.Lessii de just.& jur.cap.12.num.6.*

Mihi autem videtur erronea doctrina Arcidiaconi, quem noluit sequi Ricciull. *de jur. person. lib. 1. cap.4.* nam propositum discedendi à fide, vel est simulatum, vel non; si simulatum, ergò illicitum, cum reducatur ad mendacium, de quo superiùs, & ad denegandum debitum Deo honorem: si non simulatum, ergò, qui ità proponit, quamvis in rigore non neget Fidem, juxtá Sanchez *ad præcept. lib.2. cap.8. n.22.* attamen ostendit infirmitatem suæ fidei, & dubietatem, quod minimè licet: Sanctarell. *de hæresi cap. 1. dub.3.*Fermosin. *ad rub.de sum.Trin. qu. 5.n.32.*Pueron. *in bullam Cœnæ,cap.1.sub num.88.vers. de tertiâ* quidquid afferat Eminentissimus de Lugo *de fide,disp.14. sect. 5.§.4.*

8 Amplia primò, quod nec licet hæresis externa factis manifestata, cum par, Immò major sit virtus factorum, quàm verborum, ut suprà diximus; quo fit, ut peccatum sit gravissimum in hac externâ fidei professione, Idolis thurificare, genua flectere, vel aliàs adorare, ut habetur in Sacrâ scripturâ apud Dan. *cap.3.* & notat Augustin. *relat. in Cap. Imperatores 11. quæst. 3.* vbi tres illi pueri statuam Nabucodonosoris adorare noluerunt, & habemus etiam *cap. Julianus in dict. quæst. 3. & dict. cap. Imperatores §. Julianus*, quòd Christiani Milites Imperatoris Idola, nec colere, neque Thus illis offerre voluerunt: Ricciull. *ibidem,num.13.* Immò hujusmodi externa fidei negatio nec licet per actum, nutus, vel motus digitorum:Card.de Lugo *de virt.fid. Div. disp.14.num.93.§.1.* eò quia sic amittitur, si non fidei habitus, ipsius tamen habitus, ipsius tamen habitus extensio, cui opponitur Idololatria exterior, & negatio fidei externa: Hurtad. *tract. 5. cap.5.Res.42.num.506.*

9 Amplia secundò, quod pariter fidem externè tantùm negare non est licitum ob timorem tormentorum: Card. de Lugo *ibidem sect. 2. num.31.* Scaccia *de Commerc.§.1. qu. 7. par.2.ampliat.19. num.67. vers. secundas species*, De Magistr.

gistr. *Sylu. Eccles. par. 2. lib. 2. tit. 3. c. 2. n. 25.* & clarè habemus, *ex lib. 2. Machabeor. c. 6.* ubi; quod Eleazar non solùm abstinuit carnibus porcinis, verùm etiam ne id simulare voluit, & hoc modo vitâ decessit, ut quoque advertit Merbes. *in summ. Christian. par. 1. 2. qu. 26.* Hecq; secunda ampliatio adeò vera est, ut contrarium damnatum sit & inter hęreticas propositiones Helcheseitarum sub Fabiano summo Pontifice, de quibus habetur penès Niceph. *hist. Eccles. lib. 5. cap. 24.*, ultrà relatos per Sarmient. *select. interpr. lib. 3. cap. 14. n. 16.* & per Martin. Alphons. *in Candelabr. aur. fol. 263. n. 83.* Aliamquè similem hęresim dicentium, sic abnegantes, non modò non peccare, sed remunerationem mereri, damnatam à Gregor. IX. refert Megal. *in suo promptuario Theol. to. 2. fol. 396. num. 23.*

10 Sed advertendum est, quod vel vis, seù metus est absolutus, adeòut voluntas nullo modo cooperetur, & tunc, ut superiùs innuimus, qui sic abnegat, nec est hæreticus, nec peccat: Del Bene *de offic. S. Inquisitionis, par. 1. dub. 171.* & antè ipsum, Farinac. *quæst. 183. num. 31.* vel ex vi, & metu oritur coactio non absoluta, sed conditionalis, & tunc graviter peccat abnegans, & tale fuit Apostoli Petri peccatum, qui mortis timore negavit, se esse discipulum: Ricciull. *de jur. person. lib. 1. cap. 4. num. 10.* De Magistr. *dict. cap. 2. num. 24. & 25.* Scaccia *dict. num. 67. vers. Secunda species, usquè ad fin. num. 1.* Nicol. *resol. Ciu. Canon. tom. 1. lib. 4. tit. 18. num. 4.* Guttier. *prax. crim. & Civ. quæst. 32. num. 63.* Ab hæresi tamen excusaretur, ut firmant prædictæ auctoritates, & dictum est suprà. Quod utiquè procedit in foro interno, nam in externo, quia Ecclesia de occultis non judicat, haberetur prò hæretico: Scacc. *dict. num. 67. vers. tempera hoc*, De Magistr. *dict. num. 25. vers. benè verùm, & seqq.* Nicol. *ubi suprà* Guttier. *dictâ quæst. 32. num. 64.* donec constaret de vi coactivâ, vel causativâ: Spada *cons. 44. n. 5. tom. 3.*, quia ex actibus hæreticalibus quis præsumitur hæreticus, donec contrarium probetur, cum facta declarent animum: Spada *d. cons. 44. n. 6.* Baldell. *de Fide, & infidelit. disp. 32.* Undè sic abnegans non evitaret hęresis suspicionem, vel levem, vel vehementem, juxtà personarum conditionem, & metus qualitatem: Farinac. *qu. 183. num. 29.* De Magistr. *dict. num. 25. benè verùm, & seqq.*

PRAELIMINARE XX.

De dictis, factis, aliisque hæresis suspicionem inducentibus.

SUMMARIUM.

1 *Præceptum profitendi fidem externis actibus est affirmativum: quando obliget.*

2 *Quænam sint circumstantiæ, in quibus obligat præceptum externis actibus fidem profitendi.*

3 *Hæresis manifestatio non solùm requirit signa sensibilia, sed hæc non debent esse æquivoca, vel per jocum.*

4 *Hæresis suspicionem inducunt, non tantùm, quæ sunt positiva, sed etiam, quæ sunt negativa.*

5 *Quæ hæresis suspicionem inducunt, vel sunt contrà Deum, vel contrà Ecclesiam.*

QVÆ hucusquè diximus, tàm de suspicione, quàm de hæresi sufficiant: nunc ad rem, de quâ tractandâ instituimus, propiùs accedentes, nonnulla præmittimus, ut eluceat, ex quibusnam dictis, factis, aliisque actibus externis oriatur hæresis suspicio; præmittimus ergò:

1 Præceptum dictis, vel factis, aliisque externis profitendi fidem esse affirmativum: Ricciull. *de jur. person. cap. 7.* & latè Antonius Escobar *in Theol. moral. tom. 6. lib 47. cap. 6.* & proindè obligare semper, sed, ut loquuntur Theologi, non prò semper, & consequenter, ut explicat S. Thomas 2. 2. *qu. 3. art. 3.* istud præceptum semper habere vim obligandi; non obligare tamen ad continuè exercendum actus illos, qui per ipsum imperantur, sed secundum debitas circumstantias: Abelly. *in Medullâ Theol. par. 1. de fide, tract. 1. sect. 5.* &

2 cum istæ debitæ circũstantiæ sint, quando fides exploretur auctoritate publicâ; quando ex professionis omissione oriatur Religionis despectus; & quando ex eâdem omissione nascatur aliorum magna

gna

gna offensio, sivè scandalum: Ricciull. Abelly. & Ant. Escobar locis, superiùs citatis; hinc infertur, quod ea, quæ ex se hæresim exprimunt, sint suspicionis hæresis inductiva: Sanctarell. *de hæresi cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. *vers. si quis*: quippè ipsis externa fides negatur, quod nunquam licet, quamvis corde ipsa retineatur.

3 Præmittimus quoque, ad hoc, ut manifestetur hæresis, non sufficere solùm, quod hoc fiat per signa sensibilia, ac intelligibilia: Ricciull. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 9. sed necessè esse etiam, quod concludenter ipsa, nec æquivocè, manifestetur: Ricciull. *ibid. num.* 5. Suarez. *disp.* 21. *sect.* 2. *nu.* 8. Bañez. 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *qu.* 4. & 5. & Merbes. *in summ. Christian. p.* 1. 2. *qu.* 56. *pag.* 169. *regul.* 1. undè manifestatio facta per Jocum, vel per modum narrationis, hujusmodi suspicionem minimè inducit: idcircò quæ sunt æquivoca, nonnisi quando concurrant circumstantiæ, quibus quis tenetur profiteri externè Fidem Catholicam, hæresis suspicionem inducunt, ut patet ex his, quæ dicit Ricciull. *de jur. person. lib.* 1. *cap.* 7.

4 Præmittendum est etiam, quæ hæresis suspicionem inducunt, non tantùm esse positiva, sed etiam negativa: Farinacc. *de hæresi, qu.* 182. *num.* 1. Hæc autem negativa reducuntur ad omissionem ejus, quod est faciendum, seù ad fidem profitendam; seù adversus hæreticos: Sanctarell. *cap* 11. *dub.* 1. *num.* 6. P. Del Bene *par.* 1. *dub.* 26. *num.* 24. *in corrolar.* seù in materiâ Sacramentorum, ut qui nollet suscipere Sacramentum: Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 25. Gabriell. à S. Vincentio *disput.* 192. *vers. nostra sententia*.

5 Tandem præmittendum est, omnia, quę hęresis in suspicionem inducunt, esse vel immediatè contrà Ecclesiam, ac illa esse blasphemias hæreticales; superstitiosa; ac Sacramentorum abusus: hæc verò esse, hæreticis favere, ipsos defendere; cùm ipsis conversari; eorumque libros legere, & hujusmodi, si quæ adsunt alia; sed de his singillatim.

FINIS PRAELIMINARIUM.

DE
SUSPECTIS DE HAERESI.

PRAE cæteris nequitiis, hoc peculiare sibi vindicat hæresis infandum crimen, ut ejus quoquè qualiscumque suspicio seriò perpendi à Sacris Tribunalibus mereatur. Et quidem rationabiliter, quandoquidem aliorum scelerum infausti Duces, & scandalosi propagatores non ità accuratè, & subdolè virus suum communicare pertentant, sicut hæterodoxorum nequissima capita hæresis contagium disseminare student: isti enim, quos perversæ doctrinæ mortifero inficiunt veneno, ad illud ipsum pariter loco, & tempore callidè occultandum instituunt, ut incautos posteà impunè seducant, & quò secretiùs animas pervertunt, eò successivè frequentiores lapsus aliarum enumerant animarum.

Ex Africâ à Vandalis devastatâ tempore S. Leonis Magni advolaverant in Urbem Manichæorum impiissimæ turbæ: ibiquè, ut tutè laterent, sub Catholicorum nomine sacramenta frequentabant; & interim insidiosè nefandissimæ sectæ virulenta dogmata fidelibus venditabant. Verùm Sanctissimus Pontifex hac solâ illos suspicione detexit, quod sumpto Pane, Eucharisticum respuebant poculum, tunc temporis à fidelibus laicis sumi consuetum. Idquè dissertis verbis testatur ipse *in Sermone quarto Quadragesimæ*: Manichæorum insidiosam praxim quis neget transiisse ad perfidam Hæreticorum progeniem?

Jure merito proindè S. Hieronymus *lib.* 1. *in Isaiam*, & Isidorus Pelusiota *lib.*1. *epistola* 169. Hæreticos, *Malos Cauponas*, appellarunt: propiùs ad rem nostram, *lues*, *& pestes fidei*, eosdem voçavit Vincent. Lirenensis *in Commonitorio*, sequutus Sanctum Cyprianum *de unitate Ecclesiæ*, & S. Augustinum *epistolâ* 56.

Porrò, cùm S.Bernardus *in psal. Qui habitat*, *venatores nequissimos*, Dæmones appellet, qui, inquit, cornu non sonant, nè audiantur; sed sagittant in occultis immaculatum, eruditus Ecclesiastes Henricus Engelgrave *in Cœlo empireo*, *par.*2. *concione de Sanctis Simone, & Juda*, aptissimè hæreticos *Stygii Venatoris Canes* esse, dixit: quot enim simplices, & imperitos per hæterodoxos in obscuro Equivocorum verborum; & factorum sagittant Demones? quod etiam insinuavit S. Irenus *lib.* 5. *cap.* 23. vocando Hæreticos, *Organa Diaboli*. Hac quoque ratione B. Pius V. *lib.* 5. *epist.* 14. dicit, hætorodoxos esse aranearum instar, apud simplices catholicos involucra sua construentes.

Quoniam igitur ipsi in impietate valdè progrediuntur, eorumque sermo passim serpit, ut cancer, idcircò Sacri Judices, nè nihil intentatum relinquant ad hos *filios tenebrarum*, *& malorum omnium gurgites* (sicut eosdem Hæreticos nominare solet Lucifer Calaritanus *libro primo prò S. Anastasio*) detegendos, ac prosternandos, vel ipsos de Hæresi suspectos sollicitè, seduloquè excutiant, atquè ad id assequendum pro viribus opportunam artem perdiscere, & practicare incessantèr non desistant. Huic ergò dignissimo studio in præsenti opere

insistere volentes, doctrinam circà *suspectos de Hæresi* prò viribus imbecillitatis nostræ sequenti elaboratâ Methodo tradere satagemus, omissis iis, quæ ad profusas pertinent disceptationes: sit ergò.

PARS PRIMA

DE IIS, QUI DE HAERESI SUSPECTI SUNT.

Omnia hujus primæ Partis Capita insumuntur in proponendis, & discutiendis illis criminibus, quæ Hæresis suspicionem involvunt, uti sunt Blasphemia; Superstitio, sub quâ veniunt Idololatria, Magia, Sortilegium, Vana observantia, Maleficium; Sacramentorum abusus &c. Huic ordini insistendo sit.

CAPUT I.

De Blasphemis.

SUMMARIUM.

1 *Omnes ferè Sacri Doctores cur tractare debeant de Blasphemis.*

2 *Præcipui recensentur Auctores, qui agunt de Blasphemis.*

3 *Allegantur jura Canonica, contra Blasphemos.*

4 *Blasphemia omni jure vetita, est delictum mixti fori.*

5 *An leges Principum Secularium valeant contra Blasphemos?*

6 *Blasphemiâ nullum scelus pejus, ex S. Joanne Chrysostomo.*

7 *Idipsum docent S. Augustinus, & alii Patres.* & num.8.

9 *Blasphemia pejor est perjurio, & quare?*

10 *Blasphemia in quo sensu sit pejor Homicidio?*

11 *Homicidium quo ad effectum est pejus Blasphemiâ.*

12 *Blasphemi à Deo miraculosè leprâ puniti.*

13 *Casus Blasphemi juvenis à Dæmone in frusta dissecti.*

14 *Blasphemorum Parens Diabolus est.*

15 *Jura humana severè in Blasphemos animadvertunt.*

16 *Pœnæ nonnullæ taxatæ à Bullis Summorum Pontificum in Blasphemos, non sunt in usu.*

17 *Etiam privatorum ultio potest Blasphemos coërcere, ex S. Joanne Chrysostomo, & Theodoreto.*

18 *Sanctus Nicolaus Episcopus Hæreticum blasphemantem colaphizat in publico Concilio Nicæno I.*

19 *S. Nicolaus à PP. punitur privatione Mitræ, sed ei à SS. Virgine Mariâ restituitur.*

20 *Sex designantur Sectiones examinandæ de Blasphemiâ, & Blasphemis.*

1 DE Blasphemis judicandis, debitisque pœnis plectendis abundè scripsere omnes ferè sacri Expositores Biblici, Sacrorum Canonum Interpretes, atque Sacræ Theologiæ, Moralis præcipuè, Doctores: sanè singulis piis Scriptoribus non est liberum præterire, quod communi calamo teritur, quando materia ipsa propter suam infandam indignitatem (uti est illa, de quâ scribimus) non satis dignè detestatur à cunctis.

2 Doctores verò, qui de Blasphemis scripserunt Canonistæ, & Theologi magno numero cum suis respectivè doctrinis in sequentibus Sectionibus referuntur, inter quos celebriores, quique recentiùs scripserunt, sunt:

Diana *tom.5. tract.8. resol.* 10. *& alibi*, Pignatel.*tom.*8. *consult.*143. Bordon. *de Sac. Trib. cap.* 26. & *in Man. consult. sect.* 45. *per totam*, Salell. *de mat. Trib. S. Offic. lib.* 4. *cap.* 5. Suarez. *tom.*1. *de Relig. lib.* 1. *de irregular. cap.* 4. usque *ad ultimum*, Thomas del Bene *de offic. S. Inquis. par.*2. *dubitat.*218. Lupus *in edictum S. Inqu. par.*4. *lib.*25. *art.*1. *& seqq.* Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.*31. Eligius Bassæus *Verbo Blasphemia*, Georg. Gobat. *experien. Theologic. Sacram. to.*2. *tract.* 11. *par.*3. *per tot.* Sactarell. *de hæresi tract.*3.

Plotus *in tractatu peculiari de Blasphemiâ* Cristof. Crusius *de indiciis delict. par.*2. *cap.*2. *& cap.*3.*ubi de indiciis Blasphemiæ.* Raynaldus *Syntax rerum Criminal. cap.*1. §.1. *ad* 7. *per tot.* Theophy. Raynaud· *in Miscellâ Sacrâ Hoplothecâ contrà ictum Calum. cap.*9. *& de virtut. & vitiis,lib.* 4. *sect.* 3. *cap.*2.*à num.*332. CardinalisAlbitius *de inconst.in fide,cap.* 31. & alii ferè innumeri .

3 Tractatur insuper de Blasphemis, eorumquè pœnis in Jure Canonico *cap.* 2. *de maledic.; & cap: si quis* 22. *qu.*1.Immò maximè in hac materiâ verificatur, quod leges seculares non dedignentur sacros Canones imitari , ac pœnas adversùs blasphemos statuere , de quâ re accuratissimè Canonicus Raynald. *dict. cap.*1. §.1. *ad* 7. *à num.* 58. *& num.* 65. *&* 66.

4 Hinc deducitur , quod cum Blasphemia sit omni jure prohibita , dicitur delictum mixti fori , & super illâ potest uterque Judex Ecclesiasticus , & secularis procedere: Romaguer. *ad Synodal. Gerunden.lib.*5.*tit.*5. Minan. *bas. Pontif. jurisd.tract.*2.*fund.*1.*qu.*6.§.4.*sect.* 10.*n.* 153.*in fine.*Mart.*de jurisd.par.* 2. *cap.*13. Barbos. *de offic.& potest.Episc. alleg.*51.*n.* 94.Bossius *tit.de Inquisit. n.* 132. Clarus §. *Blasphemia,vers. hoc crimen,*Decianus *tract. crimin. tom.*2. *lib.*6. *cap.*4. *num.* 1. Farinac. *quæst.*8.*n.*127.*vers quia crimen,* Raynald. *ubi suprà,*Tondut. *de prævent. par.*2.*cap.*27. *num.*12.*& cap.* 28.*num.* 6. Caren. *de officio S. Inquisit. part.* 2. *tit.*7. §.3. *&* 18. Gobb. *consult. decisiv.* 28. *num.*2.*&* 3. Conciol. *resol.crimin. verbo Blasphemia,resol.*2.*num.* 1. Sperell. *decis. forens. Eccles. tom.* 2. *decis.* 134. *num.* 9. Basilic. *decis. crim.*21.

5 Quæres incidenter,an valeant statuta, & leges Principum secularium circà Blasphemias hæreticales , & hujusmodi delicta Ecclesiastica ? Affirmativæ parti adhæret Sabell.*in summ.verbo Blasphem. sub n.*6.eo fundamento , quod Principes tunc seculares fulminant leges adversùs delinquentes in obsequium fidei , famulando , ac coadiuvando Sacros Canones ; Sed parti negativæ censerem subscribendum esse , per ea , quæ dicit Raynald. *dict.cap.*1. *num.*61.& sufficienter in casibus occurrentibus Ecclesiæ Tribunalia provident ; ex aliâ parte difficulter à Laicis Judicibus servatur moderamen,ne extrà metas proprij fori egrediantur : Undè generalitèr statuendum,quod, quòtiescumque est quæstio de fide contrà laicos , cognitio pertinet ad judicem Ecclesiasticum : Auferri *de potest. Eccles. super laicis, & rebus eorum, num.* 38. Francisc. de Roye *in juris canon. Institut. lib.*3. *tit.* 8. *versic. Quædam ergo* . Non desunt tamen,qui existiment posse Principes seculares statuere , & pęnas augere contrà hæreticos , & contrà hæreticaliter blasphemantes , ut videre est apud Raynal. *loco cit. à num.*71. ubi quæstionem hanc latè versat .

6 Sed quid mirùm , quod tùm Ecclesiasticæ , tùm laicalis Hierarchiæ Principes, ac utriusque fori jura in Blasphemos unanimiter conspirent ? quia scilicet verticem omnis impietatis occupat illa : sicuti enim,ut discurrit . S.Jo: Chrysostomus *homil.*1.*ad Populum* , divinæ laudationi , & glorificationi nullum est par bonum ; ità blasphemiâ nihil est pejus : quid enim indignius , quàm Deo conviciari , quod facit, qui blasphemat ?

7 Atrocitas basphemiæ ex ejus notione evidens est,&,ut S.August.argumentatur *lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 9. *in fine* , cum probrum jacitur in Principem patriæ bonum,atque utilem , nonnè tantò est indignius, & à vitâ illius remotius ? Quę igitur supplicia sufficiunt,cum Deo fit ista tàm nefaria , tàm horrenda injuria ? quod ponderans idem August. scribens in illud Matthęi, *blasphemavit,* ait : *Non minùs peccant* , *qui blaspemant Christum regnantem in Cœlis* ; *quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris* .

8 Blasphemiâ(inquit S.Hierny. *in c.*18. *Esaiæ*) nihil horribilius,& omne peccatum comparatum blasphemiæ levius est. Blasphemiâ nihil pejus, exclamat Sanct. Chrysost. *in psal.*95. Meritoquè Philo , *lib.*3.*de Vitâ Moysis,*eòusque pertingit , ut nihil sibi reliquum ad malignitatis consumationem facere dicat Blasphemia . Et expendens tanti sceleris virus, miratur,quomodò ad tam nefariam vocem aliquandò prolatam , lingua loquentis non sit tacta paralypsi ; & aures audientis non sint obstructæ .

9 Ex his inferendum est , perjurio pejorem esse Blasphemiam , quia per

per Blasphemiam immediatè, & directè contemnitur honor Dei, radix omnium perfectionum, quibus opponitur Blasphemia, ex D. Augustino *lib contrà mendacium Cap.* 19. dicente: Ideò pejus est blasphemare, quàm pejerare, quia pejerando, falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemando autem, de ipso falsa dicuntur Deo; perjurium ergò in uno tantùm Deum lædit, scilicet in veritate, vocando ipsum in testem falsi: at verò Blasphemia Deum lædit in omnibus ejus perfectionibus, dum per eam removeri possunt à Deo omnes perfectiones.

10 Imò Blasphemiam esse graviorem homicidio, firmat Sanctus Thom. 2.2. *qu.*13 *art.*3 *ad.*1. Si Blasphemia, & homicidium considerentur in ordine ad objecta, in quæ peccatur: Blasphemia enim honori Dei detrahit; homicidium Vitam homini aufert: Vitâ hominis major est honor Dei: Farinac. *quæst.*5. *nu.* 6. Mar. Antonin. *Variar. resol. lib.*3 *Resolut.* 11. *num.* 2. In quâ consideratione graviora sunt delicta contrà primam tabulam, quàm contrà secundam, ut observat Decianus *lib.*6 *cap.*3. *num.*11.

11 Si autem considerentur Blasphemia, & homicidium secundùm effectum nocendi, homicidium prȩponderat: Plus enim homicidiū nocet proximo, quàm infamia Deo, ut inquit idem Angelicus Doctor; quia tamen pro gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perversæ, quàm effectus operis, ideò cum Blasphemus intendat (directè, vel indirectè) nocumentum inferre honori divino, simpliciter loquendo, grauiùs peccare noscitur, quàm homicida.

12 Meritissimè ergò frequenter habemus, Blasphemos à Deo fuisse punitos, idquè non minùs exemplariter, quàm horribiliter: Scribit Petrus Damiani *Opusc.*36. *cap.*23. Blasphemos lepram sibi, & posteris asciviſse, quam Historiam latè extendit Vincent. Belvacensis *in speculo lib.*25. *cap.*64. referens, Gallum assatum ad voces Blasphemorum prosiliisse, & alis collisis, jusculum in ora discumbentium effudisse; indequè Blasphemos leprâ statim hæreditariâ punitos fuisse.

13 Horribilius factum narrat Theophyl. Raynau. *in Prato spirituali, narratione* 78. apud Georg. Gobat. *to.*2. *Experient. Theologic. Sacramental. Tract.* 10. *casu* 21. *nu.*782. de Iuvene blasphemo, quem Dæmon arreptum è lecto nocte intempestâ, medium dormientem inter alios duos, videntibus, ac horrescentibus his, in frusta discidit, eaquè Molossis duobus voranda projecit: Quo ferali officio perfunctus Satan, Gigantis specie, justum Dei judicium in impium contestatus, nec sibi in cœteros quidquàm licere professus, disparuit.

14 Sed, ut sciant Blasphemi, quȩ, & quanta hæreditas illis maneat, agnoscant, se ex patre Diabolo esse: Siquidem Julius Prognoli *in Alexicacon, par.* 1. *disp.* 2. *num.* 132. post Rupertum Abbatem *lib.* 3. *de Trinit.* observat, Diabolum fuisse primum Blasphematorem, quandò tentavit Evam: Tunc enim dupliciter blasphemauit, primò significando, quod Deus falsò dixerit, eos morituros quocumquè die comederint de ligno scientiæ boni, & mali: Sicquè tentavit Evam, ut judicaret, Deum summam Veritatem falsum dixisse: Secundò, significando, quod Deus, qui est summè bonus, ex invidiâ interdixerit ipsi, & Adamo esum ejusdem ligni: Utrumquè credere, & dicere non potuit Diabolus absquè nefandâ Blasphemiâ.

15 Interim in hac vitâ jus humanum exquisitis pænis punit Blasphemos, ut videre est apud Covarr. *in cap. quamvis pactum, par.* 1. §. 7. *à num.* 10. Borellum *lib.*3. *de magistrat. cap.*2. & Simancham *in Cathol. Instit. tit.*10. ubi de pænis jure pontificio inflictis in Blasphemos: In specie adest Constitutio Leonis X. sivè Bulla incipien. *Supernæ dispositionis* 7. §. 33. edita in Concil. Lateran. Item Pii V. *incipien. Cum primùm.* 5. Itē Julii III. *incipien. In multis,* 23. licet afficiat tantùm existentes in Urbe, ut indicant tùm Rubrica Cherubini, tùm proemium ipsiusmet Pontificis, à quibus, ex vulgaris juribus, finis, limitesquè legis desumendi sunt, de quibus constitutionibus Passerin. *in cap. Ut Inquisitionis, num.*235. *de Hæretic. in* 6. Campanill. *divers. jur. can. rubr.*11. *cap.*26. Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.*1. *cap.* 14. *à nu.* 1.

usque ad 8. Borell. *de magistr. ubi suprà, num.*20.*& seqq.* Bellet. *disq. clerical. par.* 2. *de pœn. Clericor.* §. 1. *à num.* 9. *usque ad* 14. Antonell. *de Regim. Eccles. lib.* 6. *cap.* 24. *n.* 2.

16 Cum autem in dictis Constitutionibus multæ taxentur pęnę in impios Blasphemos, nonnullæ tantùm sunt in usu, nempè perstare ad fores Ecclesiæ cum Candelâ in manu; fustigatio; carceratio; ad Triremes condemnatio: aliæ verò non sunt ampliùs in usu, uti sunt perforatio linguę; exilium, &c. nonnisi rarissimè; pęna pecuniaria, quæ ablata est ab inferioribus Judicibus per supremos: Bordonus *in Manuali Consultor. sect.* 45. *num.* 192. Antonell. *de regim. Eccles. dict. lib.* 6. *cap.* 24. *sub num.* 2. ubi, quod plerique tenent, pęnas contrà Blasphemos esse nunc arbitrarias; Passerin. *in dict. cap. Ut Inquisitionis, nu.* 235. *de Hæretic. in* 6. Mar. Italia *lib.* 1. *de Immun. cap.* 5. §. 6. *n.* 85., Menoch. *casu* 375. *num.* 26. Farinac. *quæst.* 20. *num.* 66. cum aliis Salelles *Reg.* 409. *n.* 304. Sess. *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 479. *n.* 3. *& seqq.*

17 Quinimò S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 1. *ad Populum*, non modò publicæ potestati, sed cuivis privato aliquam Blasphemiæ punitionem committit: Ait enim Sanctus Doctor, si quempiàm in bivio, & foro blasphemantem audieris, accede, increpa; & si verbera infligere oportet, ne recuses; ipsius faciem alapâ percute; contere os ipsius; percussione manum tuam sanctifica. Si enim Regem terræ blasphemantem punire oportet, quantò magis contumeliâ afficientem Regem Gloriæ? Hæc, & alia os illud aureum: Similia quoquè protulit Theodoretus *orat.* 1. *de providentiâ*, quæ exscribit Theophil. Raynaud. *de Virtutibus, & Vitiis, lib.* 4. *sect.* 3. *cap.* 2. *num.* 333.

18 Antè S. Joannem Chrysostomum, & Theodoretum, S. Nicolaus Episcopus Myrensis eamdem regulam facto suo docuisse videtur, prout narrat S. Methodius *in ejus Vitâ*. Cum enim S. Episcopus adesset Concilio Nicęno primo, audiens quemdam Hæreticum blasphemantem, validam ei in publicâ synodo impegit alapam: Verùm Patres Concilii irati in notoriâ illâ, atquè acri animadversione communem Sacri Consessus injuriam, Nicolaum ipsum Pontificiâ mitrâ ad tempus privarunt: Sed

19 nocte sequenti Maria Virgo, ut ostenderet, sibi non displicuisse Nicolai facinus, eidem mitram restituit. Cujus rei non leve desumitur documentum ex sequentibus versibus, quatenùs antiquitatis præseferunt simplicitatem:

Ob Colaphum Hæretico impactum, decora alta Tiara,
Demta tibi à Patribus, calica Virgo dedit.

20 Ut autem tantæ enormitatis crimen, & meritas prò eo pœnas agnoscamus, necnon (quod maximè ad nostrum respicit institutum) ut in blasphemiâ detegatur Hæresis suspicio, per sectiones sequentes sedulò examinabimus,

Quid sit Blasphemia?
Quotuplex sit Blasphemia?
Quæ sint Blasphemiæ Hæreticales absolutæ, & quæ conditionales?
De proferentibus Blasphemias Hæreticales;
De Blasphemis consuetudinariis, & qui tales dicantur?
An aliquandò Blasphemi evitent hæresis suspicionem?

SECTIO I.

Quid sit Blasphemia.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia Blasphemiæ ex Græcâ dictione, est detractio.*
2 *Aptiùs, & pressiùs Blasphemia significat Maledictionem.*
3 *Hac significatione blasphemare dicuntur, qui nedùm Deo, sed etiam creaturis maledicunt.*
4 *Blasphemare propriè, est Convicium in Deum proferre; vel malum dicere de Deo, Sanctis, dequè rebus Sacris.*
5 *Loca scripturæ afferuntur ad probandum, dari Blasphemiam in Deum, Sanctos, & res Sacras.*
6 *Explicatur, quomodò blasphemia sit contumelia in Deum.*
7 *An in omni Blasphemiâ reperiatur falsitas? Auctores pro parte affirmativâ.*
8 *Negativa pars rationibus suadetur.*
9 *Triplex modus blasphemandi, scilicet* enun-

enuntiativè, imperativè, & optativè.

10 Reiicitur ratio à Bordono adducta ad probandum, in omni Blasphemiâ reperiri falsitatem, & num. 11.

12 Proponitur, & reiicitur argumentum P. Del Bene ad idem:

13 In Blaspemiâ reperitur perversa voluntas in Deum, & quomodo:

14 Enumerantur causæ, ex quibus potest provenire voluntas auersa à Deo.

15 Duplex est Blasphemia, alia formata; alia Informis: & utraque habet rationem veræ Blasphemiæ.

16 Ex defectu plenæ libertatis, & deliberationis potest Blasphemia vocari informis; adeoquè excusari à culpâ mortali.

17 Qualis debeat esse defectus plenæ deliberationis, ad hoc ut excusetur Blasphemus, etiam consuetudinarius?

18 Consuetudinarium non excusari ex inadvertentiâ à peccato Blasphemiæ, tenent aliqui auctores; sed contrarium firmatur, & num. 19.

20 Contradictio in doctrinâ Thomæ Del Bene; quæ tamen conciliatur. n. 21. & 22.

23 Sępè ex habitu provenit, ut quis citius, & advertenter deliberet; quàm si habitum non haberet.

24 Maledictio, quæ in Creaturas quatuor modis fulminatur, tunc tantùm est Blasphemia, quando in Deum directè refertur.

25 Explicatur primus modus maledicendi Creaturas, qui est ad animi molestiam significandam.

26 Maledictiones parentum in filios, & Dominorum in servos, an, & quatenùs à culpâ lethali excusentur?

27 Maledictio subditi in superiorem semper peccaminosa est, rationee scilicet irreverentiæ.

28 Ideò puniendum esse Principi maledicentem, omnia jura clamant.

29 Explicatur secundus modus maledicendi creaturas, quatenus ad Dominium, vel usum alicujus pertinent.

30 Explicatur tertius modus maledicendi creaturas, quatenus irrationales spectantur.

31 Quartus modus maledicendi Creaturas est, quatenus sunt Creaturæ Dei: & hoc est verè peccatum Blasphemiæ.

32 Maledictio in Sanctos, & res Sacras semper est peccatum Blasphemiæ, propter habitudinem, quam habent ad Deum.

33 Sancti ratione status sunt incapaces maledictionis, prout sunt incapaces imperfectionis.

34 Matthiæ Berlinchii liber fuit proscriptus, quia in eo docuit, maledictiones in sanctos non esse Blasphemias.

35 Blasphemia non est conviciari Sanctum secundum statum mortalem, in quo fuit:

36 Proferre aliquod indecens in Sanctum cum respectu ad ejus vitam mortalem, est peccatum tantùm veniale: Exempla:

37 Erit tamen peccatum mortale si proferetur de Sancto aliquod grave probrosum in ejus vitâ mortali.

38 Blasphemia est conviciari Beatos nondum Canonizatos propter habitudinem, quam & ipsi habent ad Deum.

39 Blasphemia est pariter convicium in illum, qui nondùm est beatificatus; immò in illum, qui adhuc est mortalis, quia illud in Dei contumeliam redundat.

40 Blasphemiæ contrà Deum non distinguuntur specie à Blasphemiis contrà Sanctos: adeòque in Confessione non tenetur pœnitens explicare obiectum Blasphemiæ.

41 Contrarium sustinent alii probabiliter.

42 Media sententia tenenda, scilicet distingui, si concurrat circumstantia odij Dei &c.

43 Maledictio, & contumelia in res sacras est Blasphemia.

44 Blasphemia consistit in Verbis sivè ore, sivè Calamo proferatur.

45 Facta contumeliosa in Deum, & Sanctos, ut Imaginum conculcatio &c. reducuntur ad Blasphemiam.

46 Facta tamen illa non sunt verè, & propriè Blasphemia; sed impropriè.

47 Facta illa sunt actiones sacrilegæ, immò, & hæreticales, inducentes hæresis suspicionem, & n. 48.

49 Blasphemantes factis sunt vehementer suspecti de Hæresi; adeòquè denunciandi.

50 Im-

50 *Immò magis illi suspecti, quàm blasphemantes Verbis.*
51 *Impietas in Sacras Imagines arguit, sacrilegos esse suspectos de Hæresi Iconomachorum.*
52 *Isti tales sunt inexcusabiles, quia est error in intellectu cum præsumptione perversæ voluntatis.*
53 *Dari possunt facta, quibus contineatur propriè Blasphemia.*
54 *Blasphemia in factis non est delictum mixti fori; sed pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, n.55.*

1 BLASPHEMIAE varias tradunt Doctores definitiones relatas à LucàFlorono *De Casibus reservatis*, & ab aliis, quæ idem importare videntur. Ut autem clariùs procedatur, incipiendo à nominis etymologiâ, Blasphemia est vox derivans à Verbo Græco, significante calumniam, obtrectationem, & Sermonem, quo aliena fama læditur, vt observant Ioseph Langius, *in Polyanthea Verbo Blasphemia*, & Dominicus Macrus in *Hierolexico eodem verbo*; quo etiã sensu Blasphemiæ nomen accipitur apud *Matth.15.vers.19.* Verùm pressius
2 loquendo, spectatâ adhuc vi nominis, Blasphemia, secundùm communem DD. sensum, nihil aliud notat, quàm maledictionem: Ità Del Bene *de offic.S.Inqu. par.2.dubit.* 218. *Sett:*1. *num.*1. & antè eum D.Thomas 2. 2. *quæst:*13 *art:* 1: & ejus commentator Franciscus Sylvius *in 22.quæst.13. ante art.*1. Ricciull. *de person, qui in stat.reprob. vers.lib.*1.*cap.*1. *per tot.* Solorzan. *de jur. Indiar. tom.*1. *lib.*2.*cap.*14.*num.*111. Campanil. *diversor.jur.can.rubr.*11.*cap.*26.*num.*66. Vela *post dissert. jur. tom.* 2. *de Episcop. par.* 1. *num.*92. Petr Ant. Lazar. *de blasphem. qu.* 1.*num.*3. Graff. *decis.aur. par.*1. *lib.*2.*cap.* 19.*num.*1.*&* 2.
3 Itaquè stante hac acceptione nominis blasphemiæ, blasphemi quodammodò dicuntur, non tantùm qui Deo, sed etiam qui hominibus, seù Creaturis maledicunt; undè Apostolus 3. *ad Titum admone illos, neminẽ blasphemare*: & hoc *cap.*sensu utiquè blasphemantes nuncupandi sunt, Principi maledicentes, juxtà illud *Exodi* 22. ubi dicitur: *Diis non detrahes, & Principi Populi tui nè maledices* Paraphrasis Chaldea legit: *Judices non vilipendes, & Principi in Populo tuo non maledices, vel execraberis, seù blasphemabis.*

4 Propriè verò blasphemare est convicium proferre in Deum, seù malum dicere de Deo, de Sanctis, dequè rebus Sacris per modum contumeliæ: Passerin. *in cap. ut Inquisit. num.* 185. *de hæret. in* 6. Lucas de Peña *in leg. omnes judices, num.*7. *Cod. de delatribus.* Vela *dissert. d. part.*1. *de Episcop. num.* 92. Avendan. *de exequt. mandat. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. Caball. *resol. crim. cas.* 295. *num.* 4. *&* 23. Sess. *decis.* 470. *num.*5. 6. *&* 12. *vol.* 4. Bellet. *disquis. Clericor. d. par.*2. *de pœn. Clericor.* §.1. *num.* 3. Antinell. *de regim. Eccles. lib. 6. cap.* 24. *sub num.* 1.

Dicitur primò, quod blasphemare est malum propriè dicere de Deo; quod explicat D.August. *lib.*2. *de moribus Manicheorum. c.* 10. his verbis: *Est autem blasphemia, quum aliqua mala dicuntur de bonis: itaque jam vulgò Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere; de hominibus namque dubitari potest: Deus verò sinè controversiâ bonus est.* Adeòquè hæc definitio in ratione generis accipitur à Sancto Augustino, quem in his terminis citant Franciscus Sylvius *suprà* laudatus, Duall. *in* 2. 2. *D.Thomæ, de peccatis fidei oppositis, qu.*9. *art.*1. *tom.*2. *litt. D. col.* 1. & Merbes *in Summ. christian. par.* 1. 2. *quæst.*40. *pag.* 135. *col.*2.
5 Dicitur secundò, contrà Deum, Sanctos, & res sacras: nam per Blasphemiam illa tria maledicuntur, & injuriâ afficiuntur, ut ex sacrâ Scripturâ colligitur: De Deo, certum est ex Levitico *cap.*24. *v.* 15. *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*: de Sanctis, habetur *in Act.*6. *vers.*11. *Tunc submiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba Blasphemiæ in Moysen, & in Deum*; de rebus sacris, legitur apud Isaiam *c.*5. *v.* 24. *Abjecerunt legem Domini exercitũm, & eloquium Sancti Israel blasphemaverunt.* Idipsum legitur *in apocalypsi, cap.*13. *num.*6.
6 Dicitur tertiò, per modum contumeliæ: Contumelia est injuria verbis facta alicui, & arguit contemptum, nam contumelia à contemnendo dicitur per

per Blasphemiam ergò injuriatur, inhonoratur, contemnitur, & calumniatur Deus cum suis Sanctis, & rebus sacris. Quod verum est, sivè Blasphemator habeat formalem intentionem injuriand.; sivè non: verba enim de se talem significant, & inferunt injuriam: Ità Castropal. *tract.* 17. *disp.* 2. *p.* 2. *num.* 3. Ricciull. *de person. qui in stat. reprob.* versant. *lib.* 1. *cap.* 1. *à n.* 3. *usque ad fin.* Passerin. *in cap. ut Inquisitionis* 18. *num.* 188. *de hæretic. in* 6.

7 An verò in omni blasphemiâ reperiatur falsitas, est quæstio: affirmativam partem tuentur Cajetanus 2. 2. *qu.* 13. *art.* 1. §. *quoad secundum*, & §. *ex his autem*, Petrus Ledesma *in summâ*, *to.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 8. *n.* 2. Fagundez *in præcept. præcepto Decal.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 23. Dicastill. *de juramento disput.* 1. *dub.* 9. *num.* 166. Anton. Escobar. *in Theol. moral. vol.* 4. *lib.* 28. *cap.* 21. *nu.* 191. Duall. *loc. cit. litt. D. col.* 2. Del Bene *laudatâ dubit.* 218. *sect.* 3. *sub num.* 32. Bordon. *de sacro Tribunali, c.* 26. *num.* 1. & *in Manuali Consultor. sect.* 45. *de Blasphemiâ num.* 8. & *seqq.*

8 Sed pace tantorum Virorum, tenenda est pars negativa, quam sustinent Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, nu.* 187. *de Hæretic. in* 6. Suarez *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. Turrian. 2. 2. *disput.* 58. *dub.* 1. *vers. verum est.* Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 1. & 2. Eandemque persuadet ratio efficacissima; nam quemadmodum convicium non exigit, ut de necessitate includat falsitatem, quia juxtà Quintilianum, Nos homines quandoquè meremur convicia; ità quoquè non est de essentiâ blasphemiæ, ut semper contineat aliquid falsi, ut docet expresse laudatus Suarez: Ad majorem hujus rationis

9 firmitatem, notandum, triplicem esse modum blasphemandi, enunciativè, per modum scilicet indicativum, ut dicendo: Deus est injustus; imperativè, deprecando malum Deo, seù Sanctis ejus, ut si dicatur: maledictus sit Deus: evadat Meretrix Virgo: cadat è Paradiso S. Petrus. Optativè, sine imperio, ut si proferatur: utinam Deus fiat cæcus: S. Petrus utinam cadat in infernum. Estò in enunciativis appareat falsitas, non tamen in imprecativis; nec in optativis, quià malum in his desideratur, ubi non est; nec affirmatur, quod sit; ergò nulla falsitas, ut rectè ponderant Sanctarell. *de blasphemiâ cap.* 1. *dubio* 4. Castropal. *par.* 3. *tract.* 17. *disput.* 2. *par.* 2. *num.* 2. & Lup. *in edict. S. Inquisit. par.* 4. *lib.* 25. *art.* 1. *diffic.* 1. *vers. dices.*

10 Nec relevat motivum Bordon. *in Trib. d. cap.* 26. *n.* 7. quodque putat insolubile *ibid. nu.* 9. & repetit *in Manuali consult. sect. laudatâ* 45. nimirum, quod, quamvis in imprecativis, & optativis Blasphemiis non appareat falsitas, quia malum imprecatum, & optatum reverà non est in subjecto, verba tamen blasphemantis arguunt illum, contrà quem proferuntur, esse capacem talis mali, quamvis reverà sit incapax: Non officit, inquam;

11 Licet enim blasphemus Deum contemptibilem, & mali capacem hoc modo confiteatur, id tamen verè, & formaliter non confitetur, ut subjungit Santarellus, de quo suprà *dub.* 5. *num.* 10. *in fine*; Hoc autem requiritur ad rationem Blasphemiæ, de quâ loquimur, ut scilicet hæresis suspicionem importet, secundum hanc præcisam rationem falsitatis.

12 Multò minùs officit distinctio, quam affert P. Del Bene *in laudatâ dubitat.* 218. *sub numer.* 32. scilicet, in dictis blasphemiis reperiri falsitatem, non enunciativè; sed effectivè: Tunc enim propriè non dicitur adesse falsitas, ut ipse Del Bene *ibidem* fatetur; & ratio est, quoniam voluntas, quæ fertur in impossibile, licet ejus objectum sit falsum, non est tamen ipsa voluntas falsa: undè, qui Deo malum imprecatur, licèt imprecetur id, quod est impossibile: tamen hoc reverà optat; ideoquè propositio, quâ talis voluntas exprimitur, nullo modo potest esse falsa: Est tamen Blasphema, quia Deo irrogat contumeliam; quævis enim contumelia in Deum Blasphemia est, juxtà difinitionem à nobis superiùs explicatam.

13 Infertur primò ex allata definitione, quod cum in convicio requiratur voluntas aversa ei, in quem profertur, ideò in Blasphemiâ requiritur perversa voluntas in Deum, aliàs non esset perfecta, quemadmodum considerant Bañes

2. 2.

2. 2. *qu.* 13. *art.* 1. *notab.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 32. *num.* 2. Avendan. *de esequ. mandat. par.* 2. *cap.* 5. *nu.* 11. *& seqq.* Duall. *ubi suprà litt. D. col.* 2. ubi addit, per id distingui Blasphemiam ab Hæresi, quod illa profert falsum cum odio, & detestatione Dei; hæc autem profert falsum, sed sinè tali odio, vel detestatione.

14 Porrò hæc aversa voluntas oriri potest ex pluribus causis, ut ex infidelitate, ex desperatione, ex odio ergà Deum, juxtà P. Del Bene *citata sect.* 1. *à nu.* 23. item ex irâ, rixâ, tædio &c. prout videre est apud eundem Del Bene *ibidem sect.* 2. *num.* 5. & Dicastill. *de Juram. disp.* 1. *dub.* 9. *num.* 209. ubi addit, necessariò esse explicandum in confessione, an ex odio, vel ex irâ, aut tædio Blasphemia processerit: idcircò non dicitur semper directa ad Deum inhonorandum; sed etiam indirecta, sivè virtualis. Si enim ex irâ provenit, deest ipsi ratio extrinseca odii contrà Deum, & ob id dicitur indirecta ad Deum inhonorandum, ut benè ponderat P. Del Bene *d. sect.* 1. *num.* 36.

15 Hinc datur Blasphemia, quæ vocatur informis; & Blasphemia, quæ formata appellatur, illa scilicet cum indirectâ; hæc cum directâ intentione contrà Deum: ità Bañes *in* 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *notab.* 4. Ledesma *in summâ, to.* 2. *tract.* 2. *cap.* 9. *concl.* 4. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 32. *num.* 2. utraque autem habet veram rationem Blasphemiæ, licèt prior non sit adeò gravis, quam posterior, ut docent Sanchez *ibidem*: & Cajetanus *in summâ verbo Blasphemia*.

16 Potest etiam voluntas in Blasphemo non habere totalem libertatem; & hac quoquè ratione distinguitur Blasphemia informis à formatâ penès Lupum *in edict. S. Inquisit. par.* 4. *lib.* 25. *art.* 1. *difficult.* 2. immò contigere potest, ut quis blasphemans propter plenę deliberationis defectum minimè læthalem culpam incurrat, juxtà ea, quæ tradunt S. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 2. *ad* 3. Cajetanus *in summâ verbo Blasphemia*, Duall. *loco citato, art.* 2. *à lit. A. colum.* 2. & alii, quos congerit, & sequitur Del Bene *eâdem dubit.* 218. *sect.* 17. *num.* 1.

17 Oportet autem, quod deliberationis defectus ad hunc effectum talis sit, ut blasphemans si advertisset, non ità dixisset, juxtà Cajet. & Duall. *ibidem*: Quo casu à mortali culpâ Blasphemus etiamsi consuetudinarius sit, excusatur à Navarro *in Summ. cap.* 12. & à laudato Duall. *ubi suprà*.

18 Verùm contrarium tenet Ludovicus Lopez 1. *parte instruct. cap.* 282. *vers.* 8. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 7. & Emanuel Sà *verbo Blasphemia, num.* 3. eâ ratione ducti, quia tunc Blasphemia, licet non sit plenè volita in se, est tamen plenè volita in causâ: de hac re consule Dianam *tom.* 8. *tract.* 4. *resolut.* 65. *& seqq.*

19 Interim puto, non esse recedendum ab opinione Navarr. cui meritò adstipulatur Del Bene *d. dubit.* 218. *sect.* 1. *num.* 15. nam Blasphemia internè perficitur. Id quod etiam advertit Suarez *de relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. *& seq.* adeò ut ipsa verba, quibus continetur Blasphemia, sint quid accidentale.

20 Sed P. Del Bene hìc videtur sibi contradicere, nam ipsemet *in eâdem dubit. sect.* 3. *num.* 18. 19. *&* 29. monet, infidelitatem per hoc distingui à Blasphemiâ, quod illa, nisi in falso mentis assensu; hæc verò, nisi in verbis consistat, quod latè discutit Duall. *loco cit. art.* 3. Blasphemia ergò non perficitur internè, si à loquelâ suam recipit perfectionem.

21 Conciliatur tamen idem Del Bene per ea, quæ dicit *ibidem, sect.* 3 *num.* 25. scilicet ad essentiam Blasphemiæ requiri loquelam, sivè internam, sivè externam: harumque quamlibet sufficere, & ob id dari Blasphemiam oris, & blasphemiam cordis. Quod etiam agnoverunt Merbes. *in Summ. Christian. part.* 1. 2. *quæst.* 40. *pag.* 136. Franciscus Sylvius *loco citato*, Duall. *ubi supra, art.* 1. *col.* 2. *litt. B.* Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, num.* 191. *de hæretic. in* 6. Borell. *de magistr. edict. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 14. *&* 15. Ricciull. *de person. qui in stat: reprob. versant. libr.* 1. *cap.* 8. *&* 9. Graff. *decis. aur. part.* 1. *cap.* 19. *num.* 4. *lib.* 2. Ideòque, cum ad eliciendum actum internum, per quem incurritur læthalis culpa, requiratur voluntas, eadem voluntas necessaria est, ut Blasphemia proferatur cum peccato.

22 Hanc sententiam sequutus est etiam Vasquez 2. 2. *disp.* 127. *cap.* 3. *&* *disp.* 73. *numer.* 49., *&* *disput.* 94. *cap.* 3. cum Lessio, Dicastillo, & aliis. Ratio à priori est, quia ad conceptum peccati propriè dicti spectat libertas actualis, ut rectè notant citati cum Cardinali de Lugo *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 16. *sect.* 9. at quia in Blasphemo, de quo loquimur, non est actualis libertas; ideò ejus Blasphemia nequit dici propriè peccatum. Non est autem ità dicendum de illis actibus, qui externo opere perficiuntur, proùt ponderat idem P. Del Bene, *ubi suprà*.

23 Cœterum, ne tradita doctrina, quæ in infinitis materijs habet locum, nimium videatur patrocinari hominibus bibentibus iniquitatem, veluti aquam, notandum est ex Scoto *in* 3. *dist.* 39. *n.* 1. quem refert Suarez *Tomo* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Juramento*, *cap.* 8. *num.* 10. sæpè ex consuetudine, & habitu provenire, ut homo citiùs deliberet, quàm si habitum non haberet; & quidem cum deliberatione, nam qui est assuetus eliciendis actibus amoris Dei, audito Dei nomine, statim in ejus amorem prorumpit, non quià indeliberatè operetur; sed quia citò deliberat, ut inquit Suarez, indè inferens, non esse certam illam regulam, quæ assignari solet, quod jurantes (idem dicendum de Blasphemantibus) ex consuetudine, cęteris paribus, frequentiùs jurent sinè advertentiâ, quàm alii, qui non habent consuetudinem; sed distinguendas esse personas.

24 Infertur secundò, non omnem maledictionem, quæ fit adversùs Creaturas, esse blasphemiam, nisi referatur directè in Deum; ad quod enucleandum, animadvertendum est, quatuor modis maledici Creaturis, juxtà S. Th. 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. licet tribus tantummodò dicat Fagundez *in præcept. decal. præc.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 22. (Vide etiam Anton. Escobar. *in Theol. morali*, *vol.* 4. *lib.* 28. *cap.* 32. *Probl.* 160.)

25 Primo modo maledicitur Creaturis, ad significandam animi molestiam: sic Jeremias maledixit horam, in quâ natus, & illum, qui ejus nativitatem Patri nunciavit, nec blasphemavit; David, Montibus Gelboe, in quibus Saul occisus est, nec ullam blàsphemiam dicitur protulisse: Quìn nec peccarunt, nam potiùs ipsi malo, quàm Creaturæ maledixerunt, ut rectè monet Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13., ac hujusmodi maledictiones non fuerunt optantis, sed declarantis internum dolorem, quo ipsi afficiebantur, quemadmodum testantur Hieronymus *super cap.* 20. *Ieremiæ*, Carthusianus, Theodoretus, Hugo, Chrysostomus, & Sanctus Thom. *in Catenâ Græcâ super* 3. *cap.* (Vide, si vis, Sanctarell. *de hæresi*, *cap.* 3. *dub.* 2. *num* 8. *in fine*, Dianam *tom.* 8. *tract.* 10. *Resol.* 5. & Fagundez *dict. cap.* 3. *num.* 22.)

26 Hac ratione excusantur à culpâ lethali maledictiones, quas Parentes in filios, & Domini in famulos conjiciunt: Cajet. 2. 2. *qu.* 76. *art.* 1. Navarr. *in summ. cap.* 23. *num.* 117. & Azor. *tom.* 3. *instit. moral. lib.* 2. *cap.* 23. *qu.* 2. *&* *lib.* 13. *num.* 6. non ità tamen respectu parentum sentit Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *qu.* 19. *punct.* 2. eò quiá eorum exemplo filii moveantur ad quid simile faciendum, id quod etiam dicit P. Del Bene *dict. dub.* 218. *sect.* 6. *num.* 22.

27 Adde, necessarium esse, ne incurratur peccatum mortale in maledictione ad ostendendum animi mærorem, quod ipsa maledictio non proiiciatur in aliquem Superiorem, cui præstanda sit reverentia: Maledictio enim ex quocunq; animo semper adversatur reverentiæ, quâ superiori exibere tenetur inferior, ut benè advertit P. Del Bene *ibidem à num.* 13. Immò propter quid aliud est peccatum blaspemia in Deum, vel Sanctos, nisi quià opponitur virtuti Religionis, cujus est, Deo, & Sanctis reverentiam exibere? Passerin *in dict. cap. ut Inquisit. num.* 194. *de Hæretic. in* 6. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *qu.* 13. *punct.* 2. Ledesma *in sum. to.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *conclus.* 3. Bannez. 2. 2. *quæst.* 13. *artic.* 1. *notab.* 3. & alii, quos citat, & sequitur Dicastillo *de juram. disp.* 1. *dub.* 9. *num.* 168.

28 Hinc maledicentem Principi puniendum esse, latè probat *idem* P. Del Bene *dict. dub.* 218. *sect.* 24. *per tot.*, idquè innuunt Cravetta *cons.* 6. *num.* 71. Francisc. Lucanus *de Fisco*, *par.* 2. *num.* 34. Diaz. *in pract. cap.* 60. *nu.* 1. Afflictus *decis.* 265. *num.* 69. Plaza, *in Epitome delictorum*, *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1., & Gigas,

*de crim. læsæ majest. tit. qualiter, qu.*40. *circa finem*, & habetur tùm ex jure divino, ut patet præcipuè ex *Num.cap.* 12.14.*&* 16.Tùm ex jure Canonico, ut liquet *ex can.* 74. *Apostolorum*; *ex cap. innotuit, de maledict.*& ex *cap. inter querelas* 22. *quæst.*4. Tùm ex Jure Civili, ut habetur *ex l. unicâ, Cod. Si quis Imperat.maledic.* ubi Imperatores Theodor. Arcad.& Honor. sibi reservant punitionem, & an dicta maledica exequiri mereantur.

29 Secundo modo maledicitur Creaturis, quatenus ad Dominium, vel usum alicujus spectant; & tunc hujusmodi maledictio, vel est efficax, ut in Deo maledicente Terræ, *Genes.cap.* 30. & in Christo maledicente ficui, *Marc. c.*11. vel inefficax per modum simplicis desiderii, ut in hominibus, qui maledicunt bonis, & rebus eorum, quos odio habent; & tunc est peccatum mortale contrà charitatem, iuxtà P. Del Bene *dict.dub.*218 *Sect.*1.*num.*47. & Abely *in summ.cap.*4.*sect.*2.§.2.*in fine*.

30 Tertio modo maledicitur Creaturis, quatenus ipsæ irrationales spectantur; & tunc est peccatum tantummodò veniale, ut post S.Thom.docent Cajetan. *in sum. verb. malum*, Syluest. *in verbo maledictio, qu.*2. *in fin.* Navarr. *in Sum. cap.*23.*num.*127. Toletus *lib.*4. *cap.*13. *num.*7.Valentia 2.2.*disp.*5. *qu.*19. *punct.* 1. P.Del Bene *dub.*118.*sect.*1. *num.* 49. *& sect.*6. *num.*9.& Abely, *ubi suprà*.

31 Quarto modo maledicitur Creaturis, quatenùs sunt Creaturæ Dei; & tunc committitur peccatum Blasphemiæ, proùt firmant S.Thom.2.2.*qu.*76. *art.*2. Cajet.*ibi*, Navarr.*in summ.cap.*12. *num.* 117:Graff.*decis.par.*1.*lib.*2. *cap.*19. *nu.*7. Summa Corona *p.*1. *num.*86. Valentia 2.2.*disp.*5.*qu.*19.*punct.*1.Tolet.*in summ. lib.*4.*cap.*13. *num.*7. Azor. *tom.*3. *Instit. moral.lib.*2.*cap.*23.*versic.*3. Sayr.*in Clau. regiâ,lib.*6.*cap.*13. *num.*3. *vers.*3. Fagundez. *in præcept. Decal. præcept.* 2. *libr.* 2. *cap.* 3. *num.*22. Del Bene *dub.*218.*Sect.* 1.*num* 46. *& sect.*6. *num.*1. & Abely *ubi supra*; sivè Creaturæ sint rationales: Moron. *resp.*95.*num.*34. siuè sint irrationales: Tolet.*dict.lib.*4. *cap.*13. Immò hoc fine nec licet maledicere diabolo, ut notant Navarr:*in sum. cap.*12. *num.*117. Del Bene *cit.sect.*6. *num.*2.

32 Hac tamen distinctione non possumus loqui de maledictione prolatâ in Sanctos, ac res sacras, de quibus Bordon, *loco cit.num.*1. *propè finem*; nam semper est blasphemia: Passerin.*in cap.ut Inquisitionis,num.*198.*in* 6. *decretal. de Haeretic.* Engel. *in jus can. libr.* 5. *tit.* 26. *num.*2.Moron.*resp.moral.*95.*num.*9.Ricciull. *de person. qui in stat. reprob. vers. lib.*1.*cap.*7. *num.*3.Basilic. *decis. crim.*21. *num.*2. Campanil.*diversor. jur can.rubr.* 11. *cap.*26. *num.*78. *&* 79. cum non sit par ratio in Creaturis carentibus Sanctitate, & in præditis eâ: Sancti enim intrinsecam habitudinem, & relationem ad Deum habent ratione status, in quo permanent; & ideò contumelia in eos prolata, censetur esse prolata in Deum; & satis est, quod maledicens Sancto potuerit, & debuerit considerare talem respectum, quem sancti habent ad Deum ratione status, in quo sunt, quo respectu carent aliæ Creaturæ: Sanctarell. *de hæresi cap.* 3. *dub.*2. Fagundez *in præcept.decal.præcept.*2.*lib.*2. *cap.*3. *num.*10. Campanill. *divers. jur. can.rubr.*11.*dict. cap.*26.*num.*19.

33 Præterea Sancti ratione status sunt incapaces maledictionis, & cuiuslibet alterius imperfectionis, ut constat ex illo Matt. 19.*vers.* 29. *Et uitam æternam possidebit*. Item *cap.*25. *Ibunt justi in vitam æternam*: Ex Isaia 58. *Requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & erit quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ*: Et ex alijs locis sacræ scripturæ cumulatis per Bordon. *in Manual.Consultor. laudatâ sect.*45. *num.* 166. Cum ergò Sancti in Paradiso resplendeant his perfectionibus, quæ in eis de fide credendæ sunt, consequenter Blasphemias in Sanctos proferentes sunt de hęresi suspecti, quatenùs Sancti sunt incapaces imperfectionum, quæ per Blasphemias importantur.

34 Meritò proindè fuit proscriptus liber Matthiæ Berlinchii, qui *par.*4. *conclus. practicabil.concl.*1.*à num.*34.tenet, maledictiones in Sanctos non esse Blaspemias, quæ propositio est apertè Hæretica, cum adversetur auctoritatibus suprà deductis: Hi sunt effectus Ecclesiarum reformatarum, incidere in errores, quia

quia apud se non habent verum sensum scripturam Sanctarum, cum defecerint ab Ecclesiâ Romanâ universali, & ejus Pastore, apud quem tantùm est verus sensus Sanctarum Scripturarum: sed Berlinchii sophismata ex professò retundit Bordon. *in dicto loco Manualis à num.* 16. usque *ad* 24.

35 Itaquè cum Blasphemus dicatur ille, qui in Sanctos contumeliosus est, si considerentur, ut Sancti, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, sequitur, quod si aliquid probrosum verè, vel falsò dicatur de illis, quatenus erant mortales, non admittitur Blasphemiæ peccatum; sed solùm duliæ, & observantiæ religioni crimen oppositum, quia tunc nullum covicium jacitur in Deum, quod necessariò requiritur ad rationem Blasphemiæ ex supradictis, & tradit Passerin. *in dict. cap.* 13. *num.* 189. *de Hæretic. in* 6. Moron. *resp. moral.* 95. *num.* 10.

36 Imò rectè, & singulariter observant Sanctagallenses *tom.* 7. *tract.* 3. *sect.* 2. *q.* 1. *dub.* 2. *in cursu Theologico*, quod, si ex joco aliquid proferatur in contemptum Sanctorum cum respectu ad illorum vitam mortalem, esset solum culpa venialis, v.g. si quis S. Carolum Borromeum vocaret Nasonem; Joannem, & Paulum, Eunuchos; Crispinum, & Crispinianum, viles Sutores: Verùm periculosum est, jocari cum illis, quorum principatus, adeòque principalis dignitas dicitur esse nimis confortata, ut prosequitur etiam Passerin. *loco cit.*

37 Cæterum peccatū mortale erit, si de Sanctis asseratur quidquam grave, quod fuerat olim illis probrosum, & multò magis, si falsum esset: quandoquidem Cælites retinent jus famæ, ac magis, quàm terrestres, de quibus contemptim simùl, & falsò loquendo, incurritur crimen detractionis, secundùm omnes.

38 An autem Blasphemia propriè dicta committatur in Beatos nondùm Canonizatos? Respondetur affirmativè: Ratio est, quia sententia communis admittens peccatum Blasphemiæ inhonorando Sanctos, non fundatur in eo, quod ii certò, & infallibili testimonio potiantur æternâ beatitudine: sed quia ratione status habent peculierem habitudinem ad Deum, tamquàm ejus amici, sicut præ ceteris explicat citatus Suarez *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5 *num.* 6. Moron. *resp.* 95. *num.* 9. Cum ergò Beati, etsi necdum in syllabum Sanctorum relati, potiantur illâ beatitudine, ideòque, &c. Ità Gobat. *in experientiis Theolog. Sacram. n.* 797. Imò idem auctor ex do-
39 ctrinâ Suarez, *ubi suprà*, extendit prædictam theoriam, non solùm ad Beatos, sed etiam ad omnes Cælites; ac parvulos quoquè statim post Baptismum defunctos; nec non insuper ad Sanctos nondum vitâ functos, propter eamdem rationem, quia scilicèt convitium in istos redundat in Dei contumeliam: ubi enim eadem est ratio, ibi & eadem Juris dispositio: *l. illud, ff. ad leg. Aquiliam*, & in hanc sententiam plures alios trahere nititur Gobat. *ubi suprà*, *num.* 768.

40 Ex hujusmodi rationis identitate Cajetanus *in summâ, verbo Blasphemia*; & 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. *ad* 2. & 3. Valentia *disput.* 1. *qu.* 13. *pun.* 1. *vers. quocumque igitur*, Sayrus *in Clavi regiâ*, *lib* 6. *cap.* 13. *num.* 4. Azor. *to.* 1. *Instit. moral. lib.* 9. *cap* 28. *quæst.* 10. & alii docent, specie non distingui Blasphemiã contrà Deum à Blasphemia contrà Sanctos, adeòque, qui Blasphemiam dixit in Beatam Virginem, non tenebitur id in Confessione aperire, sed satisfaciet dicendo, *semel commissi peccatum mortale Blasphemiæ*.

41 Contrarium tamen tuentur Dicastillo *de juram. dis.* 1. *dub.* 9. *numer.* 214. Hurtadus de Mendoza 2. 2. *disp.* 91. *sect.* 12. quorum Sententiam Diana *par.* 2. *tract.* 7. *resol.* 50. & *alibi*, habet pro probabili, licet constanter defendat alteram sententiam; eam sequitur Bernardinus Pujolus *de adorat. disp.* 1 *sect.* 8. asserens, quod humanitas Christi, & B. Virgo ejus Mater, sicut hyperduliâ laudantur; ità speciali vitio vituperantur per Blasphemiam: Bordonus *in manuali, laudat. sect.* 45. *n.* 28. ubi quod licèt virtus religionis sit una genere plures tamen sub se continet species, quæ sunt Latria, Dulia, & Hiperdulia, quibus opponuntur tres species Blasphemiæ contrà Deum, Virginem, & Sanctos: Passerin. *in sæpè cit. c. ut Inquisitionis, n.* 189. *in* 6. *decret. de hæret.* Moron. *resp. moral.* 95. *num.* 9. & *seq.* & *num.* 58. 59. & 60.

42 Inter istas duas extremas sententias mediæ adhærendum censeo cum Svar. *cit. tract.3. cap. 6. num.* 19. nimirum, quod licèt omnes Blasphemiæ in ratione Blasphemiæ præcisè consideratæ, sint ejusdem speciei, si tamen malitiæ blasphemiæ superaddatur circumstantia mortaliter mala, scilicèt odium Dei, vel Sancti; maledictio seria, seù imprecatio, tunc Blasphemiæ distinguuntur specie.

43 Quantum ad Sacramenta, & res Sacras, idem dicendum est de eis, ac de Sanctis, nimirùm maledictionem, & contumeliam in ipsas esse Blasphemias: Et ità docent omnes Theologi cum D. Thomâ 2.2. *quæst.*13.*art.*1. Sanchez *moral. lib.*2.*cap.*32. Sayrus, *lib.*3. *cap.*13. *nu.*3. *vers. eodem modo*, Eligius Barseus *verbo blasphemia*, Del Bene *dubit.* 218. *sect.* 1. *num.* 43. Ratio est, quia in rebus Sacris reperitur bonitas, illis communicata per benedictionem, & dedicationem Divino cultui: de hac re latè Bord. *in Manuali consultor. sect.* 45. *num.*6.

44 Infertur tandem, Blasphemias consistere in verbis, quæ Dei laudibus opponuntur: parumque refert, an ore proferantur; an calamo exarentur: Suarez *tom.*1. *de relig. tract.* 3. *lib.*1. *cap.*4. *n.*4. & 5. Dicastill. *d. dubitat.* 9. *n.*168. & Franciscus Sylvius *in* 2.2. *q.*13. *art.* 1. Essentia enim Blasphemarum exigit, ut ipse Dei laudibus opponantur, quémadmodum, præter laudatum Del Bene, docent alii communiter, & præcipuè Ignatius Lupus *in Edictum S. Inquisit. loco cit. art.*1. *diffic. prima*; at laus solis verbis mente, ore, vel scripto prolatis exibetur.

45 Ex hac doctrinâ colligitur responsio ad illam quæstionem, an Blasphemia solùm verbo, vel etiam facto committatur: Facta contrà Deum, Sanctos, & res Sacras, sunt laceratio; conculcatio; combustio; deturpatio; percussio, & alii similes actus facti in Imagines Dei, Mariæ Virginis, & Sanctorum; in librum Missale; in Calicem, &c. Has res Sacras contumeliâ affici per hujusmodi actiones, nulli dubium est, Blasphemiæ crimen incurri: Jo: de Anan. *in cap.* 2. *num.*14. *de maledic.* Passerin. *in d. c.* 13. *num.*186. *de Hæretic.in* 6. Mattheu *de re crim. contr.*36. *nu.* 14. Avendan. *de exequt. mandat. par.*2. *cap.*5. *numer.*10. Cartar. *dec. crim. dec.* 2. *n.* 11. Ricci in *prax. aur. tom.*1. *resol.* 433. *pag.* 194. *col.*1. *vers. Blasphemia.*

46 Cæterum, secundum communiorem opinionem, illa facta non sunt verè, & propriè Blasphemiæ, sed impropriè tantùm: Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Alensis 3. *par. q.* 13. *Mem.* 2. Navar. *in summâ, cap.*12. Suarez *tom.*1. *de relig. tract.*3. *lib* 1. *cap.*4. *n.*4. & 5. Bordon. *in Manuali sect.*45. *n.*28. Sanchez *lib.* 2. *moralium cap.* 32. Georg. Gobat. *cit. sect.* 1. *n.* 699. latè Passerin. *d. cap. ut Inquisit. num.*186. Moron. *respons.* 95. *num.* 5.

47 Itaquè facta illa sunt potius actiones sacrilegæ, de quibus Moron. *d. resp.* 95. *n.*5. Menoch. *lib.*2. *de arbitrar. casu* 376. Riccius *loco cit.* Pistachius *de superstit. par.* 1. *cap.* 3. *à num.* 17. Ant. Escobar. *in Theolog. morali, volum.*4. *lib.*28. *c.* 32. *problem.*152. *num.*721. Basilic. *in decis. criminal. dec.*21. Sanctarell. *de Hæresi*, *cap.*1. *dub.*3. *vers obiicies secundo.*

48 Insupèr prædicta sunt facta hæreticalia hæresis suspicionem inducentia: Ità Transmiera *de denunciat. q.* 4. *cap.*6. *n.*4. & 13. *in fine*, Franciscus de Magistris *in Sylvâ Ecclesiasticâ, tom.*2. *lib.*2. *num.* 16. Antonell. *de regim. Eccles. lib.*6. *cap.*25. *num.*2. & patet, eo quòd, ut dictum est *suprà*, hujusmodi facta reducuntur ad Blasphemiam; adeòquè nequeunt procedere absquè Hæresis suspicione: quin

49 imò illos, qui sic blasphemant, esse vehementer de hæresi suspectos, docent Passerin. *in cap accusatus* 8. *nu.*65. *in* 6. *decret. de hæretic.* Fermosin. *tract crim.* 2. *in cap cum Christus, qu.*1. *n.*20. & 21. *de hæretic.* Alphonsus de Castro *de justâ Hæreticorum punitione*, *lib.*1. *cap.*12. & 16. Sesse *tom* 4. *decis.* 448. *num.*19. Carena *par.*2. *tit.*7. §. 7. *num.* 38. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 9. & *part.* 4. *tract.* 9. *resol.* 9. Pistach. *de superstit. par.*1. *cap.* 3. *num.* 17. Bordon. *de Sacro Tribun. ubi suprà*, *num.* 22. Lupus *loco citato*, Basilic. *dec. crimin.* 21. *sub num.*12. latè Cartar. *dec. crim. decis.* 2. *à num.*33. *usque ad* 43.

50 Eo vel maximè hoc asserendum est quia genus talis Blasphemiæ excedit quodcumquè aliud in malitiâ: facta enim

enim sunt fortiora, & potiora verbis *l. de pupillo* 5. §. *meminisse, ff. de nov. oper. nunt.* Ità Zecchius *in summâ, to.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 9. Carena *par.* 2. *tract.* 7. *nu.* 38. Belloch. *de casibus reservat. par.* 2. *quæst.* 1. *n.* 73. Alberghinus *cap.* 28 *num.* 4. Bordon. *manuale consult. sect.* 45. *num.* 37. & 38. Matehu *de re crim. controv.* 36. *num.* 14. Raynal. *Synt. Criminal. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *ad* 7. *num.* 12. Idipsum habetur ex lite-
51 ris S. Simonis Styllitæ ad Justinum Imperatorem registratis in 7. *Syn. act.* 1. contrà Iconomachos. Et quidem tantò magìs dicuntur de hçresi suspecti, quia eorum factum lacerationis, conspurcationis, &c. urget fortiter, quod Sacræ Imagines non sint adorandæ ac proindè quod possint sperni, & prò nihilo haberi, ut arguit Bordonus *in manuali, loco citato*: & adhùc fortiùs, quia licet hodiè sit abolita Iconomachorum hæresis, resurrexerunt cum Novatoribus eadem portenta, ut ponderat Eminentiss. Albit. *de Inconstantia in fide cap.* 31. *num.* 82.

52 Nec possunt hujusmodi Blasphæmi aliquo modo eximi ab hæresis suspicione: Etenim, ut benè ad rem advertit Alph. de Castro *de Hæreticorum punit. dicto cap.* 15. *in fine*, qui Sacras Imagines deturpat, dirumpit, conculcat, vel percutit, non movetur ab objecto, quod non est tale, ut ad hoc possit voluntatem allicere: Non movetur etiam à se ipso secundum carnem suam operante, quoniam humana natura non habet ad hujusmodi opera aliquã propensionem. Movetur autem voluntas ab intellectu depravato proponente uti bonum, quod est malũ, & quia ex solo errore intellectus (qui hic iutervenit) nõ oritur hçresis, cum ad hunc effectum sit necessaria etiam pertinacia, ut suprà stabilivimus, ea non deesse præsumitur, dum perversa voluntas posteà imperat potentiis sibi subjectis ad eas Imagines sic contemnendas: Quamvis docto de actu externo proveniente ab errore in intellectu, satis sit ad inducendam hæresis suspicionem; nam quod adsit, vel non pertinacia, est quid internum.

53 Tandem fatendum est, dari posse facta, quibus propriè contineatur Blasphemia; idcircò *in lib.* 2. *Esdræ, cap.* 9. & apud Math. *cap.* 27. dicuntur aliqui blasphemare factis: hocquè contingit, si improbus homo in Dei contemptum terram pedibus conculcet; seù in Cœlum lapides, aut sputũ conjiciat, vel dentibus fremat; similiter si mutus digitis exprimat Blasphemias: sunt enim hæc facta verbis æquipolentia, & ideò rationem Blasphemiæ sortiuntur: Del Bene *d. dubitat.* 218. *sect.* 3. *n.* 38. Busembau. *in medulla Theologiæ, lib.* 3. *tract.* 3. *c.* 1. Anton. Escobar. *in Theolog. moral. volum.* 4. *lib.* 28. *cap.* 21. *n.* 193.

54 An deturpantes, violantes, vel percutientes Sacras Imagines puniri debeant privativè quò ad Judices Laicos in S. Offic. Inquisit. etiamsi, qui sic delinquit sit Laicus? affirmativè est tenendum: Ità decrevit Sanctiss. Urban. VIII. *sub die* 12. *Novembris* 1625. & colligitur ex doctrinâ superius traditâ, scilicet quia tales sunt vehementer suspecti de hæresi, & præsumuntur malè sentire de cultu sanctorum Imaginum, & de canonizatione Sanctorum cum Calvinistis, & Lautheranis damnatis à Sac. Concilio Trident. *sess.* 25. ac censentur agere contrà difinitionẽ Concilii Nicęni II. *act.* 7. quod definivit, *Imagines colendas esse*, & propterea, quod Regium Consilium Hispaniarum remisserit quendam, qui Imaginem lapide fregerat, ad Inquisitores Sancti Officii, tradit Azeved. *lib.* 10. Recopil. *tit.* 1. *leg.* 3. quem citat, & sequitur Bellett. *disquis. clerical. de fact. cleric. real par.* 1. §. 4. *num.* 147.

55 Quibus stantibus omninò rejiciendus est M. Ant. Sabell. *in sum. verbo Blasphemia*, qui novissiè oppositum tenet, & quidem stylo, ut ità dicam, permetorio; postquam enim dixit Carenam, & alios tenere crimen illud spectare privativè ad S. Officium, pronuntiat, *sed tu ne recedas à communissimâ opinione, quod sit mixti fori, quò ad laicos, & locum habeat præventio*. Quid enim audentiùs in faciem Pontificii decreti potest pronuntiari? Mitiùs loquendo, dicam, à Sabello Decretum Urbani, quod hodiè religiosè servatur, ignoratum fuisse: videndus Pignatellus *tom* 8. *consult.* 89. *per tot.* ubi etiam id ipsum tenet de Judęis Sacras Imagines deturpantibus.

S E-

SECTIO II.

Quotuplex sit Blasphemiam.

SUMMARIUM.

1 *Blasphemia dividitur primùm in directam, & indirectam. Definitur directa, quæ & diabolica nuncupatur: & non nisi in scelistissimis reperta.*

2 *Definitur Blasphemia indirecta.*

3 *Utraque Blasphemia subdividitur quadrupliciter, scilicet primùm ex parte actus: alia est Blasphemia interna; alia externa.*

4 *Secunda divisio ex parte causæ: alia est Blasphemia simplex; alia hæreticalis.*

5 *Tertia divisio ex parte modi, qui triplex assignatur.*

6 *Quarta divisio ex parte termini: alia est Blasphemia in Deum; alia in Sanctos.*

7 *Omnes species Blasphemiæ reducuntur ad eam, quæ in Deum tendit.*

8 *Decem assignantur modi Blasphemiæ tendentis in Deum immediatè.*

9 *Ad tres species, sivè modos reducuntur illi decem assignati.*

10 *Primus modus Blasphemandi Deum est, ei tribuere, quod ipsi non convenit.*

11 *Hoc primo modo blasphemant, qui Deo, ut Deus est, membra attribuit, dicendo v. g.* al Corpo al Sangue di Dio Padre.

12 *Quo casu, an esset Blasphemia jurare per Corpus, & Sanguinem Dei? interpretando scilicet locutionem de Christo.*

13 *Sententia benignæ interpretationis probatur.*

14 *In casu illius prolationis per membra Dei, distinguendum est, si Deo tribuantur membra per modum jurandi, adest Blasphmia.*

15 *Secus si Deo membra tribuantur non per modùm jurandi; & quomodò adhuc in hoc casu esset Blasphemia.*

16 *Blasphemiam esse, jurare per vitam Dei, affirmant multi; quia facit sensum,* amittat Deus vitam, si hoc verum non est.

17 *Sed negativa sentẽtia præfertur: Patres veteris Testamenti jurabant per Dei vitam.*

18 *Primo modo Blasphemat, qui Deo ut Sanctis ejus contumeliam irrogat, & quomodò.*

19 *Ad eruendam intentionem proferentis contumeliam, standum est in foro, externo conjecturis improbæ vitæ, &c.*

20 *Blasphemat, qui jurat per Christi, vel Sanctorum membra inhonesta, sivè quocumquè modo inhonestè ea nominet, quia:*

21 *Deus homo, ac ejus Sancti habent dicta membra tanquam partes naturales, non tanquam aliquid vituperabile.*

22 *A fortiori Blasphemus est, qui modò inhonesto tribuit sexum fœmineum Deo Christo, & Sanctis, quia arguit in eis sexus mutationem.*

23 *Etiam ille blasphemat, qui nominat membra pudenda Virginis Mariæ, quia significare videtur, ea habuisse ad libidinis incentivum.*

24 *Non blasphemant, qui absquè cotumeliâ nominat virilia Christi, vel Sanctorum, v. g. dicendo,* al Corpo di Dio, ò di S. Pietro, *etiam si hæc cum indignatione proferantur.*

25 *Dummodò tamen indignatio non sit directa contrà Deum, vel ejus Sanctos.*

26 *Secundo modo blasphemat, qui dicit,* faciam hoc velit, nolit Deus, *quæ verba tendunt ad diminutionem Divinæ Omnipotentiæ.*

27 *Hæc Blasphemia,* faciam hoc ad despectum Dei, *tribus modis potest proferri. Primus est circà rem indifferentem, nimirùm dicendo,* volo ambulare ad despectum Dei, *quæ est verè Blasphemia.*

28 *Secundus modus est circa peccatum, dicendo, v. g.* ad despectum Dei volo furari: *quâ derogatur Dei Omnipotentiæ, ratione cujus potest peccatum impedire.*

29 *Non est Blasphemia dicere,* quamvis hoc sit peccatum, volò facere: *iste ostendit pravam peccandi voluntatem; sed per suam locutionem Dei potentiæ aon derogat.*

30 *Tertius modus est, proferendo ly* ad despectum Dei *circa bonum, dicendo* ad despectum Dei volo audire Missam, *qui modus pejor est duobus præcedentibus: ratio hujus.*

31 *Qui dicunt,* al dispetto di Di, *sunt suspecti*

pecti de Blasphemiâ hæreticali contrà Deum, quia præsumuntur sic loqui ad malitiam occultandam.

32 Thomas Tamburinus, quos proferentes al Dispetto di Di, eximat à censurâ Blasphemiæ? curiosa observatio.

33 Blasphemus est hæreticalis, qui dicit, velit, nolit Beata Virgo, faciam hoc; idipsum, si de Sanctis proferatur.

34 Blasphemiæ omnes specie non distinguntur; nec distinguitur Blasphemia adversùs Deum à blasphemiâ adversùs Sanctos.

35 Firmatur hæc opinio auctoritate S. Gregorii Nazianzeni: quomodò intelligatur, quod Blasphemia in Sanctos tendat in Dei contemptum.

36 An sit Blasphemia dicere, faciam hoc ad despectum Virginis, vel Sanctorum? negat Bordonus, quia Virgo non est Omnipotens.

37 Contrarium probabiliùs tenent alii, quia illa locutio potest interpretari in Virginis contemptum.

38 Blasphemat secundo modo, qui dicit, Deus non potest, quia sic derogat Omnipotentiæ Dei, etiamsi loquatur de re non factibili.

39 Blasphemus est, qui Deum ipsum renegat; idemque dicendum de eo, qui negat ea, quæ sunt de fide.

40 Tertio modo blasphemat, qui Diabolum Omnipotentem vocat, quia Diabolo tribuit, quod Deo competit.

41 Blasphemat, qui Diabolum Sanctum vocat, quia tribuit Deo, quod habeat Diabolum amicum.

42 Impiæ, & execrandæ Lutheri Blasphemiæ invocantis Diabolum, dicendo, Sancte Satan ora pro me.

43 Illicitum est cultum civilem Dæmoni exibere, quia Dæmon est Dei inimicus, & hominis.

44 An à labe Blasphemiæ excusentur illi, qui ex consuetudine Dæmonem invocant; eamquè esse in Siciliâ, testatur Alberghinus.

45 Contrarium est tenendum, quia in ea locutione, quæ Deo, & Sanctis ejus competunt, Dæmoni tribuuntur.

46 Tertio etiam modo blasphemat, qui seù verè, seù falsò jurat per Deos Gentilium.

47 Immò hujusmodi Blasphemia est omnium pessima, quia Idolum invocat in testem infallibilis veritatis: An autem hujusmodi juramentum obliget? remissivè.

48 Non est Blasphemia jurare joco, vel contemtim per falsos Deos: Neque est Blasphemia, hoc pacto jurare ex loquacitate.

49 Jurant aliqui innocenter per Deum Bacchum in levibus, ne malum habitum introducant jurandi per Deum verum.

50 Cum causâ licitum est recipere juramentum ab eo, qui per idola est juraturus, quia recipitur ad confirmationem verbi externi.

51 Juramentum per creaturam quando est Blasphemia?

52 Ad Blasphemiam in Deum tertio modo potest reduci impia locutio Alphonsi X. Hispaniarum Regis.

53 Tria descripta Blasphemarum genera possunt esse, vel hæreticalia, vel non hæreticalia: declaratur:

54 Blasphemiæ hujusmodi hæreticales opponuntur confessioni fidei.

55 Et hoc, etiamsi proferens Blasphemias, interiùs eas non credat.

56 Blasphemus reputatur infidelis, quia licet de Deo falsum non sentiat, de eo tamen falsum dicit; adeòque ejus Blasphemia opponitur confessioni fidei:

1 PRIMA sui divisione potest partiri Blasphemia in directam, & indirectam: prima est, quando quis verbis contumeliosis utitur, eâ expressâ intentione, ut convicio afficiat Deum, ostendatque illum à se parvi fieri: Hujusmodi Blasphemia rectè nuncupatur Diabolica, quia maximè reperitur in Cacodæmonibus, & damnatis, ut inter alios advertit Merbes. *in summ. Christian. par. 1. 2. q. 40. pag. 136.* Ab hominibus verò nonnisi scelestissimis usurpata, qualis fuit Tyrannus ille sævissimus Japponiæ annis superioribus, qui non semel evomuit: *Ob si haberem in manibus sceleratum Deum Christianorum, longè alitèr*
2 *illum tractarem, quàm Judæi.* Indirecta, ut docet Tannerus *tom. 3. Theologia Schol. disp. 1. quæst. 8. num. 138.* est, quandò quis ex modo loquendi (seù scribendi) significat, Deum esse contem-

temptibilem, ut v. g. quandò quis indignè nominat quædam membra Christi: Layman. verò *lib.4.Theologiæ moralis,tract.*10. *cap.6. num. 6.* ait, Blasphemiam indirectam, & virtualem esse, cum quis scientèr seriò loquitur verba, quæ vel ex propriâ significatione; vel ex modo proferendi, aliisue circumstantiis, Divini nominis imminutionem continent, quàmvis eam homo directè non intendat.

3 Utriusque Blasphemiæ, directæ scilicet, & indirectæ pulchrè quatuor divisiones exprimunt Sanctagallenses *to.7.tract.3.sect.2.qu.* 1. *dubit.* 2. prima est ex parte actus, qui est exterior, vel interior, ideòque alia est merè interna; alia externa: propriè tamen nullâ exterior actione committitur Blasphemia, ut liquet ex definitione Blasphemiæ traditâ *in præcedenti sectione*.

4 Secunda divisio est ex parte causæ: Hinc alia est Blasphemia hæreticalis; alia simplex, seu non hæreticalis, ut vocat Bonaccina: specialiter de his Blasphemiis est agendum *in sequenti sectione*.

5 Tertia divisio est ex parte modi, qui à nobis est assignatus *d. præcedenti sect. num.9.* potest verò reduci ad duplicem modum, dicendo, quod alia est Blasphemia enunciativa, ut quando per enunciationem logicam contrariam revelationi Divinæ, aliquid de Deo asseritur, vel negatur; alia dehonestiva, ut cum dicis: *O iniustum Deum*:

6 Quarta divisio Blasphemiæ est ex parte termini, scilicet alia est immediatè in Deum, ut patet in exemplo allato; alia solùm mediatè in ipsum, immediatè autem vel in Sanctos, vel in aliquam creaturam, quatenus ea aliquo modo refertur ad Deum.

7 Cum omnes Blasphemiæ species hucùsque descriptæ reducantur ad eam, quæ in Deum tendit, ideò in hac Sectione specialiter agere instituimus de eâ, ejusque speciebus, quas omnes itâ explicat Simancha *de Catholicis instit. titulo 3. de Blasphemiâ num.*1.

8 *Multifariàm Blasphemia in Deum dicitur, vel ab eo amovendo, quæ Dei sunt; vel ei attribuendo, quæ Dei non sunt; vel alicui tribuendo, quæ Dei sunt; vel assirmando falsum de Deo; vel negando verum; vel maledicta in Deum conferendo; vel inhonesta de eo loquendo; vel jurando per membra pudenda; vel detrahendo; vel irridendo in Dei contumeliam: & totidem ferè modis honori, & dignitati Sanctorum derogari potest*, & hæ sunt illæ decem species Blasphemiæ, quas colligit Lucas de Peña *in l.omnes Judices,Cod.de Aleatorib.*

9 Angelus de Clavasio *in summâ, verbo Blasphemia,num.3.* rectiùs ex S. Ambrosio, & S.Thomâ prædictas species ad tres priores contraxit, scilicet tribuere Deo, quod ei non convenit: hæcquè Blasphemia dicitur attributiva; Detrahære, quæ ejus sunt: ista autem vocatur derogativa; Tribuere Creaturæ, quæ Creatori conveniunt: & hæc denominatur usurpativa: Itâ Raynal. *rerum criminal.cap.*1.§.1.*num.*3. ubi adversùs nonnullos hanc distinctionem tuetur, & Christof. Crusius *de Indiciis delict.par.*2.*cap.*2 *num.*3.

10 Primo modo blasphemat, qui Deo contumeliam irrogat, attribuendo, quod ipsi non convenit ullo modo, nec convenire potest: Covarr. *de pactis* 1. *part.* §.7.*num.9.vers.*3.Salzed. *in Practic.Bernardi Diaz,cap.*110.,*vers.& quià sæpissimè*, Mannel. *in sum.to.*1. *cap.* 34.*num.*1. Rojas *de Hæreticis,par.*2.*assert.*12. *num.* 171. Azor. *tom.* 1. *instit. Moral. lib.* 11. *cap.*3. Antonell. *de regim. Eccles. lib.* 6. *cap.*24.*sub num.*1.Passerin. *in cap. ut inquisitionis,num.*185.*de Hæretic.in* 6.Sess. *decis.Aragon.vol.*4.*decis.*470. *num.*1.Viu.

11 *decis.*275.*num.*1. *&* 2. hoc verò modo blasphemat, qui Deo, ut Deus est, membra attribuit, ut si proferat, *al Corpo, al Sangue di Dio Padre*: Si enim proferens esset persona idiota, qui nesciret destinguere personas Sãctissimę Trinitatis, pęnâ extraordinariâ plecti deberet, cum sit magna irreverentia, itâ de Deo inconsultè loqui; & culpa non levis, talia ignorare: latè Campanill. *diversor. jur.can.rubr.*11.*cap.*26.*num.*88. Ricciull. *de person.qui in stat.reprob. versant.lib.*1. *cap.*6.*per tot.*Petrus Caball. *resolut. Crimin. casu* 296. *per totum*. Manar. *noct. malenconicarum, interrog.* 200. §. 11. *fol.* 319. Farinac. *quæst.* 20. *Ampliat.* 8. *num.*22. *& sequent.* Thesaur. *decis.*241. *per tot.* Quod si proferens esset scientificus, puniri deberet pęnâ ordinariâ Blas-

Blasphemiæ, ut notat Mar Anton. Sabell. *tom.* 1. *Summ. verbo Blaspemia.* Undè habemus *in cap. si quis,* 22. *qu.* 1. quod si quis per Capillum Dei, vel Caput juraverit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur, & in jure Hispanico *l.* 6. *regia, tit.* 4. *lib.* 8. *recopilat* decernitur: jurantem per quæcumque Dei membra pęnis blasphemantium puniri.

12 Cum autem, postquàm verbum Caro factum est, Unigenitus Dei Filius, qui in unitate Patris, & Spiritus Sancti est Deus, ob humanitatem assumptam habeat Corpus, & Sanguinem, jurare per Corpus Dei, ejusquè Sanguinem, dummodò absit modus injuriantis, seù indignatio adversùs Deum, non est Blasphemia: Cajet: *in sum. verbo Blasphemia,* Duall. *in* 2. 2. *D. Thom. de peccatis fidei oppositis, quæst.* 2. *art.* 1. *col.* 2. *lit. D. tomo* 2. Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 40. Covarr. *cap. Quamvis* 1. *par.* §. 1. *à num.* 16. *de pact. in* 6. Cabal. *dict. resol.* 296. Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, num.* 219. & 220. Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 26. *sub num.* 3. Thesaurus *decis.* 241. *num.* 4. Prò vtrâque parte plures Doctores congerit Del Bene *dict. dubit.* 218 *sect.* 4. *à num.* 42. & *sub num.* 4. concludit,

13 probabiliorem esse Eminentissimi Cajetani sententiam, & rationabiliter: nam, ut discurit Bordon. *in manual. dict. sect.* 45. *n.* 67. præfatæ locutiones trahi possunt in bonum sensum, ut intelligantur de Deo incarnato: verba enim in dubio accipienda sunt in maiorē partem: *c.* 2. *de regul. juris, l. semper* 56. *ff. de regul. juris,* & accipienda sunt ad mentem proferentis: *l. in ambiguis* 96. *eod.* Et ità docent Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 6. Sanchez *moral. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 29. Floronus *de casib. reservatis, casu* 3. §. 1. *num.* 1. & 2. Castropal. *par.* 3. *tract:* 17. *disp:* 2. *par.* 2. §. 3. *n.* 7.

14 Cœterùm in hoc brocardico Ego ità distinguerem: Vel Deo tribuuntur membra per modum jurandi, vel non per modum jurandi; Si per modum jurandi, crederem adesse Blasphemiam, idque docent Covarr: *de pact. par.* 1. §. 7. *num.* 91. *vers.* 6. Suar. *to.* 2. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Sotus *de Juramenti abusu, cap.* 6. & *de Justitiâ,* & *jure, lib.* 8. *quæst.* 2. *art.* 5. & alii communiter. Quidquid asserant Decianus *in Tract. Criminal. to.* 2: *lib. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 13. Graff. *part.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 13. Thesaur. *decis.* 241. *num.* 3. & 4. Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 1. *c.* 6. *per tot.* & *num.* 8. Ratio est, quia qui jurat per caput, vel per quodcumquè aliud Dei membrum, intendit, quod Deus amittat caput, vel tale membrum, si ità non est: illudquè juramentum est propriè execratorium, ut advertit Del Bene *dict. sect.* 4. *num.* 37.

15 Si verò hujusmodi membra tribuantur Deo non per modum jurandi, dicendum est, quod nulla adsit Blasphemia; & in hoc casu militant ea, quæ affert Cajetanus cum alijs grvioribus viris, quorum opinio adhùc limitanda est: Si enim tribuerentur Deo incarnato membra, dicendo *al Sanguinazzo, al Corpazzo di Dio,* essent blasphemiæ hæreticales, quia tribuerent Deo imperfectiones: nam quàmvis Deus incarnatus habeat Corpus, & sanguinem; non habet tamen cum illis imperfectionibus; ergo sic proferens videtur malè sentire de illis partibus, quod sint defectuosæ, & imperfectæ in esse naturæ, contrà illud psalmi: *speciosus formâ præ filiis hominum:* Ità Bordonus citatus *in Manuali consultorum.*

16 Id verò, quod dictum est de jurante per aliquod Dei membrum, an verificetur etiam de illo, qui jurat per vitam Dei? affirmant Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *Centur.* 4. *casu* 375. *num.* 2. & 4. Avendan. *de exequt. mand. par.* 2. *c.* 5. *num.* 13. Moron. *respons.* 95. *num.* 32. Basilic. *decis. crim.* 21. *num.* 13. Passerin. *loco cit. num.* 217. Sanctarell. *de hæresi, cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 12. *in fine* dicens, hanc esse veriorem sententiam: prò eâdem Sanchez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 25. refert quamplures Hispanos, eâ ratione, quod prædicta locutio habeat hunc sensum, *amittat Deus vitam, si non est ità.*

17 Verùm contraria sententia nequit displicere, quia sensus ille non solùm est alienus ab opinione hominum etiam imperitorū; sed etiam de se improprius, & improportionatus dictis verbis, quæ, cum de se pręseferant vitam, non possunt significare mortem: aliàs Patres antiqui veteris Testamenti blasphemassent, qui sæpiùs per hęc verba jurabant: *Vivit Dominus,* 1. *Reg.* 19. *vers.* 6. Juravit Rex, & ait: *Vivit Dominus* 3. *Reg. cap.* 1. *vers.* 19. quod

juramentum à prædicto nullatenus differt quòad sensum, sed tantùm vocibus. Nec potest hujusmodi juramentum esse Blasphemia, nam Deus non solùm habet vitam; sed est ipsa vita, à quo omnis vita originatur, ut præsepè loquuntur scripturæ: Ità Decianus *lib.6. cap.2. num.13.* Bordon.*in manuali,loco cit.n.82.*

18 Similiter primo modo blasphemat, qui Deo, vel ejus Sanctis irrogat contumeliam: Corduba *in Quæstionario,lib.1.qu.17.§.15.in princip.* sivè in hujusmodi contumeliâ nominet Deum, aut ejus Sanctos; sivè non nòminet, quoties intelligat, contumeliam coniicere in Deum, vel in aliquem Sanctum: Manuel. *in Summ.tom.1.cap.54.n.2.* Lopez. *in Instruct.1.par. cap.282.vers.4.*, & Ledesma *in summâ, tom.2. tract. 1.cap.9.*

19 Verùm quàmvis ad eruendam hujusmodi intentionem, in foro interno standum sit dicto proferentis, cui, juxtà commune proloquium, in eodem foro creditur pro se, & contrà se: in foro tamen externo, ut advertit Dicastillo *dict. dubitat.9. num.179.* perpenduntur conjecturæ, ut si talis sit homo improbæ vitæ; si dum ea verba profert, oculos in Cęlum elevet: Ricciull. *de person.qu.in stat. reprob. versant.lib.1.cap.4. num.8. & 9.*

20 Cum autem Blasphemia sit quæcumquè contumelia in Deum, vel ejus Sanctos prolata, censendus erit Blasphemus etiam ille, qui jurat per Christi, vel Sanctorum membra inhonesta, seù pudenda; vel qui ea quomodocumquè inhonestè nominat, ut pariter docent Cajet.*2.2. quæst.13.art.1. vers.quo ad secundum*, Angel. *verbo Juramentum 3.num:13.* Armill. *edoem verbo, num. 5.* Boss.*de Inquisit.num.171.vers.non obstat*, Decian.*in tract. Criminal. tom. 2. lib.6. c.2.n.3.& seqq.* Castald.*de Syndic. n.104. & seqq.* Cordub.*lib.1.qu. 17.§.15.notab. 1.* Suarez *de Relig.tom.1.tract.3.lib.1.cap. 4.nu.8. & seqq.* Sotus *de justit. & jure, lib.8.qu.2.art.3.columnn.7.* Navarr.*in summâ,cap.18.num.85.* Castro *lib.1. de justâ Hæret.punit.cap.12.* Simmanch.*de Cathol. instit. tit. 8. num. 1.* Valent. *2.2. disp. 1. quæst. 13. pun. 1. vers. cum potest fieri*, Azor.*lib.9.instit.moral.cap.28. quæst.3.& lib.11.cap.3.qu.2.*, & Dicastill. *dictâ dubit.9.num.193.*

21 Ratio est, ut benè advertit Fagund. *in præcept. Decal.præcept. 2. lib.2.cap.3. num.11.* quia Deus homo, ac ejus Sancti habent hujusmodi membra, tanquàm partes naturales, non autem tanquàm quid vituperabile: Ideòque tunc adest Blasphemia respectu modi loquendi, sivè per dicta membra juretur; sivè ipsa simpliciter nominentur: nam in ratione vituperij nulla adest differentia formalis inter ignominiosè nominantem, & jurantē per hujusmodi membra, quemadmodum advertit laudatus Fagundez *loco cit. num.12.* quidquid asserat Duall. *dict. art.1:*

22 A fortiori erit Blaspemus ratione contumeliæ, qui aliquo modo inhonesto nominet sexum fœmineum, illumquè tribuat Deo, Christo, & Sanctis, quia in eis arguit mutationem sexus, & sic, quod Deus sit fœmineus; cum ergò illi tribuatur, quo caret, confunditur sexus unius cum alio, quod apertè arguit suspicionem Hæresis vehementem: Ità Caren.*par.2.tit.7. num.9. vers.& certè*, Nald. *verbo Blasphemia*, Defend. Quadrius *disputat. 3. casu 3. n. 248.* Passarin. *in cap. ut Inquisit.num. 211.de hæretic.in 6.* Campanil. *decis.jur. can. rubr.11. cap.26.num.87.* Viv. *decis. Neapolit.388:per tot.* Barz. *decis. Bonon. 135.per tot.* Sess.*decis.Aragon.vol.4.decis. 470.num.10.*

23 Immò eamdem suspicionem incurreret, qui nominaret pudenda Beatissimæ Virginis, quia, ut discurrit Bordon. *in Manuali consultorum, sect.45. num. 65.* insinuare videretur, hujusmodi membra esse nefanda, & incitativa ad libidinem: hoc enim præsefert talis dictio ex vulgari hominum consensu: Scanarol. *de Visit.Carcer. lib.1. §.13. cap.1. per tot.* Bertach.*in repert.Verbo Blaspemia*: Campanil. *divers. jur. can. dict. rubr. 11. cap.26.sub num.87.* Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib. 1. cap. 4. num. 29.* Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 2.cap.19.num.5.in fine*, Barz.*dictâ decis. 135. num. 4. & 5.* Sess. *loco cit. num. 9.*

24 Qui autem absquè contumeliâ Christi, vel Sanctorum virilia nominat, non blasphemat: Tali pacto si quis ex indignatione nominet honesta Dei, vel Sanctorum membra, putâ si dicat: *Al corpo di Dio, ò di S.Pietro*, non dicitur

tur blasphemare, juxtà Cajet. *in sum. verb. blasphemia*, Armil. *eod. verbo, num.* 1. Navarr. *cap.* 12. *num.* 85. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 23. *punct.* 1. *in fine* Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. Sayr. *in Clavi Regiâ, lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. Dicastill. *in laudatâ dub.* 9. *n.* 196. Passarin. *in sæpe citc. n.* 220. *de haeretic. in* 6. quicquid dicat Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 12. tunc enim nullum adest convicium, vel contumelia.

25 Intellige tamen, quotiescumque hæc indignatio non sit directa conrà ipsum Deum, vel ejus Sanctos; aliàs esset blasphemia, eo quia tunc reputaretur Deus, vel ejus Sancti capaces indignationis, ut præter Valentiam 2 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1 & Sotum *de Iuramentorum abusu, cap.* 6. docet Del Bene *dict. Sect.* 4. *num* 47. Hac ratione crederem, esse blasphema quæcumque verba, licet ex se nullam haberenr rationem blasphemiæ, si proferertur cum indignatione directâ in Deum, vel ejus Sanctos.

26 Secundo modo blasphemat, qui dicit, *faciam hoc, velit nolit Deus*, cum hujusmodi verba tendant ad diminutionem omnipotentiæ divinæ: Sanctarell. *de haeresi, cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 4. Dicta blasphemia idem significat, quod *faciam hoc ad despectum Dei*: Sanch. *Moral. lib.* 2. *cap.* 32. *numer.* 18. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. Mazucchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *nu.* 28. Passerin. *dict. cap. ut Inquisitionis, num.* 208. Moron. *resp.* 95. *num.* 32. Avendan. *de exequt. mand. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 13.

27 Ad quod magis enucleandum, animadverti oportet, Blasphemiam *ad despectum Dei* tribus modis proferri posse: primò circà rem indifferentem, v. g. *Volo ad despectum Dei ambulare, & cantare*; & de hac specie Blaspemiæ procedunt allegata *num. præcedenti*. Et in individuo de illis verbis, *faciam ad despectum Dei* loquuntur Suarez *to.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *nu* 8. Imola *in l. his verbis*, §. 1 *ff. de Hæred. instit* Socin. Sen. *Consil.* 1. *nu.* 102. Grammatic. *decis.* 50. Bossius *tit. de Inquisit. num.* 160. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *Centur.* 4. *cap.* 375. *num.* 14. & alii, quos refert Dicastillo *in laudatâ dubit.* 9 *à num.* 184.

28 Secundo mode proferri potest circà peccatum, dicendo v. g. *ad despectum Dei volo occidere, furari &c.* nam quàmvis Deus nolit peccatum: nihilominùs, ne illud committatur, impedire potest; undè semper manifestè sic derogaretur divinæ Omnipotentiæ: Del Ben. *dubit.* 218. *sect.* 4. *num.* 27. quasi quod Deus succumbat pravæ voluntati nostræ, utpotè impotens ad resistendum, & impediendum, quod homo Blasphemus facit, ut optimè discurrit sæpè citatus Bordon. *num.* 111.

29 Non erit tamen Blasphemia dicere, *Quamvis hoc sit peccatum, & offensa Dei, volo facere*, tt advertunt Dicastillo *dictâ dubit.* 9. *num.* 186. & Del Bene *loco cit. num.* 28. nam licet Deus nolit peccatum committi, permittit tamen; ideòquè, qui ità dicit, ostendit iniquam peccandi voluntatem; non autem intendit potentiæ, vel alio divino attributo diminutionem, vel contumeliam irrogare: Nec erit item Blasphemia dicere, *volo peccare, licet displiceat Deo*, quia nihil falsi continet: Vere enim Deo peccata displicent: Bordon. *ubi suprà, num.* 131.

30 Tertio modo ly *ad despectum Dei* potest proferri circa bonum, dicendo, *ad despectum Dei volo audire Missam, confiteri, &c.* & hic modus est pejor aliis duobus descriptis, quia, præter impotentiam, arguit etiam, Deo displicere bona opera, ac proindè Deum non esse simpliciter bonum, ut pariter ratiocinatur citatus Bordonus *in Manual. consult. sect.* 45. *num.* 129. Attributorum enim, quæ plura in Deo reperiuntur, si unumquodquè diminuatur, tunc blasphematur, ut notat Cajetan. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *vers. ex his autem*, parùmque refert, sivè in Deo Omnipotentiam, sivè bonitatem, sivè justitiam quis neget.

31 Sed quid dicendum de jis, qui dicunt, *al dispetto di Di*? Respondeti potest, hujusmodi modum obloquendi esse valdè suspectum de Blasphemiâ hæreticali contrà Deum, respectu eorum, qui in his verbis ex consetudine prorumpunt, qui proindè judicio Inquisitorum supponuntur: præsumuntur enim sic loqui ad occultandum malitiam suam, ne puniantur; cæterum illorum fraudi dignâ animadversione obviandum est, quia affectus cum principio

H 2 tacti,

facti, æquiparatur facto, & de eo idem judicium fit, quod de facto ipso: *l. si quis servo ff. de furt.* junctâ ibi Gloss. ac expressè habetur apud Floron. *casu* 3. §. 2. *num.* 3. *&* 4. Mazuch. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 31. *&* 32. Riciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 18.

32 Verùm Thomas Tamburrin. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. *num.* 20. contrà Bonac. *Decal. disp.* 3. *q.* 8. *punc.* 2. *nu.* 11. negat, dicentes *al dispetto di Di* esse absolutè damnandos de Blasphemiâ, sed illos solos, qui ut in Insubriâ, nomen Dei ex more patrio faciunt Monosyllabum; Meritò enim præsumuntur etiam in foro externo, tales intelligere illo suo monosyllabo Tetragrammaton *Jehova*; At ji, quibus Deus est disyllabus, vel trysillabus *Dio*, aut *Iddio*, hoc ipso, quod sit contenti monosyllabo, judicandi sunt abstinere idcircò enuntiatione secundæ syllabæ, ne temerent nomen Altissimi.

33 Ex dictis colligitur, esse Blasphemum illum, qui dicit, *velit nolit Beata Virgo, faciam hoc*: Julius Clar. *in* §. *Blasphemia, in principio*, & Cajet. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 1. *vers. ex jis autem*, quidquid dicant Corn. *vol.* 1. *consil.* 101. & Mascard. *vol.* 1. *de probat. conclus.* 195. *num.* 8. & *seqq* quos etiã respuit Del Bene *ubi suprà num.* 28. idemque dicendum putat respectu Sanctorum, nam quævis in eos contumelia, Blasphemia est, ac tradunt etiam Moron. *d. resp.* 95. *nu.* 31. Passerin. *loco citato, num.* 219.

34 Hinc est, quod omnes Blasphemiæ, quà tales, inter se specie non distinguntur, cum earum ratio formalis sit intentio auferendi honorem, vel cultum: Immò hac ratione non distingui Blasphemiam adversùs Deum à Blasphemiâ adversùs Sanctos, putat Cajet. *in sum. verbo Blasphemia*, *&* 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *ad* 2. *&* 3. cum aliis *in præcedenti Sectione* relatis *à num.* 4. quia nimirùm eodẽ cultu honorantur Sancti, & Deus quoniam ipsi coluntur, non propter eorum propriam; sed propter Dei excellentiam. Et hæc quidem procedunt juxtà opinionem relatam in *præcedenti sect. sub num.* 35.

35 Ad cujus majorem cofirmationem extat S. Gregorii Nazian. in *oratione funebri D. Athanasii* sententia his verbis; *Athanasium laudans, virtutem laudo; virtutem laudans, Dominum laudo: est enim virtus donum desursum descendens à Patre luminum*: Verum eo modo, quo Sanctorum gloria, & honor ad Deum refertur, ità in ipsum redundat eorumdem dedecus, & ignominia: addit tamen Del Bene *ubi suprà*, quod quando profertur aliquid in Sanctorum contemptum; sed habito respectu ad eorum ptopriam excellentiam, non incurritur peccatum Blasphemiæ; quod procedit etiam respectu eorum, qui Sanctis maledicunt.

36 Patet igitur, Blasphemiam esse, si dicatur, *faciam hoc ad despectum Beatæ Virginis, vel Sanctorum*; *vel velit nolit Beata Virgo, velint nolint Sancti.* & quamvis contrariũ probet Bordon. *in laudatâ sect.* 45. *Manualis, num.* 142. cum Deciano *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. eò quia tunc talia verba non adversantur alicui articulo fidei, cum nullus Sanctus, nec Virgo sit Omnipotens, ut notum est, nam Omnipotentia est solius Dei attributum; nihilòminus hujusmodi ratio persuadet tantùmodo, quod verba in sensu prædicto

37 jactata in Virginem, & Sanctos non ingerant Hæreticalem, non autem Blasphemiam saltem simplicem, nam semper ex modo proferendi, & ex qualitate personæ interpretari possent in contemptum, & contumeliam Virginis, & Sanctorum: sicut magnum esset in Principem convitium, si quis diceret, *volo hoc facere ad Principis despectum*: Princeps enim humanus non est Omnipotens.

38 Similiter blasphemat secundo modo, qui dicit, *Deus non potest*, quia sic manifestè Omnipotentiæ Dei derogat: Alexandr. *lib.* 3. *consil.* 15. *num.* 7. Soccin. sen. *libr.* 1. *cons.* 102. Menoch. citatus *casu* 375. *num.* 4. & Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11 *cap.* 3. *quæst.* 1. quod adeò verum est, ut censendus sit Blasphemus, qui ità dicit, etiamsi reverà non competat divinę Omnipotentię, illud facere, quia scilicet ex sui naturâ non sit factibile: hoc tamen intellige, quoties ea verba proferantur ad irrogandam Deo contumeliam, quo casu erit Blasphemia spectans ad primum modum; si autem absit contumelia, & aliquid non sit ex naturâ suâ factibile,

non

non blasphemat, qui illud negat fieri posse à Deo: Del Bene *ubi suprà, n.* 22.
39 Tandem si Blasphemia est contemptus, vel negatio attributorum Dei, nemini erit dubium, Blasphemum esse, qui Deum ipsum, hoc est, qui horum attributorum complexum renegat: Eymeric. *in Directorio Inquisitorum*, 2. *par. quæst.* 41. *n.* 1. *&* 2. Peña *ibidem commentar.* 66. Bannez 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *circa finem*; Ledesma *in summâ*, *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. *concl.* 6. & alii, quos citat, & sequitur Del Bene *in dictâ dubit. sect.* 4. *num* 15. Idem dicendum de eo, qui negat ea, quæ sunt de fide: nam Deo fidem adhibere recusat, qui ejus fidem inficiatur. Nec puto ullatenùs attendendã esse DoctrinãCassiani à S. Elia *cent. Histor. decis.* 63. *num.* 3. dicentis, judicium de hac propositione *renego Deum*, pendere ab intentione; & intentionem colligi ex conjecturis: ea enim verba semper sapiunt Blasphemiam; immò hæreticalem, ut docent Passerin. *in cap. ut Inquisit. num.* 207: *de hæretic. in* 6 Moron. *respons.* 95. *num.* 25. Bellett. *disquis. clerical. de pers. clerical.* §. 1. *sub num.* 5. Ricc. *in prax. resol. par.* 1. *resol.* 423. *vers. Blasphemiæ*.
40 Tertiò modo Blasphemat, qui Diabolum Omnipotentem vocat: Sanctarell. *loco cit. num.* 15. tunc enim Diabolo tribuit, quod soli Deo competit: S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 3. & quamvis apud *Job.* 41. *vers.* 24. de illo dicatur *non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*; ea tamen non excedit vires creatas, quia solus Deus in operando est infinitæ potentiæ.
41 Blasphemat pariter, qui vocat Diabolum Sanctum, tùm quia tribuit Deo, quod habeat Diabolum amicum; tùm quia eidem Diabolo tribuit Sanctitatem, quæ est attributum, quod Deo convenit: Navarr. *in summâ, c.* 12. *n* 88. Tabiena *verbo excommunicatio* 5. *cap* 4. §. 12. *num.* 13. & Dicastill. *in sæpè cita-*
42 *tâ dubitat.* 9. *num.* 171. Talis Blasphemus imitatur impium illum, & novum Germaniæ Apostolum Lutherum scilicet, qui has preces evomebat, *Sancte Satan, ora pro me: Sancte Satan ora pro nobis: dilecte Diabole, oro, ut pro me velis precari Deum* teste Contrad. Andr. partim *in luthero devoto*, §. 8. partim *in luthero fideli*, §. 2. *&* 4. apud Georgor. Gobat. *in experient. Theolog. Sacramental par.* 2. *tract.* 11. *casu* 20. *num.* 759. Adde, quod etiam cultum
43 civilem exhibere Dæmoni, illicitum est, ut ex Paulo Maria Quarti probat Pistach. *de superstitione*, *par.* 1. *cap.* 28. *n.* 8. eo quia Dæmon est Dei inimicus: de illo enim dicitur à David prò personâ Christi: *Donec ponam inimicos tuos. psal.* 109. & est inimicus hominis, juxtà illud Matth. 13. *vers.* 25. *venit inimicus homo, & superseminavit zizania*: Per cultum autem civilem profitetur homo amicitiam erga Dæmonem; tantò minùs igitur erit Diabolus attributo Sanctitatis honorandus.
44 Nec audiendi sunt, qui dicunt, excusari posse à labe Blasphemiæ Hæreticalis, saltem quando illa invocatio fit ex consuetudine, qualem esse testatur in Siciliâ Alberghin. *in suo Manuali qualificatorum*, *c.* 16. & sequitus Ignatius Lup. *super edictum S. Officii*, *lib.* 23. *dist.* 2. *difficult* 1. sic etiam Albertin. *de agnoscen cataol. assert.* excusat à specie Hæresis Perusinos jurantes per pudibunda Christi membra, quia non animo indurato, sed per lasciviam id faciunt, ut scribit Bald. *in l.* 2. *ad l Jul. Maiestat.* Non
45 sunt inquam, audiendi, nam indubium est talem invocationem esse Blasphemiam hæreticalem, quia, quæ competunt Deo, & Sanctis ejus, tribuuntur Dæmoni, qui nunquam fuit, nec erit Sanctus; & id asserere, & credere est hæreticum, nã dicitur Matth. 21. *vers.* 41. *Discendite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Facit, quod habet Farinac. *q.* 181. *num.* 15. ubi de sortilegio hæreticali, qui vocabat Angelum Sanctum, intelligens Dæmonem.
46 Tertio modo quoquè blasphemat, qui seù verè, seu falsò jurat per Deos Gentelium, ut per Saturnum, Jovem, Venerem, Bacchum, vel Mercurium: Passerin. *in d. cap. ut inquisit. de hæret. in* 6. *sub num.* 207. Dicastill. *d dubitat.* 9. *num.* 170. Sanchez *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 9. Lazar. *q.* 3. *num.* 48. Sabell. *reg.* 139. *n.* 78. Lup. *de casib. reservatis*, *casu* 10. *num.* 16. §. *Quarta est communis*; im-
47 mò hujusmodi Blasphemia est omnium pessi-

pessima: Sot. *de justitiâ, & jure, lib.* 8. *q.* 2. *art.*4. *couclus.*1. Alcoçer. *in summ. cap.*15. & alii, quos citat Dicastill. *loco laudato*. Ratio est, quia vocaretur Idolum in teste infallibilis veritatis: honor enim, & laus infallibilis veritatis, soli Deo debitus, tribueretur creaturæ, illus omninò incapacis. Idcircò incurritur, præter Blasphemiam, etiam Idololatriç crimen, ut benè advertit Del Bene *loco cit. num.*6. *&* 9. An autem obliget, & periurio subjaceat juramentum istud per falsos Deos? Plura apud Covarru. *in cap. quamvis, par.*1. §.1. *à num.*20. *& part.*3. §.4. *in princ. de pactis in* 6.

48 Limitatur tamen hæc condusio, quod non ità procedat, quotiescumque non seriò, sed joci causâ, vel per contemptum juretur per eosdem Deos; item, si id contingat ex usu loquacitatis, ut solet contingere in colloquiis familiaribus imprudentum: tunc enim jurantes nullum honorem Deo falso tribuere intendunt, ut observant Auctores præcitati. Quinimò nonnulli, ne ipsis obre-
49 pat malus habitus jurandi per Deum verum in rebus, quç sunt parvi momenti, jurant per Deũ Bacchum. (Consule prædictum Dicastill. *ubi suprà*) Quâ ratione si quis diceret, *al dispetto di* Dio *Baccho*, non blasphemaret, nimirùm quia hoc potius esset in contemptum, quàm in honorem, cum referatur ad falsum Deum, qui est Blasphemabilis: Lazar. *q.*3 *n.* 33. Ricciull. *de person. q. in stat. reprob. uersant. lib.*1. *cap.*4. *n.*17.

50 An autem liceat recipere juramentum ab eo, qui per Idola juraturus est? disputant Covarruias citatus Sanchez *lib.* 3. *summæ*, *cap.* 8. *num.* 21. Navarr. *to.*3. *in Manuali coufessor. cap.*12. *num.*20. & resoluunt, quod non peccet recipiens illud jutamentum cum causâ, quia recipit ad confirmationem verbi externi, non considerando venerationem Idoli, quam solus infidelis intendit. Undè solus peccat Infidelis jurans per suum Idolum, quia cultus, vero Deo debitus, tribuit suo falso Deo, quem putat esse verum Deum.

51 Propter allatam rationem, Blasphemia erit juramentum per quamcumque creaturam, quoties fit per eam ultimatè, non autem inultimatè, scilicet quoties juramentum sistat in creaturâ, & non in quantum Deus relucet in eâ: S. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.*6. Sot. *de justitiâ & jure, lib.*8. *quæst.* 1. *art* 6. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *libr.* 1. *cap.*4. *num.* 13. Dicastill. *dictâ dubit.* 9. *num.*171. & alii de hujusmodi juramentis. Solùm hìc addo, quod attentâ praxi, nemo jurans intendit honorem divinum tribuere creaturæ, quam vocat in testimonium sui dicti.

52 Denique ad hunc tertium blasphemandi modum, tribuendi scilicet creaturæ, quod Dei est, reduci possunt quorumdam superborum hominum locutiones, sibi suprà vires humanas aliquid usurpantium; Inter has potest recenseri probrum illud, quod nimis temerè in Deum jecit Rex Hispaniarum Alphonsus hujus nominis X. qui, ut refert Justus Lipsius *in exemplis Politicis, libr.*1. *cap.* 4. atque ex eo Dressel. *in Phaetonte, cap* 2. §.3. Et uterque ex Roderico Sanctio Episcopo Palentino *in suâ Historiâ Hispaniæ*, dicere ausus fuit, si principio Mundi ipsi Deo adfuisset, multa meliùs, ordinatiùsque fuisse condenda. Quam sacrilegam audaciam Deus, licet satis suaviter, multavit; nam per proditores suscitatâ in regno revolutione, hæc adeò efferbuit, ut ipse per publicam sententiam Regno priuatus, rebellem filium occupatorem Solii Regii videre coactus fuerit, ut narrat Mariana *lib.*14. *cap.*5.

53 Hçc tria blasphemiarum genera possunt esse, vel hæreticalia, vel non: cum enim, ut diximus, dari possint blasphemiæ, quæ nihil falsi contineant, hæ quidem nequeunt esse hæreticales: quippè falsitas, seù error principaliter ingreditur hæresis indifinitionem; Illæ igitur, quæ falsitatem includunt, seù sint directè, aut indirectè contrà articulos Fidei, erunt hæreticales: Eymer. *in directtor. Inquisit.* 2. *part. q* 41. *nu.*1. *&* 2. & ibi Peña *num.*1. *comment.* 66. Ledesma, *in sum. tom.*2. *tract.*1. *c.* 9. *concl.* 6. Bañez 2. 2. *q.*13. *art.*1. *circa finem* Ugolin. *de Casibus reservatis*, 2. *part. cap.* 1. §. 3. *num.* 1. & Danza *in pugnâ Doctor. tom.*3. *tit. de blasph. cap.*1. *fol.*250. *nu.*9. seù contineant aliquid expressum, quod non conveniat Deo, vel Sanctis: Alphons. de Castr. *de iustâ punit. libr.* 1. *cap.*12. Lazar. *de blasphem. quæst.*1. *n.*32.

Jul. Chartar. *decis.* 8. *num.* 11. & hæ blasphemiæ tantummodò huc spectant, eò quod ex ipsis solis oriatur hæresis suspicio: Limborch. *hist. Inquis. lib.* 3. *cap.* 19. *in princip.*

54 Hujusmodi enim blasphemiæ opponuntur confessioni Fidei: S. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *in corpore, & art.* 2. *ad* 2. *& art.* 3. Sylvest. *verbo blasphemia, num.* 2. Armilla *eodem verb. num.* 2. Sotus *de just. lib.* 8. *quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. Castro *lib.* 1. *de hæret. punit. c.* 12. Navarr. *in sum. cap.* 12. *num.* 22. Azor. *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *in fin.* & Fagundez *in præcept. decal. præc.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 25.

55 Et quamvis, qui tales profert Blasphemias, non credat interiùs eas: peccat tamèn contrà confessionem fidei, cum fides obliget, ne quis illam neget, non solùm mente, & interiùs; sed nec etiàm verbis externis, ut patet ex his, quæ diximus *in prælim.* 20. Nec obstat, quod Confessioni Fidei opponatur tantùm infidelitas, hancquè non esse blasphemiam: Nam sicut infidelis sentit de Deo falsum, & de Deo falsum etiàm dicit; ità blasphemus & si de Deo falsum non sentiat, de eo nihilominùs falsum dicit; & tali modo loquens se gerit, ac si de eo aliquid falsi sentiret, & crederet; undè dicendum, hujusmodi Blasphemiam opponi confessioni Fidei, tamquàm valdè annexam infidelitati, & hoc pacto interpretatur S. Thomam, Cajet. 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. *non longè à princip.*

Blasphemia verò non hæreticalis opponitur tantùm Divino honori, cui quoquè opponitur Blasphemia hæreticalis.

Hæ autem Blasphemiæ, generaliter sumptæ, distinguuntur in absolutas, & conditionales, de quibus separatim disseremus.

SECTIO III.

Quæ sint Blasphemiæ Hæreticales absolutæ, & quæ conditionales.

SUMMARIUM.

1 *In hac Sectione examinantur Blasphemiæ ex parte causæ, à quâ procedunt, cum à causâ desumant illæ malitiam entitativam.*

2 *Blasphemiæ ex parte causæ aliæ sunt absolutæ, aliæ conditionales: absolutæ definiuntur, & exemplo explicantur.*

3 *Blasphemiæ absolutæ aliæ Hæreticales, aliæ simplices: Hæreticales sunt, quæ opponuntur alicui fidei articulo; & tres species istarum.*

4 *Hæc trina divisio non est propriè in species, & quare?*

5 *Proferuntur exempla Blasphemiæ hæreticalis.*

6 *Blasphemia hæreticalis est dicere*, Mariam Magdalenam fuisse Christi Meretricem.

7 *Blasphemia hæreticalis est dicere*, Puttana di Dio, di Christo.

8 *Respondetur argumento Peyrini, & Ignatii Lupi, qui sentiunt, prædictam non esse Blasphemiam hæreticalem.*

9 *Dicere*, sic erat in Fatis, *non est Blasphemia hæreticalis.*

10 *Prædicta Blasphemia de Deo, & de Christo prolata, adhuc esset hæreticalis, si in Beatissimam Virginem pronunciaretur.*

11 *Extenditur censura hæreticalis, etiamsi taceretur nomen* Beatæ, *seù* Beatissimæ, *vel* Mariæ, *retento tantummodò nomine Virginis.*

12 *Est Blasphemia hæreticalis dicere*, S. Gioseffo cornuto; *eademque si in S. Joannem Evangelistam proferretur.*

13 *Multò magis erit Blasphemia hæreticalis dicere*, Dio cornuto.

14 *Blasphemia Hæreticalis est, tribuere creaturæ, quod soli Deo competit, ut, jurare per creaturas.*

15 *Qui amasiam suam vocaret* Deam, *non esset Blasphemus hæreticalis.*

16 *Auctores recensentur, qui afferunt exempla Blasphemiæ Hæreticalis.*

17 *Blasphemiæ simplices, seù non hæreticales, quænam sint?*

18 *Unaquæque Natio habet suum blasphemandi abusum: & infinitas ferè blasphemandi phrases adinvenit humana malitia.*

19 Renego Sanctum Petrum, *vel* Sanctum Paulum, *vel* alium Sanctum, *est simplex Blasphemia.*

20 *Contrarium tenet Castropalaus, quia iste*

iste videtur negare existentiam horum Sanctorum, esseque Beatos.

21 *Jurare per membra pudibunda Christi, seù Mariæ, vel Sanctorum, est Blasphemia simplex, secundùm Barbosam.*

22 *Sed esse Blasphemiam hæreticalem, tenent alii.*

23 *Qui tamen nimis severè procedere videntur in interpretandis hujusmodi Blasphemiis.*

24 *Non est Blasphemia hæreticalis illa, quâ membra pudibunda Sanctis tribuuntur, quæ non habent.*

25 *Blasphemia conditionalis quid sit? Conditio in eâ potest poni vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro.*

26 *Blasphemiæ conditionales habent eamdem malitiam, ac si essent puræ.*

27 *Respondetur, & explicatur illud axioma, quod conditio nihil ponat in esse,* & num. 28.

29 *Exempla Blasphemiæ conditionalis cum conditione de præterito.*

30 *Istæ Blasphemiæ conditionales cum conditione de præterito, non sunt hæreticales, secundùm aliquos.*

31 *Ratio est, quia Blasphemantis voluntas pendet à veritate rei, quæ realiter existit.*

32 *Hujusmodi Blasphemiæ non sunt hæreticales, sed errori proximæ, ex quibus adhùc oritur hæresis suspicio.*

33 *A fortiori erit dicendum, esse hæresi proximam Blasphemiam, quâ de re verâ affirmatur, quod sit ità vera, sicut Deus.*

34 *Verùm, hujusmodi locutiones non esse Blasphemias, sed temeraria juramenta, tuentur alii.*

35 *In hoc opinionum bello cum distinctione procedit Bordonus cum aliis Doctoribus.*

36 *In præfatis locutionibus comparativis non intervenit Blasphemia hæreticalis, etiamsi juramentum esset falsum, vel in re dubiâ.*

37 *Exempla Blasphemiæ conditionalis cum conditione de præsenti: Hujusmodi sunt veræ Blasphemiæ.*

38 *Exempla Blasphemiæ cum conditione de futuro. v.g.* Possim renegare Deum, si te non occidam.

39 *Blasphemiæ cum conditione de futuro sunt reliquis pejores, quia fides proferentis pendet ab eventu fallaci.*

40 *Hæc Blasphemia*: renegare possim Deum, si te non occidam, *habet sensum hæreticalem: ideò hujusmodi Blasphemiæ cum conditione de futuro sunt Hæreticales.*

41 *Blasphemiæ similitudinariæ quænam sint, & quot modis proferri possint?*

42 *De hujusmodi Blasphemiis similitudinariis remissivè, & quandò Blasphemus in eis possit excusari?*

43 *Declaratur finis continuandi materiam de Blasphemiâ hæreticali in sequenti Sectione.*

1 CUM in præcedenti Sectione actum sit de speciebus Blasphemiæ ex parte termini, in quem tendit, veniunt nunc discutiendæ species Blasphemiæ ex parte causæ, scilicet hominis Blasphematoris, à quo procedunt, ut etiam ex hac parte dignoscatur ejus gravitas, & malitia: hæc siquidem vocatur malitia entitativa, sicut illa ex parte termini denominatur malitia objectiva: circà quas omissis Scholasticis inspectionibus, quæ ad præsens institutum nostrum non inserviunt:

2 In primis sub cathegoriâ Blasphemię ex parte causę collocantur Blasphemiæ absolutæ, & conditionales: absolutæ sunt illę, quę proferuntur sine dependentiâ ad aliam propositionem, qualis est ista, *al dispetto di Dio*, quibus verbis per se derogatur potentiæ Dei: Bordon. *in Tribunali, cap. 26.* Salell. *de materiâ S. Officii, lib. 1. cap. 18. regula 139. nu. 96.* & de hac satis suprà dictum est. (Vide Bordon. *in Manual. Sect. 45. à nu. 109.* & Graff. *decis. part. 1. lib. 2. cap. 19. n. 11.*)

3 Blasphemiæ absolutæ aliæ sunt hæreticales, alię merè simplices, sivè non hęreticales. Hęreticales sunt illę, quæ de directo alicui fidei articulo opponuntur: quęquè omnes reducuntur ad illas tres species *in præcedenti Sectione*, latè declaratas, quibus videlicet, vel expressè, vel implicitè asseritur de Deo aliquid, quod ipsi non competit; vel negatur, quod competit; vel creaturæ tribuitur, quod ei soli competit.

4 Advertit tamen Sylvester Prierates *in summâ, verbo Blasphemiæ, num. 3.* & & post eum Ludovic. ab Ameno *in tract.*

tract. de Delictis, & pœnis, titulo 5. §. 2. *de Blasphemiâ*, quod dicta distinctio non est in diversas species: Duæ enim primæ non differunt, nisi secundùm affirmationem, & negationem; quæ diversitas habitum non distinguit: tertia verò, dum tribuit creaturæ, quod est proprium Dei, confunditur cum primâ, & secundâ, prout discurrenti facilè patere potest.

5 Itàque Blasphemus Hæreticalis est, qui dicit, Deum esse impium; crudelem; vel non providum; vel personarum acceptatorem; vel non Omnipotentem; vel non dari Deum; vel alia hujusmodi, quæ sunt contrà fidem: Passerin. *in 6. decretal. cap. ut Inquisitionis, num.* 207. *de Hæret.*, Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 7. *& sequent.* Manuel *in Summ. tom.* 1. *cap.* 34. *num.* 1. Rojas *de Hæreticis* 2. *par. assert.* 12. *numer.* 170. *& seqq.* Salzed. *in Practicâ Bernardi Diaz*, *cap.* 110. *vers. et quia sæpissimè*, Azeved. *lib.* 8. *Recopillat. tit.* 4. *lib.* 1. *num.* 3. Bellett. *disquisit. clerical. de pœn. Clericor.* §. 1. *num.* 5. Ricciull. *de person. qu. in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 10. *numer.* 12. Graff. *decis. aur. part.* 1. *libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 5. Sels. *decis.* 470. *num.* 7. *&* 8. *vol.* 4. & alii.

6 Item est Blasphemia Hæreticalis, si dicatur, *Mariam Magdalenam fuisse Christi Meritricem*: Peyrin. *de constit. Pauli V.* Lup. *in edict.* S. *Offic. par.* 4. *lib.* 23. *dist.* 2. *difficult.* 4. derogatur enim hoc pacto puritati Dei. Quis non horreat? Magdalena post meritricem fit Virgo, ut loquitur S. Ambros. *lib. de Salomone*, *cap.* 5. *serm.* 42. & Christus Virginum Sponsus per os Blasphemi

7 impurus auditur homo. Eâdem ratione quandò impius profert ea verba, *Puttana di Dio; di Christo*, blasphemat hæreticaliter; & contrà eum procedere Sanctum Officium, ait Passerin. *d. cap. ut Inquisitionis, num.* 210. *de Hæretic. in* 6. Pignatell. *consult.* 143. *tom.* 8. *in effatis de Blasphemiis, num.* 9. & meritò, quia præsumitur ità sentire, sicut loquitur: mens enim talis est, qualia sunt verba: *l. labeo ff. de suppellect.* Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 4. de hac Blasphemiâ agunt Homobon. *de exam. Eccles. tit. de casib. reserv. casu* 1. *vers. contrà verò*, Mazuchel. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 32. Lazar. *quæst.* 7. *n.* 17. Albergh. *cap.* 16. *num.* 6. Caren. *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. Floron. *casu* 3. §. 2. *num.* 6.

8 Ex his facilè corruit, quod dicunt Peyrinus, & Lupus, scilicet Blasphemiam prædictam non esse Hæreticalem, quia tunc Blasphemans non habet intentionem derogandi puritati Dei, cum possit intelligere de Meretrice à Deo conversâ. Quando quidem intentio latet, nec quærendum quid possit significare illa, sed quid re verà significet prolata ad modum Blasphemiæ: Quæ regula mihi semper placuit. Quà pròptèr nunquàm credidi, hæreticaliter

9 blasphemare illos, qui in eventu improvisæ occisionis dicunt, *sic erat in Fatis*; non enim (quidquid dicat Lupus *in edict. loco cit. dist.* 2. *difficult.* 5.) eo dicto admittunt necessitatem, quam nomine Fati Gentiles ponebant; nec intelligunt de necessitate antecedenti absolutâ, seù in causâ, tollente rerum contingentes eventus, & libertatem humanam; sed de necessitate consequente conditionali, & eâ suppositione, quâ omnia ordinata à Deo ab æterno, necesse est evenire, in quo sensu prædicta propositio est vera: Del Bene *dicta Sect.* 4 *nu.* 31. (Consule quoque Fagundez *in* 2. *præcept. Decal. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 18. Cordubam *in summâ, quæst.* 62. Ludovicum Lopez 1. *par. cap.* 282. *vers.* 7. & Dicastillo *de Iuram. disp.* 1. *dub.* 9. *num.* 173.)

10 Porrò Blasphemia, quam suprà hæreticalem diximus, talis etiam esset reputanda, si diceretur de Beatissimâ Virgine, quia ipsius puritati derogaretur, ideòquè blasphemaretur hæreticaliter, ut benè ait Passerin. *ubi suprà*, *cap. ut Inquisitionis, num.* 213. Barz *decis.* 135. *per tot.* Carthar. *decis.* 2. *n.* 30. & habetur ex Bullâ Gregor. XIII. 70. in ordine, incip. *Antiqua Judæorum*, §. 5. ubi postquàm declaratur, hæreticales esse blasphemias in Christum prolatas, quæ ipsum peccatorem pronuncient, subjungit, *Matremvè Dei non esse Virginem, &c.*

11 Quæ damnatio, & censura extenditur, etiamsi omitteretur adjectivum illud *Beatæ*, seù *Beatissimæ*, vel nomen proprium *Mariæ*, retinendo tantummodò modum usitatum loquendi, quo verba

ad Virginem ex antonomasiâ referri debent: Passerin. *loco suprà citato*, Ricciull. *de person. qu. in stat reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 22. De Angel. *de delictis, par.* 1. *cap.* 24. *num.* 17. *in fine*, Lazar. *de Blasphem. quæst.* 3. *num.* 82. Mazuch. *de casib. reservatis, disput.* 2. *cap.* 16. *num.* 32. quos allegat etiam Bordon. *loco citato in Tribunali, num.* 8. Huic doctrinæ consonat hæc observatio, quod Sanctus Evangelista Lucas, describens Mysterium Incarnationis, vtitur eâdem phrasi antonomasticâ, dicendo: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, ad Virginem, &c.*

12 Stando in allegatâ ratione, erit pariter Blasphemia Hæreticalis absoluta dicere, *S. Gioseffo cornuto*, nam de fide est, quod non tantùm *S. Josephi* Virgo non fuit adultera, sed quod semper Virgo extitit. Eâdemquè ratione si quis hanc contumeliam proferret in Sanct. Joann. Evangelistam, hæreticalitèr blasphemaret: cum enim Ecclesia *in respons. Lect. V. ejus festi* legat, *Virgo in ævum permansit*, videretur sentire, Ecclesiam mentiri, aut falli, seù fallere, ut discurrit Bordon. *in Manual. Consultor. Sect.* 45. *num.* 64.

13 Multò magis erit Blasphemia hæreticalis hæc, *Dio Cornuto*: est enim contrà Dei honorem, de quo Ezech. 50. *vers.* 21. dicit: *Perfectus est honor Domini*, quæ maxima injuria contrà Deum redundat quoquè in dedecus, & vituperium Virginis Mariæ, quæ sponsa Dei dicitur: sic blasphemans facit eam adulteram: Bordon. *cit. num.* 96. De hac Blasphemiâ Transimera *de Denunciat. qu.* 4. *cap.* 6. *n.* 5. *vers. idem est si diceret.* Ricciull. *de person. qu. in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 21.

14 Est quoquè Blasphemia hæreticalis absoluta illa, quâ tribuitur Creaturæ, quod est solius Dei, vt notat Del Bene citatus *num.* 8. sic si quis juraret per Creaturas, blasphemaret hæreticaliter, si intenderet divinum honorem illis tribuere: D. Tho. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 6. Salelles *regula* 136. *num.* 79. Suarez *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. Alberghin. *cap.* 16. *num.* 3. Diana *par.* 5. *tract.* 7. *resolut.* 8. *vers. Sed quia.*

15 Cæterùm vocans suam Amasiam, *Deam*, non est Blasphemus, quia non intendit, eam esse Deam, sed suam Amicam carissimam, quæ locutio hyperbolica est, denotans ardentem Amorem ergà illam, & refertur ad Deam Venerem: Ità ex Lorcâ, & Mendozâ, Diana *par.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 20. Dicastill. *loco citato, num.* 172. Bordon. *in Tribunal. cap.* 26. *num.* 13. & repetit *in Manuali Consultorum, sect.* 45. *num.* 59. quidquid dicant Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6. *n.* 7. Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 26. *num.* 1.

16 Sed quia horret Calamus recensere has impias Blasphemias, Lectorem proindè remitto ad Lazarium *de Blasphemiâ, quæst.* 7. *à num.* 5. *& quæst.* 12. *nu.* 25. ad Salell. *loco suprà cit.* ad Bordonum *in Tribun. dicto cap.* 26. sed copiosiùs *in Manuali, à num.* 60. *usque ad* 142. ad Carenam *par.* 2. *tit.* 7. §. 8. ad Franciscum de Magistr. *in Sylvâ Eccles. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 18. à quibus numerantur Blasphemiæ Hæreticales.

17 Blasphemiæ simplices, seù non hæreticales sunt illæ, quæ articulis fidei non opponuntur: sed magis charitati, reverentiæ, & cultui Deo debito; & istæ, vice honoris, & gloriæ, mala Deo, ac Beatissimæ Virgini imprecantur: aut contumeliosis verbis afficiunt: Ità Ludovic. de Ameno *in dicto suo novissimo opere, de Delictis, & pœnis, tit.* 5. §. 2. *Blasphemia, num.* 4. Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 26. *sub num.* 2. Passerin. *in* 6. *decretal. cap. ut Inquisitionis, num.* 216. *de hæretic.* Bellet. *disquis. Clerical. de pæn. clericor.* §. 1. *num.* 4. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 51. *num.* 91. Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *&* 2. Mart. *de jurisdict. par.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Moron. *respons. moral.* 95. *n.* 24. Basilic. *decis. criminal.* 21. *num.* 2. Sess. *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 470. *n.* 11. *&* 12.

18 Exempla hujusmodi Blasphemiarum pauca subjiciemus: sanè infinitas propè, & inter se diversas blasphemandi phrases adinvenit humana perversitas, à Diabolo contrà honorē Dei adjuta; imò vnaquæq; Regio proprium blasphemandi abusum habet, quod diligenter notavit Georgius Gobat. *in experientiis Theologico-Sacramentalibus, tract.* 11. *casu* 20. *sect.* 1. *vbi num.* 724. exempla tùm hæreticalia, tùm non hæreticalia blaphe-

phemandi Italorum, Hispanorum; & Gallorum; & *num.*710. affert exempla omnibus communia; & *num.*731. affert exempla blasphemiæ Germanorum.

19 Itaquè simplex Blasphemia est, quandò quis dicit, *Renego Sanctum Petrum; S.Paulum; vel quemcumque alium Sanctum*, ut inquit Sanchez *lib.*2. *Operum Moralium*, *cap.*32. *num.* 36. Ratio est, quia non negatur de illis aliqua veritas pertinens ad fidem; sed tantùm verbum contumeliosum in ipsos conjicitur: Undè contrà sic blasphemantes minimè procedere Inquisitores, putat Del Be-

20 ne *dict. sect.* 14. *in fine*. Verùm hujusmodi esse blasphemiam hæreticalem, sustinet Castropal. *to.*3. *Operum Moralium, cap.*32. *num.*36. Cujus opinionem probabiliorem existimat Pignatell. *tomo* 8. *Consult.*143. *in effatis, de Blasphemis, & Blasphemiis*, *num.*27. & sanè qui dicit, *Renego S.Petrum; S.Paulum*, denegat, eos existere, esseque Beatos, quod est negare quamdam fidei veritatem, cum de fide sit, S.Petrum existere, esseq; beatum.

21 An autem jurare per membra pudibunda Christi, seù Mariæ Virginis, seù Sanctorum sit Blasphemia simplex, vel hæreticalis, controvertunt Doctores: Barbosa *allegat.*51. *num.*91. censet, esse Blasphemiam simplicem: Ratio est, quia in hujusmodi convicio nihil continetur, quod repugnet iis, quæ tenemur credere, nec adversatur fidei confessioni; ideoquè nullam potest hæresim continere, quæ falsitatem exigit:

22 At præfatam Blasphemiam esse hæreticalem, dixit Bald. *in l. Accusationem* 3. *vol.C. qui accusare non possunt*, Decian. *lib.*6. *cap.*2. *num.*11. quos sequitur Bordon. *in Manuali consultorum, dict. sect.* 45. *num.*69. Passerin. *in dict. cap. vt Inquisitionis*, *nu.*211 *de hæretic. in* 6. Campanil. *diversor. jur. can. rubr.*11. *cap.*26. *num.*87. Vivius *decis.*388. *propè finem*, Sess. *decis.*470. *num.* 10. *vol.* 4. Cartar. *decis. crimin. decis.* 2. *num.* 29. & 30. Nam qui sic blasphemat, præsumitur malè sentire de illis, quasi illis membris, & partibus abusi fuerint luxuriosè.

23 Sed admodùm dura videtur hujusmodi interpretatio, & prorsùs aliena à sensu communi: Quis enim dicet, quod nominare has partes alterius hominis, sit ipsũ devitâ luxuriosâ notare, etiamsi id vel per irrisionem, vel per ludibrium fiat? Vulgatum est enim illud, *l.*56. *ff. de regul. jur. cap.*2. *de regul. Juris*, quod verba in dubio accipienda sunt ad meliorem sensum: Proindè opinioni Barbosæ adhærendum censeo.

24 Porrò si Blasphemia hæreticalis exigit falsitatem, videtur Blasphemia hæreticalis illa, quâ præfata membra tribuuntur Sanctis, quæ non habent, vt si dicatur, *Potta di San Pietro*: Sed negativè resolvendum est cum Eminentissimo Albitio *de inconst. in fide*, *cap.*31. *num.*55. Nam non derogatur hoc modo puritati, vel sanctitati, vel essentiæ ipsiusmèt S.Petri: Puritati tamen derogari, putant Cajetan. 2.2. *quæst.*13. *art.*1. Sanctarell. *de Hæresi*, *tract.*3. *cap.*2. *dub.* 2. *num.*21.

25 Quantùm ad Blasphemias conditionales, quàmplurima de eis sunt tradenda: In primis Blasphemiæ conditionales tales sunt, quæ prolatæ cum conditione dicunt dependentiam ad aliam propositionem. Conditio autem in eisdem propositionibus potest esse triplex: prima de futuro, cuius natura est actum suspendere usquè ad purificationem ejus, quod expectatur; quod non præstant aliæ duæ conditiones, de præterito scilicèt, & de præsenti: istæ enim non suspendunt actum, cum jam sit præteritus, vel præsens: *l. cum ad præsens*, 37. *ff. de reb. credit.*

26 Communis est ferè omnium sententia, quod Blasphemiæ conditionales de quâcumquè conditione, retineant eamdem malitiam, quam habuissent, si purè prolatæ fuissent. Ratio est, quia in actu conditionali est voluntas de præsenti, vt dicit Rojas *de hæret. par.*2. *nu.*174. scilicet (quemadmodùm explicat Bordon. *in Manuali consult. sect.* 45. *num.*154.) illæ Blasphemiæ conditionales ostendunt pravum affectum de præsenti: si enim aliquis diceret, *Renego Deum, si hoc verum non est*, talis faceret existentiam Dei incertam; & sic discurrendo de consimilibus propositionibus infrà ponendis.

27 Nec obstat, quod ex vulgatis juribus opponit Salazar *de usu, & consuetudine, cap.*5. *num.*28. quod scilicet conditio nihil ponat in esse, juxtà *l. si quis* 8. *ff. si quis*

I 2 *omis-*

omissâ causâ testam: Adeòque suspendat ea conditio, nè illa verba inferant Blaspemiam aliquam: Non obstat, inquam, nàm in casu nostro, ut dictum est, in actu conditionali ponitur in esse aliquid, scilicet voluntas de prꝑsenti Deum negandi; & ex Blaspemiâ illâ conditionali significatur, fidem nostram non esse firmam, cum possit ab eventu pendere, ut dixit Sanctarell. *de Hæresi tract.* 3. *de Blasphemiâ, dict. cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 13.

28 Axioma verò illud: *Conditio nihil ponit in esse*, intelligitur quoad valorem actuum practicorum, non quoad valorem actus potentię, nullum actum post se relinquentis: Bordon *de Sacro Tribunali, cap.* 26. *num.* 11. quod explicat *in Manuali, loco cit. num.* 158. dicendo, aliud esse suspendere consensum in contractibus, & obligationibus, pendentem ab eventu: Pendet enim ab arbitrio hominum, in quo sensu procedit axioma: Aliud esse suspendere, seù tollere sensum, & significationem verborum; id enim conditio præstare non potest, sed verba relinquit in suo proprio sensu verborum.

29 Firmâ stante theoriâ, quod Blasphemia conditionatè prolata retineat suam qualitatem hæresis, ut expressè docent Corduba *qu.* 61. Rojas *par.* 2. *de hæresi, num.* 173. *&* 174. Lessius *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 27. Salell. *Regulâ* 139. *n.* 9. & alii apud Bordon. *in cit. loco Manual. num.* 158. descendo ad singulas Blasphemias conditionatas, & exemplum sit in singulis propositionibus Blasphemis cum conditione de præterito: *Possim negare Deum, si hoc non feci*, quod verè fecit: Bordonus *de Sacro Tribunali, loco relato, num.* 10. *&* 11. hæc utiquè hæreticalis potest dici Blasphemia, quia conditio apposita non tollit ejus significationem, quæ hæresim sonat.

30 Cœterum non esse hæreticales absolutè hujusmodi Blasphemias enunciatas cum conditione de præterito, latè tuetur Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 49. *& seqq.* & cum eo sentiunt Mazuchell. *de casibus reservatis, disp.* 2. *cap.* 16. *quæst.* 3. *num.* 48. & Dicastill. *dict. dubit.* 9. *num. num.* 178. quandò scilicet conditio est de præterito certo, & vero, ut si diceretur: *Renego Deum, si dies hesterna non preterjit*; *vel si festum S. Mathiæ non*

31 *transiit*. Ratio est, quia blasphemantis voluntas de præsenti cum conditione de præterito non habet ex se firmitatem, sed pendet à veritate rei, quæ realiter existit: Undè sicut impossibile est, quod id, quod fuit, non sit; ità impossibile est, quod ille, qui profert talia verba, habeat animum renegandi Deum: conditio enim illa non est contingens, sed necessaria: dies enim externa necessariò præteriit: Ità discurrunt, & benè præcitati Auctores.

32 Quapropter censerem & ego, hujusmodi Blasphemias non esse hæreticales, sed hęresi proximas, ex quo adhuc oritur hęresis suspicio: Ratio autem censurandi illas, veluti hæresi proximas, est quia subjectant Deum rebus, seù factis humanis, tanquàm ex eorum certitudine pendeat firmitas, quâ quis tenetur confiteri Deum: Deus enim nec à necessariis dependet, iuxtà illud Exodi *cap.* 3. *vers.* 14: *Ego sum, qui sum*; hoc est, à me meam habeo existentiam, & à nullo dependeo: hæc autem conditio facit dependere, adeòque hæresis suspicionem inducit in sic blasphemante: Hac ratio-

33 ne motus in fortioribus terminis dixit Parlador. *rer. quotid. quæst.* 18. hæresim sapere illam propositionem, quâ de re verâ affirmatur, quod sit vera, sicut Deus; vel dicatur, esse veram, sicut Evangelium; vel tàm verâ, quàm quod Christus natus est de Mariâ Virgine, quę vocantur Blasphemiæ cōparativæ per hoc, quod quis jurando, veritatem suam humanam comparat cum veritate divinâ.

34 Sed contrarium tuetur Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, num.* 209. *de Heretic. in* 6. Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 35. *&* 36. quibus addo Bordon. *in Tribunali, cap.* 26. *num.* 12. & Dicastill. *in laudatâ dubit.* 9. *num.* 199. *& sequentib.* Bordonus enim docet, hujusmodi locutiones non esse Blasphemias, sed temeraria juramenta: Dicastillo verò addit, tales esse locutiones hyperbolicas referentes similitudinem non adequatam, sed proportionalem ad fidei veritatem: sequitur etiam Antonius Escobar *in Theologiâ morali, resol.* 4. *lib.* 8. *cap.* 32. *problemat.* 157.

35 Verùm meliùs resolvere videtur idem Bordon. *in Manuali Consult. laudatâ,*

datâ, *sect.* 45. *num.* 160. procedendo cum distinctione, scilicèt, quod modi illi comparativè jurandi sint Blasphemiæ hæreticales, quandò jurans crederet, & intenderet, veritatem humanam esse æqualem veritati divinæ, quod credere est hæreticum; nàm hoc est creaturæ tribuere, quod Dei proprium est: Aliter nullo modo est Blasphemia, si per comparationem intendat per divinam veritatem, suam, vti debilem, confirmare. Et hic est communis DD. sensus: Castropal. *par.* 2. §. 3. *num.* 4., Salell. *reg.* 139. *num.* 100. & 101. Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 54. Del Bene *cit. sect.* 4. *num.* 48. Ricciull. *ubi suprà*, *n.* 36.

36 Quinimò nec in præfatis locutionibus comparativis interveniet Blasphemia hæreticalis, etiamsi juramentum sit falsum; vel juretur in re dubiâ: sed tantum erit perjurium, quod nullatenùs heresis suspicionem inducit: qui enim sic jurat, non intendit aliud, nisi inducere proximum ad credendum, esse verum, quod jurat, licet sit falsum, & sic intendit proximum decipere: Ità Bordon. *in laudato loco Manualis*, *num.* 160.

37 Blaspemiæ conditionales cum conditione de præsenti satis frequentes in ore impiorum sunt: *Deus justus non est, si hunc perversum non castigat*; *Deus non est, si non facit hoc miraculum*; *Volo potiùs Christum negare, quàm hoc credere*. Has locutiones esse verè Blasphemias, nulli dubium est: licet enim aliud sit blasphemare; aliud velle blasphemare quoad suspicionem hæresis; tamen prò foro externo idem judicium faciendum est de utrisquè, tùm quia actu fieri, & esse in viâ, paria sunt: Bart. & Bald. *in l. Quamvis*, *C. de inoffic. testam.* Tùm quia potentia in habitu idem operatur, quod potentia in actu.

38 Blasphemiæ conditionalis cum conditione de futuro exempla passim afferuntur hæc: *Deus est iniquus, si te non puniet*. *Possim renegare Deum, si te non occidam*: Covarr. *de pact.* 1. *par.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 2. Cordub. *in summâ*, *qu.* 61. Ludovicus Lopez 1. *par. instruct. cap.* 282. *vers.* 6. Rojas *de Hæret.* 2. *par. assert.* 22. *num.* 173. & *seqq.* Azevedo *lib.* 8. *Recopil. tit.* 4. *lib.* 1. *num.* 14. Alcoçer. *in summ. cap.* 15. quos sequitur Del Bene *dict. dubit.* 218. *sect.* 4. *num.* 36.

39 Observandum, Blasphemias cum con-
conditione de futuro reliquis esse pejo-
res; nam Blasphemi verba de futuro si-
gnificant, fidem illius non esse omni-
nò firmam, cum pendeat à conditione,
quæ potest evenire, & non evenire:
& censentur significare, negandam fore
fidem, si non sequatur occisio, quam
Blaspemans minatur: Sanctarell. *de*
Blaspemiâ cap. 2. *num.* 13. & Del Bene
in allegatâ sect. 4. *num.* 36. vel quia, vt ait
40 Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 143. *in effatis*
de Blasphemis, & *Blasphemiis*, continent
in se puram affirmativam, scilicet, quod
si ad occidendum illum opus fuerit, in
Deum non credere, paratus est id li-
benter facere: Idcircò has Blasphemias
censerem esse hæreticales, cum per ip-
sas divinæ Majestati, & Justitiæ tribua-
tur, quod in aliquo casu possit negari,
juxtà Sacctarellum, & Del Bene, *ubi*
suprà.

41 Esset hìc agendum de Blasphemiis si-
militudinariis, quæ scilicèt veris blas-
phemijs assimilantur ex modo loquen-
di, quatenùs Blasphemi non proferunt
quidem integram dictionem; vel, si in-
tegram proferant eam, alteram, aut al-
teram addunt: sed vel ex initio dictio-
nis, vel ex symboleitate ejus cum verâ,
& integrâ dictione, intelligitur facilè
Blasphemiæ sensus, ut si quis diminuen-
do diceret: *Puttana di Cris*, *di Di*; *vel*
addendo: *Puttana di Dio Bacco*; vel al-
42 terando *di Crispo*. Sed de hujusmodi
Blasphemiis sufficiant superiùs tradita
in hac sect. num. 31. & 32. Qui plura desi-
derat, adeat De Angel. *de delict. part.* 1.
cap. 24. *num.* 19. & 22. Bordon. *in Ma-
nual. Consultor. sect.* 45. *num.* 143. & *seq.*
ubi *num.* 146. notat, quod excusatio
locum potest habere in his, *al dispetto
di Criso*; *di Crispoli*; *della Vergine Gio-
vanna*, quia tunc specificatur nomen
proprium: Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 43.
vers. septimò.

43 Ut autem completam tradamus notitiam Blasphemiarum, ultrà superiùs protractam illarum expositionem, præcipuè *in hâc tertiâ sect.* specialem mox subijcere declarationem de proferentibus Blasphemias hæreticales, operæpretium duximus, cum summè necessarium sit,

sit, quod Inquisitores agnoscant istorum delinquentium enormem malitiam, gravitatem delinquendi, & alia similia, ut sciant, quandò, & quomodò adversùs Blasphemos procedere possint; sit ergo:

SECTIO IV.

De proferentibus Blasphemias hæreticales.

SUMMARIUM.

1 *Introductio ad hujus sectionis materiam, de quâ etiam actum fuit in superioribus.*
2 *Priscus Judæorum mos scindendi vestes ad Blasphemiæ auditionem.*
3 *Vestes, auditâ Blasphemiâ, cur scissæ à collo ad pectus?*
4 *Blasphemia Hæreticalis in quo ab Hæresi differat.*
5 *Blasphemia Hæreticalis adhùc talis est, absquè errore intellectus.*
6 *Blasphemus est de hæresi suspectus.*
7 *A verbis ad intentionem infertur, quia verba sunt mentis testimonium.*
8 *Doctores Itali sentiunt, Blasphemum hæreticaliter esse de hæresi vehementer suspectum: Hispani autem tenent, quoscumque Blasphemos esse tantùm de levi suspectos.*
9 *Qui semel tantùm blasphemavit Hæreticaliter, est de levi suspectus; secus si quinquies blasphemavit.*
10 *Qui semel tantùm blasphemavit hæreticaliter, quando sit de hæresi vehementer suspectus?*
11 *Blasphemus de hæresi vehementer suspectus torturandus, si neget pravam intentionem; secus autem, si est tantùm de levi suspectus, & nu. 12.*
13 *Quomodò cognoscet Judex Blasphemum hæreticalem à simplici Blasphemo.*
14 *Hæreticali Blasphemiâ nihil pejus dari potest.*
15 *Hæreticalis Blasphemiæ crimen maximè à Deo in hac vitâ punitur.*
16 *Exempla divinæ ultionis in Blasphemos.*
17 *Blasphemi in inferno puniuntur à Deo.*
18 *Principes, & Magistratus debent æmulari Dei severitatem in Blasphemis puniendis.*
19 *Quid Christus responderit Roberto Regi Galliæ de Blasphemjis sui Regni?*
20 *Julii III. Sum. Pont. dictum in detestationem Blasphemiæ, & Vldarici Zasii.*
21 *Veteres cur manus imponerent super caput Blasphemi lapidandi?*
22 *Blasphemi magnâ hæresis suspicione laborant, sicut Hæretici; & tàm illi, quàm isti in hac vitâ à Deo puniuntur.*
23 *Nullum majus fundamentum ad suspicandam hæresim, quàm Blasphemia.*
24 *Blasphemia hæreticalis est species hæresis, & æquiparatur assertioni hæreticali.*
25 *Blasphemia atrox infert semper hæresis suspicionem.*
26 *Exempla atrocium Blasphemiarum.*
27 *Execrabilissima Blasphemia Friderici Secundi Imperatoris.*
28 *Abusus Sacræ Scripturæ est species Blasphemiæ.*
29 *Contumeliâ afficiens Scripturam Sacram, Deum ipsum contumeliâ afficit.*
30 *Reus læsæ Majestatis est, qui Principis Statuam conflat ad usus prophanos; quantò magis, qui Sacram Scripturam corrumpit?*
31 *Quadruplex est Sacræ Scripturæ abusus: Primus in re scurili ad ingenii pompam.*
32 *Secundus abusus est ad irridedam simplicitatem Sacræ Scripturæ.*
33 *Tertius, quando Sacra Scriptura assumitur ad errorem docendum in fide, & moribus.*
34 *Quartus abusus est ad sortilegia, & incantationes.*
35 *Primus, & secundus Sacræ Scripturæ abusus non reducitur ad genus blasphemiæ: limita in secundo abusu.*
36 *Regula generalis P. Suarez ad cognoscendum, quando abusus Sacræ Scripturæ sit Blasphemia.*
37 *Auctores infensi potestati Ecclesiæ adhùc censuerunt, cognitionem de blasphemiâ hæreticali spectare ad Judices Ecclesiasticos, & circ[illegible] num. 38.*
39 *Referuntur Doctores aliqui putantes, Blasphemias esse mixti fori.*
40 *Sed DD. communiter Canonistæ, & Theologi ad forum Ecclesiasticum spectare volunt.*

42 Quia

41 *Quia Judex laicus in materiâ hæresis nequit se ingerere, nec incidenter, nec principaliter.*
42 *Idque, etiamsi crimen cadat in laicum, & agatur de quæstione facti.*
43 *Simplex Blasphemia est crimen mixti fori.*
44. *Probatio deducitur ex Decretali Gregorii Noni.*
45 *Et ex jure novo Bullæ Julii Tertii.*
46 *Salelles dicit esse optandum, quod cognitio simplicis Blasphemiæ ponatur in Tribunali Ecclesiæ privativè ad alios Judices.*
47 *Simplex Blasphemia judicatur à foro tantùm Ecclesiastico in duobus Casibus.*
48 *Simplex Blasphemus est saltem remittēdus ad Ecclesiasticum Iudicem, ut interroget de intentione, & advertentiâ; &c.*

1 SAtis, superquè in primâ sectione actum est à nobis de Blasphemis in genere, quæ etiam Blasphemis hæreticalibus adaptari possunt, & debent; nec hic repetere opus est; sicut nec ea, quæ tradita sunt in sectione præcedenti de Blasphemiâ hæreticali. Quædam verò specialia ibidem propter Methodum clariorem doctrinæ omissa, hic sunt discutienda.

2 In primis occurrit, Lectoris memoriæ tradere priscum Judæorum morem, qui Blasphemiam audientes, in detestationem, & execrationem tanti sceleris, consueverant scindere vestes, ut (inquit Cornel. à Lapide *in actâ Apostolorum, cap. 14. vers. 13.*) hoc signo sibi cor intimo dolore tangi, & quasi scindi, testarentur; ac Blasphemiam cum Blasphemo dignam planè esse, quæ dirumperetur, & scinderetur: quòcircà ve-
3 stes frequentiùs scindebant à collo secundùm humeros usquè ad pectus, ubi est cor, & doloris sensus, ut tradunt Hæbrei *in libro Misnajoth. de volumine parvo, cap. 3.* Idem fecisse Æneam, cecinit Virgilius Æneid. 5.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioquè vocare Deos, & tendere palmas.

Dignos planè Blasphemos hereticales tantæ consternationis demonstratione quis non judicabit?

4 Blasphemia namque Hæreticalis in hoc tantùm differt ab Hæresi, quod ista in credendo; illa in dicendo consistit, ut docent Parlador. *post Quotidian. diff. quæst. 18. §. 1. 2. & 3. per tot.* Del Bene *de S. Offic. par. 2. dubit. 218. Sect. 3. n. 18.* Vela *tract. de Episc. num. 92. & seqq. ad 101. post dissert. jur. Controver.* Moron. *resp. 95: nu. 8.* Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 19. num. 1.*

5 Ex his infertur, quod cum Blasphemia hæreticalis, propriè loquendo, solummodò ore consumetur, adhùc est formaliter talis, etiamsi non adsit error in intellectu, quemadmodùm de communi DD. sensu testatur Lup. *in Edictum S. Inquisit. part. 4. dist. 1. art. 2. difficult. 1.* Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib. 1. cap. 10. num. 6.* Bellet. *disqu. clerical. de pæn. clericor. §. 1. num. 6.* Moron. *cent. resp. moral. resp. 95. num. 8.* Potest enim aliquis motus passione, v. g. irâ, evomere, Deum esse injustum, quod tamen non credit ità esse: secus dicendum de hæresi, ut patet.

6 Verùm non obstante, quod Blasphemans hæreticaliter non habeat errorem in intellectu, adhùc tamen nemini dubium erit, illum esse de Hæresi suspectum, id quod habetur *in cap. Inquisitionis officium, de Hæreticis in 6.* & ibi Passerin. *num. 227.* ac tradunt Eymeric. *in Directorio, quæst. 41. num. 5.* & ibi Pegn. *Commentar. 66. vers. cæterùm, in fine*, & omissis quampluribus alijs, Lazar. *de Blasp. cap. 6. num. 8. & cap. 52. n. 38. & 39.* Salell. *de Materiâ Tribunalis, lib. 4. cap. 5. regulâ 252.* Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib. 1. cap. 10. num. 9.* Campanil. *diversor. jur. can. rubr. 11. cap. 26. nu. 69.* Limborch. *in Historiâ Inquisit. lib. 3. cap. 9.* Sess. *decis. 469. num. 17.* & sicut fides est verè virtus, licèt perfectione Charitatis careat; ità Blaspemia est verè hæreticalis in S. Officio, licet non constet de malâ voluntate Deum inhonorandi:

7 Ratio est, quia rectè potest à verbis ad intentionem inferri, juxtà illud Euangelicum: *ex abbundantiâ cordis os loquitur*: quod clariùs expressit Christus *Matth. 15.* dicens: *quæ procedunt de ore, de corde exeunt*; nàm verbo, vel facto cujuscumquè probatur credulitas, ut dixit Ricciul. *lib. 1. de jure personarum extrà Ecclesiam, cap. 7.* Sunt enim verba,

sicut

sicut superiùs demonstravimus, mentis testimonium, & earum, quæ in animo sunt, passionum notæ, ut etiam ex Baldo, & Surdo dicit Bardellon. *Consil*. 29. *n*. 12.

8 Quia ergò verba ma la in bonam partem trahi nequeunt, nec debent, meritissimè hæc menti Iudicum repræsentant pravam Blasphemantis intentionem ad inducendam vehementem hæresis suspicionem. Ità sentiunt communiter Doctores Itali: Hispani verò scriptores, teste Dianâ *par*. 4. *tract*. 7. *resolut*. 8. *vers. nota tamen*, docent, quoscumque Blasphemos esse de Hæresi solummodò leviter suspectos. Quorum ratio est, quia præsumunt, illos potiùs ex irâ, impatientiâ, aut joco, aut ex lubrico linguæ prorumpere in Blasphemias, quàm ex pravâ intentione: Hanc autem rationem *infrà sect*. 6. discutiemus.

9 Limitanda tamen est communis nostrorum sententia, scilicet, non esse de hæresi vehementer suspectum, qui semel tantùm blasphemat; sed requiri quinque Blasphemias, successivis, ac distinctis vicibus prolatas, ut dicemus *in sequenti Sectione*. Cæterum nemini dubium esse potest, semel tantùm, sed hæreticaliter blasphemantem, esse de hæresi leviter suspectum: In qualibet enim hæreticali Blasphemiâ, prout discurrit Bordon. *cit. loco Manualis*, *n*. 43. præsumitur hæresis, quia quælibet hæreticalis Blasphemia fidei confessioni adversatur. Sublimitanda est præcedens

10 limitatio, ut Blasphemus hæreticalis sit de hæresi vehementer suspectus, si semel blasphemavit, & aliàs vel convictus, vel confessus fuit de aliis Blasphemiis hæreticalibus, quod probatur *ex cap. accusatus* 8. *de hæret. in* 6. ubi dicitur, quod si quis abjuravit in judicio hæresim propter ejus vehementem suspicionem, si iterùm labitur, relapsus censeri debet; proindequè judicandus vehementer suspectus de Hæresi, cum non appareat emendatus de suis Blasphemiis.

11 Cum autem sæpè contingat, quod convictus, vel confessus delictum Blasphemiæ, neget pravam intentionem, tunc partes Judicis erunt, Blasphemum torturæ subjicere, si de hæresi vehementer sit suspectus: & ratio est, quia Judex habet pro se validam præsumptionem, quod talis Blasphemus sit hæreticus; & cum aliud medium ad se certificandum, an hoc sit verum, nec ne, non habeat in ordine ad punitionem, necesse est, ut torturâ utatur: Ità Molfes. *tract*. 11. *cap*. 3. *num*. 27. Genuen. *in prax. for. Archiepisc. cap*. 84. *num*. 8. Caren. *part*. 2. *tit*. 7. *num*. 62. Salell. *de materiâ sacri Tribunal. regulâ* 352.

12 *num*. 120. Secus tamen dicendum est, si Blasphemus sit tantùm leviter de hæresi suspectus: tunc enim non esse torquendum, sentit, præter citatos Auctores, Sousa *lib*. 1. *cap*. 34. *numer*. 64. Ratio est, quia levis suspicio non commensuratur tàm gravi pœnâ, sicuti est tortura. Deindè si vehemens suspicio tollitur per torturam, & abjurationem, levis suspicio per minorem pœnam, scilicet per abjurationem, est tollenda; aliter inæqualia delicta æquipararentur in pœnas, de quâ re videndus est Passerin. *in* 6. *Decretal. cap. ut Inquisitionis*, *num*. 231. *de hæretic*.

13 Sed quomodò cognoscet Judex in casu nostro, aliquem esse de hæresi vehementer suspectum, scilicet esse Blasphemum hæreticalem? dicendum cum Ignat. Lup. *in edict. S. Inquisit. par*. 4. *lib*. 25. *dist*. 1. *art*. 1. *difficult*. 1. *vers. dices*, ità cognosci, quia per verbum indicativi modi asseritur aliquid fidei contrarium: quandò enim profertur per modum optativi, aut imperativi, nil falsum dicitur, idest nihil asseritur, vel negatur, nisi tamen affirmativum, vel negativum includatur in dicto, ut si quis blasphemet: *Oh Deum iniustum*: includitur enim in hac Blasphemiâ, Deum esse injustum, quemadmodum ponderat Passerin. *cit. cap. ut Inquisitionis*, *n*. 205. *de Hæretic*.

14 Profectò hæc protenso paululum calamo, tradita sunt, ut sciant Inquisitores, quod in tanti sceleris indagine omnem debent curam adhibere ad eruendam veritatem, quandoquidèm, juxtà D. Joann. Chrisostomi sententiam *in psalm*. 95. Hæreticali Blasphemiâ nihil pejùs dari potest: quod manifestè apparet, quia, ut ait S. Athanasius in ea verba Evangelii: *quicumque dixerit Blasphemiam, &c. Matth*. 12. qui blasphemat, contrà ipsam Deitatem facit, & di-

& directè vulnerat Benefactorem, qui, postquàm factus est Homo, ut hominibus amissum redderet honorem, vitam, & sanguinem profudit: Ità etiàm discurrunt Solorzan. *de jure ind. lib. 2. cap. 13. num. 41.* Lopez *in practicâ Criminal. Canon. cap. 90.* Del Bene *d. dubitat. 218. sect. 8. num. 2. 17. & 18.*

15 Tanta sanè est hujus criminis atrocitas, ut Justinian. Imperator §. *Prætereà, ut non luxur. cont. nat. in auth. coll. 6.* dixerit, præ cunctis crimen hæreticalis Blasphemiæ à Deo maximè puniri, sicut etiam videre est penès Cened. *ad Decretal. collect. 126. num. 2.* Ideò appositè comminabatur, & obtestabatur simul S. Ephrem Syrus *Parænesi 43. Desine*, ait, *ò homo blasphemare, ne fortè idem sermo, quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat.*

16 Undè extant in Sacrâ Historiâ tot divinæ in hujusmodi Blasphemos ultiones: harum parva retulimus in primâ Sectione de Blasphemis in genere. Multarum animadversionum divinarum metuenda exempla Justinus Goblerus Guarinus *in cap. 4. Politiæ Caroli V. Cæsaris* concludit sequentibus versibus:

Impius occubuit gelidis Mexentius undis:
Putridus Herodes lendibus esca fuit:
Persica Julianum Blasphemum sica peremit:
Constricto pœnas Commodus ore dedit:
Mersit, & ut tumidis cæcum Pharaona sub undis.
Sic, quoque tu justâ cæde Philiste, cadis.

17 Quibus justissimis punitionibus succedunt in gehennâ æterni cruciatus. Hinc Guilielmus Peraldus *Summâ virtutum, tract. 9. cap. 5.* referente Patre Dresselvi *in calce 7. sui Phætontis*, pronunciat in Blasphemos, dicens, *Blasphemi discunt in Mundo, quæ canent in Inferno; cum Diaboli linguam habeat, qui, ut Diabolus, loquitur*: Cui conformatur S. Joannis Chrysostomi *in Matthæum, Homiliâ 76.* aurea hæc paremia: *verè lingua Blasphemi vehiculum est Diaboli.*

18 Profectò si Principes, & Magistratus Christiani, quoad possunt, omnibus spectatis, æmulentur severitatem ipsius supremi Judicis Dei, facient, per se loquendo, rectissimè, & piissimè; quandoquidem primum in unoquoque genere esse exemplar cæterorum, non modò tradunt Philosophi, post suum Magistrum Aristotelem, sed etiam rescripto suo confirmavit Innocent. III. *cap. ex literis §. Quia, vers. nostri de constitut.* Deus autem Optimus Max. est primus, non solùm tempore, sed etiam, & vel maximè sapientiâ in sanciendis legibus adversùs illos, qui ponunt in Cælum os suum, linguam relaxando in Blasphe-
19 mias: *cap. 2. de maledic.* Hanc divini Tribunalis possibilem imitationem Principibus, & Judicibus præsertim sacris persuadere debet illa formidanda comminatio, quâ ipse Salvator, referente Boërio *decis. 301. num. 4.* ergà laudatissimum Galliæ Regem Robertum, Hugonis Capeti filium efflagitantem ab eodem Salvatore pacem pro suo Regno, usus fuit, cum dixit: *Pacem non impetrabis, Roberte, priusquàm Blasphemias ex Regno extirpaveris.* Rectè ergò Julius Clarus *verbo Blasphemia, n. 3.* sic scribit: *Meo judicio graviter peccant Principes Christiani, & eorum Magistratus, qui hoc crimen gravissimè non puniunt.*

20 Sanè quilibet Princeps, Judexque Christianus de se profiteri debet id, quod Udalricus Zas, scripsit *in consil. 19. n. 36. lib. 1. Blasphemiam odi, cane pejus, & angue*: sed efficaciùs ex Apostolico Throno detonat Julius III. in Bulla incip. *in multis*, his verbis: *Nihil est quod, Animum nostrũ magis exulceret, & confodiat, quàm horribilis, atque impia, & Christianis auribus intolerabilis divini nominis Blasphemia.. ut minimè mirandum sit, si à Christianis populis in tantis calamitatibus constitutis divinæ iracundiæ flagella non amoveantur, propterea quod juxtà Sapientis dictum, à viri multùm jurantis domo non discedet plaga.* Hæc Summus Pontifex.

21 Aptissimè ad rem nostram observat Oleaster *in cap. 24. Levitici 14.* ad illa verba: *Ponant omnes, qui audierunt* (Blasphemiam ejus) *manus suas super caput ejus; & lapidet eum populus universus*; Veteres consuevisse imponere manus super caput rei, tanquam super hostiam piacularem. Blasphemia enim, & alia similia gravia crimina, nisi vendicentur, vicinas sui enormitate regiones polluunt, easque divinæ punitioni obnoxias reddunt, quam, ut prisci auver-

terent, idcircò manus imponebant, hocque ritu deprecabantur, ut Deus in blasphemantem omnem peccati pœnam devolveret, neve in regionem, aut populum crimen admissum plecteret.

22 Cum ergò tot, tantaque extent divinæ justitiæ in hæreticaliter Blasphemos suppliciorum exempla; & humanæ vindictæ extare debeant punitiones, planè fatendum erit, eosdem Blasphemos maximâ hæresis suspicione laborare. Parem siquidem in hoc, genimina hæc viperarum, Blasphemi, & Hæretici, subeunt meritam infelicitatem: etenim incredibile Dei judicium ex perpetuâ, eâque deplorandâ experientiâ manifestatur in puniendis etiam in hac mortali vitâ, Hæreticis, prout Thomas Bozius allatis exemplis Hæreticarum Nationum, quæ à summo fælicitatis vertice ad extremam miseriam, & servitutem redactæ sunt, latè ostendit *tom.2.de signis Ecclesiæ, lib.* 24. *signo* 99. *cap.* 1. *pag.*581. *lit. D.E. & pag.*582. *lit.A.B.C.*

23 Quâpropter optimo jure firmat Fenellius *de Casibus reservatis, casu* 3. *num.*28., vix reperiri posse validiùs Blasphemiâ hæreticali fundamentum, ex quo hæresis suspicio inferatur, quia nimirum in se hæresim includit; & sanè nullum atrociùs reperiri valet infidelitatis indicium, quàm in eum opprobria inferre, qui probra nostra delevit: *cap.nonnullis, de Judæis*; & Decian. *tract. Criminal. lib.*6. *cap.*3. *num.*1.

24 Deindè Blasphemia hæreticalis est species hæresis, ut ait Avendan. *de exequt. Mandato par.* 2. *cap.*5. *numer.* 11. & ideò Blasphemiæ hæreticales reducuntur ad titulum *de Hæreticis*, & legibus hæreticorum judicantur, ut probat Eymericus *in Direct. Inquisitor. par.* 2. *quæst.*41. & sequitur Peña *in addit. comment.*66. *vers.hæc distinctio*: Nam Blasphemiæ hæreticales æquiparantur hæreticalibus assertionibus, ut dicit Ricc. *in prax. Aurea, par.*2. *resol.*9. *num.* 2. ac Blasphemi, & Hæretici æquiparantur, ut dicit Afflict. *in constit. Regni Neapolit.* quæ incipit: *Patarenos*, *n.* 53.

25 An verò blasphemans atroci Blasphemiâ sit semper de hæresi suspectus? respondendum videtur affirmativè, quia omnis Blasphemia atrox est Blasphemia hæreticalis, licet non è contrà; scilicet non omnis hæreticalis est atrox: Illa enim dicitur Blasphemia atrox, quæ est auditu terribilis, & horrenda, præseferens quamdam execrabilem impietatem, & dedecus, atque vituperium contrà Deum, Christum, Virginem, & Sanctos. Non omnis autem hereticalis Blasphemia est auditu horrenda: Ità Bordon. *in Man. sect.*45. *num.*167.

26 Exemplo declaratur tradita doctrina: Atrox, & enormis est hec Blasphemia: *Si Deus hoc diceret, dicerem ego, ipsum mentiri*. Lazar. *quæst.* 7. *num.* 19. Illud enim verbum, *mentiri*, arguit maximam injuriam ex allegatis per Ricc. *par.* 3. *decis.* 245. *num.* 4. Quis non horreat ad has impiissimas voces? quibus auditis potest meritò quilibet fidelis exclamare cum Sancto Polycarpo, qui audito Marcione heretico blasphemante, ita conquestus est: *Bone Deus, ad quæ tempora me reservasti, ut hæc audiam?*

27 Verùm omnis impietatis metam excessit Sacrilegus Fridericus II. Imperator, quando nefandissimo protulit ore, tres fuisse insignes impostores generis humani in Mundo, scilicet Moysen, Mahometem, & Christum Jesum: duos priores gloriosè objisse; Jesum verò opprobriosè in ligno Crucis. Hanc inter alias enormissimas iniquitates ei objicit Gregor. IX. Sum. Pont. in Bullâ, quâ ipsum ab Imperio deposuit, & excommunicavit, ut refert Henricus Spondan. *ad Annum Christi* 1239. *nu.* 4.

28 Non est hìc pretereundum aliud hereticalis Blasphemie genus, scilicet, quando quis abutitur Sacre Scripture verbis. Certum est enim, sermonem de Deo turpem blasphemum esse, ut inquit Bossius *tit. de Inquisitione*, 131. *in fine*, Antonell. *de regimine Ecclesiæ, lib.*6. *cap.*24. *num.* 1. *in fine*, nam talis locutio, quæ fit per modum convicii in Deum, habet rationem Blasphemiæ: Fragos. *de Regimine Reipub. Christianæ, part.* 1. *libr.* 2. *disput.* 4. §. 5. *numer.* 3.

29 Quapropter turpiter de Deo loquitur, eumdemque conviciatur, qui sacrâ abutitur scripturâ: cum enim hæc sit verbum Dei; dux vitæ; semita justitiæ; lumen fidei; ac lucerna, quæ humanæ ignorantiæ depellit caliginem, juxtà illud psalmi: *Lucerna pedibus meis, verbum tuum*, ipsi debetur ea reverentia, quæ

Deo

Deo debetur ; proindè convicio , seù contumeliâ afficiens divinam scripturam , est in Deum contumeliosus.

30 Profectò, si criminis læsæ Majestatis redditur Reus, qui statuam Imperatori consecratam conflat ad prophanos usus, ut habetur ex *l. qui statuas, ff. ad l. Jul. Majest.* & crimine falsi tenetur, qui corrumpit edicta Principis, aut Prætoris: *l. Hodie ff. ad l. Cornel. de fals.* quomodò divinę Majestatis lęsę non erit Reus, qui Sacram Srcipturam, in quâ divinę Majestatis Imago describitur, & per quam æternę ejus Majestatis pręcepta hominibus servanda proponuntur, corrumpit?

31 Ut autem dignoscamus, quandò Sacrâ Scripturâ abutens sit hæreticaliter Blasphemus, quando verò non, notandum est, quadrupliciter posse contingere, aliquem Sacrà scripturâ abuti: Primò, quandò aliquis usurpat verba Sacræ Scripturę ad ostendendum acumen ingenij in re scurrili, ut si homini melancholici vultus applicaretur ille versiculus *Psal.* 147. *A facie frigoris ejus quis sustinebit?* aut alius amico diceret: *Sede à dexteris meis*.

32 Secundò, quandò aliquis utitur Sacræ Scripturę verbis ad irridendam simplicitatem phrasis; aut Mysterium aliquod fidei; aut Ecclesiæ institutionem. Exemplum sit in eo, qui vellet deridere de inconsonâ latinitate locum illum Epistolæ D. Pauli 2. *ad Corinth. cap.* 8. *Sivè pro Tito, sivè fratres mei*; deberet dicere *prò Fratribus meis*: sed malè carperetur, nam cum Hebræi careant casibus (eodem enim termino omnes casus exprimunt) ideò Latini, & Græci Interpretes, inhærentes phrasi hebrææ, solecismos faciunt.

33 Tertiò, abusus est, quandò verba Sacræ Scripturæ assumuntur ad docendum manifestum errorem in fide, & moribus; vt si quis volens suadere hanc hęresim, putà peccata non esse confitenda Sacerdoti ad obtinendam illorum remissionem, uteretur hoc versiculo *psal.* 31. *vers.* 5. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei*: vel si lascivus impudicè respiciendo pulchram fæminam, vsurparet illud *Ps.* 91. *vers.* 5. *Delectasti me Domine in facturâ tuâ*, ad cujus procacem petulantiam retundendam jure posset reponi illud ejusdem *psal. vers.* 7. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*.

34 Quartò, abuti contigit Sacrâ Scripturâ à sortilegis, & Incantatoribus ad maleficia, Sortilegia, & incantationes perpetrandas; vel ad futuros eventus præcognoscendos, quem modum superstitiosum carpit S. August. *Epist.* 119. *ad Januar.* & Concilium Agathense *c.* 42. damnat; sivè si prò remedijs alicujus infirmitatis, aut ad malum procurandum verbis Sacræ Scripturæ oretenus pronunciatis; sivè scripto mandatis vtetur, de quâ re infrà.

35 In primo casu abusus sacræ Scripturæ non reducitur ad genus Blasphemiæ Hæreticalis: Ratio est, quia tunc nullus proditur error, nec ipsius præsumptio militat contrà fidem; & propter eamdē rationem idem dicendum est in secundo casu, nisi esset consuetudo irridendi, & carpendi Sacram Scripturam: tunc enim intraret legitima præsumptio latitantis hæresis in sic irridente. Talis fuit Erasmus Rhoteradamus, qui totus in hoc fuit, vt jocis, facetijsq; satyricis, ac scurrilibus Sacræ Scripturæ simplicitatem, & Ecclesiasticas cęremonias in derisionem poneret. Hinc meritò de eo dictum fuit, quod novarum hæresum ova pepererit, quæ Lutherus, & Calvinus exclusit. Duo autem ultimi casus abutentium Sacrâ Scripturâ reducuntur ad hæreticalem Blasphemiam, quia tunc animus hæreticus directè, aut indirectè, seù interpretativè

36 proditur: Generatim autem in hoc est attendenda regula P. Suarez, qui *to.* 1. *de religione, tract.* 3. *cap.* 6. scribit: *Quando est tantus abusus divinæ Scripturæ, ut veritati, & auctoritati talium verborum derogetur, profectò contumelia transibit in auctorem illorum, & malitiam Blasphemiæ participabit*. Hæc Suarez; nam non potest non cedere in injuriam Verbi Divini, & consequenter illius, cujus digito id scriptum est, abuti illo ad res nefarias.

37 Cum itaquè ex hucùsquè deductis irrefragabiliter convincatur, Blasphemiam hæreticalem hæresis vehementem suspicionem continere, nil mirum, quod etiam illi, qui potestatem Ecclesiasticam maximè insectati sunt, inter

quos enumerantur præcipuè Cevallos, Bobadilla, Sesse, Ansaldus, Cutellus, & Pereyra, non ausi sint inficiari, quod privativè ad quoscumque alios Judices, spectet ad hujus criminis cognitio Inquisitores fidei, ut vel sic tanta veritas ab inimico ore confiteatur.

38 Idquè apertè cognoscere possumus apud nominatos Auctores: apud primum *de cognitione per viam violentiæ*, *qu*.85.*num*. 1. Apud secundum *in Polyticâ*, *tom*.1.*cap*. 17. *num*.77. Apud tertium, *Decis.Aragon. decis*.496. *num*.1.*in fine*. Apud quartum *de Jurisdictione*, *par*.4.*cap*.2.*tit*.9.*num*.87. Apud quintum *de immunit. Ecclesiast. lib*. 1. *quæst*. 39. Apud sextum *de Manu regiâ*, *tom*. 2. *cap*.56.*num*.25.*versic.Quare videtur*, &

39 quamvis Decian. *tractat. Criminal: lib*. 6. *cap*.4. *num*. 1. Bartholomęus Soccin. *Consil*.119.*num*.12.*& sequent.lib*.4.Clar. §.*Blasphemia*, *ver. hoc crimen*: Alphons. de Castr. *de justâ hæretic. punit. cap*.12. *circà finem*; quem sequitur Corduba *Theolog.Quæst*.17.*vers.in cujus examine*. Conciol. *ad statutum Eugub.lib*.4.*Rubr*. 20. *num*. 1. & alii dicant generaliter, Blasphemias esse mixti fori; & tàm Ecclesiasticis, quàm laicis ex officio incumbere, eas punire: hoc tamen intelligendum est de blasphemiis simpli-

40 cibus, cum communiter tàm Theologi, quàm Canonistæ statuant, ad solos Judices Ecclesiasticos, & Inquisitores hæreticæ pravitatis spectare, de Blasphemijs hæreticalibus cognoscere: Passerin. *in cap.ut Inquisitionis*, *nu*.224. *de hæretic.in 6*. Priviter *Manual. Antist. potest*. 150. *num*. 5. Minan *bas. Pontif. jurisd.tract*.2.*qu*.6.§.4.*sect*.10. *nu*. 154. Romaguer.*ad synodal.Gerunden.lib*.5.*tit*. 5.*cap.vnic.num*.1:Bellett. *disqu. clerical. de pœn.clericor*.§.1. *num*. 1. Crisp. *theor. & pract.crimin.lib*.1.*tract*.3. *cap*.2: *num*. 4.Laganar. *in addit.ad Rovit.Rubr.de Blasphemantibus*,*verbo restringitur*. Novar. *sum. Bullar.super Bullâ B. Pii V. num*.7.Crispolt. *Casuum Militar*. 1.*casu* 4. *n*. 11.Sanchez *in sum. lib*.2.*c*.32.*n*.37. Aylon ad Gomez *Variar.lib*.3. *c*.5. *n*.3.

41 Siquidem in materiâ hæresis Judex laicus non potest quomodòcumquè se ingerere, ut multipliciter cavetur in Jure *cap. statutum*, *cap.accusatus* §. *Sacerdotes*, *& cap.ut Inquisitionis*, §. *prohibemus*, *de Hæretic.in 6*. & Glos.*in dicto* §. *prohibemus*, *verbo quoquomodò*, explicat, quod nec incidenter, nec principaliter potest sese intromittere, Paris. Simanch. Farin. relati à Thoma Del Bene *de Sancto offic. par*.2. *dubit*. 196.*num*.6.

42 Amplia prædicta procedere,quamvis crimen activè cadat in Laico: Fagnan. *in cap.tuam*,*num*.49. *extrà*,*de ordin. Cognit*.& nos supra innuimus *Sect*. 1. *num*. 54.55.& quàmvis tractetur de quæstione meri facti:nam secularis, nec in quæstione juris,nec in quæstione facti valet, se in crimine hæresis ingerere,ut probat Fagnan. *loco cit*. Petrus Barbos. *in l.Titia*,*n*.37.*& seq.ff.soluto matrim*. qui *vers. quâ admissâ*, affert rationem, nempè, quia in quæstione hæresis nequit separari questio facti à quæstione juris:quæstio enim facti est, an dixerit verba hæreticalia? quæstio juris est, an sint dicta scienter, & cum pertinaciâ? istæ enim non separantur, nam à facto nequit separari spiritualitas, ut ex Baldo, & Imolâ discurrit Barbosa citatus.

43 Quantùm verò ad Blaspemias simplices, eas ad utrumque Judicem, Ecclesiasticum scilicet, & secularem spectare, & esse locum præventioni, est communis Doctorum opinio, quam comprobant Romaguer *ad synodal. Gerunden.lib*.5.*tit*.5.*cap.vnic. n*.2.Antonel. *de regim.Eccles. lib. 6.cap*: 24. *num*.1. *& seq*.Carpzou.*prax.crim. par*.1. *quæst*.45. *num*.104. Ricciull.*de person. in stat. reprob.lib*.1. *&* 2. Mart. *de jurisd. par*. 2. *cap*.13. *num*.13. Parexa *de edit.instrum. tit*. 6. *resol*. 8. *num*. 37. Minan. *bas. Pontif. jurisd. tract*. 2. *fund*. 1.*quæst*. 6. §. 4. *sect*. 10. *num*. 153.*in fin*. Sess.*decis. Aragon. vol*. 4. *decis*. 469. *num*. 1. *&* 2. Sperell. *decis*. 134. *num*. 9. quibus addi possunt, Baldax.Thomas *tract. Variar. to*.4.*tit.de mixto foro*, *num*. 21. Conciol. *Criminal. resolut*. 2. *n*. 1. *Verbo Blasphemia*.Vvlp.*in prax.cap*.21.*num* 47. Marc. Antonin.*variar.resolut lib*.3. *resolut*. 12. Fragos.*de Regim.Reipub.Christianæ*, *par*. 1.*lib*.2. *disput*.4. §.5. *num*.9. qui *num*.6. ait, hoc esse verum, etiamsi agatur contrà Judæos, quod vult etiam Del Bene *de S.Offic.par*.2. *dubit*.218.*sect*.15. *Corollar.num*.11. Felin. *in cap. postulasti* 14.*num*.4.*de Judæis*,Ricciull.*de jur.personar*.

sonar. lib.2. cap.52. num.6. Basilic. *decis. crim.21.num.4.* Sess.*decis.* 470 *num.* 18. *vol.4.*

44 Patet hæc conclusio textualiter ex Decretali Gregor. IX. *cap. statuimus, de maledic.* & optimam rationem de hoc affert Eymericus *Direct. Inquisit. par.2. quæst.41. num.1.* dicens, quod ex quo Papa voluit, cognitionem simplicis blasphemię separatam esse à Blasphemiâ hæretiali, dictam Decretalem non posuit sub titulo *de hæreticis*, sed *de Maledicis, ac Blasphemis*, innuens quod blasphemia hæreticalis privativè ad Inquisitores spectaret; simplex autem ad Judicem Ecclesiasticum, & Laicum communiter pertineret.

45 Conformiter ad hæc procedit jus novum Pontificium, nam licet Bulla Julii III. (in quâ se fundant DD. contrariæ Opinionis) videatur, Blasphemias etiam simplices subdere Judici tantùm Ecclesiastico; nihil tamen officit, quia ea fuit revocata à Constitutione B. Pii V. in ordine 5. incip. *cum primùm*, §. 10. ubi innovat Constit. Leon. X. in ordine 7. incip. *supremæ dispositionis*, in quâ §. 33. Pontifex non solùm non adimit Judicibus secularibus cognitionem criminis Blasphemiæ; sed potius cogit eos, ut animadvertant, indictâ contra eosdem Judices pęnâ, si neglexerint, & ideò plures DD. ad ostendendum, crimen Blasphemiæ esse mixti fori, allegant prædictam Bullam B. Pii V. ut videre est penès Bellett. *disquisit. Clerical. par. 1. de favor. Clericor. real.* §. 4. *num.*140.

46 Sed notandum, quod Salelles *de Materiis Tribunal. S. Inquisit. to.1. lib.1. cap.1. cap.* 18. *Regulâ* 139. cum retulisset opinionem Sanctarell. *cap.8. de Blasphemiâ* asserentis, etiam simplices Blasphemias spectare ad Inquisitoris judicium, *& sub num. 66.* dicat, se cum Dianâ non refutare hanc novam Sanctarelli opinionem, subdit *num.*68. esse valdè optandum, uti rationabile, & ad bonum Ecclesiæ Catholicæ conducens, ut de Blasphemijs non sapientibus hæresim pro quovis loco Inquisitores fidei legitimi Judices constituerentur.

47 Simplex etiam Blasphemia potest aliquo modo spectare privativè ad solùm Tribunal Ecclesiasticum, & S. Officii, juxtà Raynald. *observationum Criminal. cap.1.* §.1. *num.* 135. duobus casibus simul concurrentibus, nimirùm, quod Blasphemans sit solitus blasphemare, & quod fuerit monitus, ne blasphemaret: nam si non desistat, debet á S. Officio puniri, quia, licet non constet de Animo, an pertinaciter, vel ex errore blasphemet; nihilominùs propter monitionem ad similitudinem hæretici puniendus est: Ità quoque Avendan. *de exequen. mand. Reg. part.* 2. *cap.* 5. *nu.*11.

48 Addit tandem citatus Raynald. *num.* 136. quod blasphemus non hæreticalis, ut suprà, saltem sit remittendus Inquisitori, ut interroget reum quâ mente, & an seriò, & appensatè protulerit Blasphemias. Ejus enim est cognoscere, an quid hæreticum sit, an non? Ancharanus *rubr. de Judic.* Ludov. Alfar. *allegat.*26. *num.*6. & alii apud eumdem Raynald.

SECTIO V.

Quid sint Blasphemi consuetudinarii? Quidnè de ejusdem statuendum?

SUMMARIUM.

1 *Deplorabilis status Blasphemorum habitualium: Auctoritas D. August. ad hoc.*

2 *De infelicitate hujusmodi Blasphemorum remissivè ad alios Auctores.*

3 *Consuetudo blasphemandi denominatur tripliciter, scilicet à tempore, à loco & à personâ.*

4 *Prima vocatur temporanea, siuè antiqua dierum, ab initio scilicet mundi.*

5 *Pœnæ antiquæ in Blasphemos ex consuetudine imminutæ in diuini honoris dedecus.*

6 *Imminutæ, inquam, ob frivolam rationem, sivè potius ob defectum religionis, & justitiæ.*

7 *Consuetudo secunda vocatur nationalis, sivè localis, quia quælibet natio habet suum blasphemandi morem: In Helvetiâ tamen Catholica rarissimæ Blasphemiæ: dictum Caroli V.*

8 *Tertia blasphemandi consuetudo vocata personalis insurgit ex pluribus actibus Blasphemantis.*

9 *Bla-*

9 *Blasphemus consuetudinarius est de hæresi vehementer suspectus.*
10 *Plures actus requiruntur ad Blasphemum consuetudinarium; duo non sufficiunt.*
11 *Quomodò interpretandi DD. dicentes, binũ actum inducere consuetudinem?*
12 *Non dicitur Blasphemus consuetudinarius, qui quater blasphemavit, sed quintus actus requiritur.*
13 *Consuetudinarius Blasphemus Parmæ, qui septies, sed non eodem die blasphemat ab vltimâ confessione.*
14 *Alii dicunt, requiri decem actus in anno; nullus est autem, qui duodecim requirat.*
15 *Probabilior est Opinio de quinque actibus, quia media inter extremas.*
16 *Optima Menochii opinio, arbitrio Judicis hoc relinquentis.*
17 *Ad judicandum blasphemũ consuetudinariũ, actus debent esse discontinuati.*
18 *An ad probandam Blasphemi consuetudinem testes singulares sufficiant?*
19 *Opinio D. Raynaldi negativa, licet testes essent singulares singularitate adminiculativâ, & in magno numero: immò licet adesset statutum hoc determinans.*
20 *Quia versamur in Delicto facti transeuntis, non permanentis: Auctores pro hac opinione, & n. 21.*
22 *Affirmativa opinio Ludovici ab Ameno rationibus firmata, est plusquam probabilis.*
23 *Quando agitur de delicto iterabili, tùm in specie, tùm in genere, probatur per testes singulares.*
24 *Aliàs nunquam probari posset Crimen sollicitationis contrà praxim Sacri Tribunalis.*
25 *Blasphemia probatur per testes singulares singularitate adminiculativâ: Auctores pro hac opinione, & n. 26.*
27 *Blasphemus consuetudinarius hæreticalis quando debeat abjurare de levi; quando de vehementi? & num. 29.*
28 *Admonitus, si non cessat, abjurat de vehementi; si verò dicat, blasphemare non esse peccatum, abjurat de formali tanquàm Hæreticus.*
30 *Confessarius cautè debet procedere ergà Blasphemos consuetudinarios.*
31 *An Blasphemis possit denegari, vel deferri absolutio? remissivè.*
32 *De remediis ad extirpandum vitium Blasphemiæ: remissivè.*

1 A Consuetudine, sivè à frequentiâ blasphemandi, Blasphemi vocantur consuetudinarij, sivè habituales, quorum deplorabilem animæ statum nullus planè dignis lacrymarum imbribus valet lugere. Experto credite: Sanctus Augustinus *lib.* 8. *Confessionum, cap.* 65. describens se ipsum ante conversionem suam, huic, & aliis assuetum sceleribus, sic inquit: *suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate: velle meum tenebat inimicus, & mihi inde catenam fecerat, & constrinxit me, quia ex voluntate perversâ facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

2 Cæterum hoc pacto in infelices Blasphemos consuetudinarios declamare cum nostri instituti non sit, longiorem hujusmodi stylum relinquimus sacris Verbi Dei præconibus: Plura ad hoc dabit Georg. Gobat. *in experientiis Theologico-Sacramentalibus, tom.* 2. *Tract.* 11. *casu* 21. & Henricus Engelgrave *Luc. Evang. par.* 2. *in Concione Dominicæ Tertiæ quadragesimæ*, ubi §. 4. remedia describit contrà perversam blasphemandi consuetudinem: Ad nostram ergò methodum revertamur:

3 In primis notandum est, quod consuetudo blasphemandi tripliciter denominari potest, primò scilicet à tempore, quo incæpit; secundò à loco, in quo blasphemari consuevit; & tertio à personâ, quæ frequenter blasphemat: prima consuetudo dicitur temporanea; secunda localis; & tertia personalis, de quâ præcipuè est sermo in præsenti sectione.

4 Prima blasphemandi consuetudo, temporanea dicta, veriùs vocabitur antonomasticè consuetudo antiqua dierum, quia, ut observavimus superius in hoc *Cap.* 1. *num.* 14. Blasphemia à Patre Diabolo in Paradiso terrestri, obstreticante Eva, infaustè orta, ad hominum temporalem, & æternam perditionem semper in Mundo continuavit; adeò ut Deus in lege veteri *Levitici* 24. præceperit, ut Blasphemi pœnâ mortis naturalis lapidibus obruti inexorabiliter punirentur.

Hanc

5 Hanc blaſphemandi continuam, & ſucceſſivam conſuetudinem, & contrà eam impoſitam mortis pœnam conſiderans Julius Clar. §. *Blaſphemia* cum Godofredo Abano *in practicâ*, *eodem tit. num.* 13. & *de Reatibus*, *quæſt.* 7. *num.* 303. dolet, quod leges, quæ in omnibus delictis ſolent conſuetudinem, ſeu frequentiam exaſperari: *l.* 1. *ff. de abig. l. aut facta* §. *fin. ff. de pœn.* & *l.* 1. *C. ad l. Jul. repetund.* quando agitur de cultu Dei propter eamdem conſuetudinem minuant pœnas: hodiè nam-

6 que ob nimis inſulſam rationem, quia ſcilicet numerus Blaſphemantium eſt adeò grandis, ut ſi omnes Blaſphemi decapitarentur, pauci ſupereſſent, qui poſſent blaſphemare, ut inquit Bellon. *conſil.* 69. *num.* 6. Bellett. *diſqu. criminal. de pœn. Cleric.* §. 1. *ſub num.* 9. ſeù potiùs, ut dicit Lucas de Peña *in l. omnes Judices col.* 3. *poſt medium*, ob defectum religionis, & juſtitiæ, non amplius pœnâ mortis, ſed arbitrariâ puniuntur, ut quoque firmant Paſſerin. *in* 6. *decretal. cap. ut inquiſitionis n.* 235. *in fin. de hæretic.* Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 26. *circa finem.* Menoch. *de arbitrar. judic. caſ.* 375. *num.* 30. Ricciull. *de perſon. in ſtat. reprob. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. Foller. *prax. crimin. in fragm. nu.* 11. Bellet. *diſq. clerical. d.* §. 1. *num.* 9. Seſs. *deciſ.* 469. *num.* 8. *vol.* 4.

7 Secunda blaſphemandi conſuetudo vocatur localis, ſeù potiùs nationalis, quia in omni natione, ut alibi diximus, & ſæpè in Pagis, Caſtris, Locis, & Civitatibus habetur peculiaris, & conſuetus blaſphemandi mos: & ſicut in naturalibus non omnis fert omnia tellus, ut cecinit Poëta; ità in moralibus acriùs graſſantur vitia in uno loco, quæ in alio vel non ſunt, vel rariùs audiuntur: ſic refert Georgius Gobat ſæpè *laudato tractat.* 11. *de Blaſph. num.* 750., quod in Helvetiâ Catholicâ rariſſimæ ſunt Blaſphemiæ; è contrà in Flandriâ frequentiſſimæ. Hinc Carolus V. hortatus, ut in Germanis militibus vinoſitatem reprimere conaretur, falsè reſpondit, ſibi faciliùs eſſe à Flandris perverſum blaſphemandi morem auferre, quàm à Germanis ſe inebriandi conſuetudinem tollere; ſed de hac blaſphemandi conſuetudine redibit ſermo *in*

8 *ſequenti Sectione.* Tertia blaſphemandi conſuetudo vocata perſonalis, & de quâ procedit titulus præſentis Sectionis, eſt illa, quæ inſurgit in Blaſphemante ex pluribus, ac ſæpiùs frequentatis hujuſmodi delictis. Menoch. *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 6. *numer:* 29. quem citat, & laudat Farinac. *de hæreſi, q.* 178. *n.* 76. *in fine.* Carena *part.* 2. *tit.* 7. *n.* 5. Qui etiam docent, in talibus conſuetudinariis magis ſibi vendicare quod dictũ eſt ſuperius de Blaſphemantibus, ſcilicet eſſe de hæreſi ſuſpectos.

9 Inmò Blaſphemus conſuetudinarius eſt non tantummodò ſimpliciter, ſed vehementer ſuſpectus de hæreſi, quia ex vulgatis juribus, conſuetudo delinquendi aggravat delictum, ut ſentiunt omnes: Innocent. *in cap. novit, de Judic.* Paſſerin. *in cap. ut inquiſitionis num.* 236. *de hæretic. in* 6. Eymeric. *in Direct. p.* 2. *qu.* 41. *n.* 5. Genuenſ. *in prax. cap.* 18. *num.* 16. Souſa *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſolut.* 8. *verſ. igitur*, Alberghin. *cap.* 16. *num.* 14. & 15. Caſtropal. *par.* 3. *tract.* 17. *diſput.* 2. *p.* 2. *num.* 2. Del Bene *de offic. Inquiſit. dubit.* 218. *ſect.* 26. *num.* 1. Bordon. *in manual. conſult. ſect.* 45. *num.* 30. *in fine*, Gram-

10 matic. *deciſ.* 9. *num.* 23. Quot autem actus Blaſphemiæ requirantur ad conſtituendum Blaſphemum conſuetudinarium controvertunt Doctores: Plures requiri, nec duo ſufficere, communiter docent Paſſerin. *in d. cap. ut Inquiſitionis n.* 230. *de Hæretic. in* 6. Calà *de modo articulandi in Gloſsâ Magnâ*, *num.* 769. Coler. *deciſ.* 762. *num.* 1. Merlin. Pignatel. *controverſ. forenſ. centur.* 1. *cap.* 97. *num.* 10. & *ſequent.* Farinacc. *quæſt.* 20. *num.* 4. Carena *de S. Officio*, *par.* 2. *tit.* 7. §. 5. *num.* 22. Joann. Alloza *Flores Summarum*, *verbo Blaſphemia*, *num.* 12. Seſs. *deciſ. Aragon. vol.* 4. *deciſ.* 470. *num.* 22. Ratio eſſe poteſt ex facilitate, quâ committitur Blaſphemiæ crimen; lubricum enim linguæ non ità facilè trahendum eſt ad pœnam: *l. Famoſi* 7. *ff. ad l. jul. majeſt.* & ad rem adnotat Ricciull. *de perſon. in ſtat. reprob. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1.

11 Non obſtat, quod nonnulli Canoniſtæ dicant, per binum actum induci conſuetudinem *cum Gloſ. in cap.* 4. *diſt.* 1. & *in cap. ità nos* 25. *q.* 2. quia intelligen-

gendi sunt in alio sensu, nimirùm de consuetudine inducendâ, non de judicando aliquem habituatum, seù solitum blasphemare: Ità Bordon. *in Miscellan. decis.*148. vel interpretandi sunt, quod loquantur, ubi est læsio justitiæ, ut in furtis; non quando agitur de peccato contra charitatem, cujusmodi est crimen Blasphemiæ, ut pariter inquit Bordon. *in Manuali Consultor.sect.*45.*n.*31. Lazar. *in quæst.*8. *de Blasphemiâ, num.*5.
12 requirit quinque actus interpellatos loco, & tempore: cum eo sentiunt Homobon. *de casib. reservatis, casu* 1. *par.*2. Petr. Belloch. *in suâ praxi de casib.reserv.par.*2. *q.*1. *n.*242. quos citat, & sequitur Ignat. Lup. *par.* 2. *casu* 11. *num.* 4. Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.*26. *num.* 14., ubi quod Blasphemus consuetudinarius non dicitur, qui quater blasphemavit, sed qui pluries, ultrà
13 quatuor vices. Idem Bordon. testatur, Parmæ, ubi erat Consultor, eum reputari Blasphemum consuetudinarium, qui ab ultimâ confessione septies, sed non eodem die, Blasphemias protulit; & subdit, quod Inquisitor in hoc sequi potest forum pœnitentiale, judicando blasphemum consuetudinarium illum, qui probatur septies blasphemasse diversis diebus: tunc enim nititur probabili judicio; nam Confessarii cuncta
14 rimari tenentur: Verùm Michaël Zanard. *tom.*2. *divinor. præceptor. cap.* 64. §. *undè ad constituendum*, cum Final. *casu* 3. *num.*28. vult, debere esse decem actus in anno uno, ut quis possit dici consuetus blasphemare: Ità referunt, nec reprobant novissimè Raynald. *observat.Criminal.cap.*1. §.1. *num.* 18. & Ludov. ab Ameno *de delictis, & pœnis, verbo Blasphemia, num.* 44. Addit autem Bordon. *laudatâ decisione* 148. nullum se invenisse Doctorem requirentem duodenarium numerum ad constituendum consuetudinarium, adeòque casum dubitatione indignum reputat illum, de quo eam decisionem principaliter instituit, an Blasphemus dicatur consuetudinarius, qui spatio semestris vicies blasphemavit?
15 Tutam, & satis probabilem censemus opinionem Lazarii citati de quinque actibus, quam refert, & approbat Carena *de Sancto Officio par.* 2. *titulo* 7. §. 5. *num.* 22. *& seqq.* quia mediat inter extremas opiniones: æquum est enim, quod Judex sequatur mediam viam; major enim mediis gratia rebus inest; Glossa *in cap.* 3. *de censib.* & in difficultatibus media via est eligenda: Instit. *Quibus ex causis manum. non licet*, §. *penult.* Præ ceteris tamen amplectenda est opinio Menoch. *de arbitrar. casu* 375. docentis, quod in quæstione de numero actuum requisitorum ad judicandum
16 Blasphemum consuetudinarium, totum judicium relinquendum sit arbitrio prudentis Judicis, quia quæ à lege indefinita sunt relicta, Judicis arbitrio definienda relinquuntur: *l.*1. *ff. de jure deliber. cap. de causis* 4. *de offic. delegat.* Carena *ubi suprà, nu.* 26. Pistach. *de superst. par.* 2. *cap.* 25. *num.* 53. Passerin. *citato cap.ut Inquisitionis, num.*230. *de hæretic.* Cum enim, ut ait Menoch. *proëmio libr. de arbitrariis, num.*2. lege omnia comprædendi non potuerint, rectè factum est, ut prudentis viri judicio multa commissa sint.
17 Judex verò ad judicandum, aliquem esse Blasphemum consuetudinarium, debet advertere, quod plures actus Blasphemiarum sint discreti, & discontinuati moraliter loco, & tempore: licet enim quis viginti Blasphemias in aliquo casu protulisset; non tamen dicendus esset ex illis cõsuetus blasphemare, sed illæ reputarentur pro unicâ tantùm vice; nec major sibi deberetur pœna, quàm si semel tantùm blasphemasset, ut scribit Romaguera *ad Statutum Eugubin. lib.* 4. *Rubr.* 20. *n.* 11. Faria *ad Covarr. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 93. Passerin. *in* 6. *decretal. d. cap. ut Inquisitionis, n.* 230. Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. *&* 3. Bellett. *disqu. clerical. de pœn. clericor.* §. 1. *numer.* 15. Avil. *in cap. prætorum, cap.* 25. *num.* 23. Scopp. *in Merlin. Pignattel. contr.* 97. *num.* 9. *in fine*, De Angel. *de delict. par.* 1. *cap.* 24. *num.* 27. Imò illæ unum solùm peccatum constituerent, ut tenet Diana *resolut. moral. par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 163.
18 Sed dubium est, an ad probandam hujusmodi consuetudinem blasphemandi (probari enim debet, cum sit quid facti: Decius *cons.* 538. *num.* 8.) sufficiant testes singulares. Resolutio dubii pen-

pēdet ab articulo satis inter DD.Criminalistas agitato, an testes singulares probent ad pœnam ordinariam: Controversiam novissimè, & maturè discutiunt Ludovicus ab Ameno *de delictis, & pœnis, verbo Blasph.* §. 2. *num.* 37. & 38. Raynald. *observat. criminal. cap.* 1. §. 1. *quæst.* 14. *num.* 155. & *sequent.* qui re-
19 solvit, non sufficere testes (ad condemnandum in pœnam ordinariam) singulares singularitate non tantùm diversificativâ, vel obstativâ; sed etiam singularitate adminiculativâ, seù cumulativâ, etiamsi hujusmodi testes essent mille: nã multitudo testium in casu non constituit probationem perfectam, quia singularitas est defectus diminuens fidem; imò non sufficere, etiamsi extaret Statutum hoc in individuo determinans, quia tale Statutum non valeret, ex doctrinâ Abbatis *consil.* 42. *num.* 2. Federic. de Senis *consf.* 17. *num.* 4. Petræ *de potestate Principis, cap.*2. *special.* 406. *num.* 1.

20 Et ratio est, quià non versamur in delicto facti permanentis, in quo habetur certitudo respectu duplicis Inquisitionis, quarum una tendit ad probandum delictum, & alia ad probandum delinquentem; undè Judex potest procedere cum morali certitudine ad condemnandum: sed versamur in delicto facti transeuntis, in quo non apparet de corpore delicti. Addit tamen Raynaldus sufficere tunc testes singulares ad ità procedendum, ut sit locus pœnæ ordinariæ, si reus tortus fateatur.

21 Hanc sententiam tenent Alexander *consf.* 72. *ferè per totum*, *tom.* 1. Boer. *dec.* 301. *num.* 11. Decian. *in tract. criminal. tom.*2. *lib.* 6. *cap.*4. *n.*8. Mascard. *de probat. conclus.* 194. *numer.* 2. *lib.* 1. Farinac. *de Testibus*, *quæst.* 65. Carena *de S. Officio, par.*2. *tit.* 7. *de Blasphemiâ*, §. 5. *num.* 27. ubi ait, quod ab hac opinione communiter receptâ non sit recedendum; Diana *moral. par.* 4. *tract.* 7. *resolut.*31. *vers. his non obstantibus*, ubi testatur, hanc opinionem inconcussè tenuisse supremam Inquisitionem Romanam: dicit tamen cum P. Alderato *de disciplinâ regular. lib.*2. *cap.*13. *n.* 29. sententiam contrariam Simanchæ, & aliorum infrà allegandorum, esse probabilem, licet probabiliorem opinionem Carenæ, & aliorum asserat.

22 Verùm plusquàm probabilem opinionem Simanchæ, ob ejus rationes, demonstrat P. Ludovicus ab Ameno citatus; nàm in delictis diversitas testium in accidentibus non inducit in illis singularitatem, ideò concludenter probant: aliàs periculosissimum esset, quod Hæreticus sua falsa dogmata singillatim, & secretò ad perversionem pluribus manifestaret, & nequiret convinci ex hoc, quod Testes illi essent singulares.

23 Et reverà quod Testes singulares singularitate adminiculativâ probent, tùm delictum in genere, tùm in specie, quandò nempè agitur de facto iterabili, est opinio satis recepta penès Tribunalia, quamque docent Mascardus *de probation. conclus.* 727. *num.* 8. & *sequent.* Farinac. *quæst.* 64. *num.* 359. Philip. de Bictis *in Theoriâ, & praxi crimin. quæst.*44. *num.* 30. Quibus adde Salycet *in l. tertium, num.*16. *C. de Testam.* Albertin. *de agnoscend. assertion. quæst.*34. *num.*12. Conrad. Brun. *de Hæret. cap.*9. *propè finem*, Sperell. *dec.* 139.
24 *num.* 89. Et sanè, si testes singulares non probarent, numquàm puniri posset Confessarius sollicitans, cum impossibile sit, de tali crimine alios testes dari, quàm singulares; ideò communis praxis Sacri Tribunalis est, quod ex istis procedatur ad torturam: & si sollicitatę sint plusquàm quatuor, & spectatæ probationis, etiam ad condemnationem devenitur.

25 Itaquè, loquendo in terminis Blasphemiæ, maximè hæreticalis, attentâ criminis atrocitate, firmandum est, perversum blasphemandi habitum probari per testes singulares, qui deponant de variis actibus dependentibus, & ordinatis ad illum habitum concludendum: quod firmissimè teneri debet, quandò testes singulares sunt plusquàm duo; sunt viri graves; fidei incorruptæ; & non patiuntur exceptionem: Ità te-
26 nent plures, insignesquè Doctores Hypolit. Riminald. *consil.* 7. *numer.* 21. *in fine*, Simanch. *Cathol. Instit. tit.* 64. *num.* 79. Caccialup. *in l. admonendi*, *col.* 39. *vers. patet igitur*, *ff. de jure jur.* ubi Paul. de Castro, Brun. *tract. de judic. par.* 1. *quæst.* 2. *num.* 6. Socin.

conf. 262. *lib.* 2. Hypolit. Marsil. *singular.* 114. Leonard. Less. *de justit. & jure, lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 33. Verricel. qui diffusè loquitur, *quæst. moral. tract.* 8. *q.* 44. *sect.* 10. *num.* 50. *& seq.* Avendan. *de exequt. mand. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 4. *&* 5. Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 5.

27 Probatâ adversùs Blasphemum consuetudine blasphemandi, præcipuè hereticaliter, cum iste talis sit de hæresi vehementer suspectus, debet abjurare de vehementi, dummodò ad omnem levem animi motum, & tàm in ludo, quàm extrà ludum; & tàm in irâ, quàm extrà iram, blasphemet: Itá Zanard. *in summ. par.* 1. *cap.* 11. *de Blasphemis, qu.* 6.
28 *num.* 17. Tantò magis id procedit, si admonitus blaspemare non cesset, ut colligitur *ex cap. qui in Ecclesiâ,* 24. *q.* 3. Quod si crederet, blasphemare non esse peccatum, de formali deberet abjurare tanquàm Hæreticus: Afflict. *in Constit. Regni Neap. de hæresi, rub.* 1. *n.* 48. Farinacc. *de hæresi, quest.* 178. & alii.

29 Cœterùm Blaspemus Consuetudinarius hæreticaliter, sed in irâ solùm, cum sit tantùm de levi suspectus, cogendus est abjurare tantùm de levi: Itá Lazar. & Zanar. cit. Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 68. Diana *tom.* 5. *tract.* 12. *resolut.* 8. qui sub *num.* 3. notat, limitandum esse, quotiescumque ex qualitate Blasphemiæ, & Blasphemantis esset imponenda abjuratio de vehementi, & de praxi testatur.

30 Hæc autem omnia cum ordinatè procedant ad regulandum fori externi Judicem, non minorem tamen juris indaginem hujusmodi blaspemandi consuetudo requirit in Iudice fori interni; ità ut cum ipsis, quamvis Blasphemias non hæreticales proferentibus, confessarius valdè cautè se gerere debeat, præcipuè in corrigendo illos, ac in remedijs adhibendis. Acrem in blasphemos objurgationem, & severissimam pænitentiā prescripsit Leo X. in Concil. Later. *sess.* 9. §. *ad abolendam*: Cujus Constit. rigor, licet non sit in vsu, ut advertit Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 32. *num.* 44. *&* 46. ex eâ tamen conjicere licet, quantus fuerit Patrum Concilij zelus contrà hanc nimis exorbitantem nequitiam.

31 An autem asueto Blasphemiis neganda, vel differenda sit absolutio Sacrumentalis? diligenter dubium hoc discutit Georgius Gobat. *in Experientiis Theologico-Sacram. Tract.* 11. *num.* 814. *& seqq.* Vide si vis: Præsentis enim nostri instituti non est, regulas prò Confessariis tradere; solùm innuimus, tunc Confessarium debere vel negare absolutionem, vel differre, quandò perspectâ pęnitentis indole, ejusquè dispositione cognoverit, posse cum fructu spirituali vel unum, vel alterum secum
32 practicare, Apud eumdem Auctorem *ibidem, num.* 822. leges quædam remedia opportuna ad extirpandum à pænitentibus Vitium Blasphemiæ. Lepidi facti narratione ex P. Pennequin. *in Tract. de Amore divin. par.* 3. *cap.* 17. §. 3. sectionem hanc concludam: Miles antè Vrbem Ostendanam Blasphemiis inveteratus, sæpè monitus resipiscere, negabat, se posse desistere: vir religiosus comprobaturus, quod resipiscere à solâ ejus penderet voluntate, obtulit ei ingentem nummum aureum, promittens, se eum illi donaturum, si per horam sequatur castra, militum stationes lustrando citrà ullam Blasphemiam. Acceptat conditionem: Dum per transennam à Sociis variè impetitur, irritatur, & lacessitur, Sacerdos præit, aureum illi ad hos insultus ostentans: lacessitus silet; linguam dentibus premit; obmutescit: res mira! solus conspectus, & spes auri tantum in barbaro milite valuit, ut consuetudinem omninò superaret.

SECTIO VI.

An aliquando Blasphemi evitare possint hæresis suspicionem.

SVMMARIVM.

1 *Multa allegantur ab Advocatis ad reorum Blasphemorum defensionem; sed ut plurimùm sunt excusationes in peccatis.*
2 *An Blasphemans in ebrietate excusetur? vbi quod triplex est Ebrietas: Quid sit magna ebrietas?*
3 *Quid sit levis, & levissima ebrietas?*
4 *Gradus ebrietatis difficile est in facto cognoscere.*
5 *Magna ebrietas est mortaliter peccaminosa.*

6 *Qui*

6 *Qui negaret, ebrietatem magnam esse peccatum mortale, an foret de hæresi suspectus?*

7 *Blasphemans in ebrietate excusatur à pœnâ, & ab hæresis suspicione, quia ebrius nescit, quid faciat.*

8 *Levis ebritas excusat à pœnâ, non à suspicione; Levissima, nec à pœnâ, nec à suspicione excusat.*

9 *Qui dicit, se fuisse ebrium, quando blasphemavit, convincitur, non fuisse ebrium; quod si probet, se fuisse ebrium, aliis negantibus, excusatur.*

10 *Noë inebriatus excusatur in totum; Lot inebriatus excusatur, sed non in totum.*

11 *An dupliciter peccat, qui se inebrians scit, se in ebrietate blasphemare.*

12 *Quomodò ebrio voluntaria est ebrietas, cum ipse careat volnntario? Peccantis in ebrietate quatuor sunt actus.*

13 *Primus actus, qui est propositum se inebriandi, neglecto periculo blasphemandi, est totius mali origo: Quid de aliis actibus?*

14 *Qui incitant alios ad blasphemandum absque pravo affectu ergà Deum, peccant mortaliter ratione scandali, & irreverentiæ in Deum.*

15 *Incitans ad blasphemandum est de hæresi suspectus, etiamsi protestetur, se facere citrà pravam intentionem.*

16 *Peccat mortaliter, & est de hæresi suspectus, qui blasphemias vel in pariete scribit, vel Psittacum docet, easdem pronunciare.*

17 *Præmio dignus è contrà est, qui sancta verba docet bruta animalia pronuntiare, idquè Deo quàm gratum sit, miraculo comprobatum.*

18 *An Demens pro Blasphemiâ puniri debeat? quid sub nomine Dementis veniat?*

19 *Negativa responsio substinetur; idque procedit, etiamsi posteà ille ad sanam mentem redierit.*

20 *Demens satis suâ dementiâ punitur; hinc nec puniendus propter delicta antè amentiam.*

21 *Blasphemus amens propter malum exemplum puniendus; idquè facto comprbatur.*

22 *Cavere debent Judices, ne dementia sit affectata.*

23 *Quantò magis Blasphemi student sub larvâ Dementiæ occultare impietatem, eò magis sunt de hæresi suspecti.*

24 *Quid sapienter responderit Judex Advocato, excusare cogenti reum, tanquàm dementem?*

25 *An Blasphemans, dum dormit, sit excusandus, eò quod furioso æquiparetur?*

26 *Dormiens vix vivere dici potest: idemq; similis mortuo est; ideòquè peccare non dicitur.*

27 *In specie quod blasphemans, dum dormit, non peccat, firmatur duplici ratione.*

28 *Cæterum si blasphemus sit solitus blasmare, non excusatur in totum, quando dormiens blaspemat; quia linguam fecit disertam in Blasphemiis.*

29 *Noctambuli quando dormiendo delinquant, & sint puniendi?*

30 *Plurimùm interest inter somnia proborum, & vitiosorum.*

31 *Non obstat, quin facta flagitiosorum dormientium quamdam induere speciem iniquitatis.*

32 *An Blasphemus in iracundiâ excusetur? differntia inter iracundiam, & iram.*

33 *Sentiunt multi, iracudiam non excusare à crimine Blaspemiæ: adeòquè neque ab hæresis suspicione.*

34 *Sed contrà istos militat jus commune disponens, quod delinquentibus non ex dolo malo, non possit irrogari pœna ordinaria.*

35 *Ut Blasphemus excusetur propter iracundiam, hæc debet esse tanta, ut mentem alienet.*

36 *Item, quod sit justa, & rationabilis causa irascendi.*

37 *Item iracundi Blasphemi non excusantur, si sint consuetudinarii.*

38 *Artistæ ex consuetudine in iracundiâ blasphemantes, quando excusentur?*

39 *An semel tantùm in irâ blasphemans, abjuret de levi?*

40 *An Blasphemi excusentur ob linguæ lubricitatem? Negativè respondetur.*

41 *Quia latet, an blasphemaverint ob linguæ lubricitatem, vel dolo malo?*

42 *Contrarium tenent multi, quia proferens hoc modo hæresim, non habet errorem in intellectu.*

43 *Veriùs dicendum, in casu considerandas esse circumstantias, præcipuè personarum.*

44 *An jocosè blasphemantes excusentur? minimè: Imò hæc circumstantia augens malitiam, auget & pœnam.*

45 *Joco facta, aut dicta pœnam non merentur, quando jocus est innoxius.*

46 *Deus dùm prophanis jocis irridetur, est aperta fidei pernicies.*

47 *Erasmi Rotheradami impiis jocis abutitur Zuinglius Hæresiarcha ad abrogandam Sanctorum invocationem.*

48 *Blasphemia Francisci Briani animatur Henr. VIII. Rex Angliæ ad divortium faciendum à legitimâ conjuge: Hinc Angliæ ruina.*

49 *Amanuensis scribens Blasphemias ad Calamum experiendum, est de hæresi suspectus.*

50 *An Blasphemans in ludo excusari possit, & quomodò?*

51 *Ira ex ludo nunquàm potest dici justa.*

52 *Ludus, cum ut plurimùm sit causa blasphemiarum, est inditium ad torturam.*

53 *An Blasphemus corrigens se in continenti, excusari possit? negativa responsio suadetur.*

54 *Contrarium videtur sentire Lupus.*

55 *De Blasphemis in Spiritum Sanctum.*

56 *Explicatur, quinam sint Blasphemi in Spiritum Sanctum.*

57 *An inadvertenter blasphemans excusetur? Item, an propter defectum plenæ deliberationis?*

58 *Inadvertentia facilitatis continet veniam; & ob id nullam pœnam meretur.*

59 *In S. Officio ob defectum advertentiæ Blasphemus non punitur: Hinc reprobatur stylus excessivè rigorosus cujusdam Curiæ Secularis.*

60 *Blasphemus, licet ratione inadvertentiæ non peccet, peccat tamen ratione scandali.*

61 *An ignorantia excuset Blasphemos? utiquè, quia Blasphemia, cum sit injuria, supponit scientiam.*

62 *Ignorantia circa propositiones Blasphemas hæreticales, est ignorantia juris, quæ non excusat in foro externo.*

63 *Ignorantia juris excusat in foro externo multos, ut Mulieres, Rusticos, & alios.*

64 *Ignorantia invincibilis, sicut excusat in foro conscientiæ ab hæresi incurrenda, ità excusare debet in foro judiciali.*

65 *Sicut nequit allegari ignorantia in manifestis articulis fidei; ità nec in Blasphemiis eis oppositis.*

66 *An minor ætas excuset, vel saltem minuat pœnam Blasphemanti? Minimè, dummodò excedat annum sextum decimum: exempla referuntur.*

67 *Limitant alii responsionem in minori doli capace, & sensum Blasphemiæ sentiente.*

68 *Minor ætas doli capax meretur pœnæ minorationem, quia non est perfecti judicii.*

69 *An protestatio excuset à Blasphemiâ? Minimè, quia non avertit consensum à facto, & sensum verborum Blasphemorum*, & num. 70.

71 *Protestatio, ut juvet, debet factum præcedere: in casu sequitur actum blasphemandi, qui primùm exit à corde.*

72 *Et licet illa protestatio esset declarativa animi, non tamen tolleret Blasphemiam prolatam.*

73 *An Blasphemus negans, se habuisse malam intentionem, excusari possit? utique in foro Sacramentali: ideòque poterit à Confessario absolvi.*

74 *Sed in Tribunali S. Officii non excusatur, quia præsumitur sentire, sicut loquitur.*

75 *An pro Blasphemo possit allegari, quod verba prolata ab eo non sapiant hæresim? Ità, dummodò absit scandalum.*

76 *Hæc exceptio, ut juvet, debet constare in actis de verbis præcisis Blasphemiæ.*

77 *An absolutio Sacramentalis eximat à pœnâ debitâ Blasphemos? multi affirmant.*

78 *Ratio assignatur pro dictâ opinione, pro quâ etiam allegatur lex saxonica.*

79 *Communis opinio est, quod absolutio Sacramentalis non eximat blasphemum à pœnis juris.*

80 *Referuntur aliquorum Doctorum dicta ad hoc cum doctrinis.*

Illa-

81 *Illatio absurdi contrà dictam opinationem.*

82 *An, stante spe emendationis, possit omitti denunciatio illius, qui secretò Blasphemavit? affirmant aliqui, si audiens nequit probare.*

83 *Oppositum tenendum propter decretum Alex. P. VII. in quo præcipitur, ut hæreticus, vel de hæresi suspectus denuncietur.*

84 *Alex. VII. damnavit propositionem, eum non teneri denunciare, qui non potest probare.*

85 *Blasphemia dupliciter dicitur publica, publicitate juris, & publicitate facti; primo modo tripliciter dicitur publica.*

86 *Publicum publicitate facti tripliciter contingit.*

87 *An qui punitus de Blasphemiâ, veluti simplici, possit propter eamdem in judicio molestari, tanquàm hæreticalem.*

88 *Qualitas superveniens delicto post condemnationem, alia est, quæ diversificat delictum; & alia, quæ auget tantùm pœnam.*

89 *Blasphemia hæreticalis diversificat delictum; Blasphemia in eâdem specie, si replicetur, auget tantùm pœnam.*

90 *Sententiæ Inquisitorum in causis hæresum non transeunt in judicatum ex Bullâ Pii V.*

91 *An Blasphemus excusari possit ex parvitate materiæ? minimè, quia in Blasphemiâ nequit dari parvitas materiæ.*

92 *Gravis, & atrox injuria est, quæ à vili personâ fit Magistratui, vel Principi, maledicta in eum proferendo: quantò magis gravis erit illa, quam creatura infert Creatori?*

93 *An possit dari parvitas materiæ in blasphemiis ergà Sanctos? Ita, si proferatur in eos in ordine ad statum, quem in vitâ mortali habuerunt.*

94 *Non datur materiæ parvitas in Blasphemiis in Sanctos, tanquàm Sanctos.*

95 *An Blasphemus in judicio possit se tueri, excipiendo contrà testes, sicut in aliis judiciis.*

96 *Aliqui auctores universaliter negant, Blasphemis competere hujusmodi exceptionem, exceptâ illâ de testibus, ut inimicis.*

97 *Contraria, & magis practicata est opinio in Tribunali Sancti Officii.*

98 *An Blasphemus frui possit immunitate Ecclesiasticâ? affirmativa responsio communis est.*

99 *Blasphemus tamen hæreticalis ab eâ eicjitur ratione adjunctæ hæresis.*

100 *An qui carceratus pro aljis delictis, confitetur incidenter Blasphemiam, sit de hæresi suspectus? non potest ei imponi pœna ordinaria; sed debet fieri novus processus.*

101 *Talis est de hæresi suspectus.*

102 *Quid agendum cum eo, qui in carcere blasphemat, ut evitet manus Judicis secularis.*

1 ADvocati reos Blasphemos ab hæresis suspicione purgare aggrediuntur ex pluribus capitibus: Ut plurimùm tamen illorum conatus ad trutinam vocati, inveniuntur minùs habentes, & esse meras excusationes in peccatis. His prudens Judex Ecclesiasticus mentem suam accommodare non debet, sed cautelam adhibere, ne ab eis deludatur: oretquè proindè sæpè cum Psalmistâ *vers.* illo 4. *psalmi* 140. *Non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Ut autem distinctâ methodo procedatur ad cognoscendum, quando Blasphemi evitent, vel non evitent hæresis suspi-
2 cionem, plura perpendenda sunt; & primò: an proferens Blasphemias in ebrietate, excusetur ab hæresis suspicione? Antequàm huic quæsito respondeam, notandum est, quod ebrietas est triplex, magna, levis, & levissima: prima, quæ & consummata dicitur à Paulo Zacch. *in quæstionibus Medico-legalibus lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 11. *numer.* 8. & 9. mentis alienationem causat, & usum omnem rationis adimit, sicut & nostri jurisconsulti testantur: Damohuder. *in Enchir. rerum crim. cap.* 87. *num.* 19.

3 Levis ebrietas est illa, quæ mentem tantummodò turbat, & leviter; vel parùm admodum illam lædit. Et idcircò non procedunt in leviter ebrio, quæ in maximè ebrio locũ habent: Ita de mente jurisconsultorum Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 326. *num.* 7. Cabal. *resolut. crim. centur.* 3. *casu* 297. *mem.* 16. levissima ebrietas est illa, quæ hominem

solum

solum exhilarat, & loquacem reddit.

4 Hos gradus ebrietatis cognoscere difficile est, ut observarunt Ripa *in l. generaliter, num.*80. Bernard. Diaz *in practicâ canonicâ, cap.*77.*litt.B.* Bordon. *de Sac. Tribunali, cap.*26. *num.* 17. ideò prudentis erit Judicis ex circumstantiis aliis adjectis arbitrari, ut ait idem Bordon. *ibid.* Sed fortassè de leviori ebrietate intellignnt isti DD. nam consumata ebrietas satis se ipsam, etiam non advertentibus, prodit, quemadmodùm notat Paulus Zachia supracitatus *num.* 15.

5 Hujusmodi magnam ebrietatem esse mortaliter peccaminosam, nullus, nisi ebrio similis, dubitavit unquàm: Quid enim peccati rationem obtinet, si non obtinet tàm effrænis potandi libido, ut quis abjectâ rationis potestate, quâ nihil in homine divinius, ad brutorum stoliditatem, voluptatis causâ, vino se abjiciat? Quare explodendi sunt Philosophi illi, qui referente Theophy. Raynaud. *de virtutibus, lib.* 6. *num.* 102. id inficiari sunt ausi.

6 Cæterum si quis negaret unam, vel alteram inebriationem voluntariam esse peccatum mortale, videretur non effici suspectus de hæresi, nam contrarium non esse de fide, putant nonnulli; immò defenditur à multis Canonistis: Sic Abbas *in cap. à crapulâ, de vitâ, & honest. clerie.* tradit, haberi *in cap. utrum*, §. *aliàs autem, dist.* 25. quod ebrietas non sit peccatum mortale, nisi sit assidua, qui tamen textus non ità sonat, ut dicit Georg. Gobat. *in Quinario tract. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 6. Foret ergò temerariùs ille, utpotè qui in re tàm gravi, tantisque firmatâ rationibus dissentiret ab omni Theologorum modernorum sensu. Ego autem crederem, hujusmodi assertorem esse suspectum de hæresi: Est enim de fide, ebriosos excludi à Regno Cælorum, ut habemus definitum in Sacro Concil. Trident. *sess.*6. *de justificat. cap.* 15. idquè anteà docuerat Apostolus *in epist. ad Corinth. cap.* 6. ubi: *neque ebriosi, &c. regnum Dei possidebunt. Et ad Galat. cap.* 5. inter opera carnis, quæ nos vitâ æternâ privant, ebrietatem recenset. Nec dicatur, tàm in Concilio Trident. *ubi suprà*, quàm in laudatis D. Pauli epistolis intelligi, non de unâ, vel alterâ inebriatione; sed de ebrietatis vitio, seu habitu: si quidem magis, & minus non variant substantiam; idcircò assiduitas importat circumstantiam, quæ non trahit in aliam speciem peccati, & sic non potest in infinitum aggravare, ut de veniali faciat mortale, quemadmodum inquit Angelic. Doctor in 2.2. *qu.* 150. *art.* 2. hanc igitur propositionem (*una ebrietas voluntaria non est peccatum mortale*) graviori censurâ, quàm temerariæ, & scandalosæ, inurerem.

7 Ad quæsitum respondetur, quod Blasphemias proferens in magnâ ebrietate excusatur, quidquid adversum Menochium sentiat Christoph. Crusius *de indiciis delict. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 25. tùm à pœnâ, tùm ab imputatione, sivè hæresis suspicione, quia illa ità mentem alienat, ut ebrius nesciat, quid faciat, & in hoc comparatur furioso: *l. omne delictum* 6. §. *per vinum, ff. de re milit.* Est autem de ratione verborum Blasphemorum, ut imputari possint, quoties à prędito ratione proferantur: S. Thom. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 2. *ad* 3. aliter non significant ullum Dei contemptum, nec ejus honorem minuunt, nisi Blasphemus intendat nocumentũ inferre honori divino: S. Thom. *loco citato, art.* 3. *ad primum.* Non retinent igitur ebrii malitiam objectivam in ebrietate, & proindè respectu eorum cessat pœna: De Angel. *de delict. par.* 1. *cap.* 24. *nu.* 28. Conciol. *resol. crim.* 1. *verbo Blasphemia, num.* 10. & 11. Scopp. in Merlin. Pignatell. *contr.* 97. *num.* 3. Salsed. ad Dias *pract. crim. can. cap.* 110. *vers. excusabitur*, Avendan. *de exequ. mand. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 19. Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 6. Ricciul. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. & 18.

8 Secus verò dicendum de levi, & levissimâ ebrietate: hæc enim nec à pœnâ, nec à suspicione excusat: utique levis à pœnâ corporali, non à suspicione, cum sit peccaminosa; dum hæc, licet turbet, non tamen tollit usum rationis: Laderchius, *consil.* 207. Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.*26. *num.* 17. & *in Manuali consult. sect.* 45. *n.* 34. Caren. *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 32. & 33. Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 19. *numer.* 17. Caball. *resol. crim. cap.* 297. *num.* 16.

Et

9 Et reverà Blasphemi, qui excusari prætendunt, ex eo quod asserant, se fuisse ebrios, quo jure audiendi? Profectò non recordarentur, se blasphemasse, quoties fuissent eâ ebrietate affecti, quæ excusat; si verò probaretur, tunc temporis fuisse ebrios, & negarent, se blasphemasse, licet contrarium ex aliis constaret, eo casu ebrietas excusaret ab hac suspicione, etiam in Tribun. S. Officii: Caren. *quæst. crimin. cap. 3. n. 10. de Blasphemiâ, vers. ego verò*: deberent tamen inposterùm se abstinere ab ebrietate, prout docet Raynald. *sintax. criminal. cap. 1. §. 1. ad 7. num. 36.* aliàs non excusarentur, quia tunc adverteret malum, quod ex ebrietate sequitur, quâ propter D. August *super Genes. ad litteram* D. Thom. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 4. Albertin. *de agnoscen. assert. quæst. 36. num.* 13. & Eymeric. *director. Inquisit. par. 3. qu.* 41. *num.* 9. referunt, quod
10 Noë, qui inebriatus fuit, excusatur in totum, quia nesciebat virtutem vini: At Lot, qui inebriatus cum filiâ concubuit, excusatur à tanto, & non à toto, quia licet vini potentiam novisset, tamen ignorabat consequentiam ebrietatis ad luxuriam.

11 Hinc satisfit illi quæsito, an reverà duplici peccato peccent, qui se inebriant, scientes se in ebrietate consuevisse blasphemare: negari planè non potest, ebrietatis malitiam graviter admodùm aggravari à circumstantiâ prævisæ Blasphemæ dictionis, præcipuè si sit hæreticalis, & atrox: Nam grande scandalum; gravem indignationem solent ejusmodi verba blasphema adferre: & qui ea proferunt, ex prævisione illorum præsumuntur malè affecti ergà Dei honorem, & alieni à reverentiâ illi debitâ: Ità censent Sanchez *lib. 1. moral. cap. 16. num.* 44. Castropal. *tract. 2. disp. 1. punct.* 3. Bonacin. *quæst. 4. de peccatis, punct. 4. numer.* 11. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 10. num.* 3. Ricciul. *de person. in stat. reprob. libr. 1. cap. 19. num.* 19. Cabal. *resol. criminal. cas. 297. num. 11. & 14.*

12 Sed cum ebrius careat voluntario requisito ad peccatum, ubi reperitur ratio peccati in ebrio, qui in ebrietate voluntariâ profert prævisas Blasphemias? Respondetur, id facilè intellectum iri, si observentur quatuor actus talis peccantis in ebrietate: primus est propositum se inebriandi, neglecto periculo blasphemandi; secundus est actualis deglutitio ultimi poculi, ex quo prævidetur sternenda ratio, quæ ad priora pocula jam vacillabat; tertius est ipsa vini operatio, quâ ex sthomaco evaporatum in caput, sopit actualiter rationem; quartus est ipsa actualis prolatio Blasphemiæ.

13 Primus actus est peccatum internum, & totius mali origo, continens in se formaliter malitiam ebrietatis, & Blasphemiæ: secundus actus est peccatum externum, quia illa deglutitio Vini, certò allaturi ebrietatem, est de lege naturæ prohibita, posset que impediri: Tertius actus est effectus primi, & secundi, nec est peccatum; quia, postquàm vinum conscendit in caput, non est in potestate hominis: Quartus est effectus trium præcedentium, qui non pendet ab actuali libertate blasphemantis. Cum enim supponatur esse ebrius, non est moraliter liber de præsenti: adeòque illa actualis Blasphemiæ prolatio non dependet ab actuali libertate præsenti, licèt utiquè pendeat á præteritâ.

14 At quid censendum de iis, qui incitant ebrios ad proferenda verba Blasphemiæ, posito, quod non incitent ex pravo affectu in Deum, sed v.g. ad risum captandum, vel ad alium finem non mortaliter malum? Respondet Caramuel *in Theol. intentionali, lib. 2. disput. 1. art. 2. num.* 153. istos peccare mortaliter ratione scandali, & irreverentiæ ergà Deum; utuntur enim eo instrumento, ut honorem Dei lædant, & ejus auctoritatem parvi faciant.

15 Quam Doctrinam veram censeo, & addo, hujusmodi incitantem, quàmvis absit parvus animus, adhùc esse de hæresi suspectum ex facto suo, quod constat: Animus namque illius latet; idque amplia, quamvis incitans declararet, se id facere citrà pravam intentionem, quia animus alicujus magis factis, quàm verbis proditur: *l. si tamen* 48. *ff. de ædilit. edict.* & in concursu facti contrarii verbis, facto magis standum est, quia facta potiora sunt verbis:

l. de

l. de pupillo §. *meminisse*, *ff. de novi oper.* Bordon. *de Sac.Tribunal. cap.26. n.* 22.

16 A fortiori erit reus mortalis culpæ, ac de hæresi suspectus, qui vel in muris blasphemias Hæreticas scriberet; vel easdem periodos à Psittaco proferri curaret: cum enim scriptura in pariete, & loquela Psittaci exposita sit majori, seù latiùs patenti periculo, quàm verba ebrii, damnabilior judicari debet ille, & scriptor, & magister verborum Blasphemorum, quàm incitator ebrii., vt rectè discurrit laudatus Gobat.*dicto tractatu* 5.*cap.*19.*sect.*8.*num.*49.

17 E contrà æterno præmio, & laude digni censendi sunt, qui bruta animalia docent, sancta proferre verba, vt prosequitur idem Gobat.*num.*50.quod quàm id gratum sit, miraculo is comprobare voluit. Refert Euseb. Nieremb. *in historiâ naturali*, *pag.*39. Psittacum hanc brevem litaniam edoctum: *S. Thoma, ora pro nobis*. Hic correptus à Milvo prò opportunitate periculi clamávit: *S.Thoma, ora pro nobis*: Res mira! Unguibus projecit incolumem prædam, & ipse raptor exanimis corruit.

18 Quoniam igitur ebrietas, quæ lædit usum rationis, excusat, patet quid censendum sit de demente blasphemante: sub hoc Dementis nomine veniunt omnes illi, qui passionibus cerebri affecti, rationalis facultatis sentiunt defectum. Dementia quippè, ut notant Paulus Zachia *in quæstionibus Medico-legalibus*, *lib.2.tit.1. quæst.1.* & Bernardinus Manerius *tract.de numeratione personarum per focos*, *num.*171. ex Medicorum auctoritate, præcipuè Galeni 2. *de Symptom.caus.cap.ult.Classe* 3. est nomen genericum, prædictarum passionum continens sub se tres species subalternas, nempè, Insaniam, Phrænetidem, & fatuitatem, de quibus, & de earumdem speciebus diffusè tractat laudatus Zachia *à dictâ quæst.1.ad sequentes*. Dementes itaque blasphemantes nullo modo puniri possunt, ut firmant Farinac. *quæst.*94.*nu.*37. Raynald. *Syntax. rer. crim. cap.* 1. §.1. *ad* 7. *n.*134.*tom.*1. Decian.*tract. Criminal.lib.6.cap.5.nu.*7. Lucas de Penna *in l.omnes*, *vers. tertio quæro*,*C. de Delator. lib.* 10. Alexand. Rom. *pragmat.1.num.* 115. *& sequent. tit.de Blasphemiâ*: Nam non intelligunt

19 quid faciunt; & propterea Adrianus Imperator apud Tarraconem spaciatus per viridaria, servo in se cum gladio furiosiùs irruente, illum quidem retentum ministris accurrentibus tradidit, & ubi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit, in nullo omninò commotus, teste Ælio Spartiano: Immò quamvis blasphemus deindè ad sanam mentem redierit, nullatenus est puniendus: Decius *in l. in negotiis*, *num.*4.*de regulis juris*, quem secutus est Tiraquell.*tract. de pœnis temper. aut remit.causa* 2.*n.*9.

20 Ratio est, quia Demens satis dementiâ suâ punitur, ut inquit idem Tiraquel. *loco cit. num.*1. per *l. Divus*, *ff. de offic. Præsidis*: Nec afflictio est addenda flagellatis à Domino: *Can. cum percussio*, *quæst.*1. & propter hanc rationem ampliatur conclusio ad delicta etiam commissa ante Dementiam: Tiraquel. *ubi suprà, causâ* 3. nam in tali casu videtur, quoad blasphemias ante dementiam prolatas fuisse satis à Deo punitum blasphemum, maximè si dementia perpetuò duraret.

21 Ex his videtur opinandum, quod Blasphemus demens nec propter malum exemplum sit puniendus, licet Azevedo *Recopillat. lib.*8. *tit.*4. *l.*1. *num.*19. dicat, vidisse hominem quemdam insanum incarcerari, & catenis comprimi; & cum sic detentus non cessaret, fuisse publicè flagellatum: & subdit, justè quidem factum fuisse, quia horrendas blasphemias proferebat, & flagellationem prædictam profuisse; nam, ut communiter fertur, insanus pęnâ resipiscit. Adde, quod propter immanitatem criminis nedùm in furiosum, verùm etiam in res inanimatas sæpè diriguntur pœnæ: Hinc damnantur ipsa cadavera, & demoliuntur domus: Christof.Crusius *de indiciis delict. par.1. cap.* 28. Narrat proindè Svida, statuam Niconis damnatam fuisse necis judicio publico, & in mare demersam, quod oppresisset æmulum fustibus cedentem statuam, quæ quasi manium defuncti ultrix, lapsu occidit injurantem. Sic Persæ supplicium de viro illustri poscentes, vestes, & tiharam ejus detrahebant, eamquè, ut hominem, fustigabant: Crusius *ubi suprà*, *num.*4.

22 Cęterùm cum non semel contingat Bla-

Blasphemos (sicuti & reliquos delinquentes) callidè dementiam affectare, ut meritas evitent ultrices pęnas in foro externo, proindè magnoperè in id incumbere debent Judices, ne decipiantur; solerter perpendendo signa non sanæ mentis, tùm ex factis, tùm ex verbis, tùm ex animi passionibus, quæ signa ad medicorum cognitionem, & peritiam pertinent, eaquè eruditè de more expendit citatus Zacchia *dict. lib.* 2. *quæst.* 3. *per totam*. Vide ibi.

23 Illud verò indubitanter inter alia supponere debent Sacri Judices, quod quò magis Rei Blasphemi versutè student sub dementiæ larvâ occultare Blasphemiæ damnabilitatem; eò magis de suspicione hæresis reos hebendos esse, quandòquidē, proùt aliàs observavimus, illorum, qui malè sentiunt de fide, character est inseparabilis, virus tantæ ma-
24 lignitatis prò viribus tegere: Propterea ad hujusmodi perversos deludendos in facti contingentiâ memoriæ teneant Judices, quod cum quondam à Tribunali Vicariæ Neapolis quidam scelestus damnatus fuisset ad triremes, ad diminuendam sceleris gravitatem allegantibus Advocatis, præfatum reum esse planè dementem, lepidè respondit Regens Vicarię: *Porrò hic ego opportunè adsum constitutus vindex adversùs insanos, & dementes, non contrà personas sanæ mentis*: Ità refert Joannes Botter. *lib. 1. de dictis memorabilibus, pag. mihi* 23.

25 Quid autem dicendum de eo, qui nec ebrius, nec demens, dum dormit, blasphemat? Jurisperiti Dormientes connumerant inter dementes: Eos enim furioso, & absenti æquiparant Covarr. *in cap. si Furiosus, de homicid. relect. par.* 3. §. *unico, num.* 6. Menocchius *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 327. *num.* 5. Caballus *in Tract. de omni genere Homicidii, num.* 182. Tiraquell. *de pœn. temper. & remit. cau-*
26 *sâ* 5. Eumdemque dormientem vix vivere, manifestè docuit Plato *de legib. lib.* 6. quamobrem ipsum absolutè mortuo similem faciunt iidem Jurisconsulti Menocch. *ubi suprà*, Tiraquel. *d. causâ* 5. *num.* 2. sicut & somnus morti verissimè comparatur à Virgilio *lib.* 6. *Æneid.*

Dulcis, & alta quies placidæque simillima morti,

Quemadmodum igitur mortuus peccare non dicitur, sic neque dormiens: Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 10. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, par.* 2. *allegat.* 28. *mem.* 3. ubi cum alijs sentit, dormientem, si quem occiderit, à pænâ homicidii excusari, nec irregularitatem
27 incurrere. In specie verò, quod Dormiens blasphemādo nullatenùs peccet, probari potest: Blasphemia enim est injuria Deo facta, cujus infinitæ bonitati Blasphemus impiè detrahit; atquè dormiens injuriam facere non dicitur, quemadmodùm nec bruta irrationalia: Decius in *l. & vim, num.* 28. *ff. de Just. & Jur.* & meritò, quia, vt discurrit, Zacchia *dicto lib.* 2. *quæst.* 12. *num.* 9. in somnis verè mens sopita est, & Dormiens caret voluntate; itaùt nequè loquatur, nequè faciat, quod mens, aut voluntas facere, aut dicere dictaret: sed proùt phantasia variat, rerum imagines rationi offerens, ex iis etiam ea, quæ nequè sunt, nequè ullo modo fuere, Dormientem interdum effutire cogit.

28 His tamen non obstantibus tenet Dominus Raynaldus *observat. Criminal. c.* 1. §. *ad* 7. *num.* 34. quod Blasphemus, si sit solitus blasphemare, non excusetur in totum, quando Dormiens blasphemat; est enim in culpâ, quia fecit linguam disertam, & in maledicentjis promptam, sicut Alexan. Roman. ratiocinatur *pragmat.* 1. *nu.* 128. quem sequitur Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 24. vel vt loquuntur Theologi, ille Blasphemus peccat in causâ: Potuerat enim ratione sui Iuris existen-
29 te, facilitatem illā blasphemandi coërcere, & se se ab impietate illâ abstinere, quam doctrinam tradunt pariter Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 2. *casu* 327. Carrer. *in pract. Crimin.* §. *circa*, *num.* 25. & Cabal. *de omni genere homicidii*, quos sequitur Zacchia citatus *num.* 13. *& sequent.* vbi agendo de Noctambulis (sic dicti, eò quod dormiendo nocte ambulent) docet dari casum, quod isti dormiendo, si delinquant, puniendi sint, quibusdam conditionibus concurrentibus, legendis apud eumdem Zach. ubi & quâ ratione possint operari Noctambuli tractat remissivè ad Andream Laurent. *lib.* 4. *Anatomiæ, quæst.* 12. Levin. Lemn. *de occult. nat. miraculis, lib.* 2.

cap.5. Tadd. Florent. *in Isagog. Joanitji cap*. 10.

30 Appositè ad rem nostram, plurimùm interesse inter somnia proborum, & vitiosorum, monebat Zeno, teste Mureto *in primo Ethicor.cap.vlt.* sanè D.Bernardus *lib. de Vitâ solit.* religiosis viris præscripsit hanc regulam: *Iturus ad somnum semper tecum aliquid affer in cogitatione, ut placidè dormias, quod nonnunquàm etiam somniasse juvat: sic tibi nox, sicut dies, illuminabitur, & nox illuminatio tua, in deliciis tuis.* Hinc D. Hieron. *Epist.22.ad Eustochium* scripsit: *Sanctis ipsis etiam somnus oratio est*.

31 Cum ergò in casu contrario contrarius producatur effectus, quid obstat, fateri flagitiosorum Dormientium, & facta, & dicta quamdam iniquitatis induere speciem? ad quod facit elegans Baldi sententia relata apud Gobat. *in Quinario tract*.5. *cap*.19. *num*. 40. quod scilicet talis intelligitur mens in corde, quale verbum est in ore; nam tuba cordis est lingua loquentis. Vide tamen superiùs recensita *in sect.2.num*.19.

32 An verò blasphemus in iracundiâ excusetur? distinguenda venit iracundia ab irâ, quia, ut observat Cornel.à Lapid. in illa verba *Epist.D.Pauli ad Ephes. cap.4. vers. 26. sol non occidat super iracundiam vestram*, ira est naturalis passio, & sæpè licita, & sancta; iracundia verò est iræ excessus, & animi effervescentia impetuosa, quâ præter rationem quis contrà aliquem concitatur. Nostri tamen jurisconsulti nullam faciunt differentiam inter iram, & iracundiam, de quâ re latè Zacchia supracitatus *quæst.6.num.4. & sequent.* & nos suprà *in Prælimin.*

33 Circa verò quæstionem respondent nonnulli negativè, nimirùm iracundiam non excusare à crimine Blasphemiæ, adeòquè neque ab hæresis suspicione; ita ut non minus debeat puniri, ac si ex iracundiæ impetu minimè fuisset commotus: Covarr. *in cap. Quamvis, par.*1.§.7.*num.*13.*de Pact. in* 6. Azeved. *recopilat.l.*8.*tit.*4.*lib.*1.*num.* 14. His favet Plato 4.*de Repub. circà med.* dùm dixit, vim irascibilis rationi auxiliari. Ad quod annuebat Torquatus Tassus in suo magno Poëmate *cant.*16.*stant.*34. in illo carmine.

Mà poiche diè vergogna à sdegno loco,
Sdegno guerrier della ragion feroce.

34 Sed huic Opinioni resistit jus commune, quo cavetur *in l.absentem,§.final. l.perspiciendum §. impetu, l. aut facta §. eventus, ff.de pœn.* quod delinquentibus absquè dolo malo non possit irrogari ordinaria pœna: tales sunt, qui in iracundiâ delinquunt; cum isti mentem habeant perturbatam: imò iracundiæ impetus talis est, ut omninò nihil ab insaniâ, aut furore differre, firmaverit Galenus *de cognoscend.& curand.animi morb.cap.*5.*clas.*2.& ex nostris, Novellus *ad defens. reorum, in rubricâ homicidæ, quib.ex causâ pœnâ mort.excus.num.*64.

35 Ne verò ex hac doctrinâ Blasphemi excusationes pertexere prætendant, allegando se in irâ blasphemasse, notandũ est, quod ut procedant dicta *num. præcedenti*, sequentia debent verificari. Primum, quod ira fuerit talis, ac tanta, quod mentem alienaverit: Tunc enim excusare docent Hostiens. *in sum. tit.de maledic. num.*5. Passerin. *in* 6. *decretal. cap.ut Inquisitionis,num.*240.*de Hæretic.* De Angel. *de delict.par.*1.*cap.*24.*nu.*30. Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.*19.*num.*11. Christof. Crusius *de inditiis delict.par.*2.*cap.*3. *num.*51. *circà finem*: Grammatic.*ad constit.Regni,tit.de Blasphem.n.*5. Merlin.Pignattell.*controv. forens.*97.*num.*4. *& ibi* Scoppa; Valenzuol.*cons.*142.*num.*18.*& sequent.* Molin. *de rit.Nuptiar.lib.*1.*Comp.*30.*num.*17.*&* 35. Tapia *de jure Regni lib.*5.*tit.*18.*nu.*6. qui tamen ait, nunquàm posse probari, quod ira sit tanta, ut alienet hominem à mente.

36 Secundùm, quod justa fuerit causa irascendi, & rationabilis, & in hoc casu in S.Officio præstat diminutionem pœnæ ordinariæ, nàm tunc Blasphemus excusari potest, quod aliter protulit; aliter credidit: Protulit perversè, sed credidit Catholicè. Secùs verò si ex causâ injustâ, ut ex ludo, nàm ex iniquitate quis non potest commodum reportare: *cap.intelleximus* 7. *de judic.* Passerin.*in cap.ut.Inquisitionis,num.*240. *de Hæret.in* 6. Merlin. Pignattell. *contr.* 97.*num.*5.*&* 6.*& ibi* Scoppa, Ricciull. *de person.in stat.reprob.lib.*1. *cap.*19.*n.*9. Bordon. *in manual.consult.sect.*45.*n.*33. Pistach. *de superstit. par.* 2. *cap.* 20. *numer.*

mer. 31. & 32. Vivius *decis.* 275. *numer.* 28.

37 Tertium, quod Blasphemi in iracundiâ non sint consuetudinarii: Passerin. *dict. cap. ut Inquisitionis*, *num.* 240. Alexander Roman. *in comment. ad pragmat.* 1. *n.* 128. *tit. de Blasph.* Merlin. Pignattell. *loco cit num.* 13. Iason. *in l.* 3. §. *final. ff. de jure jur.* Afflict. *ad constitut. num.* 10. Grammat. *in dict. constit. n.* 12. Farinacc. *quæst.* 20 *nu.* 43. Ricc. *in praxi, to.* 2. *resolut.* 44. *in fine*, Pistach. *de superst par.* 2. *cap.* 25. *à num.* 50.

38 Sed quid dicendum de Artistis, qui in exercitio consuetudinem habent blasphemandi, quandò facta artis malè eis succedunt? An in iracundiâ blasphemãtes sint puniendi? Movet hoc dubiũ Ludov. ab Ameno *in Tract. de delictis, & pœnis, tit. quinto* §. 2. *Blasphemia, n.* 25. Nos cum ipso respondemus cum distinctione, nimirùm tunc non esse vili penæ locum, quando artista se cohibere ab irâ proponit, & diligentiam adhibet ad se compescendum; secus verò si nullam diligentiam adhibuisset: tenetur enim per actus contrarios perversam naturam corrigere, ut docet Bonac. *de legibus, disput.* 3. *qu.* 8. *punc.* 3. *num.* 3. cum aliis ibi citatis.

39 An autem semel tantùm blasphemans in irâ abjuret de levi? Negant Zanard. *par.* 2. *præcepto* 1. *nu.* 10. Lazar. *quæst.* 6. *num.* 21. Pegna *super quæst.* 41. *Director.* Genuen. *in prax. cap.* 84. *n.* 13. *in fin.* Del Bene *dub.* 219. *sect.* 26. *nu.* 2. qui fundant suam intentionem in praxi. Verum assertæ praxis veritatem suspectam habeo, cum manifesta ratio in contrarium militet, nam non minus una quam plures inducunt hæresis suspicionem: Quælibet enim blasphemia hereticalis adversatur Confessioni fidei, & cum Hæresi convertitur, & consequenter semel blasphemans in irâ, est de Hæresi leviter suspectus.

40 Non videntur quoque excusari blasphemi ob linguæ lubricitatem, quâ proferunt blasphemias hereticales: Cardin. Zabarella *in Clement.* 1. §. *nos igitur in fine, de summâ Trinitate*, Arelatanus *de Hæreticis, notab.* 28. Repertor. Inquis. *verbo Hæreticus*, *vers. sed* Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 17. *vers.* 23. *& sequent.* & *in Enchirid. tit.* 47. *n.* 18. Locat. *in Judicial. verbo dolus*, *num.* 6. *verbo Fautores, num.* 8. & *verbo Punitio, num.* 4. Rojas *singul.* 103. Zanch. *de hæret. cap.* 7. Salxed. *in Bernard. Diaz. cap.* 106. Farinac. *quæst.* 179. *num* 46. & Sanctarel. *de Hæresi, tract.* 3. *de Blasphemiâ cap.* 8. *dub.* 2.

41 *num.* 3. & 4. Ratio est, quia latet an ob lubricitatem lingue, vel an dolo malo ita blasphemare audeant? Calderin. *tractatu de formâ procedendi contrâ Inquisitum de Hæresi, in Rubr. de Hæretic. redeuntibus*, *num.* 6. Pegna, & Salzedo *ubi suprà*. Militat namquè contrà eos juris regula, quod ex abbundantiâ cordis os loquitur, & semper interpretatio esset sumenda contrà hujusmodi reos, cum sit hoc speciale in crimine hæresis, ut notat Raynald. sæpe laudatus *num.* 29. & *sequent.*

42 Contrarium tenent Sousa *lib.* 2. *Aphorism. Inqusit. cap.* 13. Carena *par.* 3. *tit.* 9. §. 8. *n.* 35. Bordon. *de Sacro Tribunal. cap.* 36. *num.* 52. & *sequent.* Farinac. *de hæresi*, *quæst.* 179. *num.* 40. Passerin. *in cap. ut Inquisitionis*, *n.* 242. *de hæretic. in* 6. quia proferens hoc modo hæresim, non habet errorem in intellectu, & ideò probabiliter excusari potest. Sæpè enim inter cor, & linguam maxima varietas est, ait Marquez *lib.* 1. *de Gubernat. in proœmio*, *folio* 3. & lubricum linguæ non est trahendum ad gravem suspicionem, ut ait Bordon. *in Manuali, sect.* 45. *num.* 36. Imò nec ad ullum crimen, nisi rea mens ream linguam faceret: Ioann. Nevizan. *Sylvæ nupt. lib.* 1. *num.* 11. *pag.* 37.

43 Cęterum quàmvis, theoricè loquendo, hæc vera sint, censerem tamen in praxi, non esse recedendum à nostra responsione; sed fore considerandas circumstantias, præcipuè personarum, ex quibus possit deprehendi, an in lingue blasphemantis lubricitate adfuerit, nec ne, culpa, & dolus malus; vel culpa simul, & non dolus malus, nè scilicet in damnum fidei omittatur in hujusmodi reos digna animadversio; vel si solùm adfuit culpa, non æqualiter puniantur rei, ac si ex dolo etiam deliquissent: Pœna enim est delictorum cœrcitio: *l. aliud est fraus*, *ff. de verborum significat. l. si pœna*, *ff. de pœn.*

44 Nullo autem pacto excusantur bla-

M 2 sphe-

sphemantes per jocum, & proindè graviter puniendi sunt Passerin. *dict. cap. vt Inquisitionis*, *num.* 243. *de Hæretic. in* 6. Raynal.*in sæpè citato cap.*1. *nu.*133. quia Deus honorandus est, non in jocum, & fabulam assumendus: qui autem scurrilia, & contumeliosa verba profert in Deum, Sanctos, & res sacras, omnia hęc inhonorat, vt de se patet: & sicut hęc circumstantia auget malitiam; ità & pænam, quia pęnæ sunt inductæ, & statutę à jure, ut malitia hominum reprimatur: *Cap. ad reprimendum, de offic. ordinar.*

45 Nec obstat, quod joco facta, aut dicta pęnam non mereantur, ex *cap.* 1. *de sentent. Excomm.* Quià intelligitur, quãdò jocus non est noxius, qualis est hic, qui derrogat honori Dei: Farinac. *qu.* 176. *de hæresi*, Sanctarell. *de Blasphemia*, *cap.* 8. *dub.* 2. *nu.*3. Lazar. *quæst.* 6. *n.*11. Bordon. *de sacro Tribun. cap.*26. *num.*18. *& in Manuali*, *dictâ sect.* 45. *num.* 33. Ricciul. *de person. in stat. reprob. lib.*1. *c.*5. *num.*2. *&* 3. Salsed. *ad Diaz*, *pract. crim. can. c.*110. *vers. sed locus iste*, Campanil. *diversor. jur. can. rubr.* 11. *cap.*26. *n.*85. Alexand. Roman. *pragmat. num.*94. ubi loquitur de illis, qui delectantur audire Blasphemias, & ad hoc capiunt juvenes per aures, vel per capillos, &c. & quasi jocando cogunt eos proferre Bla-

46 sphemias. At Deus non irridetur: Profanis enim jocis in Deum, & Sanctos ejus abuti, nequit esse absquè apertâ fidei pernicie; & qui hæc effutiunt, parùm Catholicè audiri merentur; & quod Tullius in Antonium intorsit (Ità eras Lupercus, ut te esse consulem meminisse deberes) ad hujusmodi jocos Blasphemos facilè aptatur dicendo, itá facetum agere poteras, ut te esse Christianum meminisse deberes. Si quidem

47 Erasmi Rhoterodami jocos impios fuisse primam radicem cladis fidei Catholicæ in Angliâ, scribit Edmund. Campian. *initio libelli*, *de Divortio Henrici VIII.* qui ad calcem Historiæ Harpsfeldii habetur. Zuinglius in articuli vigesimi explantatione apertè prodit, se Erasmi jocis contrà Sanctorum invocationem, ad eam abrogandam adductum esse, nequè ab eâ persuasione dimoveri potuisse aliis ejusdem Erasmi scriptionibus in Sanctorum quorumdam exor-

48 nationem: Ad idem argumentum facit, quod enarrat Sander. *lib.*1. *de Schismate Anglicano*, *pag. mihi* 24. agens de Francisco Briano cognomento Inferni Vicario, ex familiâ Bolenorum, qui Henrici VIII. incestum cum Matre, & binis ejus filiabus blasphemo joco pronunciavit licitum, non minùs, ac comestionem pulli post gallinam: undè factus Henrico animus ad Annam Bolenam, cujus Matrem, & Sororem habuerat concubinas, sibi copulandam specie Conjugii, superstite Catharinâ Austriacâ legitimâ Coniuge: que origo fuit profigandæ in Angliâ religionis, & in eluvionem malorum inducendi Regem, ac Regnum.

49 Ad eamdem Seriem Blaspemię redducitur, si amanuensis ex joco scriberet in quibusdam Schedulis aliquas Blasphemias hęreticales ad calamum experiendum; tunc enim esset de hæresi suspectus, & puniendus, ut firmat Eminentissimus Albit. *de inconstant. in fid. cap.* 31. *n.* 157.

50 Non ità rigorosè sentiendum est de blasphemante in ludo; nam prò primâ Blasphemiâ in aliquo potest excusari is, qui ludit, quia nesciebat consequentiam ludi ad Blasphemiam; prò secundâ autem, seù ulteriori Blasphemiâ nullatenùs debet excusari, quia exponit se periculo blasphemandi, & proindè est in culpâ, ut benè advertit Raynald. suprà laudatus, *num.* 38. cum Carolo Tapiâ *de jure regni*, *lib.* 5. *tit.* 18. *num.* 6. *in fine*: siquidem nullatenùs debet excusari, qui scit, quod aliquem actum faciendo incidit in iram; & ex irâ in Blasphemiam, quia debebat abstinere à dicto actu ex rationibus supradictis.

51 Ex his colligitur, quod ira, quæ provenit ex ludo, nunquam potest dici justa. Undè de Lusoribus Ovid. 3. *art.* cecenit.

Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Jurgiaquè, & rixæ, sollicitusque dolor
Crimina dicuntur, resonat clamoribus AEter;
Invocat iratos & sibi quisque Deos.

Adeòque non excusat, ut firmant Ricc. *variar. resolut.* 275. *n.* 67. *par.* 1. Petr. *ad Grammat. dec.* 11. *num.* 9. Gratian. *discept. forens.* 93. *num.* 26. *& seqq.* Sola *ad Decreta Sabaudiæ, tit.* 2. *glos.* 3. *nu.*16. *& seq.* Cabal. *criminal. resol* 296. *n.* 34.

Infer-

52 Infertur etiam, quod cum ludus sit causa ut plurimũ Blasphemiarum, sicuti probatur per *text. in l. fin.* §. 1. *C. de Episcopi audient. & l. 3. C. de aleator. l. alearum fin. C. de religiosis domibus*, apud Lazar. *de Blasphemia in præfat. num.* 34. ideò est proximum inditium ad torturam contra Blasphemantes: Mascard. *de probat. conclus.* 194. *num.* 12. ubi ait, lusorem semper præsumi blasphemare, Turrecremat. *in cap. Episcopos, dist.* 37. *num.* 2. Sayr. *lib.* 11. *cap.* 12. *num.* 4. Decian. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 23. Bordon. *in manual. sect.* 45. *n.* 194. Christoph. Crusius *de indiciis delictorum, par.* 2. *c.* 3. *n.* 25.

53 Si igitur non excusatur, qui blasphemat in ludo, quoties anteà expertus sit, ludum sibi esse incentivum ad blasphemandum; nam debebat hujusmodi malam ludendi propensionem, tanquàm blasphemandi occasionem, corrigere, non autem ei adhærere, quid est dicendum de eo, qui statim post prolatam blasphemiam se corrigit? Respondetur, quod ille, qui blasphemavit, & statim à Deo veniam petiit; vel pectus suum percussit; aut aliquem actum pænitentię emisit, non per hoc eximitur ab hæresis suspicione: ista enim fieri possunt à Blasphemo ad tollendum scandalum, & ad retrahendos audientes à denuntiatione. At è contrà stat factum non æquivocum hujusmodi suspicionis inductivum, quale est prolatio Blasphemiæ: Ita Eminentiss. Concivis meus Card.
54 Albit. *de inconstant. in fide cap.* 3. *n.* 159. contrarium tamen videtur sentire Lup. *in edict. S. Inquisit. par.* 4. *lib.* 23. *dist.* 3. *difficult.* 4. *art.* 2. juxtà cujus sententiam cum talis blasphemus non sit denuntiandus, consequenter nullam quoquè incurrit hæresis suspicionem; & quod pœnitentiæ, seù correctionis actus statim post plasphemiã elicitus minuat pœnam, & malum animum excludat, tradunt Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 13. & 14. cum aliis cumulatis per de Angel. *de delictis, par.* 1. *cap.* 24. *num.* 33. sed nos lectorem remittimus ad ea, quæ inferiùs adducuntur.

55 Cum itaquè in prædictis casibus Blasphemi non evitent hæresis suspicionem, quid dicendum de illis, qui permanent in perversâ blasphemandi voluntate usquè ad ultimum mortalis vitæ inclusive? Respondetur, hos appellari Blasphemos in Spiritum Sanctum, quorum finalis inpœnitentia nuncupatur à Reali Propheta *in psalm.* 48. *Iniquitas calcanei*: de ipsis latè Gammach. *in primam* 2. *D. Tho. quæst.* 14. *de Blasphemiâ*, Bordon. *in manual. sect.* 35. *num.* 173. Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20.

56 Ut autem meliùs explicetur hęc consumata iniquitas, debemus notare quod Blasphemia in Spiritum Sanctum non est aliqua verbalis Blasphemia, sicut cęterę aliæ, sed est ipsamet finalis inpœnitentiâ, quã homo obstinatus vult in mortali peccato mori, nihil curândo de suâ æternâ animæ salute: Ità Sancti Patres apud Magistrum sententiarum *in* 2. *dist.* 43. ubi Scotus, ex quo tria requiruntur ad hoc peccatum incurrendum, & quod sit ex certâ malitiâ; & quod sit contrà primum primæ tabulæ præceptum; & quod sit actus oppositus virtuti spei inclinantis ad cælestem gloriam, cui opponitur desperatio.

57 Hujusmodi perversæ voluntati videtur quodammodò opponi inadvertẽtia, quâ quis blasphemat, cujus actus dicitur imperfectus, & absque plenâ deliberatione, quatenus non plenè advertens verborum significationẽ, blasphemat; idcircò sic Blasphemantem venialiter tantùm peccare, & non esse denuntiandum, quamvis Blasphemia esset hęreticalis, judicat Joann. Aloza *in Alphabeto morali, verbo Blasphemia, n.* 4. etiamsi id procederet ex pravâ consuetudine: Idem Aloza referens Dianam *par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 33.

58 De hujusmodi inadvertentiâ loquens Papinianus, ait, veniam facilitatis continere, & ob id nullam pœnam subire, ut refert Martinianus *in l. ad S.C. Turpilianum* apud Sanctor. de Melphi *commentar. in Statuta, ff. minorum, cap.* 1. *Stat.* 1. §. 9. Hoc verò modo explicatam conclusionem tenent inter alios Pitigian. *in* 3. *par. sentent. tom.* 2. *dist.* 39. *quæst. unic. art.* 7. Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 28. & Joan. Sancius *in selectis disput.* 20. *numer.* 5. & de facto
59 propter hujusmodi advertentiæ defectum minimè punitur blasphemans in S. Officio: Quamobrem non videtur approbandus Curiæ laicalis inflexibilis rigor

rigor adversus ità blasphemantem, ut videre est apud Papon. *de arrest. libr.* 1. *tit.* 2. & signanter *nu.*4. ubi dicit, quod ultima supplicio damnatus est, qui Crucifixum fregerat in alienatione mentis ob iram.

60 Advertendùm tamen est cum Lup. *in edictum S. Offic. par.*4. *dist.*1. *art.* 2. *difficult.* 3. *vers. respondeo*, quod licet Blasphemas ratione inadvertentiæ non peccet; peccat tamen ratione scandali, quousque non constet apud Doctos de totali inadvertentiâ: Apud rudes enim fortasse nullo tempore excusatur, si non erudiantur; quod ferè nunquam evenit ut manifestum est.

61 Ego magis excusat ignorantia blasphemum, juxtà ea, quæ dicta sunt suprà *in Prælim.*14. Et ratio est, quia ad contumeliam, quæ est Blasphemia, seù injuria in faciem, & contemptum alicujus devomita, requiritur scientia, juxtà *l.* 5. *ff. ad legem Aquiljam*; non enim contemnit, qui ignorat, ut colligitur *ex l. si ignorans ff. locati* Layman. *lib.* 4. *cap.*6. *num.*2. Vasquez. 1. 2. *disp.* 127. *cap.*3. Turrian. 2. 2. *disput.* 58. *dub.* 2. §.8. Suarez *de relig. tract.*3. *lib.*10. *cap.*6. *num.* 11.

62 Nec officit vulgata regula 13. Juris *in 6.* quod ignorantia juris non excuset pro foro externo, & talis sit ea, quæ versari potest circa propositiones Blasphemas hæreticales, cum omnis talis propositio sit contraria alicui propositioni lege divinâ, & humanâ definitæ: Ad hujusmodi autem propositiones nequit dari ignorantia, nisi culpabilis, cum quilibet Christi-fidelis eas scire teneatur. Quò circa ait Plotus *de Blasphemiâ ante num.* 1. si turpe est militi principis dicere, *non putabam*; ità turpissimum est militi Christi in hac militanti Ecclesiâ, ac Christianâ Republicâ degenti, ut perveniat ad cælestem, & triumphantem militiam, blasphemare dicendo, *non putabam*. Sed non obstat, inquam, illa regula, quæ non est universaliter intelligenda, cum etiam igno-

63 rantia juris in multis possit excusare in foro externo, & ad rem nostram excusat mulieres, rusticos, & alios, qui probantur indocti: *l. cum de indebito, ff. de probat.* & ibi Doctores Alexander *in l.* 13. *qui putat, ff. de acquirend. hæredit. num.* 7. Natta *consil.* 140. *num.* 11. Quod procedit etiam in materiâ fidei ex Farinacc. *de hæresi, quæst.* 179. Ex eo Ricciull. *de jur. person. lib.*5. *cap.* 7. *n.*7. Carena *tit.*1. *de hæresi, num.*42.

64 Profectò ignorantia probabilis, & inculpabilis, seù invincibilis, sicut excusat ab heresi incurrendâ in foro conscientię, ut secundum communem sententiam docent Bordon. *de Sacro Tribun. cap.*9. *sect.*3. *q.* 6. *num.*33. juxtà illud Genesis *cap.* 20. *Domine nùm Gentem ignorantem, & justum interficies?* ità etiam excusare debet in foro judiciali, ut argumentatur laudatus Bordon. *ibidem, cap.*36. *quæst.*23. *num.*47. adeòque à Blasphemiâ hæreticali, per ea, quæ tradit in his terminis Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.*1. *cap.*19. *à num.* 22. *usque ad num.* 26.

65 Cæterum sicut, secundùm prçcitatos Doctores, non potest allegari ignorantia in articulis manifestis fidei, quos omnes scire tenentur, quales sunt, qui continentur in Symbolo Apostolorum, qui nimirum inter Christi-fideles publicè solemnizatur; ità nec potest circà Blasphemias oppositas illis articulis, quia culpa non levis est, illo ignorare, ut dicebamus nos *in Prælimin.* 14. ac prosequitur Ricciull. *loc. cit.*

66 Eo pacto, quo suprà stabilivimus excusari blasphemum propter inadvertentiam, & ignorantiam, videtur quoque excusari propter minorē ętatem: sed speciale est in crimine blasphemiæ, quod, minor ętas non excuset, prout inquit D. Raynald. *dicto cap.*1. §.1. *ad* 7. *n.* 24. dummodò minor excedat annum sextum decimum; idque habet fundamentum in Sacrâ Scripturâ *lib.*4. *Reg cap.*2. ubi narratur, pueros quadraginta irrisores Elisei ab isto maledictos fuisse ab ursis dilaniatos: sic D. Gregor. *cap.* 19. *lib.*4. *Dialog.* refert, puerum annorum quinque fuisse à Diabalo ereptum de manibus Patris, & ad inferos delatum propter Blasphemias.

67 Hanc Sententiam firmatam per Gregorium Tholos. *Syntagm. juris universi par.*3. *de action. lib.* 33. *cap.* 12. *num.*11. Franciscum de Magistr. *in Silva Ecclesiastica, tom.* 2. *lib.*2. *c.* 18. *num.* 23. *ver. & in S. Officio*, Severin. ad Sanfelic. *decis.*369. *vers. addo pulchrum*, & Boe-

rium

rium *decis.* 301. *num.* 5. non admittunt alii Doctores, nisi in minore, doli capace, & vim, & sensum Blasphemię sentiente: Farinacc. *quæst.* 92. *num.* 10. Ruginell. *quæst. præcitata, cap.* 35. *nu.* 19. Ludovicus Gilban. *in arbor. judic. crimin. cap.* 5. *ram.* 3. *de exception. num.* 67. Caren. *de S. offic. tit.* 7. §. 16. *num.* 8. latè Ricciull. *de person. in stat. reprob. libr.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. *&* 30.

68 Non est autem negandum, quod minor ætas in casu capacitatis doli mereatur pœnę minorationem, quia etsi doli capax sit, non est tamen perfecti judicii, ut docent Dalner *de jur. hominis, tom.* 2. *lib.* 4. *par.* 2. *memb.* 1. *num.* 78. & laudatus Carena *num.* 84. dicens, id procedere in omnibus delictis Sancti Officii respectu minorum vigintiquinque annis, exceptis hęreticis pertinacibus, & excepto illo, qui non Sacerdos celebravit: Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.* 26. *num.* 17. Ricciull. *loco cit. num.* 32. Quid

69 autem sentiendum de eo, qui dum blasphemat, protestatur? v. g. si quis sic blasphemaret: *Puttana, che non voglio dire di Dio; della Vergine.* Respondetur non proindè excusari: Bordon. *in manuali consultor. sect.* 45. *num.* 147. *& sequentib.* Floron. *de casu præsenti, casu* 3. §. 1. *num.* 6. *vers. prætereà*, Lup. *casu* 11. contrà Graff. *in praxi libr.* 1. *cap.* 10. *num.* 72. Lazar. *de Blasph. qu.* 3. *num.* 28. Carena *par.* 2. *tit.* 7. *nu.* 43. *vers. quinto*.

70 Equidem tunc solùm protestatio prodest, quando evertit animum, & consensum à facto, ut tradit Pasqualig. *quæst.* 343. *num.* 3. *&* 4. Rota *in recent. par.* 5. *decis.* 218. *num.* 4. *&* 5. atque hoc non evenit in casu dictę Blasphemiæ: non enim illa aufert sensum proprium verborum blasphemię; adeòque nequit excusare blasphemantem: undè similis protestatio est nugatoria, & deceptoria, sicut si quis diceret, *nolo te offendere*, & statim alapam impingeret; vel alicui grave convicium inferret, cum protestatione, *salvo honore tuo*: certè illam protestationem natura actus illius non admitteret; nam per ejusmodi protestationem nemo efficere potest, ut convicium non sit convicium; aut factum reddatur infectum, ut benè inquit Andr. Reiters. *de Alienationibus, par.* 2. *cap.* 18. *sect.* 5. *num.* 4. Deindè protesta-

71 tio, ut suum consequatur effectum, debet factum præcedere: Sperell. *decis.* 24. *num.* 48. nam est animi declaratio circà faciendum, ex cumulatis per Ciarlin. *cap.* 202. *num.* 39. In casu autem protestatio non blasphemandi sequitur blasphemiam, nam blasphemię, ex dicto Christi, primò exeunt à corde, deindè ab ore procedunt: *Matth.* 15. *vers.* 18. consequenter Blasphemia prior est protestatione, ideò hęc nullatenus prodest; maximè cum actus exterior desumat suam formalem malitiam à voluntate, ut docent communiter Theologi cum S. Thom. 1. 2. *q.* 20. *art.* 2.

72 Nec valet dicere, quod licet illa protestatio videatur contraria facto, tamen cum sit animi declarativa, operatur, ut actus dubii consequentes intelligantur juxtà illam, per Canonem *in cap. cura M. de constit.* undè Menoch. *de arbitrar. casu* 86. *num.* 9. & Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, num.* 215. *de hæretic. in* 6. tenent, quod declarationi expressę potius stari debeat, quàm facto

73 contrario: At minùs rectè, quia illa animi declaratio non tollit Blasphemiam prolatam, à quâ debebat se abstinere; & cum hęc sit clara, non indiget declaratione: idcircò blasphemus negans, se habuisse malam intentionem, quamvis excusari possit in Foro Sacramentali, ubi Blasphemo dicenti, se corde non consensisse, sed ore tantùm protulisse Blasphemias, est credendum: adeòque poterit absolvi à Confessario, nec est cogendus ad denuntiandum, nisi habeat complices, ut determinat Jacobus Pignatell. *in effatis post consultationem* 143. *tom.* 8. *num.* 10. & ratio est, quia in foro Sacramentali, juxtà commune proloquium, pœnitenti creditur

74 pro se, & contrà se: Attamen in Tribunali exteriori S. Officii non excusat, quod asserat Blasphemus, se non habuisse pravam intentionem, quia præsumitur ità sentire, sicut loquitur: mens enim talis est, qualia sunt verba: *l. labeo ff. de suppellect.* Ricciull. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. & juxtà Divum Augustin. relat. *in cap. Is autem* 22. *quæst.* 2. verba inventa sunt, ut per ea homines se invicem non fallant; sed ut eis quisque in alterius notitiam cogitatio-

tiones suas proferat. (Vide superiùs dicta in *sect.2. num.19.*)

75 Non autem ità existimandum de blasphemo allegante verba à se prolata non sapere hæresim, nec blasphemiam. Hic enim excusatur, dummodò absit scandalum pusillorum. Imò si adesset hujusmodi scandalum, non esset nisi pęnâ aliquâ extrà ordinem puniendus, propter temeritatem loquendi coram pusillis, qui nescientes percipere bonum propositionis sensum à malo, facilè pervertuntur: Undè dixit Christus de Scandalizante pusillum: *expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

76 Ut autem reus possit se tueri exceptione istâ, quod verba á se prolata non sapiant Blasphemiam, debet in actis, vel apud Judicem constare de verbis præcisis à reo prolatis, ut illis consideratis possit Judex discutere, an sapiant Blasphemiam: Guarrin. *reor. defens.* 4. *cap.3.n.*7. aliàs reus careret modo se defendendi, & esset in potestate ribaldorum hominum calumniandi, ut argumentatur D. Raynald. *cit. num.* 54. vbi rejicit limitationem Caballi *Criminal. resolut.*180.*num.*7. asserentis, non esse necesse constare de verbis præcisis à reo prolatis, quando Testis, vel reus, qui fassus est se blasphemasse, essent periti, & optimè scirent, quid sit Blasphemia.

77 Prædictis excusationibus diametraliter contraria est ea, quâ quis prætendit pęnas evadere, eò quia post prolatam blasphemiam ingenuè confessus sit suum crimen, sed sacramentaliter alicui Sacerdoti, à quo absolutus fuit: hujusmodi excusationē admittunt Bartol. *cons.*167.*incip. Minister fratrum*, & Firman. *in Repert. verbo Blasphemia*, *vers.*7. Istis videtur aliqualiter favere Passerin. *in cap. cum contumacia, num.*13. *de hæret. in* 6. ubi ait, quod licet absolutio in foro conscientię directè non juvet in foro externo, indirectè tamen, & auferendo materiam, super quâ fundantur pœnæ fori externi, potest ab eis

78 liberare: Rationem prædictæ opinionis nec satis probabilem, nec satis idoneam afferunt (ut dicit Simancha *de Catholic. Instit. tit.*8. *numer.* 27.) quod Blasphemus absolutus à Sacerdote pacem habet cum Deo, quem in primis offenderat. Eidem opinioni favere videtur, quod leges olim Saxonicæ, quæ Capitulari Caroli M. *anno* 789. continebantur, morti subducebant eos omnes, qui occultè capitalia Crimina cum admisissent, ea Presbytero erant confessi; nec alio, quàm Presbyteri testimonio opus erat, prout refert Thomassin. *de novâ, & veteri Ecclesiæ disciplinâ, par.* 2. *lib.*1. *cap.*72. *numer.*12.

79 At his minimè obstantibus, communis opinio est, quod absolutus in foro pœnitentiali à peccato Blasphemiæ, vel ab aliis per Sacerdotem Confessarium, non censeatur absolutus in foro temporali: Farinac. *quæst.*20. *num.*42. ubi allegat concordantes, Valer. *de Different. vtriusquè fori, verbo Absolutio, per totum*, Sous. *lib.*1. *cap.*19. *nu.* 23. Carena *par.* 2. *tit.*7. *n.*77. Matth. *in Constit. Siciliæ lib.*3. *Rubr.*57. Covarr. *lib.* 2. *variar. Resolut. cap.*10. Alexan. Roman. *pragmat* 1. *num.* 133. *tit. de Blasphemia*, & alii innumeri apud relatos, & apud D. Raynald. sæpè citatum *nu.*140. *& seq.* ubi plures casus

80 distinguit: sed præsertim Ricciul. *de personis reprobis, lib.*1. *cap.*24. *num.*3. ait, conclusionem esse citrà controversiam ex Constit. Sanct. Mem. Gregor. XIII. super Jubileo. Eamdem latè tuetur Aviles *in cap. Prætor, cap.*25. *num.*10. *& seq.* ubi sex rationes affert ad reijciendam opinionem Bartoli. Item Farinac. *qu.*5. *num.*4. ubi ampliat, procedere etiamsi absolutio detur à Pręlato habente etiam jurisdictionem in temporalibus contentiosam, vel à Sum. Pontif. & sequitur Mart. *de Jurisd. par.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Aylon ad Gomez *de Delictis, cap.*1. *numer.* 40. & assignat rationem, quia per pęnitentiam satisfit Deo, & Ecclesiæ; per pœnam autem legalem satisfit Reipublicæ: sic Abbas *in cap. de his, de accusat.* dicit, quod pœnitentia, quæ in foro animæ imponitur, tendit ad diversum finem, reconciliationis scilicet ad Deum, & evitationis pœnæ æternæ; Id ipsum Franciscus de Angel. *tract. de Confess. lib.*2. *quæst.*69.

81 Profectò, ut benè perpendit laudatus Simancha, si prædicta Bartoli opinatio esset vera, sequeretur quod Apostata, & Hæreticus, & Idololatra, & qui-

cumque

cumque Deum palàm offenderet, non posset à Judice puniri, quo nihil absurdiùs dici, cogitativè potest; præsertim cum forum internum nihil commune habeat cum foro judiciario, tùm quia Confessarius habet solam jurisdictionem fori secreti; tum quia pœnitentia à Confessario imposita non tollit pœnas juris: Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.* 26. *num.* 17.

82 Hoc casu tantummodò excusaretur Blasphemus, quotiescumque ejus blasphemia innotesceret per sacrilegam secreti sacramentalis violationem, ut patet ex ijs, quæ dicturi sumus in suâ Sede. Imò etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, quando blasphemia esset in secreto prolata coram uno, vel altero teste, posset excusari blasphemus ab audiente, & omitti denunciatio, si speraretur emendatio per solam fraternam correctionem, ut affirmat Vincent. Tancredi *de religione*, *tract.* 2. *lib.* 1. *disceptat.* 4. *num.* 10. Carol. Tap. *de Jure Regni, lib.* 5. *tit.* 18. *de Blasphemia, nu.* 11. ubi inquit, quod si potest probare, tenetur denunciare; aliàs secus.

83 Sed oppositum omninò est tenendum, quia hoc est speciale in crimine hæresis, ut denuntietur, nulla præmissâ correctione, nimirùm ob ejus magnum periculum, & ob hæretici difficilem emendationem. Quâ propter Alexander VII. edidit decretum, in quo districtè mandavit, vt tàm hæreticus, quàm de Hæresi vel levissimè suspectus, denuntietur Inquisitoribus: Del Ben. *de S. Offic. dubitat.* 218. *sect.* 21. *n.* 7. *pag.* 195. & antè Alexand. VII. id etiam expresè statuerat Julius III. *in constit.* 23. §. 8. & scribit in his terminis Moron. *resp.* 95. *num* 44.

84 Aliis quoquè juribus, & Pontificum Bullis firmat eamdẽ regulam Bajardus *ad Jul. Clar.* §. *Blasphemia, num.* 5. & 6. & falcem ad radicem oppositæ sententiæ posuit Alexander VII. qui expresè damnavit propositionem, quâ asserebatur, eum, qui non potest probare, non teneri ad denuntiandũ, quamvis constet, ipsum esse hæreticum; & meritò, nam in Sacro Tribunali Inquisitionis servatur hoc, quod Denuntiator non tenetur probare, ut benè notat Lezana, *verbo denunciatio*, & *verbo accusare*. Undè communiter docent, quod in tali casu creditur uni testi, ut habetur *ex cap. omni, de testib.* & *cap. novit. de Judicijs*: Sed de re hac luculentiùs alibi.

85 Secretæ Blasphemiæ opponitur publica: Contrà hanc, utpotè circumstantiâ scandali affectam, ut plurimum procedunt jura Ecclesiastica. Quâ ratione autem Blasphemia publica constituitur? dicendum, quod duobus modis potest dici publica, primò publicitate juris; secundò publicitate facti: Prior publicitas tribus modis contingit, primò legitimâ probatione factâ in judicio per duos testes ad minùs; secundò per confessionem rei factam coram Judice; tertiò per ipsius sententiam legitimè prolatam.

86 Notorium autem notorietate facti, etiam tripliciter contingit, primò quandò fit coram pluribus videntibus, vel audientibus: De numero autem diversimodè statuitur ab Auctoribus. Placet in hoc opinio Farinac. *quæst.* 21. *num.* 48. dicentis, numerum faciens Notorium relinquendum esse arbitrio Judicis, quià in jure numerus hic non reperitur taxatus. Secundò notorium facti est, quandò delictum committitur in loco publico; tertiò notorium est, quandò fit coram Judice sedente pro Tribunali.

87 Si autem blasphemus denunciatus fuerit, & punitus de blasphemiâ, veluti simplici, quę postmodùm probetur fuisse hæreticalis, an sit ulteriùs puniendus, dubium oriri potest: In his terminis non invenio apud auctores quæsitum hoc agitari, ad quod affirmativè responderem ex Farinac. *quæst.* 4. *num.* 4, & Follerio *pract. Crimin. cap.* 35. *num.* 8.

88 Isti enim DD. appositè distinguunt, quod qualitas superveniens sententiæ, seù condemnationi est duplex: Alia, quæ diversificat delictum; & alia, quæ non diversificat delictum, sed tantùm auget pęnam. Exemplum primæ: Quis fuit condemnatus de homicidio simplici, sinè ullâ qualitate; sequutâ contrà eumdem condemnatione, proponitur, quod homicidium habet qualitatem Parricidii. Exemplum secundi: Proponitur, quod homicidium fuit commissum de nocte. Certum est, quod in

N pri-

primo casu denuò reus potest molestari, & verificatâ qualitate, puniri; secus in secundo casu. In terminis verò
89 nostri quæsiti qualitas blasphemiæ hæreticalis diversificat delictum, nam Blasphemia hæreticalis specie saltem morali distincta est à Blasphemiâ simplici, ad differentiam blasphemiæ, quæ in eâdem specie proferatur. Tunc enim augetur tantummodò pœna, non autem diversificatur secunda blasphemia à priori in ratione delicti; adeòque qui circà eamdem Blasphemiam simplicem accusatur post punitionem, quod fuerit hæreticalis, debet novum subire judicium.

90 Accedit, quod ex Bullâ Pii V. *incip. inter multiplices curas*, impressâ per Peñam *post Director. Inquisitor.* sententiæ in causis Hęreticorum, seù suspectorum de heresi non transeunt hodiè in rem judicatam; adeòque novis emergentibus possunt quandocumquè revideri, saltèm ad effectum, ut probatâ qualitate deductâ in novâ accusatione, suppleatur in aliquo prima pęna Judicis arbitrio, ut dicit Angel. *in l. Senatus ff. de accusat. num.* 4.

91 Ut autem in hac materia excusationis, nulla omittatur quæstiuncula, eam quoque hìc subnectimus, An scilicet Blasphemus excusari possit ex parvitate materiæ? & non posse, quia in Blasphemiâ nequit dari parvitas materiæ, docent Cajetan. *in summâ, verbo Blasphemia*, Passerin. *in 6. Decretal. cap. ut Inquisitionis, num.* 198. *de Hæretic.* Suarez *de Religione, tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 66. §. *hoc supposito*, Del Ben. *dubit.* 218. *sect.* 17. *num.* 1. Jacob. Gordon. *in summâ, to.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. Hurtad. de Mendoz *de fide, volum.* 1. *disp.* 91. *sect.* 11. §. 48. & alii apud Dian. *tom.* 5. *tract.* 8. *Resolut.* 12. contra Villalobos *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *difficult.* 15. *num.* 5.

92 Siquidem omnis Blasphemia adversatur notabiliter virtuti religionis, & charitatis ergà Deum, & gravem infert Deo injuriam: Si enim gravis, & atrox injuria est illa, quæ infertur à vili personâ Magistratui, vel Senatori, in illos maledicta proferendo: §. *atrox, Instit. de injur. & l. Prætor.* §. *atrocem. ff. eodem*; quantò magis erit gravis illa injuria, quæ infertur Deo per Blasphemiam, & proindè ratione materiæ nequit esse, nisi peccatum mortale: in minimo enim gradu Deo contumeliam irrogans, gravi eum afficit injuriâ: Joann. Aloza *in Sum. verbo Blasphemia, n.* 5.

93 An autem dari possit parvitas materiæ in Blasphemijs erga Sanctos, agitatur quæstio inter Doctores: Communior sententia (referente Diana suprà citato, & Busembao *in Medullâ Theologiæ, lib.* 3. *tractatu* 2. *cap.* 1.) admittit dari, quandò convicium jacitur in eos, non tanquàm Sanctos, sed referendo ad statum, quem habebant antè mortem, ut declaravi *suprà sect.* 1. *num.* 35. & 36. ac tradit Passerin. *cit. cap. ut Inquisitionis, num.* 200. *de Hæretic.*

94 At verò pleriq; Doctores negant, illam parvitatem dari respectu eorumdem, tanquàm Sanctorum: Undè consequenter damnabitur peccati mortalis is quoque, qui parvulos defunctos vocaret per jocum, & cum aliquali vilipensione, *Sanctulos*: Qui enim derogat alicui Sanctorum, derogat & Deo, ac cęteris omnibus in regno Cęlorum: Thomas de Kempis *de Imitat. Christi, lib.* 3. *cap.* 18. ex Meditullio veræ Theologię apud Georg. Gobat. *in experientjis Theologico-Sacram. tract.* 11. *casu* 20. *num.* 777.

95 Quoties igitur probatur blasphemia, leve subterfugium est, allegare parvitatem materiæ: Idcircò præcipuè insistunt blasphemi, ut ipsam destruant probationem, repellendo Testes, sicut practicatur in aljis judicjis; & quamvis aliqui putent, reo Blasphemo compętere repulsam testium tantùm ex capite inimicitiæ: Marant. *in speculo Aureo, par.* 6. *de testium repulsa, num.* 18. *pag. mihi* 155. *col.* 1. Foller. *pract. Crimin. verbo concedatur repulsa, num.* 4. & ibi Baldax. de Angel. *num.* 7. Ricciull. *de person. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 7. Merlin. Pignattell. *contr. forens. centur.* 1. *cap.* 98. *num.* 9. & 10. De Angel. *de Delict. par.* 1. *cap.* 24. *n.* 10. Borell. *de Magistrat. Edict. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 44. Fabius de Anna *in addit. ad Vincent. de Anna, singul.* 67. Rovit. *Rubrica de Blasphemantibus, num.* 2.
96 qui tenent, quod propter gravitatem criminis Blasphemię omnes testes, etiam ultronei, admittantur indistinctè ad testi-

testificandum: Sicut enim in crimine lesæ Majestatis non habet locum repulsa testium; ità nec in crimine Blasphemiæ, vt discurrit Avendan. *de mandato reg. par.2.cap.5. num. 29.* qui tamen *num. 4.* hujusmodi repulsam denegat tantùm reo, personæ vili, secùs si reus sit persona honesta, & integræ existimationis.

97 Verùm cum D. Raynaldo *sintax. rerum Criminal.cap.1.§.1.ad 7.num. 128.* & Passerin. *in 6.Decretal.cap. ut Inquisitionis, num.232. de Hæretic.* dicendum est, probabiliorem, & magis practicatam opinionem esse in contrarium, testante Carena *de S.Offic.par.2. tit.7.§.11. num.61.* quod in Tribunali S.Inquisitionis, dùm nomina testium supprimuntur, & sic restringuntur Reo Defensiones, debent Rei ipsi ex æquitate relevari in hoc, ut habeant testium repulsam, ad text. *in l. eum qui, ff. de jur. jur.* & de facto repulsam testium etiam in causis fidei concedendam, vult Textus *in cap.in fidei favorem, de hæret.in6.*

98 Imò non solùm ipsa concedi debet in delicto Blasphemiæ, sicut in aliis delictis; sed etiam ne ad carcerem detrudantur blasphemi, gaudent jure sacri asyli, refugientes ad locum immunem: Advertendum tamen est, hoc verificari de jis, qui simplices blasphemias proferunt, ut de communi sententiâ firmant Dian.*par.4.tract.1. resolut. 51. & par.6. tract.1. resol.26. qu.8.* Ricciull.*de person. in stat.reprob.lib.1.cap.23.* Michaël Cortiad. *decis. 67. num. 23.* quia in Bullâ Gregorii non exprimitur hoc delictum.

99 Quod si loquamur de Blasphemiâ hęreticali, hęc privat Ecclesiæ immunitate, ratione adjunctæ suspicionis hęresis: Quàmvis enim Bulla Gregoriana nominet solam hæresim, sub quâ in rigore non venit ejus suspicio, & multò minùs Blasphemia ipsa hęreticalis: attamen, quia Blasphemia hæreticalis pro foro externo inseparabiliter habet pręsumptivè adjunctam heresim, ideò non gaudet hoc privilegio, quo si lędens humanam Majestatem privatur, à fortiori lædens divinam in honore: Est ferè omnium etiam post Bullâ scribentium sententia, scilicet Barbos. *lib.2. de jure Ecclesiæ, cap.5. num. 124.* Raynald. *loco sapè citato, num. 137.* latè Ricciull. *de person.in stat.reprob.lib.1. cap. 23. per totum,* Borell. *de magistrat. edict. libr.3. cap.2.num.41.* Ricc.*prax.var.resol. to.2. resol.9.num.2.* Gambacurt. *de immunit. lib.4.cap.9. num. 12.* Cortiad. *decis. 67. num. 23.*

100 An autem in foro externo habendus sit pro suspecto de hæresi ille, qui carceratus pro aliis delictis confitetur incidenter, se blasphemasse Deum, & Sanctos? Negativè videtur respondendum in ordine ad imponendam pœnam ordinariam, nisi fiat novus processus, & per Judicem adducatur rei confessio in novo processu ad delicti probationem, juxtá doctrinam Abb. *in cap. cum super, de confessis, & in cap. causam quæ, de testib.* quem secutus est Avendan. *de mand. exequt. par. 2. cap. 5. uumer. 17. vers. etiamsi de crimine*: de hac materiâ Canonicus Raynald. *cit. num.139.*

101 Illud autem certum, quod licet prædicta procedant quòad pœnam juris infligendam prædicto Reo blasphemo incidenter confitenti, tamen aliter videtur dicendum, quò ad suspicionem hæresis ingerendam ex confessione ejusdem Blasphemi: hujusmodi namque suspicio, cum resultet ex verbis Blasphemis naturaliter, sive ex se significantibus, Blasphemum malè sentire de fide; ideò ad procedendum contra ipsum, tanquàm contrà suspectum de hæresi, illa confessio incidenter facta sufficit.

102 Sed quid dicendum de illo, qui in carceribus Curiæ laicalis profert Blasphemias Hæreticales, ut se liberet à Judice laico? Respondetur, quod iste talis debet transmitti ad carceres Sancti Officii, & si ibidem fateatur, se dictas blasphemias protulisse, non malo animo, sed ut effugeret rigorem Curię laicalis, poterit absque ullâ abjuratione, præmissis tribus ictibus torturę, ob malam, & temerariam locutionem ad exẽplum aliorum, remitti ad eosdem carceres seculares, cum prępepto, quod abstineat à similibus, sub pœnâ triremium: Pignatell. *tom. 8. consult. 143. num. 15.*

CAPUT II.

De Superstitiosis.

SUMMARIUM.

1 *Recensentur Auctores, qui tractant de superstitionibus.*
2 *Ethymologia superstitionis traditur.*
3 *Quando non sit immorandum in indagando nominis derivationem.*
4 *Definitio superstitionis.*
5 *Tres superstitionum species.*
6 *Sex superstitiosorum classes, qui creaturæ indebitum cultum exhibent.*
7 *Assignantur superstitiosi, qui Deo cultum illegitimum tribuunt.*
8 *De singulis superstitiosorum vitiis instituitur peculiaris sermo; & cur?*

1 DE superstitionibus, undè superstitiosi denominantur, tractant Antonius Augusſt. *par. 3. lib. 38. tit. 4. & lib. 37. tit. 28. & lib. 39. tit. 10.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 62. & 63.* Suarez *tom. 1. de Relig. libr. 1. de religios. cap. 1. 2. & 13. ferè per tot.* Tolet. *lib. 4. instruc. cap. 14. & seqq.* Torres *lib. 2. Philosophiæ moral. cap. 4.* Robert. *lib. 1. rerum judic. cap. 5. & 11.* Sanchez *lib. 2. summ. cap. 37. & sequentib.* ubi de omnibus ejus speciebus, Marquez *lib. 2. el Governador cap. 38. fol. 392.* Navar. *tom. 3. in manual. confessor.* Torreblanca *de Magia, & juris spirit.* Raphaël de la Torre *de vitiis religion. opposit. tom. 2.* Martin. Del Rio *disquisit. magic.* Ghriland. *de sortileg.* Moura *de incant.* Pistach. *de superstit.* Passerin. *in 6. Decretal. tit. de Hæretic.* Martin. de Arles *de superstit.* Merbes. *in Summ. Christian. p. 1. 2. q. 25.* & alii.

2 Nos verò, ut celebrem hanc de superstitiosis materiam methodicè, quantum fieri potest, tradamus, superstitionis essentiam per definitionem, & specierum ipsius divisionem in primis explicabimus: Exordiētes autem ab ethymologiâ, observandum proponimus ex Servio apud laudatum Simancham *instit. 63. num. 1.* quod á superstite venit superstitio, quæ anicularum propria est: hę enim per ętatem multis superstites sunt, & dum rebus inanibus addictę, nimis religiosæ videri volunt, superstitiosæ fiunt, & ità delirant.

3 Haud ignorandum ab aliis diversimodè metiri superstitionis ethymon: sed in ejus disquisitione immorandum non est, quia juxtà monitum Surdi *dec. 216. num. 4.* disputatio circà nomen relinquitur pertinacibus; pręcipuè quando per jura (ut in casu pręsenti) rem declaratam habemus, secundum observationem Bartoli *in consilio 169.*

4 Theologi itaque, superstitionem esse, ajunt, vitium religioni oppositum, exhibens cultum divinum, cui non debet; vel eo modo, quo non debet, ex Lactant. *libr. 4. divinar. institut. cap. 28.* Hinc observat Angelicus Doctor *quæstio 95. art. 1.* quod superstitiosi sunt, qui vel creaturę cultum indebitum exhibent; vel qui Deo cultum illegitimum tribuunt: De quibus omnibus potest intelligi illud Senecæ *epist. 123.* dicentis: *Quid enim interest, utrùm Deos neges, aut infames?*

5 Ex his duobus modis adulterandi, ut ita dicam, Dei cultum, plures superstitionum species oriuntur, diversos fines respicientes. Ordinatur enim divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam, & contrà illum est idololatria: Ordinatur etiam, ut homo instruatur à Deo, & huic opponitur superstitio divinationum, quæ Dæmones consulit expressè, vel tacitè; Demum ordinatur ad quamdam directionem humanorum actuum, secundùm præcepta Dei, & contra hoc est superstitio quarumdam observationum, quibus facta superstitiosorum perperàm diriguntur, ut latè differit Simanch. supra relatus, *num. 2.* & Passerin. *in 6. decretal. cap. Accusatus, §. sanè, num. 113. & 114. de hæretic.*

6 Expressiùs autem loquendo, superstitiosi, qui creaturæ cultum indebitum exhibēt, sunt Idololatrę, Magi, Divinatores, Sortilegi, Vanę observātię studētes, & Malefici. Abely *in Medul. Theolog. p. 2. de primo Decal. præcepto, sect. 1. §. 5. vers. superstitio autem,* Pistacch. *de superstition. par. 1. cap. 1. num. 2.*

7 Superstitiosi, qui Deo cultum illegitimum tribuunt, sunt illi, qui cultum falsum exhibent, vel superfluum, qui scilicet ad Dei gloriam non conferat; neque ad hoc, ut mens hominis in

Deum

Deum feratur; aut concupiscentiæ inordinatę carnis refrenentur; aut etiam, qui est pręter Dei institutionem, vel contra legitimam Ecclesię consuetudinem: S.Thom. suprà citatus *art*.2.quem sequitur Abelly *loco citato*, *vers. altera species*, Lessius *lib*.2.*cap*.43.*dub*.1.*num*.2. Sanchez *libr*.2. *in Decal.cap*.37.*num*. 1. Del Bene *de offic.S.Inquisitionis*, *par*. 2. *dubit*.219.*sect*.3. *num*.3. & Pistach. *de*

8 *superstit.par*.1.*cap*.2. *num*.1.Cum autem non omnis superstitio pariat hęresis suspicionem, pręsertim loquendo de superstitionibus, quę in secundo ordine collocantur, ut inferiùs patebit; Cumque superstitiones illę, quę hęresis suspicionem inducunt, non omnes ęqualem pariant suspicionem, ideò de singulis separatim tractandum est: Sit igitur.

SECTIO I.

De Idololatris.

SUMMARIUM.

1 *Dæmonum potestas in genus humanum sæviens per idololatriam eversa est Verbi Incarnati virtute.*

2 *Adhùc tamen Idololatriæ supersunt vestigia, ut aptâ similitudine explicat Nyssenus.*

3 *Idololatria appellatur etiam polytheismus. Quid utraque vox signet?*

4 *Idololatria licet à polytheismo differat, ordinariè tamen pro eodem usurpantur.*

5 *Idololatriæ scelus omnium primum, & ultimum reddit de hæresi suspectos, & facit homines Dei immemores.*

6 *Idololatria oritur vel ex errore, vel ex affectu, vel ex fine mali evitandi.*

7 *Idololatria ex errore mentis viguit apud Gentes, quamvis ex consideratione creaturarum, unius Dei existentiam coactæ sint fateri.*

8 *Ignorantia de Deo præcipua Idololatriæ causa: Vndè aram ignoto Deo consecrarunt Athenienses.*

9 *Gentiles dubii de vero Deo, innumeros crediderunt Deos præcipuè homines excellentes. Aliquorumque istorum nomina hebdomadæ diebus dederunt.*

10 *Prisci Romani nullas Deorum, quos colebant, Imagines admisere. Imò unum cæteris præferebant. At postmodum reliquis Gentilibus superstitiosiores evaserunt.*

11 *Homines, quia mortales, à multis Gentilibus exclusi sunt à Deorum classe, subrogatis in eorum loco diversis Mundi partibus.*

12 *Nonnulli Gentiles admittentes unum Deum, illum Mundi animam putaverunt.*

13 *Opiniones Gentilium de Diis ad tres classes reducuntur scilicet, ad fabulatricem, physicam, & civilem.*

14 *An Idololatria ex errore admittat ignorantiam invincibilem excusantem? Respondetur cum distinctione.*

15 *Quo sensu sit impossibilis ignorantia invincibilis veri Dei?*

16 *Secunda Idololatriæ species, scilicet ex affectu proveniens, viguit apud Gentiles, tùm ergà res animatas, tàm rationales, quàm irrationales; tùm ergà res inanimatas.*

17 *Exempla Idololatriæ ex affectu ergà rationales creatas, & origo.*

18 *In Idololatriam ex affectu incidunt, qui Dæmones colunt ad aliquid assequendum.*

19 *Qui post baptismum ad paganismum redeunt, sunt tanquàm hæretici plectendi. Sic veluti hæretici reputantur, qui seriò per Idolum jurant.*

1 ORTO Justitiæ Sole, Christo scilicet, Redemptore nostro, bestiæ sylvæ (ut optimè interpretatur S. Augustinus *concione* 3. *in psalm*. 103.) in cubilibus suis collocatæ sunt. hoc est Dæmones Idololatriæ inventores dejecti sunt de potestate suâ in genus humanum: Quâ propter idem S. Augustin. 4. *de Civitate Dei*, *cap*. 30. Deo gratias agendas admonens, ait, traducti sumus ad serviendum Deo vivo, & vero, eversâ tantâ superstitione per altissimam Christi humilitatem; per Apostolorum prædicationem; per fidem Martyrum pro veritate morientium, & cum veritate morientium.

2 Verùm adhùc Idololatriæ impietatis reliquias custodit Dæmon, extorquens præcipuè à perversis hominibus ergà seipsum latriæ cultum: quod pulcherrimè

rimè explicans Nissenus *Oratione in Christi Nativitate*, utitur exemplo serpentis, cui caput contritum sit, motitante adhùc caudâ; quomodò autem hoc fiat, ut pro nostri Instituti ratione aliqualiter exponamus:

3 Præmittendum est, quod eadem nequitia, vulgò vocata Idolo latria, græco vocabulo denotante latriæ cultum externi Idoli, penès Eruditos nuncupatur Polytheismus, sivè Polytheja, græco paritèr vocabulo, ad significandum nimirùm illorum errorem, qui pluralitatem Deorum admittunt, & colunt; Quæque vox legitur in Justino Martyre *Orat. ad Gent.* in Sancto Epiphanio *hæresi* 37. & in S. August. *lib.*8. *confess. cap.* 2. ubi sic habet: *Nobilitas inflata spirabat polythejam*, ut refert Macr. *in suo Hierolexico, verbo Polytheja*, Tossius *in Gentilesm.confut.disc.*7. *vol.*1. *pag.* 216. Theophil. Rainaud. *Theolog.natural.distinct.*7. *qu.*1. *art.*2.

4 Et quamquã aliud revera sit Idololatria,& aliud Polytheja, quia Idololatra potest esse, qui uni tantùm creaturæ cultum Deo debitum exhibet: non sic Polyteista à pluralitate Deorum, quos adorat, denominatus: attamen usus jàm obtinuit, ut qui Idololatræ, iidem & Polytheistæ vocitentur, quod & nostro instituto accomodari valet.

5 Porrò Polytheistarum scelus omnium primum, & ultimum esse, agnovit Nazianz. *orat.*41. quod desumpsit à Spiritu Sancto *Sapientiæ* 14. ubi Idololatria dicitur omnis mala causa, & initium, & finis. Meritò proindè hosce Polytheistas esse de hæresi suspectos, nullus diffiteri potest, quod antequam secundum nostram methodum declaremus, paulispèr in hac Sectione inhærendum est in illâ percunctatione, quam suggerit Plotinus *Enneade* 5. *lib.*1. *cap.*1. quidnam scilicet in causâ sit, ut animæ, quæ divinæ sortis sunt, tamen Dei obliviscantur, ut in Polytheismi crimen fędèprolabantur,negatâ Dei unitate, quæ naturę lumine se ingerit? sic ratiocinantur passim vel ipsi Philosophi Gentilitatis sapientes, sicuti inter alios observavit S. Justinus *in Parænesi, & lib.de Monarch.*

6 Respondetur id ex triplici, eoquè pessimo prodire fonte, nimirùm vel ex errore humanæ mentis;vel ex affectu depravatæ voluntatis; vel ex voto evitandi malum aliquod, juxtà distinctionem Ignatii Lupi *in edict. S. Inquisitionis par.*2. *lib.*11.*dist.*1.*difficult.*2. de quibus Polytheismi causis latè etiàm disserit Dominicus à Sanctissimâ Trinit. *tom.*5. *Bibliotheca Theolog. lib.* 4.*sect.* 4. *art.* 6. *per totum* Theophil. Rainaud. *Theolog.natural. distinct.*7.*qu.* 1. *art.* 2. *num.* 21.

7 Idololatria, quę ex errore mentis provenit, apud Gentes pręcipuè extitit: Ipsæ enim meditantes rerum à Deo conditarum naturam, quam *Scholam* nuncupabat D. Basilius *in Hexameron*, *& librum* D. Antonius Abbas, teste Socrate *lib.*4. *hist.Eccles. cap.* 18. coactę sunt fateri, Deum dari, eumque proindè colendum: Cic. *lib.* 2. *de nat. Deor.* Lactant. *divin.instit. lib.* 1.*cap.*2. Nazianz. *orat.*2.*ad Theolog.* Theophil. Patriarcha Antiochen. *lib.*1.*ad Antolycum*, & alii, quos congerit Cardinalis Bona *de divinâ Psalmodiâ, cap.*1.§.1. Sed ipsis contigit, ut cæco illi apud Joannem *cap.*3. qui cum à filio Dei lumen accepisset, rogavit nihilominùs, quis esset filius Dei? sed Gentiles nec rogaverunt, ut agnoscerent, idcircò eorum negligentia, & contumacia invenire non meruit veritatem, ut prosequitur Cardinalis Bona *d.* §. 1. *numer.* 7.

8 Ità Ethnici agnoverunt Mundum summâ sapientiâ creatum, summoque ordine regi: & tamen ignoraverunt, quis esset Deus. Quare Franciscus Sylvius *in* 2. 2. *D. Thomæ q.* 94. *art.* 4. ignorantiam ponit inter Idololatriæ causas: Ob id Athenienses Aram consecrarunt *Ignoto Deo*, ut innuit Divus Paulus *Actor.*17.*vers.*23. eisdem Atheniensibus dicens: *quod ergò ignorantes colitis, &c.* Idquè notavit S. Joannes Chrysostomus *in epist. ad Tit. homil.* 3. Cardinalis Bona *ubi supra*, Raphael de la Torre *de religione, & vitiis ipsi oppositis, tom.*2.*quæst.*94.*disput.*2.*col.*2.*circa medium*, & Vossius *de orig. & progressu Idololatriæ*, ubi latè non minus, quàm eruditè ostendit,Idololatriam ex errore suam traxisse originem.

9 Dubii itaquè Gentiles,& nescientes, quinam esset verus Deus, innumeros ferè

ferè putaverunt Deos, maximè quosdam homines in re aliquâ præcellentes, quos in eorum Imaginibus colebant, ut Jovem, Junonem, &c. Immò nè unquàm recordatione excederet hujusmodi impietas, lux ipsa à Gentilibus nomine tenebrarum donata est, signatis singulis diebus hebdomadę nomine unius falsi Numinis, prout ponderat S.Eucherius *tom.*10.*de Paschate*.

10 Tollerabilior descripto fuit ab initio error Romanorum, qui, licet multos admiserint Deos: nullas tamen eorum Imagines recolebant, proùt testatur Plutarchus in *Numa*. Imò unum Deum, qui alijs præesset, & à quo cuncta moderarentur, agnoscebant, & colebant, ut cecinit antiquus vates:

Qui Terram inertem, qui Mare temperat
Ventosum, & Urbes, Regnaquè Tristia,
Divosquè, Mortalesquè Turmas,
Imperio regit unus æquo.

Et observat. Henr. Steph. *in juris civilis fontibus, & Rivis, pag mihi* 4. *post medium.* Subindè tamen Romani in impietatis profundum devenerunt, adeòut de Româ gentili scripserit S. Leo Papa *Serm.*1. *de SS. Apostolis Petro, & Paulo*: *Magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quià nullam respuebat falsitatem*. Colebat enim 2800.Deos, teste Anton. Guevarr. *Epist. aur.* 4. (Vide Bozium *de signis Ecclesiæ, to.*1.*lib.*12.*signo* 56.*cap.* 15.*per totum*)

11 Alji nollentes credere, homines, quia mortales, esse Deos, illa Deorum nomina accomodarunt diversis Mundi partibus, Cælum appellantes Jovem; Aërem, Junonem; Mare, Neptunum Cæterùm providè Deus prætèr Astrorum defectus Mortalibus patefactos, quædam ab Astris incommoda ad nos derivari voluisse ad falsam illam de eorum divinitate persuasionem avertendam, notavit Chrysostomus *hom.*10. *ad Populum.* Ut verò se eorumdem astrorum effectorem, ac Deum probaret, constantem illorum motum immutasse, advertit Dionys. Magnus *epist.*7.

12 Alji propiùs ad veritatem accedentes, unum Deum putaverunt, ipsumque totius Mundi animam: Ità Platonici,

13 Stoici, Pytagorici: Has omnes de Djis opiniones Varro ad tres reduxit, scilicèt Fabulatricem, Physicam, & Civilem, quam distinctionem innuit eruditissimus Abbas à Turre *in dissert. de Beleno, pag.*278.

14 An verò in Idololatriâ ex errore mentis proveniente intervenire possit ignorantia invincibilis, quæ errantem excuset, quærunt Theologi, & examinat Clemens Tossius *in Gentilesm. confut.vol.*1.*disc.*7.*fol.*217.*&* 218. In re hac indistinctè non est procedendum, nam hujusmodi ignorantia non habet locum respectu eorum, qui cognitione unius Dei potiuntur, ac falsos putant esse alios Deos, quibus Divinus cultus tribuitur: In eis enim nequit dari ignorantia invincibilis, nec consequenter per illam excusari. Sic D.Paulus *ad Rom.*1.dicit, fuisse inexcusabiles Philosophos, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; nam existimatio vnius veri Dei erat sufficiens ad illam ignorantiam, ac deceptionem expellendam, si voluissent, vt debebant, advertere: Sed si quis omninò ignoraret verum Deum, & ejus unitatem, pro ratione talis ignorantiæ excusari posset, vel partialiter, si esset ignorantia culpabilis, quæ aliquo modo culpam minuit; vel totaliter, si contingeret, illam esse invincibilem, cum hæc tollat voluntarium, adeòquè rationem peccati.

15 Cæterum, hanc ignorantiam invincibilem esse impossibilem, manifestum est: licet enim juxtà D. Thomæ doctrinam 2. 2. *quæst.* 20. possint aliqui ob ignorantiam invincibilem excusari ab infidelitate, quæ est privatio fidei supernaturalis ergà Deum, gratiæ auctorem, undè denominantur Infideles negativè; ab illâ tamen infidelitate, quæ est privatio cognitionis Dei, ut est auctor naturæ, nullus, quantumvis rudis, dummodò sit præditus usu rationis, excusari potest. Hinc *sapientiæ cap.*13. repræhenduntur Idololatræ, quod ob id in tale crimen incurrerint, quia caruerunt culpabiliter cognitione unius Dei; dicitur enim, à Magnitudine speciei, & Creaturæ poterat Creator horum cognoscibiliter videri.

16 Accedimus ad secundam Idololatriæ radicem, quæ scilicet fundata est in affectu voluntatis; adeòut non defuerint,

rint, qui res insensatas, à quibus aliquod beneficium percipiebant, supremo cultu venerarentur: sic apud Clementem Alex. *lib.5. recognition. circà medium*, referuntur Ægyptiorum Dij, Cloaca, & Crepitus ventris, & alia (inquit) quæ pudet nominare. Quare Sybilla apud Theophil. Patriarch. Antiochen. *lib.2. ad Antolyc.* cecinit.

Non pudet in divos feles, & bruta referre?
& Sedulius *carm. pasch. lib.1.*
Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina sicca rigant ——

17 Universè tamen hujusmodi Idololatria ex affectu orta viguit apud Gentiles ergà res animatas, etiam irrationales: Undè præter Sybillam, de quâ *suprà*, Arnobius *lib.1. num. 15.* dicit: *Templa Felibus, Scarabais, & buculis, sublimibus sunt elata fastigijs*: Meritò proindè D.Tho.2. 2. *qu.4. art.4. in corpore*, vocat affectum inordinatum, præcipuam Idololatriæ causam, nam homines alicujus rei, vel nimis amantes, vel nimiùm eam venerantes, eidem honorum Diuinum impendunt.

Hoc sanè videtur traditum *sapientiæ* 14. ubi dicitur, hæc fuisse humanæ vitæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt; & prosequitur *ibidem* Sapiens referre talis Idololatriæ originem, fuisse nimirum ex amore cujusdam Principis ergà Filium demortuum, cujus Imaginem depingi jussit, ut eum, veluti præsentem haberet, ac illius recordatione tristitiam levaret, & posteà adeò crevit in amore, vt per Tyrannidem à Domesticis, & Vasallis jusserit adorari, quem locum citant etiam Franciscus Sylvius in S.Tho. 2. 2. *quæst.94. art.4.* Lessius, *de Justit. lib.2. cap.43. dub. 3. num.12. & dub.4. num.17.* Suarez *to.1. de relig. lib.2. de superstit. cap.1. num.2. & 3.* Fagundez *in præcept. Decal. præcept.1. lib.1. cap.40. num. 6.* Merbes. *in summ. Christian. part.1.2. qu.26.*

Ad hoc facit, quod Cyprianus *lib. de vanitate Idolorum* docet, *Deos*, inquit, *non esse, quos vulgus colit; hinc notum est, Reges olim fuerunt, qui ob Regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cæperunt, undè illis instituta Templa; indè ad Defunctorum vultus per imagines detinendos expressa simulacra, quibus & immolabant hostias, & dies festos, dando honores, celebrabant; indè posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia.*

Ad hujusmodi Idololatriam refertur illa, in quam sunt prolapsi Cicero, & Alexander Imperator: Nam, ut habetur ex ejus libro *de Consolat.* Cicero, præ nimio affectu suæ demortuæ filiæ, imaginem consecrare statuit. Alexander verò Imperator, teste Lampridio, Matutinis horis in Lario suo, in quo & Diuos Principes, & optimos electos, & Apollonium, & Christum, & Orpheum, & hujusmodi Deos habebat, ad quorum effigiem rem divinam faciebat.

18 In hanc Idololatriam ex deprauato affectu incidunt hodiè ji, qui Dæmones idololatrant, ut ab eis aliquid consequantur. Ab his miseris quot infanda scelera petat Diabolus, enumerat Martinus del Rio *disquisit. Magicar. lib. 2. quæst.4. §. his pactis*, & inter alia pollicentur Diabolo sacrificia: Undè jusjurandũ eidem prȩstant super circulo in Terram sculpto, quia nimirùm circulus expers principii, & finis, symbolum est divinitatis, & Terra scabellum Dei: sic certè vult ab ipsis credi, se esse Dominum Cæli, & Terræ. Hoc pacto venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne salvi fiant: *Luc.8. vers. 12.* hoc est, tollit veram fidem, ejusque confessionem, quia divinos ambit honores. Videndus D. August. *lib.10. de Civitate Dei, cap.20. & contra Faustum, lib.20. cap.22.* Sed de hoc modo idololatrandi inferiùs agendum, ubi ex professo tractatur de Dȩmoniacâ superstitione.

19 Cùm autem manifestum sit, eos, qui post baptismum ad Paganismum transeunt, & ob infidelitatem ex errore idololatrant, esse tanquàm Hæreticos plectendos: Passerin. *in 6. Decret. cap. contrà Christianos, num.5. de Hæretic.* Pistach. *de superstit. part.1. cap.7. num.5.* & Cardinalis de Lug. *de fide, disp.18. sect.4.* ità ut etiã, qui per Idolum seriò jurant, habeantur non secus ac hæretici excommunicati in Bullâ Cœnæ, ut advertit quoque Lupus *vbi suprà art.5. diff. unica* Covaruv. *in cap. quamvis pactum* §.1.

§.1. *part.1. num.25. de pact. in 6.* Nunc restat differendum de tertiâ Idololatriæ radice ad evitandum malum, quæ committitur per actionem externam Idololatricam, licet interiùs non credatur id, quod talis actio præsefert: De hac ergo Idololatriâ examinandum est, quid sit? An liceat? Et an hæresis suspicionem inducat?

SUBSECTIO I.

Quid sit Idololatria externa?

SUMMARIUM.

1 *Ab Idololatriâ ex primâ & secundâ radice est inseparabilis cultus Idololatricus. Quid dicendum de Idololatriâ externâ?*

2 *In quibus actibus consistat Idololatria? Opinio Vossii rejiciur.*

3 *Definitio Idololatriæ externæ explicata.*

4 *Quælibet Idololatria fit per adorationem soli Deo debitam.*

5 *Ad Idololatriam externam requiritur actio positiva.*

6 *Hæretici Sacris Imaginibus infensi opinantur, Idololatriam contingere posse in cultu erga Deum.*

7 *Idololatria externa potest consistere in solo actu externo absque errore in mente, quod exemplis declaratur.*

8 *Actus externus, etiamsi reverentialis, si non sit Religiosus, non est idololatricus, sed intrà limites cultus civilis: imò non omnis actus religiosus ad cultum idololatriæ sufficit; quid ergò requiratur?*

9 *Alii sunt actus externi, qui tàm in vocibus, quàm in rebus ad divinum cultum sunt destinati; alii verò ex hominum tantùm instituto, & nu.* 10.

11 *Thurificatio quando sit cultus idololatricus? De thurificatione in Missâ; Deque illius usu in aljis occasionibus.* & num.12.

13 *Non solùm thurificatio, sed alia actio potest esse idololatrica. Exemplum B.Cyrillæ, quæ carbones non excussit è manibus. Quid dicendum de genuflexione Naaman Syri ad idola?*

14 *Actus indifferentes ad exhibendum honorem Deo, & Creaturis, vti sunt genuflexiones, prostrationes, &c. tunc idololatrici sunt, quando intervenit falsi cultus circumstantia.*
Et quando talis circumstantia concurrat? & nu.16.& 17.

15 *Idolotyti comestio cur apud priscos Christi fideles putabatur peccatũ contrà religionem? & cur hodiè non sit illicita?*

17 *Laudatur S.Valeria, quæ elegit potiùs mori, quàm de Idolothytis comedere.*

18 *Causa finalis Idololatriæ externæ, est ad bonum utile consequendum, & malum vitandum.*

19 *Qui facit se adorare, ut Deum, est idololatra: Sic eumdem reatum incurrit, qui alterum ad idololatrandum consulit. Pariterque qui idololatriæ cooperatur.*

1 QUANDÒ quidem Idololatria ex primâ, vel secuudâ radice promanans, supponat in Idololatrâ opinionem divinitatis, seù alicujus divinæ excellentiæ in creaturâ, vel Idolo, quod adoratur; ideò in eâ non potest non semper committi cultus Idololatriacus: hoc autem non procedit de Idololatriâ externâ, de quâ modò sermo instituitur: Etenim judicium illius pendet ab eâ quæstione, quomodò discriminentur honores, & divini cultus ab his, qui non sunt divini, & Deo debiti, vt sciamus per eorum exhibitionem quis illam dicatur, vel non dicatur committere, sed ab eâ excusari.

2 Eruditissimus Vossius *de origine, & progressu Idololatriæ, lib. 1. cap. 4.* exponens in quibus actibus constat Idololatria, inquit: *Totidem sunt actus, in quibus consistit Idololatria, quot sunt actus religiosi, nam cum Religio sit actus hominis ergà Deum; Idololatria sit quoties actus, uni Deo debitus, homini defertur: quot actibus verus colitur Deus, totidem etiam committitur Idololatria*: Successivè docens, quisnàm sit actus externus religiosus, subjungit: *Actus externus religiosus solùm est adoratio tùm major illa, quâ festa instituuntur, Templa eriguntur, Sacrificia fiunt; Tùm minor etiam, quâ corpus totum prosternimus, vel partem ejus, quia caput, vel genua*

inclinamus, vel manus ad os admovemus: dummodò hæc fiant divini cultus ergò, veluti boni etiam ſpiritualis datori; mali ſpiritualis depulſori: Ità Voſſius.

Cęterùm Voſſius adæquatè ad rem noſtram loqui non videtur: Plures enim actus, qui videntur religioſi, non ſunt tales, ſed pertinent ad cæremoniã ſacramentalem, vel cultum Civilem, ut mox patebit: Itaque, ut ſolos, & omnes ſuperſtitioſos ad hanc Idololatriæ ſpeciem ſpectantes, compræhendamus, cenſemus, eam ſic poſſe definiri: *Idololatria externa eſt illa, quâ ſupremus cul-*
3 *tus Deo debitus, creaturæ exhibetur per actum externum Religioſum determinatum, vel ex ratione ſuâ; vel ex hominum inſtituto, cum Circumſtantiâ falſi cultus, vel ad bonum aliquod conſequendum; vel ad malum evitandum.*

4 Dicitur primò, quod Idololatria externa eſt *illa, quâ ſupremus cultus*... quia quælibet Idololatria cum omni proprietate, & rigore ſermonis intelligi debet de adoratione, & ſervitute ſoli Deo debitâ (ut docet D. Auguſt. *lib. 1. qq. in Geneſ. quæſt. 61. & lib. de Trinitate, cap. 6.* & colligitur clarè *ex cap. 13. Sapientiæ*) quæ trasferatur ad creaturæ cultum: ſicut ergò Idololatria interna exercetur, vel per actum internum intellectus, quo res aliqua creata propoſita ad adorandum, habetur pro Deo; vel per actum internum voluntatis, quo Idololatra vult, & intendit in creaturâ recognoſcere divinam Excellentiã: Ità Idololatria externa tendit in Idolum per actum externum, quo in eo recognoſcit ſupremam divinæ Majeſtatis Excellentiam, quam non habet, ut benè inquit Sebaſtianus Salell. *tom. 1. de Tribunali Inq. lib. 1. cap. 14. regula 11, 2. num. 27.*

5 Dicitur ſecundò, *Creaturæ exhibetur*, nam fuit error, in quem cæſpitarunt hæretici, præcipuè Calvinus *lib. 1. Inſtit. c. 11. n. 8. & 9.* quem ſecutus eſt Lutherus, ut refert Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 11. pun. 1.* aſſerentes, Idololatriam non ſolùm verſari in exhibendo cultum divinum Creaturis; verùm etiam in exhibendo cultum vero Deo, abſquè Dei verbo, ſivè quem cultum ipſe non injunxit. Atque hinc deducunt, cultum, quem Catholici in Imaginibus Deo, & Sanctis exhibent eſſe Idololatriacũ, eò quod Deus illum non mandavit taliter exhiberi: Verùm Heterodoxorum ſententia falſa, & hæretica, atque manifeſta calumnia eſt, ut poſt Valentiam citatum, longè oſtendit Leſs. *lib. 2. de Juſtitia, c. 43. dub. 4.* Raphael de la Torre *loco cit. diſp. 3. & 4.* Fermoſin. *tract. crim. 2. in cap. cum Chriſtus, qu. 1. num. 18. de hæretic.*

6 Dicitur tertiò, *per actum*, quia Idololatria externa, ut inductiva ſit ſuſpicionis hæreſis, & proùt de eâ hic loquimur, debet manifeſtari per actionem poſitivã: Si quis enim etiam cum ſcandalo privativè delinqueret, v.g. in Eccleſiâ non adorando Sacroſanctam Euchariſtiam expoſitam, poſſet quidem, attentis circumſtantiis, incurrere hæreſis ſuſpicionem, nullo tamen modo ut Idololatra, ſicut de ſe patet.

7 Dicitur quartò, *per Actum externum*, ad diſtinctionem Idololatriæ vel ex errore, vel ex affectu natæ in actu intellectus, & voluntatis: hæc ergo tertia Idololatriæ ſpecies poteſt conſiſtere in actu tantùm externo, quando ſcilicet ille, qui eam exercet, intùs habet fidem veri Dei, & idololatrando nullo pacto intendit creaturam adorare: Tales fuere Plato, & M. Varro, referente S. Auguſt. *per multa capita, & libros de Civit. Dei*, maximè *lib. 4. 6. 7. & 10.* Talis Cicero ex Lactantio *lib. 2. de orig. erroris, cap. 3.* vbi eum ità reprehendit. *Video te Terrena, & manufacta venerari; Vana eſſe intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipſi, quos tu ſtultiſſimos conteris*: Senecam quoque vnum ſolum verum Deum agnoſcentem ità S. Auguſt. introducit loquentem *lib. 6. de Civit. Dei, cap. 10. de cultu Deorum*: *Sic adorabimus, ut & meminerimus, hujuſmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere*: & iterum: *quæ omnia ſapiens ſervabit, tanquàm legibus juſſa, non tanquàm Diis grata.*

8 Dicitur quintò, *per actum externum Religioſum*, per quam particulam taxatur qualis eſſe debeat actus externus, quo Idololatria exercetur: Non enim quilibet actus externus, etiam reverentialis, ſufficit, quia dum non eſt actus religioſus, non excedit limites actus civi-

civilis cultus: Imò nec omnes actus religiosus sufficit; undè excluditur cœremonia Sacramentalis, & ritus Ecclesiasticus: Hæc tamen omnia limitanda juxtà modum inferiùs explicandum: Debet ergò esse actus, qui destinatus sit ad colendum Deum, uti supremum Dominum, eoque abutatur Idololatra ergà creaturam, & ità communiter explicant Dogmatistæ tractantes de hac materiâ.

9 Dicitur sextò, *determinatum, vel ex ratione suâ*, quia dantur actus externi, qui ex naturâ rei, sivè primò, & per se destinati sunt cultui divino, quorum proindè usus adaptari non potest, nisi pro illo tantùm, quales sunt in vocibus Orationes illæ: *Fac mecum Deus misericordiam*; *da mihi tuam gratiam, æternamque beatitudinem*; & in rebus sacrificium, asserente Augustino *lib.* 10. *de Civitate Dei, cap.* 10. Sacrificium nullus est hominum, qui audeat dicere, debere nisi soli Domino. Ità Raph. de la Torre *cit. disp.* 4. *art.* 2. Hujusmodi tamen, sicut & Orationes illas, vel consimiles usurpat Idololatra ad colendas res creatas cultu idololatrico, de quo loquimur; quod exemplificari potest in Alexandro Magno, quem, qui tunc vivebant, terdecies decreverunt, nominare Deum, ut refert Cyrillus 6. *in Julian. ad to.* 4. quemque tamen impossibile est, Deum credidisse, quia sæpè saucius, sæpè æger, & demum vitâ functus, se hominem probavit, ut discurrit Gazæus *ad medium Theophrasti*.

10 Dicitur septimò, *vel ex hominum instituto*, quia dantur actus externi, qui vel ex omnium, vel nonnullorum instituto determinantur, ut sint idololatrici,

11 & è contrà: exemplum sit thurificatio: Hæc quidem respectu Idoli determinata est ad significandum actum falsæ religionis, ut, præter alios, advertit Cardinalis de Lugo *de Fide, disp.* 14. *sect.* 5. §. 1. *n.* 95.

Nihilominus ex Ecclesiæ determinatione adhibetur thurificatio, tamquam ritus Ecclesiasticus, & cæremonia Sacramentalis: Tamquàm ritus Ecclesiasticus, in Missâ solemni, ex Apostolorum consuetudine; Tunc enim non adhibetur, ut Sacrificium, quidquid asserat Canus *lib.* 12. *de locis Theologicis, cap.* 13. cum unicum tantùm sit Ecclesiæ Sacrificium: sed tanquàm ipsius Sacrificij cœremonia: Scortia *de Missa, lib.* 3. *cap.* 13. Tamquàm Cæremonia Sacramentalis, quatenus significat Orationis fervorem, eamque dirigi ad Deum, sicut incensum in conspectu Domini: hinc est, quod Ecclesia Catholica, quæ non potest errare, nam fundata est suprà firmam petram, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, thurificat inter Missarum solemnia Clerum, & populum; ac in mortuorum exequiis, eorum cadavera. Quinimmò & Cænotaphia in celebratione Anniversariorum: Ipsa enim non veneratur, nec colit vivos, & defunctos, tanquam Deos; sed vtitur hujusmodi thurificatione, tanquam cæremoniâ sacramentali ad tradita per Eminentissimum Cardin. Bon. *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 9. Durant. *de ritib. Eccles. lib.* 1. *cap.* 9.

12 Adhibetur etiam thurificatio tanquàm cultus Civilis: Siquidem, ut refert Hieronym. Dandinus, qui à Clemente VIII. missus fuit Nuncius ad Maronitas pro rebus Fidei, *cap.* 19. *lib.* 1. *sui Itinerar.* Maronitæ frequenter utuntur incenso, eumque non solùm adhibent in divinis officiis, sed etiam in principio, & fine mensæ, ac insuper quotiescumquè accidit ad Maronitarum regiones pervenire virum aliquem spectabilem qualitate, vel in munere aliquo Ecclesiastico constitutum, obviam ei fit aliquis Sacerdos cum thure ad excipiendum eum.

Hujus ritûs non desunt antiquiora exempla in Oriente, nàm Cyrillus Alexandrinus scripsit ad Clerum, & populum Alexandrinum, cum post deturbatum sede Nestorium, Episcopi suas se in ædes singuli reciperent, accurrisse fideles, & cum cereis, ac suffimentis eos deduxisse: Eodem modo Alexandriæ receptus est S. Athanasius redux ab exilio, sicut refert S. Gregor. Nazianz. *Oratione* 21. Eodem ritu exceptus est Carolus Magnus in celeberrimâ Italiæ Abbatiâ Sancti Vincentij ad Vulturnum, obviam effusis Monachis cum Lampadibus, suffimentisque, &c. proùt scribit Du Chesne *Histor. Franc. tom.* 3. *pag.* 673.

O 2 Por-

13 Porrò determinatio hominum, non tantùm thurificationem, sed etiam quamlibet actionem constituere potest idololatricam. Idcircò, licet projectio Carbonum secundùm se non sit cultus falsi Dei, nihilominùs habetur *in Martyrologio Romano die* 5. *Julii*, à B. Cyrilla Carbones ardentes cum thure super manum positos diù retentos fuisse, ne prunas excutiendo obtulisse thus videretur, quâ de causâ sævissimè laniata, gloriosè occubuit: Poterat enim credi talis proiectio signum Idololatriæ propter Gentilium determinationem, quâ Carbones manui imposuerant. E contrà verò segregari potest ratio cultus à quacumque actione, quando ea in se habeat aliquam vtilitatem; legimus proindè apud sacram Scripturam 4. *Regum*, *cap*. 5. quod Rex Syriȩ, cum, ut moris erat, inniteretur humeris Naaman Syri ejus famuli, sivè in templo, sivè in foro, consequenter ipso Rege stante, ambulante, vel genuflectente, necesse erat Naaman stare, vel ambulare, vel genuflectere in templo ante Idolum, quarum permissionem cum petiisset ab Eliseo Propheta, is annuit per hæc verba, *vade in pace*. Ita exponunt Lyranus *ibi circà Textum*; Abulensis *libr*. 4. *Reg*. *cap*. 5. *quæst*. 25. Azor. *lib*. 8. *Moralium*, *cap*. 25. *quæst*. 7. Becan. *in compend*. *controvers*. *lib*. 5. *cap*. 5. *num*. 6. Cornelius à Lapide commentando dictum locum, quidquid dicat Gregor. de Valentia *tract*. *de fide*, *& fidei profess*. *disput*. 1. *quæst*. 3. *pun*. 2. *ad* 3. Ratio est, quia Naaman Syrus genua flectendo non peccabat: Segregabat enim à suâ genuflexione cultum Idololatricum, & erat genuflexio tantùm civilis obsequii causâ, ut scilicet Regem ex officio sibi commisso sustentaret in templo, ut & alibi facere consueverat, & hoc pacto, quamvis tàm Rex, quàm Naaman genua flecterent, unus tantùm idololatrabat.

14 Dicitur octavò, *non absque circumstantiâ falsi cultus*: Hæc verba referuntur, non ad actus indifferentes ad exhibendum honorem Deo, & creaturæ, ut sunt genuflexiones, prostrationes, & similes, quemadmodum observat Raph. de la Torre *loco supra cit*. *disp*. 4. *art*. 2. Hi ergò actus sunt Idololatrici, quando intervenit circumstantia falsi cultus, nimirùm, si desit eis utilitas proveniens à naturâ ipsius actus: Explicatur exemplo superiùs allato thurificationis respectu Idoli, nam quamvis thurificatio habeat in se naturalem utilitatem, idest odorē ad recreandum; tamen semper reprobatur respectu Idoli, ut docet Cardinalis de Lugo *de fide*, *disput*. 18 *sect*. 4. Ricciull. *de jur*. *person*. *lib*. 1. *cap*. 4. *num*. 13. non solùm, quia per eam falsò colitur idolum, sed etiam propter incapacitatem in eodem Idolo percipiendi suavitatem odoris, sivè illud consideretur secundùm esse physicum; sive consideretur secundùm esse morale.

15 E converso dantur actus ab hominum institutione determinati ad significandum cultum Idololatricum, & tamen eliciti propter eorum utilitatem non sunt Idololatrici. Pro exemplo adduci potest Idolotyti comestio: Hȩc grande piaculum existimabatur apud priscos Christianos, atque peccatum contrà Religionem, & fidem, eò quod talis comestio determinata erat ad cultum falsi Dei, cui cibus consecratus, & immolatus fuerat, ut disertè docet D. Paulus *in epist*. *ad Corinth* 1. *c*. 10. *vers*. 20. ibi: *Sed quæ immolăt gentes Dæmoniis, immolant non Deo; nolo autem vos socios fieri Dæmoniorū... Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*. Quæ D. Pauli sententia intelligenda est, quod non liceat uti Idolothytis tantùm ob scandalum, sed etiam cessante scandalo absolutè in Idoliis, idest templis, Aris, vel Mensis idolorum, ubi illa comedi solebant coram Idololatris ea offerentibus. Undè Joann. *in Apoc*. *cap*. 2. redarguit Episcopum Pergami, & Thyatiræ, quod permiserit, suos manducare de Idolothytis: Hæc tamen comestio probatur licita à Raphaele de la Torre *ubi suprà*, *disput*. 5. *dub*. 3. & à Cardin. de Lugo *loco cit*. *disput*. 16. *num*. 109. cum Idolothyta sint cibi de se indifferentes, nec extrinseca immolatio eos pravos efficit, & nonnisi propter circumstantias damnantur à S. Justiniano *in epist*. 1. *ad Corinth*. *cap*. 8. & 10. à S. August. *epistol*. 154. *& in lib*. *de bono conjug*. *cap*. 16. *& in lib*. 32. *contrà Faustum cap*. 13. & à S. Leone *epist*. 77. *ad Nicetam*, *cap*. 5.

Ita-

16 Itaquè in definitione posita est illa clausula, *non absque circumstantiâ falsi cultus*, quia quoties actio, licet in se aliquam utilitatem habeat, est cum talibus conjuncta circumstantiis, ut illam apertissimè determinent ad significandum falsum cultum, nequit segregari è sacrilego cultu: De re hac vide apud de Lugo *loco citato*, Hurtad. *resolut. moralium*, *tract.* 5. *cap.* 5. *resolut.* 50. §. 6. *num.* 473. Verricell. *de Apostol. mission. tom.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 16. *per tot.*

17 Tunc autem dicuntur adesse hæ circumstantiæ, quando adstantes omnes prudenter judicant, eam actionem esse falsum cultum, & non usurpari propter ejus naturalem utilitatem: Idcircò celebratur, inquit de Lugo *ubi suprà*, fortitudo S. Valeriç Martyris, & conjugis S. Vitalis, quæ cum constanter dissentiret Ethnicis, eam ad convescendum ex Idolothytis invitantibus, crudeliter ab eis fustibus ibi cæsa, gloriosissimè obiit. Celebratur pariter constantia Christianorum contrà Julianum Apostatam, qui cum vellet cogere illos ad vescendum de Idolothytis, jussit Constantinopoli ut omnia cibaria, quæ venum publicè exponi solerent, contaminarentur ex sacrificjis Diis immolatis: Illi autem constantes divinitùs opitulati sunt, ut refert Nectarius Episcopus Constantin. *Oratione in Exordio quadragesim. jejunii*. In his sanè circumstantiis acceptatio cibi Idolothyti non poterat præscindere á cultu, saltem apparenti falsi Dei. Stante verò prædictâ utilitate, & deficientibus circumstantiis falsi cultus, plura fidelibus licita sunt, quæ ab Infidelibus usurpari solent, ut alibi dicturi sumus.

18 Dicitur nonò, *vel ad bonum aliquod consequendum*, *vel ad malum vitandum*: Per hanc clausulam denotatur causa finalis Idololatriæ extrinsecæ, seu externæ: Cum enim supponendum sit, hanc Idololatriæ speciem non procedere ex errore intellectus, nec ex pravo voluntatis affectu, non alia potest esse causa finalis tanti sceleris in Idololatrâ, nisi ejus utilitas, de quâ re *insequenti subsectione* latè agemus.

19 An verò cum Dæmon sibi affectat, & procurat divinum honorem; aut Tyrannus se ipsum adorare facit, Idololatriç maculam contrahant? affirmativè respondendum videtur, quia licet ipsi alium falsum Deum non adorent, nec etiam se ipsos, attamen ipsi affectant divinos honores, & alios ad Idololatriam inducunt: Imò graviùs in eo genere delinquere videntur, quàm illi, qui eos adorant, tùm quia majori contrà Deum superbiâ extolluntur; tùm etiam quia in radice, & virtute continent universa aliorum peccata.

Idem quoque judicium, proportione servatâ, faciendum est de illo, qui alteri consulit Idololatriam, licet ipse idolum non colat, nec ex errore consulat; sed ex odio, vel ex deceptione: nam præter alia Vitia, quæ in illo actu intervenire possunt, continetur etiam pravitas, & malitia Idololatriæ. Idemquè est de quocumque cooperante, & moralem occasionem prebente alteri, ut Idolum colat, atque de hoc peccati genere loquitur D. Tho. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4. ubi docet, peccare artificem fabricantem idola, vel aliqua ad cultum idololatriç pertinentia.

SUBSECTIO II.

An liceat idololatria externa? & an inducat hæresis suspicionem?

SUMMARIUM.

1 *Idololatriæ scelus ex errore intellectus, vel ex pravo voluntatis affectu, gravissimum est, cum sit crimen læsæ majestatis divinæ: imò est graviùs quocumque peccato, & cur?*

2 *Idololatria externa est peccatum admodùm grave.*

3 *Quidam Auctores fundati in certis ratiunculis, & exemplis Jehu, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac aliorum SS. opinati sunt, idololatriam externam esse licitam, & n.* 4. 5. 6. *&* 7. *Responsio ad exempla*, *num.* 18. 19. *&* 20.

8 *Opinio prædicta non solùm est erronea, & temeraria, sed adhuc majori censurâ dignam eam censuit suprema Inquisitio.*

9 *De fide est, in nullo casu licitam esse Idololatriam externam, nisi ex joco fiat, ut in comœdiis, per actus ex natu-*

naturâ rei determinatæ ad Dei cultum, num.10. 11.& 12.
13 *Quia hujusmodi idololatria est actus intrinsecè malus, utpotè mendacium perniciosum, Deo injuriosum, & hominibus scandalosum.*
14 *De fide est, Idololatriam externam per actus indifferentes, & ex circumstantiis solùm idololatricos esse illicitam? & cur. & num.16.*
15 *Regula ad cognoscendam hujusmodi pravitatem idololatricam, & n.16.*
17 *Sollicitudo Sedis Apostolicæ ad arcendum quemlibet externum cultum Idolorum. Hinc Greg. XV. vetuit Orientalibus Indis ad fidem vel convertendis, vel recenter conversis, quædam signa externæ Idolatriæ.*
21 *An D. Pauli ergà D. Petrum correctio ob legalia servata Antiochiæ fuerit vera, vel simulata? ingens controversia inter SS.Hieeonymum, & Augustinum.*
22 *Idolatria externa inducit hæresis suspicionem, quia est peccatum contrà fidei confessionem, & unius Dei assertionem.*
23 *An ab Idololatriâ externâ possit quilibet Confessarius absolvere? alii affirmant; negant alii.*

1 QUAM grave sit Idololatriæ scelus expendit D.Tho. 2. 2. *quæst.* 94. *toto art.*3.& resolvit, esse gravissimum, quià est crimen lesæ Majestatis divinæ, cum per eam Dei honor, & Divinitas ipsa, quantum fieri potest, transferatur ad Creaturam; sicut esset crimen læsæ Majestatis humanæ gravissimum, si quis alium, quàm legitimum Principem pro Rege agnosceret, eique honorem Regium exhiberet: Imò ex mente ejusdem S. Thomæ *loco cit. art.* 2.potest dici, Idololatriam esse graviorem quâcumquè nequitiâ, quando committitur ex perfectâ notitiâ, & libertate: Tunc enim continet in se odium Dei, & blasphemiam, cum cognoscens verum Deum, si velit alium facere Deum, huicque cultum supremum tribuere, nequeat id efficere, nisi aliquo modo, idest implicitè odio habeat verum Deum, & judicet hunc non esse verum Deum.

2 Hæc tamen quamvis non procedant de Idololatriâ externâ, nullus tamen negat, hanc quoque esse peccatum admodùm grave, quod ex dictis satis liquet, & ex dicendis magis constabit.

3 Uerùm gravi causâ concurrente licitam esse talem Idololatriam, tenuit Adrianus *in* 4.*tract.de Baptism. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. quam opinionem sequitur Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. Nonnulli, qu.*1.*n.*20.*de Iudæis,&* approbat Lorca *de fide*, *disputat.* 24. *num.* 7. Eamque non improbabilem dixit Valent.*de Fide, disputat.*1.*quæst.*3.*punct.*2. qui auctores fundant suam opinionem in pluribus rationibus: Primò, quia in
4 *lib.*4. *Reg. cap.*10. habetur, quod Jehu simulavit, se velle sacrificare Balaal: Et hoc faciebat insidiosè, ut scilicet disperderet Cultores Balaal, ideòque præmium à Deo consecutus est: Secundò,
5 D. Hieronymus in *Epist.ad Galat.*2. approbavit hujusmodi simulationem his verbis: *Utilem simulationem sumendam esse in tempore, Iehu Regis nos doceat Exemplum.*Idipsum tenet Abulen.commentando dictum locum *scripturæ, qu.* 25. Tertiò, Petrus, & Paulus aliquan-
6 do finxerunt, servare legis cæremonias, nec ob id peccarunt: De quâ re videndus S.Hieronymus *ad Galat.d. cap.*2. & *cap.*11. & nos suprà *in Prælimin.*19. ubi diximus, quod hæc quæstio torsit ingenia SS.Patrum.
7 Quartò demùm, narrat Surius de S. Juliano *die* 9. *Januar.* quod cum à Præside invitaretur, ut cum socijs suis veniret ad Templum, & Idola thurificaret, respondisset: *Quandoquidem hortaris, ut in unum omnibus convenientibus Diis vestris imolemur; id quidem facere non piget, ideò semper distulimus, ut in hoc templo mirabili magnum sacrificium, cunctis cernentibus, imolemur.* Insuper de Sanctis illis Mulieribus *in Actis S. Blasii* apud eumdem Surium ex Metaphraste 3. *Februarii* narratur, quod invitatæ ad Sacrificium à Præside dixerunt: *Si vis, ut Diis tuis sacrificemus, eamus propè lacum; nos autem cum abluerimus vultus nostros in lacum, accedemus, & eis sacrificabimus*; Imò habetur, Apolloniam paululùm temporis ad liberandum, an vellet immolari

lari Ethnicorum Diis, cogitando stetisse.

8 Hæ rationes non impediunt, quominùs relata opinio non censuretur, tanquàm erronea, & temeraria: imò tanquàm majori censurâ digna reprobata est in supremâ Inquisitione: Et eo magis firmatur damnatio, cum hodiè non liceat restrictio mentalis, propter quam putabant nonnulli licitam Idololatriam, quemadmodùm ostendit Hurtadus *Resolut. Moral. tract.* 5. *cap.* 5. *resolut.* 50. §. 2. Vericell. *de Apost. mission. tom.* 2. *tit.* 1. *qu.* 18. *per tot.* & signanter

9 *num.* 3. Itaquè in nullo casu licita est Idololatria externa, ut latè probant Raphael de la Torre *loco cit. disp.* 4. Suarez præcipuè *lib.* 9. *Defensionis fidei*, *cap.* 9. *& lib.* 9. *de legibus*, *cap.* 17. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 14. Coninch *de fide, disp.* 15. *dub.* 3. *num.* 39. Turrianus pariter *de fide*, *disp.* 35. *dub.* 5. §. *sed contrarium*, Castropal. *tract.* 4. *disp.* 1. *punc.* 16. *num.* 3. Card. de Lugo *ubi suprà*, *disput.* 14. *sect.* 5. §. 4.

10 Ut autem distinctè procedamus ad resolutionem propositæ quæstionis, recolenda est distinctio in præcedenti Subsectione tradita, scilicet, quod alij sunt actus externi ex naturâ rei destinati ad divinum cultum; alii, qui tales sunt ex hominum instituto, sicut ibidem explicatum est. Hac distinctione præmissâ:

11 Dico primò, numquàm licere absquè Idololatriæ reatu venerari externè creaturam *actu externo per se primò*

12 *determinato ad Dei cultum*, nisi joco fieret, repræsentationis gratiâ, ut in comœdijs: Assertio ità explicata est de fide, firmata scilicet per illa Sacræ Scripturæ loca, quibus decernitur, tanquàm ad salutem necessaria, fidei confessio, ut *Math.* 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in Cœlis est*; *D. Paul. ad Rom. cap.* 10. *Corde creditur ad justitiam; confessio autem fit ad salutem*. Et sanè si per talem cultus simulationem Idololatriæ macula non contraheretur, maximè persecutionis tempore, Christiani à Tyrannis infidelibus fatigati, sæpè imprudenter, malequè egissent, tali simulatione non utendo, quia sæpè magni intererat pro fidelibus defendendis, & instruendis, ut ille, qui cogebatur idololatrare, per aliquot annos superstes esset.

13 Ratio assertionis est, quia hujusmodi actus externæ Idololatriæ est malus intrinsecè, nam est mendacium perniciosum, Deo injuriosum, & valdè hominibus scandalosum; ob id semper est malus: atquè adeò quâcumque causâ semper, & pro semper est illicitus: Malitia enim mendacij est ab eo prorsùs inseparabilis, & nullo casu licitum est, mentiri, ut latè ostendit D. August. *lib. contrà Mendacium*, *cap.* 21. Supposito igitur, quod præfatus actus sit mendacium, de intrinsecâ illius malitiâ nequit dubitari; adeòque quin sit malus, & illicitus, etiamsi committatur attentâ externâ coactione: siquidem talis coactio, quantumvis acerba ex parte subjecti, seù operantis, non aufert libertatem sufficientem ad peccandum, vel servandum præceptum, ut docent omnes Theologi; igitur ex hac parte non excusat. Deindè ab objecto non tollit deformitatem, seù malitiam, quæ (vt diximus) ità est Idololatriæ externæ annexa, ut sit ab illâ inseparabilis.

14 Dico secundò: Qui fingit, se Idolum, aut creaturam aliquam venerari actione externâ indifferenti ad cultum Dei, & ad alios fines; sed tamen ex circumstantiis determinatâ ad falsi Dei cultum, Idololatriam committit, etiam si fiat ad vitandum gravissimum malum mortis, vel aliud simile. Hæc conclusio non est minùs certa, quàm præcedens, & eisdem rationibus probatur, quibus & illa.

15 Cum autem præfata determinatio fieri possit ex more, aut ex consuetudine, necnon ex lege, Regula assignatur ab omnibus ortodoxis ad dignoscendam pravitatem Idololatricam: Ubi enim tyrannus exigit, & urget, ut fidelis utatur signo aliquo sensibili, seù actu externo ad idoli, vel ad alicujus creaturæ cultum, quamvis ille actus, v.g. genuflexio sit de se indifferens ad cultum divinum, vel ad aliud; tunc tamen censendum est, determinari, & coarctari ad cultum idololatricum, & consequenter eo utens est verè Idololatra, ac si uteretur actione aliquâ determina-

mina-

minatâ ergà Idola colenda. Quæ regula desumitur ex illo *Math.* 10 *Qui me confessus fuerit, &c.* prout veteres Patres interpretantur Tertullianus *lib. de Idololatriâ, cap.* 13. Cyrillus, & alii; Ratio
16 est quia omnes tàm fideles, quàm infideles existimant, attentis præfatis circumstantiis, quod usus illius signi ad veram Idololatriam spectet, illoquè utentem reputant Idololatram.

17 Meritò proindè sollicitudo Sedis Apostolicæ semper enituit, ne quis, etiam solùm externè cultum Idolis exhibeat per quædam signa determinata, adeòut Gregorius XV. *die* 26. *Ianuarii Anni* 1623. vetuerit Orientalibus Indiæ Gentilibus Fidem Catholicam difficilè amplectentibus, ne quasdam lineas, & corumbynas, quibus Nobilitatem, & progeniem, ac civile cujuscumque munus agnosci perhibebant, dimitterent; nevè sandalis,& lotionibus abstinerent, quoniam ad corporis ornatum,& munditiem id pertinere putabant. Vetuerit, inquam, quod has lineas acciperent in templis Idolorum, seù à Ministro infideli,ac sumerent eas,quæ tribus filis intextæ erant in honorem Deorum suæ gentis, cum quibusdam nodis in venerationem Idolorum. Prohibuit quoque, ne uterentur sandalis, & lotionibus,ritibusquè Idolorum cultum redolentibus: *Fierent enim*, ait Pontifex, *hæc novella Christi germina deteriora prioribus, cum melius fuisset illis, viam justitiæ non cognovisse, quàm post agnitionem retrorsùm esse conversos.*

18 Rationes adductæ ad probandum, licitam esse Idololatriam, nullius sunt momenti: Ad primam enim, quæ nititur exemplo Jehu, dicimus reprobari à D. August. *lib. contra Mendacium cap* 2. & ab aliis. Nec premium assecutus est, quia simulaverit Religionem Balaal; sed quia omnes Sacerdotes Balaal occiderit, ut ex verbis ipsius Sacri Textus demonstrat Raphaël De la Torre *ubi suprà*: Eminentissimus tamen de Lugo *loco cit.* excusat Jehu, eò quod ejus verba non contineant fidei negationem, nec etiam cultum Idoli; nam qui promittit (inquit ille) se negaturum fidem, vel exhibiturum cultum Idolis, in rigore nondum fidem negat, sed significat animum fidem negandi: Hujusmodi tamen excusatio mihi minimè satisfacit: Meliùs itaque excusat Cajetanus, quod ex intentione loquentis excusari potest mendacium Jehu à labe Idololatriæ, & scandali, quia brevissimo tempore visuri erant animum loquentis, & quod cessurum erat in divinam gloriam, & interim neque sibi, neque alteri nociturum: Meliùs, inquam, quidquid dicat Raphael de la Torre *ubi suprà*: Si enim licitum est Idololatrare per derisionem Idoli, cui thura adolentur, ut faciunt Actores in comœdiis, dummodò pateat, id fieri per derisionem, tanto magis fuit putatum licitum ab eo, qui finxit se velle idololatrare, quia mox de animo appa-
19 rere debebat. Hoc pacto excusantur quoque SS. Martyres, qui simularunt, se velle idololatrare, de quibus suprà in quartâ ratione ad oppositum, & sic etiam patet responsio ad secundam rationem deductam ex Sancto Hieronymo.

20 Ad tertiam respondet D. Thom. *part.* 2. *q.* 103. *art.* 4. Petrum, & Paulum non simulasse, sed verè servasse legalia, quæ quamvis eo tempore essent mortua, eorum tamen observantia non erat mortifera, quia nondum sufficienter promulgatum erat Evangelium Christi, & sequitur laudatus Raphael de la Torre *loco cit.* & de hac re videndus etiam Vasqu. *in* 1. 2. *D. Thom. disp.* 182. *cap.* 5.

21 Non est hic prætereundum, quod cum Sanctus Paulus invenisset Antiochiæ S. Petrum legalia observantem, eumquè eâ de re acriter repræhendisset, ut patet ex epist. ad Galatas *cap.* 2. *vers.* 11. ibi, *in faciem ei restiti, quia repræhensibilis erat*; occasione hujus facti ingens orta est altercatio inter Sanctos Hieronymum, & Augustinum, ut habetur ex mutuis ipsorum epistolis. S. Hieronymus, quem nonnulli SS. Patres secuti sunt, putavit S. Petrum simulatè egisse, cumque licitè mendacium officiosum dixisse, procurando sibi tacitè illam reprehensionem à D. Paulo secum connivente: E contra D. Augustinus cum aliis Sanctis Patribus sustinuit, S. Paulum seriò locutum fuisse, dum idem Apostolus *loco cit.* ait: *Quod autem scribo vobis, ecce*

coram

coram Deo, quia non mentior, super quæ verba dicit S. Augustin. *Dent veniam, quæso, aliud sentientes: Ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris juranti, quàm cuilibet doctissimo de alienis litteris disputanti.*

Reverà ex communi ferè sensu Patrum hujus concertationis victoria stat à parte S. Augustini: Et extat S. Hieronymi retractio, nam *lib. 1. contrà Pelag. cap.* 8. apud Natalem Alexand. *in hist. primi Sæculi, cap.* 7. inter alia testimonia ex Sacris Scripturis sumpta, quibus probat, Sanctos non caruisse peccatis, profert exemplum Sancti Petri à S. Paulo repræhensi.

22 Ex hucusquè latè deductis de hac tertiâ Idololatriæ specie, patet, quid sit respondendum ad alteram quæstionem in titulo hujus Subsectionis propositam, scilicet an Idololatria externa inducat hæresis suspicionem?

Cum enim hujusmodi Idololatria, licet ficta, sit contrà fidei confessionem: nam est confessio alterius Dei, & consequenter continet negationem veri Dei, quia duo Dii simul esse non possunt, sine ullâ dubitatione est gravissimum peccatum, divino honori, ac Religioni valdè contrarium, quin continet perniciosum mendacium contrà Dei honorem, scilicet, quod sit alter Deus; adeòque est peccatum contra confessionem fidei, ut inter alios firmat Pasqualig. *de sacrif. Missæ, tom.* 1. *quæst.* 6. *num.* 13. consequenter inducit aliquam hæresis suspicionem: Del Bene *de offic. Inquisit. par.* 2. *dub.* 220. *Sect.* 1. *in fine* Salelles supra citatus *cap.* 12. *num.* 31. sic hujusmodi hæresis suspicionem inducit blasphemia hæreticalis, ut supra probatum est: necnon Idololatria ex affectu voluntatis in jis, qui Dæmonem idolalatrant, ut infrà dicturi sumus:

23 Advertit tamen Fagundez *in præcept. Decalogi, præcepto* 1. *lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. ab Idololatriâ externâ absolvere posse quemlibet Confessarium; id quod firmat etiam, præter alios, Pistach. *de superst. par.* 1. *cap.* 7. *num.* 8. sed intellige respectu fori interni, non autem externi, in quo, ut ait idem Pistach. cum talis Idololatria præsumatur ex errore in intellectu, subjacet pœnæ excommunicationis: contrarium tamen docet Suarez *tom.* 1, *de relig. libr.* 2. *de superst. cap.* 6. *num.* 20. *& duplici sequenti*, & tenet Leonard. Lessius *lib.* 2. *de justit. c.* 43. *dub.* 2. *num.* 11. & Sayrus *in Clavi Regia, lib.* 4: *cap.* 4. *num.* 11.

SECTIO II.

De Magis.

SUMMARIUM.

1 *Videtur, Magos non esse de hæresi suspectos, sed contrarium tenendum.*

2 *Quia inire pacta cum Dæmone, Hæreticale est.*

3 *Sicut Deus instituit Sacramenta tanquam signa, ad quorum positionem gratia produceretur, ità Dæmon incantationes Magicas, ut adoraretur.*

4 *Dæmon non allicitur cibis, sed signis. Exemplum hujus rei.*

5 *Qui per Magiam cogunt Dæmones ad sibi serviendum, paciscuntur cum eorum Principe, ut inferiores Dæmones constringat. Et hujusmodi pactum facit Idololatriam.*

6 *Magi sunt de hæresi suspecti tanquam Idololatræ, ob pactum cum Dæmone initum.*

7 *Quid dicendum de Salomonis incantationibus.* & num. 1. 8. & 9.

9 *Magia est nomen Persicum denotans Sapientiam, sumptum pro facultate operandi mirabilia.*

1 MAGI fortasè non suspecti de hæresi videri possunt: Cogunt enim Dæmonem ad sibi inserviendum, tamquàm dignum (ajebat Paracelsus) ut, qui voluit contra Deum superbire, infrà homines vilescat: Hinc Salomon, vir sapiens, instituit, teste Josepho *de Antiquitatibus, lib.* 8. incantationes, quibus obstricti Dæmones obediebant.

His non obstantibus dico, suspectos esse de hæresi eos omnes, inter quos sunt Magi, qui paciscuntur cum Dæmone: Francisc. de Magistr. *in Sylva Eccles. to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 71. Simanch. *de catholic. Instit. tit.* 31. *num.* 8. Martin. del Rio *lib.* 5. *Magic. sect.* 15. §. *Axioma*

ma primum, & §. *dico sexto*, Sylvester, *verbo hæresis* 2. *q*. 3. *num*. 5. Eymericus 2. *p. direct. q*. 43. Zerola 1. *p. praxis*, *verbo casus*; Torreblanca *Iuris spirit. lib*. 13. *cap*. 3. *num*. 21. Sess. *decis. Aragon. vol*. 4. *decis*. 456. *num*. 22. Hurtad. *Resol. moral. tract*. 5. *cap*. 4. *Resol*. 11. *n*. 57. *Resol*. 12. *num*. 100. *Resol*. 15. *num*. 120. & *Resol*. 24. *per tot*. ubi sugillat Campanellam, qui *in lib*. cui titulus est, *Atheismus Confutatus*, dicit, vehementissimè, & ardentissimè desiderasse Dæmonem colloqui, & sic sæpiùs ipsum invocasse, ut de rebus occultis ipsum edoceret, Del Bene *de officio S. Inquisit. par*. 2. *dub*. 227. *num*. 10. Farinacc. *de hæresi*, *q*. 181.
2 *num*. 34. Etenim inire pacta cum Dæmone, hæreticale est, prout stabilivit *in Extravag. Joannes XXII. incip. super illius specula*, quæ registratur *in Director. Inquisit. p*. 2. *q*. 43. *num*. 9. Intellige, si pacta sint expressa: Martin. del Rio *disquisit. Magic. lib*. 5. *sect*. 15. *num*. 2. & Suarez *de Relig. lib*. 2. *cap*. 19. *de Superst. num*. 10. *in fin*. ubi etiam addit, pactum tacitum ex se nullam inducere hæresis suspicionem, sed de hoc
3 infrà: Quemadmodum igitur Deus instituens Sacramenta, quosdam modos determinavit, quibus pactus est, se producturum Sacramentorum effectus, ut indè homines agnoscerent Divinam virtutem in illis modis, sinè quibus assequi non possent eosdem effectus; ità Dæmon, ut adoraretur tamquam Deus, instituit incantationes Magicas, quibusdam determinatis modis, prout doctissimus Lainez in Sac. Conc. Trid. perorans, dixerat, referente Eminentissimo Pallavicino; & proùt firmat Del Ben. *de offic. S. Inquisit. p*. 2. *dub*. 227. *sect*. 1. *num*. 6. Non delectatur enim Dæmon his signis per se spectatis, sed quatenùs per illa honoratur: Eusebius *num*. 5. *de præparat. Evang. cap*. 7. Cyprianus *orat. de Idolorum vanitate*, Merbes. *in Summ. Christian. p*. 1. 2. *q*. 27. *pag*. 118. *col*. 2. Hac superbiâ ductus, ausus est Christo Domino polliceri omnia Regna Mundi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, ut in his terminis ponderat Torreblanc. *Juris spirit.*
4 *lib*. 11. *cap*. 12. *num*. 8. Ex quibus omnibus fit evidens, quod Dæmon allicitur, non ut creatura corporea cibis; sed ut spiritus, signis, quemadmodum ex Sancto Augustino inquit Hurtad. *resol. moral. tract*. 5. *cap*. 6. *Resol*. 25. *n*. 253. Allicitur, inqam, hujusmodi signis, undè persuasit Calecurensibus, ut sibi sacra facerent, teste Ludovico Vartomanno, *lib*. 5. *Navigationum*, *cap*. 11. Item Mexicanis, ut idem præstarent, teste Acosta *lib*. 5. *rerum Amer. cap*. 27. Persuasit & Saxonibus, si credimus Georgio Fabritio *lib*. 1. *originum Saxonicarum*, & Hungaris, (juxtà ea, quæ narrat Antonius Bonfinius *Hungar. lib*. 12.) ut eum coleret.

5 Qui igitur cogunt Dæmones ad sibi inserviendum per Magiam, paciscuntur cum eorum Principe, ut inferiores Dæmones constringat ad Magis obtemperandum: Francisc. à Victoria *in suis Relectionibus*, *Relect*. 12. *de arte Magicâ*, *num*. 26. & tali pacto Dæmon ille superior exigit, quæ vero Deo debentur; aliàs non inservirent reliqui Dæmones, qui sunt superbissimi, & potiùs maluerunt carere beatitudine, quàm parere Deo Creatori: Franciscus à Victor. *ibidem*, *num*. 20. *vers. item tertiò*, Torreblanca *Juris spirit. lib*. 11. *cap*. 12. *nu*. 16. Simanch. *Catholic. Instit. tit*. 63. *rubr. de superstitionibus*, *num*. 11. ubi proindè dicit, pactum cum Dæmone facere speciem Idololatriæ, id quod etiam advertit Ricc. *in prax. Aur. tom*. 1. *Resol*. 433. *vers. Dæmones*, & propterea Iudæi calumniantes Redemptorem nostrum, de eo dicebant *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*.

6 Sunt ergò Magi, tamquàm Dæmonis Idololatræ, maximè de hæresi suspecti, mediante pacto, quod ineunt cum ipso, ut ejus potestate sibi collatâ, aliquod patrent, quod sit suprà naturæ vires, non tamen ipsius Dæmonis naturales vires excedat, quemadmodum definiens Magiam, ait Abelly *in Medull. Theol. par*. 2. *de primo Decalogi præcepto*, *sect*. 1. §. 5. Idcircò ipsis imponitur abjuratio, quamvis sint Judæi, teste Eminentissimo Albit. *in Responsione ad Fr. Paulum*, *pag*. 145. Sunt etiam suspecti, eò quia prę sumptio adaptatur ei, quod sępè contingere solet; verum, ut observat Tolet. *lib*. 4. *cap*. 24. Magię ferè semper conjuncta est hęresis, ut agnoverunt in Simone Mago D. Clemens Roman.

man. *lib.7.Apost. const.* In Carpocrate, Menandro, Marco Eufrati, Ophitis, Senophianis Ireneus *lib.* 2. *cap.* 21. Euseb. *lib.2. hist.Eccles.cap.*20. Epiphan. *hæres.*25. In Priscilliano Severus Sulpitius *lib.2. hist.* Hieronym. *in epist. ad Cresiphon.* & in Mahometto Zonara, *tom.* 3. Adde, quod Magus plerumquè putat, Dæmones posse patrare miracula, vel aliquid citrà permissionem Divinam propriâ virtute facere: Del Bene *de offic. S. Inquisit. par.* 2. *d. dubit.* 227. *sect.*1. *num.*12. Certissimè enim tenendum est, ut ait S. Augustinus *lib.* 18. *de Civit.cap.*18. solum Deum posse omnia facere, quæ voluerit; nec Dæmones aliquid operari secundùm naturæ suæ potentiam, nisi Deus permiserit, quod etiam innuit Bordon. *in Trib. S. Inquisit. cap.*16. *num.*1.

7 Quò verò ad Salomonem respondetur, vel esse attribuendas ejus Magicas incantationes gratiæ, & virtuti Divinæ, prout credit D. Thomas, si tunc temporis erat Salomon Deo gratus, & dilectus: Ipsi namquè obediunt Dæmones, undè potuerunt incantationes aliquam virtutem habere, ex eo quod ab ipso Salomone fuerunt institutæ: siquidem Deus ob merita, & operationes Sanctorum concurrit specialiter cum eorumdem actibus: Ita exorcismi in Ecclesiâ, licèt omnes sint ordinati ad eumdem effectum, nihilominùs ob merita Exorcizantis possunt magis operari. Quinimò, cum Dæmon sit illa Bestia, de quâ Psalmista ait: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, non semel Deus Dæmones subjecit Sanctorum suorum imperio coactivo; sic Sancta Cunegunda coniux S.Henrici Imperatoris condemnavit Dæmonem, tamquam mancipium, ad inserviendum fabricæ Templi Bambergensis; proindequè deferebat lapides prægrandes: sic Theodorus Sedunen. Dæmone usus est, veluti vilissimo jumento, ad portandam campanam, quam ei dono dederat

8 Leo Summus Pontifex: Si verò, ut prosequitur S.Doctor, non erat Salomon Deo dilectus, de illis incantationibus dicendum est, quemadmodum de aliis Magicis: Franc. à Victoria *loco cit.num.*27.*vers. ad secundum respondet*, Jo: Pineda *de rebus Salomonis*, & Torreblanca *Juris spirit. lib.* 10. *cap.*7. ubi latè contrà hanc Salomonis Magiam, prçcipuè *sub num.*23.

9 Potest etiam dici, Salomonem naturaliter egisse, cum etiam homines non Sancti, absque Dæmonis ope, possint naturaliter producere effectus mirabiles, adeòut dari queat Magia naturalis, de quâ Arist. *lib. de admirad. audit.* Marsil. Ficin. *lib.* 4. *Theolog. Platonis*, *cap.* 2. Fracastor. *de Sympath.* Jul. Syrenus *lib.*9. *de Fato*, Benedictus Perer. *de Magiâ*, & Del Bene *loco cit.sect.*1. *à num.*1. ejusquè regulas tradit Cardanus *de varietate rerum*; quare istud nomen, quod Persicum est, ac sapientiam notat, à principio receptum fuit prò arte, & facultate efficiendi, & patrandi opera mirabilia: non solùm extrà solitum rerum cursum; sed suprà hominum opinionem, & captum, ut docet idem à Victoria *in Relectionibus*, *Relect.*12. *de arte magica*, *num.*7. præter Torreblancam *Juris spirit. lib.*10. *in Prolegom.* Undè ea hominis industria, quâ per Geometrica, Arithmetica, aut Astronomica principia res magnæ, ac penè incredibiles efficiuntur, ad Magiam, scilicet artificiosam, refertur. Ad hanc spectant Archimedis specula, quibus in Syracusarum obsidione hostium classem combussit; Archytæ lignea columba volans; Leonis Imperatoris aviculæ cantitantes; Boëthii serpentes ænei sibilantes: Hùc etiam referri possunt admiranda illa, quæ à funambulis, & circulatoribus, immania pondera fronte ferentibus; flammas vomentibus; liquefacto plumbo manus innoxiè lavantibus, aliaquè hujusmodi facientibus, celebrantur.

Sed modò videamus de illis, qui Magiam supernaturalem exercent, quinàm scilicet sint de hæresi suspecti, & quia, qui virtute supernaturali divinâ operantur, minimè sunt suspecti, ut ergò discernantur isti ab illis, in quibus Dęmon operatur, considerari debet, qualisnam sit finis Magorum, potestas, & modus in prodigiis exhibendis.

SUBSECTIO I.

Quisnam sit finis eorum, qui Magiam exercent.

SUMMARIUM.

1 *Magia supernaturalis, vel est à Deo, vel à Dæmone. Exempla prima in Psyllis, & aliis.*
2 *Gratiæ gratis datæ conceduntur à Deo infidelibus, & improbis etiam, & cur?*
Idem dicendum est de dono Prophetiæ.
3 *Qualis sit finis Magiæ supernaturalis à Dæmone? & num. 1.*
2 *Exempla illusionum Magorum.*
5 *Magorum opera plerumquè sunt præstigia ad ostentationem.*
6 *Magi operari possunt ad bonum finem.*
7 *Exempla Magiæ supernaturalis Dæmonis.*
8 *Marcus Aurelius Imperator an hostes profligaverit præstigjis magiæ, vel potiùs precibus Christianorum Militum.*

1 EX superiùs dictis patet, Magiã supernaturalem esse, vel à Deo, vel à Dæmone: de fine illius Magiæ, quæ est à Deo, cum ipse intendat semper bonum, minimè est ambigendum, quod non sit in communem nostrorum utilitatem: Francisc. à Victoria *in suis Relectionibus, Relect. 12. de Arte Magica, num. 11. vers. nec iterùm valet.*

Deo igitur tribuenda illa facultas, quâ præstabant Psylli, venandi scilicet Serpentes, de quibus testatur Plutarchus, ubi ait, quod Cato traijciens exercitum in Affricam, secum psyllos adduxit contrà serpentum vim, & perniciem: Eamdem vim dicunt habere
2 Marsos in Italiã. Nec obstat, quod ipsi essent Gentiles, quià non implicat, Deum voluisse misericordiam suam impartiri hominibus per tales viros, qualescunque essent: Gratiæ enim gratis datę dantur propter bonum commune: De hac re Azor. *Moral. tom. 1. lib. 8. cap. 25. qu. 2.* Torreblanca *Juris Spirit. lib. 1. cap. 11. à num. 11. & lib. 12. cap. 23. num. 8. & 10.* Thom. Hurtad. *Resol. moral. tract. 5. cap. 4. Resol. 28. §. 1. n. 287.* Medina *lib. 2. de rectâ in Deum fide, cap. 7.* Thom. Vvoldes. *in opere Sacram. tom. 1. tit. 24. cap. 168. nu. 1.* Raphael de la Torre *tom. 2. de vitiis opposit. Relig. qu. 90. art. 2. disp. 8. num. 8.* Perez in. *Laurea Salamant. certam. 1. dub. 1. cap. 1. à num. 32. & certam. 4. dub. 1. cap. 3.* Toletus *super Ioann. cap. 3. Annot. 2.* Maldonat. *in Matth. c. 7.* Malvendan. *de Anti-Christo, lib. 6. Cap. 1. & lib. 7. cap. 15.* Vignerius *Inst. Theolog. de virtute Dei, cap. 10.* Sotus *in 4. sentent. dist. 42. quæst. 2. art. 23.* Solorzan. *de jure Indor. lib. 2. cap. 3. num. 54.* Acosta *de procur. Ind. salut. lib. 2. cap. 10.* Zerol. *in praxi Episcopi, verbo miraculum, n. 3.* Rutil. Benzon. *de anno Jubilei, lib. 6. cap. 24.* Camill. Borell. *de præstant. Reg. Cath. cap. 55.* Annæus Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 5.* Imò hujusmodi gratiæ, ut magis recognoscantur à Deo, tribuuntur quandoquè per tales viros, quorum Sanctitati tribui non possint: Idem Francisc. à Vict. *ibidem, num 16. vers. ad solutionem secundi argumenti*: De his gratiis gratis datis discurrendum est, sicut de dono Prophetiæ, quod Deus Sybillis Gentilibus contulit.

Potest etiam dici, quod Deus hujusmodi gratias impartitus sit hominibus etiam improbis, in honorem alicujus virtutis, quam exemplariter exercebant; Undè D. Thomas non dubitat, eam Virginem Vestalem, de quâ loquitur Valerius Maximus, quæ aquam de Tyberi sumptam portavit in Cribro, absq; effusione ipsius aquæ, virtute Divinâ egisse in commendationem suæ castitatis: Idem Francisc. à Victoria *loco cit. num. 19. vers. ad quartum respondet.*

3 Si verò sermo sit de Magiâ supernaturali, quæ est à Dæmone, finis eorum, qui ipsam exercent, est propria ostentatio, excitando spectantes in suorum admirationem: Tolet. *lib. 4. cap. 16.* Del Bene *de Officio S. Inqu. par. 2. dub. 227. num. 9.* Hinc hominibus credulis ple-
4 rumquè illudunt Magi, simulantes se operari mirabilia, quæ reverà talia non sunt: Fabulam enim existimat Francisc. à Victoria *vbi suprà, num. 1. vers. & videtur,* Socios Diomedis in aves conversos, quæ longo tempore post circà Templum Diomedis volaverint; Fabulam

bulam, Socios Ulyssis à Circe mutatos in bestias, & apud Arcades quodam stagno ab ipsis trajecto, conversos in Lupos; Fabulas existimat, Medeam, Jasonem Socerum à Senectute ad Juventutem revocasse, & ipsam junctis Draconibus volasse; ac solis mensam in Æthiopia fuisse, quam Apollonius ut videret, venit eam in Regionem, in quâ Epulæ singulis diebus ponebantur sinè humanâ ope; Fabulæ similiter existimandæ sunt Prothei methamorphoses, de quibus Diod.Sic.*lib.2.biblioth.* & quod herbis homines transformarentur in Lupos, quamvis de hoc nobis testimonium perhibeat Virg.*Eclog.*

His ego sæpè Lupum fieri, & se condere sylvis.

Mærim vidi ———

legendus D.August.*lib.18.de Civit.Dei,*
5 *cap.*18.qui asseveranter ait, hujusmodi esse præstigia, quibus, ut se admirabiles ostentent Magi, illudunt credulis, Tholosan. *Synthagm. lib.* 34. *cap.* 16. & Pistach. *de superst. par.1.cap.24.num.26. & num.28.*

6 Possunt ad bonum quoquè finem Magi operari, ut scilicet jucunda quædam exibeant, vel morbis medeantur: Franc.à Victor. *in dictâ Relect.* 12.*de Arte Magica, num.*11.*vers.nec iterun*
7 *valet*: Undè ferunt, Empedoclem corpus Mulieris absque spiritus, & cibi vsu quasi triginta diebus conservasse, & veluti exanimem vitæ restituisse: Hesych.Miles. *in lib.de Philosophis*: legimus quoquè apud sacras litteras 1.*Regum* 28. de Pythonissa, quæ suscitavit Samuelem; de quâ re Pistach. *de superst. part.*1. *cap.*24. *à num.* 18. Scribit etiam Gregorius Turronensis *lib.* 8. *histor. Franc. cap.* 33. Parisiorum Vrbem præservatam fuisse antiquitùs, ne ibi incendium prævaleret, ne serpens, ne Glis appareret; at cum cuniculi pontis emundarentur, ut Cænum, quo repleti fuerant, auferetur, Serpentem, Gliremque æneum repertos fuisse, quibus ablatis, & Glires extrâ numerum ibidem
8 & Serpentes apparuisse. Sic Marcum Aurelium Imperatorem Magiæ præstygiis Marcomannos, Quadas, Sarmatasquè insigni profligasse prælio, referunt Dio in *Marc. Aurel.* Claudian., & alij apud Henr.Spond. *Ad Annum Christi* 176.*n.*1. qui tamen omnes impudenter mentiti sunt: Etenim testantur communiter Historici Christiani, Romanos tunc Barbaros præfatos insigni clade affecisse, non Magicâ arte, sed pijs precibus ad Deum porrectis per legionem militum Christianorum Armenorum, Melitenorum, prout describit relatus Spondanus. Pariter Romanos per Magiam Victoriam sibi adversus eosdem Marcomannos comparasse, testatur *Vopiscus in Aureliano*; quia verò hanc artem in Juliano apostatâ amentiam appellavit Ælius Spartianus Historicus, licet Ethincus, ideò in hac parte quidquàm deferre Vopisco, auctori Gentili, summum esset dedecus in scriptore Catholico.

SUBSECTIO II.

Quænam sit Magorum potestas.

SUMMARIUM.

1 *Arduum est assignare, quænam sit Magorum potestas.*
2 *Magi possunt turbare Elementa.*
3 *Reprobatur Seneca cum aliis negans potestatem Magorum in elementa.*
4 *Communiter Theologi, & Jurisperiti agnoscunt in Dæmone potestatem ad turbanda Elementa.*
5 *Ratio naturalis potestatis Dæmonis in Elementa.*
6 *Exempla prophana, & Sacra ad propositum.*
7 *Magos ventos sopire posse, dicitur.*
8 *Magi exercent suam potestatem in Elementum Terræ.*
9 *Magorum potestas in ignem.*
10 *Quid possint Dæmones per Magos operari circà corpora hominum.*
11 *Quid possint Magi operari circà sanitatem corporum.*
12 *An Dæmon possit fæminam in Marem convertere.*
13 *Nequit Dæmon in fæminam Marem convertere quidquid finxerint Poëtæ.*
14 *An Magorum potestas valeat revocare Animas ad corpora?*
15 *Marsilius Ficinus vigore pacti initi cum*

cum Michaële Mercati, ei apparet post mortem.
16 *Magorum potestas extenditur in ipsos quoque Dæmones.*
17 *Præstigia esse plerumque ea, quæ Magi operantur, docet D. Augustinus.*
18 *Quæ excedunt potestatem Dæmonis, si fiant à Magis, non sunt vera, sed tantùm apparentia.*
19 *Dæmones ad illudendum hominibus alterant sensus interiores;*
20 *Aerem medium;*
21 *Item corpus phantasticum format;*
22 *Similiter humores alterat, & agitat.*
23 *De Serpentibus Magorum Pharaonis.*
24 *Dæmon sicut operatur in phantasiam, ità in cæteras animi potentias, nimirum memoriam, intellectum.*
25 *Dæmon quandoquè scientias docet: Exempla hujus.*
26 *Quomodò Dæmon agat in Voluntatem hominis?*
27 *Dæmon nequit producere actiones immanentes hominis.*
An possit animalia producere? ibi.
28 *Operationes Dæmonis in cadaveribus non sunt Vitales.*
29 *Prodigiosa historia capitis, à corpore recisi, loquentis.*
30 *Dæmon nequit vivos homines occidere.*
31 *Historia Sylvestri Secundi Papæ à Dæmone occisi, falsa convincitur.*
32 *Dæmon nec honores, nec Divitias elargitur hominibus.*
33 *Dæmon nequit educere Animas ab inferno, vel à Purgatorio.*
34 *Dæmon nequit imprimere formas in rebus naturalibus.*
35 *Dæmon nequit immutare figuram hominis in figuram brutorum.*
36 *An conversio Senis in juvenem sit Dæmoni impossibilis? & num. 37.*
38 *Dæmon per magos nequit Judicibus nocere, neque justitiam lædere, exemplis historicis in contrarium minimè attentis, & nu. 39. 40. & 41.*
42 *Dæmonis præstigia sunt in iis, quæ facere nequit; & plerumquè etiam id evenit in iis, quæ potest facere.*
43 *Sagæ an verè, & realiter transferantur de loco ad locum, vel tantùm imaginariè.*

1 POTESTAS Magorum, sivè intelligatur de illis, qui virtute Divinâ; sivè de illis, qui arte Dæmonis operantur, arduum est assignare, quænam sit: Nam si agunt operante Deo, quicquid placet Omnipotenti, possunt & ipsi; si verò agunt operante Dæmone, maxima patrare possunt, eò quia in ipso maxima videatur esse potestas. Testantur enim passim Doctores, quod Magi possunt tàm in Elementa, quàm in hominum corpora, & in res spiritales agere.

2 Quò ad elementa, ipsa turbare valent, ut habetur ex Job. *cap.* 1. ex jure Pontificio *in c. nec mirùm* 26. *quæst.* 5. & ex jure Cæsareo, *in l. multi C. de Malef. & Mathem.* Idipsum testantur Torreblanca *juris spirit. lib.* 3. *cap.* 4. Candid. Brognol. *in Alexicon. p.* 2. *disp.* 2. *cap.* 1. *sect.* 1. *Art.* 1. *per totum*, Del Ben. *de Offic. Sacr. Inquis. par.* 2. *dubit.* 227. *sect.* 3. *n.* 6. & Apulejus *lib.* 1. *de Asino aureo*, loquens de Cauponâ Reginâ Sagarum, & *lib.* 2.
3 de Pamphilo: Malè igitur Seneca (quem tamen ejus Concivis Torreblanca aliquo modo tueri nititur; *in lib.* 4. *juris spirit; cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 9.) malè, inquam, Seneca *lib.* 4. *Natur. qq.* ait: *Illud incredibile Cleonis fuisse publicè propositos* χαλαζοφύλακας, *speculatores futuræ grandinis. Hi cum signum dedissent, adesse jam grandinem, quid expectas, ut homines ad penulas discurrerent, aut ad storeas? Imò prò se quisque alius agnũ imolabat, alius pullum: protinus illæ nubes aliò declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Hoc rides? Accipe, quod rideas magis: si quis nec agnum, pullumvè habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi adferebat, & nè tu avidas, aut crudeles existimes nubeis, digitum suum benè acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat: Nec minùs ab hujus agello grando se auvertebat, quàm ab illo, in quo majoribus hostiis exorata erat. Rationem hujus rei quidam quærunt. Alteri, ut homines sapientissimos decet, negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, quamvis munera & Deos vincant. Alteri suspicari, ajunt, esse in ipso sanguine vim quamdam potentem avertendæ nubis, ac repellendæ. Sed quo-*

quomodò in tàm exiguo Sanguine potest esse vis tanta, ut in altum penetret, & illam sentiant nubes? Quantò expeditius erat dicere, mendacium, & Fabula est: At Cleonæ indicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura providendæ tempestatis, quod negligentiæ eorum vineæ vapulassent, aut segetes procidissent; Et apud nos in duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos Fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat, attrahi imbres cantibus, & repelli, quorum nihil posse fieri, tàm palàm est, ut hujus rei causâ nullius Philosophi schola intranda sit. In hunc errorem inciderant Uricus Molitor *Dial. Austriaci*, & Burchard. *lib.* 19. *decretal. tit. de arte magic. vers. credidisti umquam*, fortasse minus rectè percipientes illud decretum Concilii Bracarensis, Prisciliani opinionem proscribens. Hic enim volebat, Dęmones tonitrua, & fulgura, & tempestates propriâ auctoritate facere, etiam non permittente Deo, & ob id in eo Concilio damnatur.

4 Rectè ergo supradictam potestatem communiter agnoscunt in Dęmone tàm Jurisperiti, & Canonistæ, ut Baldus, Salycet, & Godifred apud Torreblancam *juris spirit. lib.* 4. *cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 32. Petr. Matthæus *lib.* 7. *decretal. tit. de malef. cap. fin.* Tholosan. *in syntagm. juris lib.* 34. *cap.* 11. *&* 12. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 63. Paul. Grilland. *de sortileg. quæst.* 6. Nicol. Remig. *lib.* 1. *dæmonol. cap.* 25. *&* 29. Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *cas.* 388. Farinac. *de hæresi, quæst.* 181. *nu.* 31. Sess. *decis.* 456. *nu.* 13. *& seqq.* & alii, quàm Theologi, ut præter D. Augustinum, D. Isidorum, & D. Thomam, Cajet. *in sentent.* 2. *dist.* 7. *&* 8. Toledo *in summ. lib.* 4. *cap.* 15. Castro *de hæret. lib.* 1. *cap.* 16. *& lib.* 2. *c.* 15. Sperenger. *in mall. par.* 2. *qu.* 2. *cap.* 7. *&* 15. Martin. del Rio *lib.* 2. *Magic. quæst.* 11. Bulenger. *de mag. lib.* 2. *cap.* 42. Majol. *tom.* 2. *canicul. colloq.* 2. Del Bene *de Offic. S. Inqu. par.* 2. *dub.* 227. *sect.* 3. *num.* 6. & alii.

5 Idipsum comprobat ratio, nam cum grandines, ut ait Torreblanca *ubi suprà*, nimbi, fulgura, fulmina, & reliqua Meteorologica ab exalationibus, & vaporibus ex terrâ, & aquâ solis calore elevatis, in aeris regione fiant, nihil vetat, quin ex eisdem de causis Dęmones possit ea excitare, vel alicubi excitata motu locali impellere. Adde experientiam: Siquidem non semel Magi de facto Elementa turbarunt: Cum enim aliquando Romani Siti laborarent, Arnuphius Ægyptius subitò fecit, ut ingentes nubes obscuræ existerent, quę pluviam ingentem cum tonitruis, & fulgoribus effunderent, ut ex Svida *in verb. Arnuphius*; ac simile prodigium alibi peractum à quodam Mago fuisse, scribit Dio Cass. *lib.* 56. *hist.* unde Ovid. de Magâ quâdam.

Quum voluit, toto glomerantur nubila Cœlo:
Quum voluit, puro fulget in Orbe dies.
Sanguine, si qua fides, stillantia sydera vidi;
Purpureus lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras,
Suspicor, & plumâ Corpus anile tegi.

6 Sic dum Ferdinandus Neapolitanorum Rex Mascos arctâ obsidione præmebat, & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat, obsessi Magicâ arte itá effecerunt, ut prorumperet è nimbis pluvia, quâ frustaretur spes Regis potiundi Oppidi in tantâ aquarum penuriâ collocata, proùt evenit, si credimus Joviano Pontano *lib.* 5. *Belli Neap.* (Vide, si lubet, quid narret de Indis Gaspar Stillius *in epist. Pervvani* 1590. & 1591.)

Imò ex his, quæ passus est Iob, quæquè narrantur in Sacrâ Scripturâ, & ad stabiliendam hanc veritatem considerantur à Bordon *in Tribunal. S. Inquisition. cap.* 16. *num.* 34. infertur, minimè esse ambigendum de hujusmodi potestate in Dæmone.

Docent etiam, fatidicis carminibus Magos è Cælo deducere lunam, ut ait Virgil. 8. *Eclog.* cui congruit, quod cecinit etiam Ovid. in *Epist. Hypsiphiles ad Iasonem*; & proindè solent Magi appellare stellas, ac Cęlum suis nominibus, itàut eis obediant, quemadmodum firmat Del Bene *loco cit. sect.* 2. *n.* 3.

7 Nec hic sistitur Magorum potestas in Elementa; nam potuisse ventos sopire, innuit Svidas, memorans de quâdam Corinthi familiâ, quæ ventos sopiebat; & de Empedocle Mago, qui cum Etesiæ itá vehementer spirarent, & fru-

& fruges læderent, jussit Asinos excoriari, & vtres fieri, eosquè in promontoriis extendi, ut ventos exciperent, ex quo dictus est ventorum prohibitor, ut ex Timæi historiis dicit Laertius *de vit. Philos. lib.* 5. Cui congruit, quod narrat Olaus Magnus de Finnis, & Lapponibus, eos scilicet olim Mercatoribus ventos venales exibuisse, tres nodos Magicâ arte sacratos solventes, quorum primo soluto, placidos ventos; secundo, vehementiores; tertio, vehementissimos provocabant: Hæc omnia miranda complexa est saga illa, quæ apud Petroninm Arbitrum sic gloriatur.

Quicquid in Orbe vides, paret mihi Florida Tellus;
Cum volo, siccatis arescit languida succis;
Cum volo, fundat aquas scopulus, atque arrida saxo;
Indigenas jaculantur aquas mihi pontus inerteis.
Submittit fluctus, zaphyriquè tacentia ponunt
Antè meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hiercanæquè Tigres, & jussistare dracones:
Quid leviora loquor? lunæ descendit imago,
Carminibus deducta meis: crepidusquè furenteis.
Flectere Phæbus equos revoluto cogitur Orbe:
Tantum dicta valent, Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta Sacris, Phæbeaque Circe
Carminibus magicis Socios mutavit Vlyssis.

Testatur quoquè Lilius Gyrald. *Synthag.* 17. *de Idolis gentium*, fuisse quosdam Sacerdotes gentiles, qui grandines, cum instarent, speculabantur, ac ipsas agni, pulliquè sacrificio auvertebant; & si agnus, vel pullus defuisset, digitum ferreo stylo feriebant, indè effuso sanguine litabant, id, quod ridet Seneca à nobis suprà relatus. De similibus superstitionibus adversùm grandines, extat dispositio Caroli Magni, *in Constit. capitular.* Aquisgrani habitis, *artic.* 8.

8 Nec solum in elementa Aeris, & Aquæ exercetur eorum potestas, sed & in illud Terræ, si ullam fidem meretur Vates ille, qui dixit:

Atque satas aliò vidi traducere messes.

Quod innuit etiam Tibullus *Eclogâ octavâ*.

Cantus vicinis fruges traducit ab agris.

Et Nementianus Buccolicorum Scriptor *Eclog.* 4.

Cantavit, quod Luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt Scopuli, migrant Sata, vellitur arbor.

Narrant ex Plin. *in lib.* 17. *cap.* 25. Less. *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 14. & Bordon. *in Tribunal. S. Inquisit. cap.* 16. *num.* 35. universum quoddam Olivetum viam publicam transgressum, atque ipsa prædia ex loco in contrarias Sedes profecta, quod mirum non est, cum Dæmones moveantur localiter; nec pondus eorū vires excedat, prout advertit Bordon. *ibid*: De re hac Francisc. à Victor. *in Relectionibus, Relect.* 12. *de arte Magicâ, num.* 33. & Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 4. *cap.* 2. *sect.* 1. qui etiam *in lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 33. subjungit, non posse Dæmones de loco ad locum movere integrum elementum; aliàs vel daretur vacuum, vel crederetur in Dæmone potestas creandi nova corpora, quibus replenda essent intermedia: Utrumquè

9 absurdum. Tandem conflare possunt ignem, teste Athenæo, *libr.* 1. *dipnos. cap.* 14. de Xenophonte, qui ignem sponte suâ nasci faciebat, ac ex mediâ regione aeris flammas effundere: Francisc. à Victor. *in Relectionibus, d. relect.* 12. *de Arte Magic. n.* 19. *vers. item adversitate, & versic. ad quintum dictum*, Torreblanc. *d. lib.* 3. *cap.* 3. sic Zoroaster ex stellis scintillas eliciebat; sic Thessala cantu eripiebat lunare jubar, teste Horatio *in epod. od.* 5.

Quæ sydera excantata voce Thessala,
Lunamque cælo diripit.

Possunt etiam impedire ignis activitatem, quare Simon Magus, ut narrant, igne circumdatus, minimè urebatur; quod & evenit Dianæ castabulis Sacerdotissis, teste Strabone *lib.* 5. & Hirpibus in Phaliscos, ut præter Strabonem *lib.* 12. dicit Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. Hujusmodi plura videri possunt penès Candidum Brognol. *in Alexicon. p.* 2. *disp.* 2. *cap.* 1. *sect.* 2. *art.* 1.

10 Quo ad hominum corpora operari possunt Magi, cum ea mutent in alias for-

formas per ea, quæ tradunt Del Rio, *disquisit. Magic. lib.2. q.* 18. & Candid. Brognol. *in Alexicon.par.2.disp.2. cap.2. sect.3. art.*1. usque *ad art.*10. Habemus enim apud Lutiprand. *lib.* 1. *de reb. per Europam gestis*, quod Bajanus Filius Simeonis Regis Bulgarorum usquè adeò didicit Magiam, ut ex homine Lupus, & quæcumque alia, prout vellet, fieri posset fera; addit Tritemmius *in Chronic. Monast. Hiosgamnens.* quod se invisibilem præbebat. (Vide, si vis, Del Bene *de offic. S. Inqu. par. 2. dub.* 227. *sect.3. num.*20.)

Idem dicitur de Simone Mago apud Nicæphorum, & aliàs, omnifaria scilicet in conviviis simulacra exhibuisse; Draconis etiam induisse: Imò narrat Tritemmius *loco cit. Anno Domini* 876. Zedechiam nomine, Medicum Imperatoris Ludovici, Magiæ peritum, devorasse hominem, pedes, manus, ac caput præscindendo, & sanguinem fluentem ostendendo in Pelvi, posteà reviviscentem ostentasse: De hujusmodi transformationibus dicam infrà.

Et tanta est Magorum potestas super corporibus nostris, ut nedùm ipsis per innumera maleficia noceant, quod suo loco patebit, verùm etiam sanitatem restituere quandoquè videantur.

11 Porrò Dæmonem posse sanitatem restituere, persuadet hæc ratio, quia cum Dæmon perfectè calleat artem Medicinæ, potest applicare activa passivis, & ope medicamentorum naturalium morbos curare, Deo vel permittente, vel non impediente, sivè ob hominum delicta, sivè ob alios suæ imperscrutabilis providentiæ fines: Undè non mirùm, Carminibus Ulyssem, teste Homero, profluvium sanguinis cohibuisse: Imò ait ex Strabone *lib.* 15. *Geograph.* Anneus Robert. *Rerum Judicat. cap.5. lib.*1. per Indiam circumvagari Incantatores, qui medentur omnibus morbis; & solùm hanc ferè apud illos esse Medicinam: Referunt quoquè Historici, Vespasianum Cæsarem unum, & alterum cæcum sanasse, quemadmodum Xiphil. scribit ex Dione *in Vespesiano*: Cui non multum absimile narrat Ælius Spartianus de Adriano Cæsare, nempè natum cæcum ad eum ex Pannonia adductum, oculos recepisse. Cęterum cum, juxtà tritum Naturalium adagium, à privatione ad habitum non detur regressus, consimiles Sanationes nullâ Medicinæ arte contingere possunt, quapropter superiùs enarratæ, vel sunt Historicorum Ethnicorum fabulæ, vel fuere Angelorum malorum illusiones.

12 Potest etiam Dæmonis ope sexus mutari, ut videtur sentire Del Rio *loco cit. quæst.*22.*pag.*155. *litt.B.* si intelligatur de conversione fæminæ in Marem: Naturaliter enim hoc quandoquè evenit ex superveniente calore, quemadmodum testantur Hipocrates *lib.* 6. *Epidem.p.*8. Plin. *lib.*7. *cap.*4. quem citat A.Gellius *lib.*9. *noct. cap.* 4. Jovian. Pontan. *in hist. Neapolit.* Coccius Sabellic. *lib.9. exempl. dial.*1. P.Menoch. *in suis stromatibus*, Torreblanc. *Juris spirit. lib.3. cap.*11. & alii, quos cum multis hujusmodi trasformationis casibus refert Isaac Cardosus *in suâ Philosophiâ liberâ, lib.6. quæst.*14. Quidquid autem naturæ viribus non repugnat, eò minus excedit sphæram Dæmoniacæ potestatis: Contrarium tamen gratis sentit idem Torreblanc. *loc.cit.num* 9. Eò magis sugillandus, quia admittit fęminam in aliud non differre à Masculo, nisi in quantum hic genitalia foras emittit; fæmina verò intùs retinet; Et addit in disiecto fęminæ ventre repertos esse testiculos, seù vasos seminarios, ac uterum in eâ proportione, quod virile membrum; admittit quoquè non semel naturaliter contigisse, ut fœminæ versæ sint in Mares.

13 Si verò intelligatur de Maris conversione in fœminam, hanc cecinere poëtæ Virgil. 6. *Æneid.* de Ceneo.

Et juvenis quondam, nunc fœmina Ceneus:
Rursus & in veterem fato revoluta figura.

Et Ovid. 11. *metamor.* de Tyresia:

Deque viro factus, mirabile, fœmina; septem
Egerat autumnos ——

Et Auson. *in Epigram. lib.*1.

Nolo tamen veteris documenta accrescere famæ
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

Verùm naturaliter impossibile judicamus, virum in fœminam verti: adeoquè nec Dæmonis arte id posse fieri, quod

sequitur Del Rio *disqu.magic.lib.2.q.22.* Riol.*de Hermafrod.*13.Mazzel. *de Anolog.lib.*10. non solùm, quòd natura semper ab imperfectiori ad perfectius progrediatur, & faciat de possibilibus semper quod melius est;sed etiã quia si aliqua membrorum transmutatio fieri posset,ea à calore proculdubiò fieret, non à frigore : At verò calor impellit, diffundit, dilatat; non verò cogit, aut retrahit, quare nunquam vi caloris membra, quæ foris propendunt, intrò remeabunt : Rectè in hoc Torreblanc. *loco cit.num.*31. subjungit, quod mares mutare non possunt sexum, sed mores, effæminatiquè molliciem induere.

14 Quò ad res spirituales extenditur Magorum potestas : Revocant enim animas ad Corpora, quibus jàm segregatæ erant, ut de Pythonissâ testantur sacræ paginæ; & de Simone summo Magiæ artifice jactant, quod apud Phoram,Ephesi Oppidum,præsente Ioanne Evangelista, tres mortuos suscitasse : Francisc.à Victor. *in Relectionibus,Relect.* 12.*de Arte Magica, vers. ad confirmationem*: Quod mirum videri nequit,nàm anima, Deo non impediente, naturali suâ vi ad vivos redire, eisque apparere potest; eò quia valeat se conferre de loco ad locum, ut ait Torreblanc. *juris spirit.lib.*1.*cap.*3.loquens juxtà verę Philosophiæ principia : De hac re D. Thom.*p.* 1.*q.*52.& ibi Valent. *qu.*3. *punct.*3.& Molin.*art.*1.Imò vi ipsius pacti inter homines, ut qui priùs decesserit, appareat, hoc contigisse, & contingere docet Ananias *lib.*3.*de nat.Dæmon.*& narrat Baron. *tom.* 3. *Anno* 412.

15 de Michaele Mercato Seniore, quod cum inter disserendum cum Marsilio Ficino, eorum progressu longior fuisset disputatio, eam ad calcem perductam tali clauserunt corollario, ut junctâ simul dexterâ, pacti fuerint, quod quis eorum ex hac vitâ prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem : Quibus inter se conventis, ambo jurati ab invicem discesserere. Interim lapso haud brevi temporis spatio evenit, ut cum summo mane idem Michael Senior in Philosophicis speculationibus vigilaret,ex inopinato strepitu velociter currẽtis equi, ejusdemque ad Ostium Domus cursum sistentis audiret,vocemque simul Marsilij clamantis. *O Michael, ò Michael; vera, vera sunt illa* : Ad vocem amici Michael admiratus, assurgens, fenestramquè aperiens,quem audierat,vidit post terga ad cursum iterùm acto equo candido:Candidatũ prosecutus est, cum voce *Marsiliũ,Marsiliũ* invoacans:Prosecutus & oculis, sed ab eis evanuit.Sic ipse stupore affectus, quid de Marsilio esset, sollicitus perquirendum curavit; (degebat ille Florentiæ, vbi diem clausit extremum) invenitquè eumdem illâ ipsâ horâ defunctum, quâ eo modo auditus,& visus est sibi: Quantò faciliùs poterit Dæmon id præstare, quod nec viribus naturæ, nec hominum conventioni repugnat? Quid tamen reverà sentiendum sit, dicam infrâ.

16 Sed ne omittamus, quod magis admirationem auget, extenditur eorum potestas in ipsos Dęmones:Eòquè enim pervenit Dæmonis ambitio, queadmodùm ait Clemens *lib.*8. *recognit.* 18. ut cum verbo Dei fugentur Dæmones, ità Satanæ verbo ipsis imperetur à Magis, quibus proindè obediunt; undè habemus apud August. *de Civit. Dei lib.*10. *cap.*9.Porphyrium se vidisse, quod quidam Chaldæus abjurans, spirituales potentias precibus alligavit:Narrant quoquè, Magos tenere in annulo, quem gerunt, alligatos Dæmones, qui licet ibi non sint semper; Imò numquam ipsi rebus corporeis alligentur:Simanch. *de Cathol. instit.tit.* 63.*à num.*29. Peña ad Eymeric.*in Direct.Inquisit.p.*2. *quæst.* 43.*comm.*68.Martin. del Rio *lib.*2. *Magic.disqu.qu.*30.*sect.*1. Picus Mirandulanus *lib.*7.*Prænot. cap.*4.Azor.*p.*1. *Moral. lib.*9. *cap.*36.*qu.*2.Bulenger.*de Magia lib.*1.*cap.*25.Torreblanca *juris spirit.lib.* 11.*cap.*13. *à num.*26.ubi ait, hæreticum esse, si asseratur, quod substantiæ spiritales à corporeis rebus pati possint; Pistacch.*de superst.p.*1.*cap.*15.*num.*4. & Ricci *in Prax.Aur. to.*1.*Resol.*433.Quotiescumque tamen ab annuli possessore vocantur, veniunt statim, cum non indigeant tempore ad redeundum, ubicumquè sint: Francisc.à Victor. *loco cit. num.*31., & in adeò angusto loco adesse possunt, cum sint quantitatis expertes : Bordon. *in Tribunal. S. Inquis. cap.* 16.*nu.*20.*&* 22.(Vide,si vis,Hieronym. *in Hi-*

in Hilarione, ubi Dæmon queritur, se laminâ constrictum teneri; D. August. *de Divinat. Dæmon. cap.* 7. & Eusebium *lib.* 5. *de præparat. cap.* 6.

Cum ergò tanta sit eorum potestas, qui utuntur Dæmonis ope, videri potest penitiùs non introspicientibus, quod per ipsos omnia perpetrentur, quę quoquè fiunt divinâ virtute, & proindè, quod non adsit ullum discrimen, quo ad invicem distinguantur.

17 Sed observandum, plerumque præstigia esse, ut superiùs innuimus, quæ hoc improbum Magorum genus operatur. Audiamus D. Augustin. *de Civit. Dei, lib.* 18. *cap.* 18. *Si dixerimus, ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui ejusmodi quædàm, vel certissima audisse, vel etiam expertos asseverent; Nam & nos, cum essemus in Italiâ, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias Mulieres imbutas his malis artibus in Caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seù possent, viatoribus, undè in jumenta illicò verterentur, & necessaria quæquè portarent; postquam perfunctâ operâ, ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem, humanamquè servari, sicut Apulejus libris, quos titulo Asini Aurei appellat, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut judicavit, aut finxit. Firmissimè tamen credendum est, Omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando; nec Dæmones operari secundùm naturæ suæ potentiam, quia & ipsa Angelica Creatura est, licet sit proprio vitio maligna, nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa; injusta nulla. Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à Deo sunt creata, commutant, ut videantur esse, quæ non sunt. Non itaquè solum animum, sed nec corpus quidem ullâ ratione crediderim, Dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, sivè somniando per rerum innumerabilia genera variantur; & cum corpus non sit, corporum tamen similes mirâ celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum, nescio quo ineffabili modo, figura corporea posse perduci; ità ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant viventia quidem, sed multò graviùs, atquè vehementiùs, quàm somno suis sensibus obscuratis: Phantasticum autem illud, veluti corporatum, in alicujus animalis effige sensibus apparet alienis, talisquè etiam sibi homo esse videatur sicut talis sibi videri potest in somniis & portare onera, quæ onera, si vera sunt corpora, portantur à Demonibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.*

18 Ex quibus infertur primò, quod quæ excedunt potestatem Dæmonis, si fiant à Magis, qui ipsius ope utuntur, non esse vera, sed tantummodò apparentia, ut sunt ea, quę patrari à Circulatoribus, & Joculatoribus videmus; & eò majori admiratione, quò magis præstant agilitate hominibus Dęmones: Tholosan. *Synthagm. lib.* 34. *cap.* 21. *num.* 5. & tantò perfectiùs operantur Dæmones, quantò subtiliùs, & præter omnem artem applicare possunt causas ad hujusmodi operationes: latè rem hanc tractant Molina *in D. Thom. par.* 1. *qu.* 111. *art.* 4. Guil. Parisien. *de Universo part fin. cap.* 22. Martin. del Rio *lib.* 2. *Magic. disqu. qu.* 8. Nicol. Remig. *lib.* 1. *dæmonol. cap.* 11. Jo. Salisbersiens *de Nugii Curia, lib.* 2. & Torreblanc. *juris spirit. lib.* 4. *cap.* 3. Quò fit, cum ex omnibus artibus semper perseveret aliquod opus, ut Statuæ, & Imagines insignium Pictorum, & Sculptorum; Egregia ædificia peritorum Architectorum: Magicæ artis nulla imago, nullus annulus, nullum pignus, aut vestigium habeatur: Francisc. à Victoria *ubi suprà, num.* 2. *vers. sed quià*. Nil enim est à parte rei, sed ità apparet esse, quia Dæmon peritissimus præstigiator illudit suâ in agendo celeritate: Adde quod Dæmo-
19 nes sæpè sæpiùs movent interiores spiritus, ubi sunt species, & taliter offerunt sensui interiori, quod volunt, ut videantur res revera esse præsentes. Non ità intelligendum, quod Dæmon novâ specie imaginationem, seù phantasiam immutare possit. Hoc quidem nequit, ut sentit communis Theologorum sententia cum D. Thoma *p.* 1. *quæst.* 111. *art.* 3. & ob id non potest efficere, ut qui à

Q 2 nati-

nativitate numquàm vidit, rectè de rerum Coloribus imaginetur. (Vide Jo: Malder. *de virt. Theol. tract.* 10. *cap.* 8. *dub.* 7.)

20 Similiter ad illudendum hominibus Dęmon alterat aerem medium, vel ipsum organum, ut docent Molina *in citatâ q.* 111. *art.* 4. Valent. *disp.* 4. *qu.* 2. Remig. *lib.* 1. *Dæmonol. cap.* 11. Martin. del Rio *lib.* 2. *Magic. disq. q.* 24. Raphael de la Torre *tom.* 2. *de vitiis oppo-*
21 *sit. Relig. q.* 95. Item corpus phantasticum format, & illud oculis objicit, vel chymeram componit: Quandoque etiam in corpore notiones, ac affectiones concitat, undè phantasia tristetur, vel
22 è contrà. Similiter humores agitat, ac vapores addit, ita ut, quales ipse vult, imaginationes homo retractet, eaquè se videre, & audire judicet, quæ reverà nec oculis, nec auribus unquàm hausit: August. *lib. de curâ pro mortuis*, *cap.* 12. Majol. *colloq.* 3. Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. 13. *&* 18. Angelel. *in sent.* 2. *dist.* 8. *q.* 3. *dub.* 5. Molina *in D. Thom. p.* 1. *q.* 111. *art.* 3. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 8. Bordon. *in Tribunal. S. Inquisit. cap.* 16. *num.* 26.

23 Non erant igitur serpentes, quos Pharaonis Magi produxerunt, juxtà gloss. Rabani *Exod.* 7. nec illa Samuelis vera fuit, sed aliquod Phantasma, & illusio imaginaria, Diaboli machinationibus facta, proùt probabiliter tenet August. *ad Simplicianum*.

24 Quemadmodum autem Dæmon in phantasiam operatur, ità & in cæteras animi potentias: hinc concupiscibilis, & irascibilis facultatis organa turbat quotidiè, ità ut oriantur variarum visionum cogitationes: Del Rio *disquis. Magic. lib.* 2. *q.* 24. hinc memoriam juvat, ejus organum adaptando; ac eamdem modis contrariis debilitat: Naturaliter enim ipsa adjuvatur per quasdam potiones, ut videre est penès Francisc. Sanctium Brocen. *lib. de artificiosâ memoriâ*, & Torreblanc. *juris spirit. lib.* 3. *cap.* 5. & naturaliter, venientibus annis, deperditur, prout evenit *Koplero*, Concivis mei Claramontii antagonistæ, qui senex effectus non percipiebat ea, quæ juvenis subtiliter edocuit *in lib. Harmonic.* & de hoc plura scripsit Bapt. Codronch. *lib.* 3. *de morbis venef. cap.* 6. & Andrea Cæsalpin. *lib. de investig. Dæmon. cap.* 10. Hinc per commodiores organi dispositiones intellectum subtiliorem reddit, & è contra: Del Rio *loco cit.* Nam licèt non possit in nostrum intellectum immediatè agere, potest tamen mediis phantasmatibus, ut docent D. Thom. *par.* 1. *q.* 111. *art.* 2. Vasquez. *p.* 1. *disput.* 245. *cap.* 2. *num.* 10. *& ad* 1. 2. *q.* 19. *art.* 2. *disp.* 27. *cap.* 2. & Torreblanca *jur.*
25 *spirit. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 23. Imò quandoquè & artes, & scientias docet: Scientiæ enim nostrę dependent ab intellectu agente (quem illustrare potest Dæmon) sicut à primo principio, juxtà D. Thom. apud Torreblancam *ubi suprà*, *num.* 25. Verum est, quod Dæmon omni conatu procurat homines, non ad scientias, sed ad errores provocare: tametsi ipse pręter Socratem, & alios, Aristotelem etiam Philosophum reddiderit, teste Torreblanca *jur. spirit. ubi su-*
26 *prà*, *num.* 31. In voluntate verò restrictior est Dæmonis potestas, nec ab eo cogitur voluntas humana, ut docent pręcipuè Medina, *de rectâ in Deum fide*, *lib.* 2. Castro *lib.* 1. *de justâ hæret. punit.* & alii penès Torreblancam *juris spirit. loco cit. num.* 48. Movetur tamen ea voluntas à Dæmone vel objecto tãquam odibili, seù amabili exteriùs posito; vel excitatis imaginariis visionibus; ac passionibus inflammatis. Vide quid dicatur de B. Angela de Fulgineo *in ejus vitâ*, *cap.* 19.

27 Si autem quò ad cætera quęratur, quęnam sit potentia Dęmonis, dicimus, quod non adeò se extendit, ut tribuere valeat actionem immanentem, seù principium agendi; quapropter non valet nec muscam suscitare: Del Rio, *disq. Magic. lib.* 2. *q.* 29. *pag.* 239. *litt. B. col.* 1. Non inficior tamen, posse à Dęmone ea produci animalia, quę fiunt ex putri, non per creationem, sed per applicationem efficientium, ut pluribus relatis ait Torreblanca *juris spiritualis*, *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 46. Hoc tamen tenendum est, nec Animalia ista, postquàm semel vitam amiserint, vi Dęmonis posse reviviscere: Sotus *in sent.* 4. *dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 3. Suarez *in D. Thomam*, *p.* 3. *quæst.* 53. *sect.* 2. Torreblanca *loco cit. num.* 62. & propterea sortilegium hæreticale putat Farinac. *de hæresi*, *qu.* 185. *num.* 5.

num. 5. petere á Dæmone mortui resurrectionem. Quæ verò narrantur à Platone *lib.* 10. *de Rep.* à Plin. *lib.* 7. *cap.* 52. ab Apulejo *in Mileti, lib.* 1. à Philostrato *de vita Apollon.* à D. Clemente *in Itinerario*, ab Egisippo *lib.* 3. *de excid. Hieros. cap.* 2. & à Plutar. *de Anima, lib.* 6. *cap.* 7. vel falsa sunt, vel illusiones: Etenim, ut cecinit Remigius *lib.* 2. *Perioca* 1.

Agitat pigram vitæ sub Imagine molem:
Organicus Dæmon; moresque imitatur agendo,
Spirans, quos olim præse natura ferebat.

28 Idcircò Bordon. *in Tribun. cap.* 16. *num.* 32. advertit, operationes, quæ fiunt à cadaveribus, seù corporibus, quibus unitur Dæmon, non esse vitales. Imò loquutio canuum, & alia hujusmodi fiunt à Magis per illusionem, vel quia ipsemet Dæmon emittit in his animalibus, ut etiam in cadaveribus humanis, sonum articulatæ vocis similitudinem habentem: Abulens. *in Exod. cap.* 7. *q.* 15. quem sequitur Torreblanca *ubi suprà, lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 20. Sicut & Asina Balaam intelligitur fuisse loquuta, Angelo bono operante: Idem à Victor. *in Relectionibus, Relect.* 12. *de Arte Magicâ, num.* 19. *vers. ad secundum*, Del Rio *Disquis. Magic. lib.* 2. *q.* 29. *pag.* 145. *col.* 1. *à litt. B.* Grilland. *de Sortileg. q.* 7. *num.* 25. & antè illos, D. Thom. *de miracul. q.* 5. Deus enim tantummodò valet veras loquutiones subjectis incapacibus infundere, prout
29 evenisse testatur Antonius Bonfinius. Ipsum audiamus: *Anno circiter tertio post cladem ad Nicopolim, Sigismundo imperante, à Turcis acceptam, cum multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa subindè vocem audierunt, Jesu Christi Salvatoris, & Mariæ Virginis nomina intonantem; loquaxquè inter cadavera caput inventum, quod ubi homines sibi adesse novit: Quid tam*, inquit, *stupidi hic statis Viri? Christianus ego sum, inexpiatus, inconfessus in hoc bello occubui: Maria Mater me æterni supplicii reum esse non patitur; hic me adhùc lingua compotem servavit, ut delicta fateri, & animum sacris Apostolicis lustrare queam: proindè Sacerdotem, qui confessionem exaudiat, & me expiatum reddat, accersite quæso.* Rogatus, *cur tantum à Virgine beneficium promeruisset, respondit, sibi peculiarem in eam fuisse in vitâ devotionem, & septena ejus festa quotannis reverentissimè celebrasse, religiosisquè jejuniis pane dumtaxat, & aquâ decorasse. Quare accersito è pago proximo Sacerdote confessionem ritè transegit, & impetratâ erratorum omnium remissione, acceptâquè novissimâ lustratione, repentè conticuit, perpetuòquè quievit.*

30 Nec solùm non potest Dæmon facere, ut vivant mortui; sed nec etiám, ut vivi moriantur, cum vita, & mors sit in manu Domini, & summâ providentiâ: Quippè Dæmon odio inexplicabili ità flagrat in quemvis nostrûm, ut inexplicabili quoquè desiderio flagret nos interficiendi, etiàm corporalirer: Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *Testor* (sunt verba Clem. Rom. *libr.* 2. *Recogn.*) *Cælum, & Terram, inquit Petrus, quod si quantum cupit inimicus desævire, permitteretur etiam à Deo, olim omnes homines deperissent.* Quo fit, ut nesciat divinare quâ horâ Deus velit, nos mor-
31 tem obire, ut suo loco patebit; Quarè vide, quàm falsa sit historia Sylvestri secundi, prout etiam talem comprobat Genebr. *in Chronolog. tom.* 2. *lib.* 4. *anno Christi* 1002. addens, eum errorem ex eo ortum habuisse, quod pauci in Occidente Philosophicæ, & Mathematicæ operam dabant, ob id, qui his studiis vacabat, ab imperito vulgo de Magiâ suspectum existimari: imò, dicam cum Bellarmino *lib.* 4. *de Romano Pontif. cap.* 13. *controvers. tom.* 1. cum Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 2. *num.* 15. cum Torreblanca *Juris spirit. lib.* 4. *cap.* 4. *sect.* 5. *numer.* 68; & cum Del Rio *lib.* 2. *disq. q.* 12. §. 9. non crediderim, Deum unquam permissurum, ut Sedes Apostolica Ma-
32 gico Sessore contaminaretur: Quin nec alios honores, & dignitates elargitur Dæmon, nisi per delusionem, exhibens urendis pro sceptro, palum; pro coronâ, rogum: Majol. *tom.* 2. *canicul. colloq.* 3. sic neminem ditat, & hoc magnâ Dei providentiâ, nam si tot milia hominum dæmoniacis superstitionibus implicantur, quorum nullum ditavit, sed omnes in maximas miserias perduxit; si eos divites faceret, quis ejus laqueos evaderet? Torreblanca *ubi supra, lib.* 4. *sect.* 9. Lessius *lib.* 2. *c.* 44. *dub.* 3. *num.* 20. & Pistacchius *de superstit. p.* 1. *cap.* 24. *num.* 31.

Nec

33 Nec extenditur potestas Dæmonis, ut animam in Inferno, vel Purgatorio existentem educat foràs, & tantò minus, si in Cælo existat. D. Thom. *in cap.*1. *q.* 117. *artic.* 4. *ad* 2. Guil. Paris. *p. ult. de Universo*, *cap.* 24. & Alphons. Mendosa *quodlibet. Scholast. quæst.* 5. Ex illis enim carceribus exire nequeunt animæ, nisi ex speciali Dei mandato; quarè non est, cur credamus (utar verbis Francisci à Victoria *loco cit. num.* 17.) hanc licentiam à Deo habere, maximè cum legamus historiam de Divite illo *Luc.* 16. qui nec ad fratres liberandos permissus est redire ad mortales; & quamvis aliquandò speciali gratiâ Deus annuit, ut exirent è Purgatorio animæ, hoc permisit ad petenda suffragia. Hinc est, quod Dæmon non potest hominem mortuum suscitare.

Repræhendit ergò Cirvelus *libr.* 3. *de superstit. cap.* 11. illos, qui paciscuntur invicem, ut is, qui prior morietur vivo appareat, eiquè suum certioret statum; Ipsa enim Sancta Lutgardis, prout habetur *in ejus vitâ*, *lib.* 2. timebat in hujusmodi apparitionibus, aliquod diabolicum figmentum adduci: Vide Pistacchium *de superstit. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 24.

34 Similiter non se extendit, ut formas, & qualitates immediatè imprimere valeat in rebus naturalibus; hæcquè est sententia communis DD. omnium 2. *dist.* 7. apud Magistr. Sent. aliàs crearet, nam ex nihilo produceret: Siquidem Dæmon nihil habet in se, quod materiâ constet: Item, si posset ex aliquo materiali formas infundere, sed immediatè, non applicando scilicet activa passivis, ei subjecta esset natura, quam Deus nec Angelis subjecit, ut benè ait idem Francisc. à Vict. *in Relectionibus*, *Relect.* 12. *de Arte Magicâ*, *num.* 35. Fatendum tamen est, quod cum Dæmon optimè cognoscat naturas, virtutes, & efficacias omnium rerum naturalium; cumque possit transmutare corpora localiter, & transferre per multa terrarum spatia, teste August. 3. *de Trinit.* consequenter eas celeriùs, & intimiùs applicare valeat, quàm homines: undè, ut ait Sanctus Thomas *de potentiâ*, *q.* 2. *d.* 3. sicut ars imitatur naturam, imò, teste Philosopho 2. *Physic.* Quædam potest facere ars, quæ non potest natura: Ita Dæmon multa facere potest, quæ sint præter solitum cursum naturæ, & præter omnem artem, & humanum ingenium: Tholos. *Syntagm. lib.* 34. *cap.* 21. *num.* 5.

35 Hac tamen non obstante virtute, quia organizatio est dispositio requisita ad animam rationalem, nec poterit Dæmon figuram hominis immmutare in figuram Brutorum, manente rationali animâ, ut S. Thomas dicit *de potentiâ*, *quæst.* 16. *art.* 9. *usquè ad secundum*, quæ sententia fulcitur tàm auctoritate Theologorum, scilicet Annan. *de natur. Dæmon. lib.* 4. Bartholom. Spinę *de Strigibus cap.* 8. Martin. del Rio *Magic. disq. lib.* 2. *cap.* 15. Bulenger. *de Magiâ*, *lib.* 2. *cap.* 29. & aliorum; quàm auctoritate Jurisperitorum, scilicet Deciani *lib.* 5. *crimin. cap.* 17. Farinaccii *de hæresi*, *q.* 181. *n.* 18. Imò hæc veritas definita est in Concilio Ancyrano *in c. Episcopi* 25. *q.* 5. (Vide quoque D. Augustinum *de Civit. Dei*, *cap.* 18.) Quarè illæ transformationes, de quibus Spondan. *in Homer. Odyss. lib.* 10. Binsfeld. *de confess. malefic. concl.* 3. Remig. *libr.* 2. *de Demonol. cap.* 5. Ananias *libr.* 4. *de nat. Dæmon. fol.* 80. & Petrus Tyrreus *lib.* 2. *de appar. spirit. à cap.* 15. *usque ad cap.* 24. vel fuerunt mera præstygia, vel fabulæ, sicut dictum est de sociis Ulyssis.

36 Conversio verò Senis in Juvenē non videtur Dæmoni impossibilis, cum hæc virtus non consistat, nisi in restauratione humidi radicalis: Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 219. nec implicat, posse Dæmonem restituere juventam, id quod operatus est Succus; eo enim potato (ut cecinit Ovid. 7. *metam.*)

- - - - Barba, Comæquè,
Canitie positâ, nigrum rapuere colorem;
Pulsa fugit Macies, abeunt palorquè, situsquè;
Addiectoquè cavæ supplentur corpora rugæ,
Membraquè luxuriant: Aeson miratur, & olim
Ante quaterdenos hanc se reminiscitur annos.

Vide, si lubet, P. Gasparem Schottum *in Thaumaturgo Physico*, *p.* 4. *libr.* 5. *Syntagm.* 3. *cap.* 1. Imò in Orbe novo quædam Insula reperitur, *Bonica* nomine, in

in quâ fons scaturiit, cujus aqua senectutem cum ju ntâ commutat, ut præter Cardanũ, narrat Jo: Langius *epist.*79 Similis virtutis *Luceyan* fontem esse, meminit in Peru PetrusCieza *p.*2.*histor. Peruan.cap.*41. Ejusdẽ virtutis reperiuntur plantæ nomine *Mirabolanos*, ut ex Marsilio Ficino, testatur Torreblanca *Juris spirit. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 20. ac multæ aliæ res naturales, ut tradunt Marsilius Ficin. *de vitâ cœlit. comparan.* Cardan.*de vitâ longâ, c.*2. *&* 3. Frãcisc. Mendoza *in viridar. Sacræ, & prophanæ erudit.lib.*4.*probl.*17. Addit Torreblanc. *ibid.n.*13. naturam non esse reputandam sævam novercã cum hominibus, ut ipsis denegasse existimemus, quod quibusdam brutis concessit. Nonne Aquilæ senectutem deponunt, & ivventam induunt? Nonne idem præstant serpentes? latè Candid. Brognol. *in Alex.p.*2. *disput.*2.*cap.*2.*sect.*3.*art.*4. §.2.

37 At cum Deus posuerit terminum, quem præterire non possumus;cumquè, quidquid dicant Auctores superiùs recensiti, nulla detur herba, seù fructus, vel arbor, qui hunc effectum gignere possit: Siquidem non ignorabat Adam virgulta, quibus ipse nomina imposuerat; si autem inter ea virgulta adfuisset aliqua herba, quę potuisset juventutem tribuere, quare ipsi Adam clausisset Deus januam Paradisi, in quo reperiebatur Arbor tantę virtutis, qui posteà periit, ipso Paradiso propter generale diluvium pereunte, juxtà P. Perer. *in Genesi*? & cum nullus ex illis,qui usque adhuc Dęmonis ope uti sunt, sibi ætatem renovaverit, consequens est, quod negemus reperiri hujusmodi potestatem in Dæmone, licet contrariũ tueantur Del Rio *disquis. Magic. lib.*2. *q.* 23. P. Gaspar Schottus, & Torreblanc. *ubi suprà*.

38 Postremò non se extendit potestas Dæmonis, quemadmodum ego existimo, ut per Magos Judici nocere possit, seù Justitiæ; Hocquè non ex eo, quia ipse careat potestate; sed ex eo, quia Deus non permittit: Quamvis enim Plin. *lib.*29. *cap.*3. narret, quod Druidæ soliti erant Magicâ quadam solertiâ ad decipiendum aptâ, ovum quoddam certis cęremoniis; certâ lunâ; solemni ritu singulis annis capere, cui magnam vim; occultos effectus; varias rerum causas tribuebant, nempè ad victorias litium, & ob id Romanum Equitem jussu Claudii Cęsaris interfectum fuisse, quod depręhensus fuit in lite, quam exercebat, ovum secum detulisse in judicio.

39 Quamvis scribat Gaguinus *in vitâ Philippi Hutrini*, Uxorem Euguerrani cujusdam Quæstoris Gallici, qui expilaverat Errarium Galliæ, cum de Mariti carcere conclusi liberationem desperaret, ad Magiam se convertisse, Pauloto quodam malefico, & Claudia muliere ad id facinus opem ferentibus; atquè cærea quædam simulacra ad Regis, & Caroli Valesiensis formam Dęmoniacâ arte confecisse, quæ languentium speciem præseferrent, ad quorum similitudinem, nisi mala sors prodita fuisset, Rex, & ipse Carolus conficiendi macie sensim erant.

40 Quamuis Leopoldo Duci Austriæ promiserit Fridericus, se ope dæmonis fratrem captum è carcere incolumem adducturum, teste Trithemio *in Chronolog.Hisaug.* Imò Apollonium Thyaneum è carcere se eripuisse, narrat Philostrat. *in ejus vitâ*.

41 Tandem, quamvis habeamus apud Greg. Turron. *lib.* 6. *hist. Franc. cap.*15. quod Mumulus Præfectus Regis Chilperici Magus, & incantator suspectus, quod occidisset Filium Regis, sæpè tortus, & distentus eam ob rem, nihil mali, ut ipse ajebat, sensit: Quarè nonnulli gestare schedulas incognitis notis, & quandoque, vt, innuit Christoph. Crusius *de Indicijs delict. par.*2.*cap.*32. *num.*32.sanguine conscriptas solent, quibus tortura substineri possit, quemadmodum notat Ambrosin. *in prax.lib.*4.*cap.*7.*num.* 4. & proindè ipsis abradendos esse pilos, dicit Binsfeldius *in tit.C.de Malef. & Mathem.* & hujusmodi schedulas auferendas, monet idem Ambrosin. *ubi suprà, conclus.*15.*in fin.* Attamen asseveranter dico, quod cum omnis potestas sit à Deo, Diabolum non posse ex se sine Dei premissione lædere Iudicem, vel Justitiam; nec ut lædat, permittere Deum: Nam ei non placet scelerum impunitas. Adde, quod ipse dæmon cupit unâ cùm hominum scelestissimorum

rum

rum morte, animas quoquè lucrari, prout ponderat Torreblanc. *jur. spirit. lib.4.cap.4.sect.3.* Idcircò, quando etiam dęmoni permissum esset servare reum, id nunquàm pręstaret.

42 Porrò in his omnibus, quæ Dęmoni impossibilia sunt, si fiant, vel non fiunt, nisi divinâ virtute, vel sunt mera præstygia. Sed in illis quoque, quæ non excedunt spheram activitatis Dæmoniacę, plerumquè non sunt vera, utpotè facta à Principe mendacii, maximè si contribuant ad vtilitatem hominum, quos ipse tanto odio prosequitur. Quãvis enim sit medicus peritissimus: attamen non ignoramus, à Magis curatos, qui videbantur assequuti fuisse sanitatem, eam minimè recuperasse, ut testatur Xiphil. ex Dio Cass. *in Adriano Cæsare*: Unde Isajas *cap.* 53. *num.* 5. de Deo loquens: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*: Vide, si vis, Barrad. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. Del Rio *lib.* 1. *Magic. disq. lib.* 1. *c.* 3. *quæst.* 4. Majol. *tom.* 2. *Canicul. colloq.* 3. & Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 4. *cap.* 4. *sect.* 8. & quò ad alias res, quę fieri poterant à Dęmone, narrat Cęlius Rodigin. Passetem quemdam inter Magicę vanitatis sectatores, primâ nocte consuevisse refertissimum repentè convium hominibus discubituris pręmonstrare; mox, ubi discubuissent evanusse omnia:

43 Infertur secundò, quamvis sagæ corporaliter transferantur de loco ad locum, & ad Conventus nocturnos cum alijs; id, quod docent Patres Orthodoxi D. Augustinus *lib.* 2. *doctr. Christ. cap.* 20. *et de Civit. Dei lib.* 2. *c.* 23. D. Gregor. *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. *& lib.* 2. *in Iob. cap.* 9. & D. Epiphan. *lib.* 1. *contrà hæreses, cap.* 30. Probant Theologi D. Thom. 2.2. *q.* 92. *&* 93. Cresperus *de odio Satan. discur.* 2. *&* 15. *lib.* 1. Bart. Spina *lib. de strigibus c.* 5. *& in Apologiâ contrà Ponzin.* Sayr. *in clavi Regiâ, lib.* 4. *cap.* 6. *à num.* 13. Martin. del Rio *disq. Mag. lib.* 2. *qu.* 16. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 44. *de Magiâ dubit.* 3. *num.* 15. Majol. *Canicul. tom.* 2. *colloq.* 3. Jo. Filesac. *de Magiâ idololatr.* §. 3. Bordon *loco superius cit. n.* 35. Del Bene *de offic. S. Inqu. dub.* 227. *sect.* 3. *num.* 16. & confirmant Jurisperiti Simanch. *de cathol. instit. tit.* 37. *à num.* 6. Damhouder. *in praxi cap.* 66. *à n.* 134. Joann. Grass. *cons. de strigib.* Berbasin. *de artibus magic. propos.* 9. Farinac. *de hæresi, q.* 181. *n.* 47. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 4. *c.* 3. His omnibus adde Peñam. *in Direct. comm.* 68. Abulensem *in c.* 4. *Math. q.* 47. & alios, quos citant Pistach. *de Superst. cap.* 24. *n.* 13. & Ant. Escobar *vol.* 4. *theol. moralis, lib.* 28. *cap.* 30. *sect.* 2. *Probl.* 115. Quia tamen sæpè sæpius tranferuntur, non corporaliter, sed per illusiones in imagine, & phantasiâ, prout etiam habetur ex *cap. Episcopi* 26. *qu.* 5. & quemadmodum testatur Del Ben. *loco cit. sect.* 3. *num.* 8. & Abulens. ob experimentum, nàm, cum muliercula, una ex illarum numero, coram eo unxisset se vnguento, statim corruit sinè sensu; ità ut titione pedem illius combusserit Abulensis, nec excitata est: sed post spatium temporis, cum ad se rediisset, narrabat mirabilia; Infertur (inquam) earum attestationem, quod aliæ fuissent in his ludis, seù conuentibus, non esse attendendam, nec inquirendam: Farinac. *de hæres. quæst.* 185. *n.* 153. *vers. quamvis, & qu.* 37. *num.* 6. Fermosin. *ad cap. Eccles. S. Mariæ,* 10. *de Constit. qu.* 59. *nu.* 15. Gastald. *de potest. Angel. to.* 2. *dist.* 4. *q.* 1. *art.* 7. *num.* 21.

SUBSECTIO III.

De eorumdem Magorum modo in operando.

SUMMARIUM.

1 *Attendendus est modus operandi Magorum ad dignoscendum, an divinâ, vel potius Dæmoniacâ vi operentur.*
2 *Dæmon tribus modis operatur, scilicet per actionem mediatã, per actionem immediatam; & per delusionem.*
Hi modi explicantur ibi.
3 *Dæmon simplices decipit Sanctitatis specie.*
4 *Dæmonis impudentia in abusu Sacramentorũ, etiam Sacratissimæ Eucharistiæ.*
5 *De gestatione Eucharistiæ per Devotionem.*
6 *Abusus Sacrificii Missæ ad Magiam, est sortilegium hæreticale contra Farinac. & alios.*

7 *In-*

7 *Incantans hostiam non consecratam est de hæresi suspectus.*
8 *Dæmon cur non abutatur in incantationibus Pænitentiæ, & extremæ unctionis sacramento?*
9 *Dæmon quomodo abutatur Sacramento Ordinis in Neocromanticis?*
10 *Dæmon cum Magis abutitur Sacramento Matrimonii, agendo Incubum, & succubum.*
Ubi an Dæmon incubus possit generare?
11 *Dæmonis calliditas in Magiæ exercitio, & regula ad ipsam detegendam.*

1 Modus in primis spectandus est, quo Magi operantur, ut an è Cœlo, vel potiùs á Dæmone sit virtus, appareat: Ex ijs, quæ suprà stabilivimus,
2 liquet, Dæmonem tribus modis operari, scilicet per actionem mediatam, mouendo localiter; per actionem immediatam, applicando activa passivis; & per delusionem, mutando, vel obiectum, vel aerem medium, vel ipsum organum. Primo modo Dæmon non solùm se ipsum, sed etiam quæcumquè corpora summâ velocitate transfert de vno loco ad alium: Torreblanca *Juris spirit. lib.* 4. *cap.* 2. *sect.* 1. Secundo modo plurima, quæ nec natura fecisset, patrantur ad ipso Dæmone: D. August. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 7. *& de natura Dæmon. cap.* 3. D. Thom. *par.* 1. *qu.* 114. *art.* 4. Binsfeld. *in confess. malef. concl.* 4. *par.* 2. Torreblanc. *juris spirit. loco cit. sect.* 2. Tertio modo sæpènumerò operatur Dęmon, sivè quia ipse pergestit homines deludere, & est pater mendacii: Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 61. *num.* 1275. *& alibi*; sivè quia nec motus localis, nec supradicta applicatio
3 juvare possint: Nec hìc sistitur Dęmonis calliditas, nam cum ipse propter superbiam sibi divina arrogare præsumat, simplices decipit sanctitatis specie, ut benè advertit, inter alios, Lessius apud Hurtad. *ubi suprà*, *Resol.* 43 *n.* 535. Idcircò ferè omnia Divina Sacramenta adhibent Magi: In initio enim professionis sectæ diabolicæ iterùm se baptizant in nomine Beelzebub: Grilland. *lib.* 2. *de Sortil. qu.* 3. *&* 6. *&* 10. *n.* 3. & Torreblanc. *juris spirit. lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 21. quemadmodum & confirmantur, quod patebit ex infrà dicendis.

4 Ulteriùs progreditur Dęmonis impudentia, usquè scilicèt ad Sanctissimam Eucharistiam: Audi Peñam. 2. *p. director. qu.* 43. ex articulis Parisien. *Quod verba sancta, & Orationes quædam devotæ, & jejunia, & balneationes, & continentia Corporalis in pueris, & aliis, & Missarum celebratio, & alia opera de genere bonorum, quæ fiunt prò exercendo hujmodi artes, excusent eos à malo, & non potius accusent. Error: Nam per talia Sacræ res, imò ipse Deus in Eucharistiâ Dæmonibus tentatur immolari, & hæc procurat Dæmon, vel quia vult in hoc honorari similis Altissimo; vel ad fraudes suas occultandas; vel vt simplices faciliùs, & damnabiliùs perdat.* Quo fit, ut incantationes sæpè fiant cum abusu hujus Sacramenti incruenti, scilicèt per hostiam consecratam, ipsam gestando adversùs ictus ar-
5 morum, vel pestem: Quamvis enim, si quis simplicitate ductus, eam gestaret per devotionem, non esset suspectus de hęresi (licet illum reputaret excomunicatum Pistachius *de superst. par.* 1. *cap.* 28. *num.* 5.) & ideò tantò magis potuisset Maria Scotorum Regina, Sacram Eucharistiam penès se retinere, dum erat in carceribus, ut si ad Martyrium raperetur, vt factum fuit, posset se illâ præmunire, attentâ dispensatione Sedis Apostolicę: Vasquez in. 3. *disp.* 119. *cap.* 1. *num.* 18. Card. de Lug. *de Sacram. disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 25. & Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 63. §. 2. *n.* 1488. (Vide tamen P. Avversam *de Sacram. qu.* 10. *sect.* 3. *in fin. vers. non enim*) Imò priscis Ecclesiæ temporibus Christi-fideles Eucharistiam ad Collum appensam gestare consueverant, ut testatur Cardinal. Baron. *anno* 57. *num.* 171 & idem Hurtad. *ubi suprà*, *à num.* 1493. Attamen in incantationibus ipsam gestare, inducit maximam hæresis suspicionem: Imò non tollitur hujusmodi suspicio, quoties incantationes fiant per hostiam non consecratam, eò quia super illâ celebrata fuit Missa à Sacerdote ignorante, illam hostiam tunc adesse: Ordinatur namquè Sacrificium Missæ ad Sortilegium, licèt mediatè, quàpropter, quod Deo offertur, Dæmon sibi usurpat; & incantator credit idem Sacrificium habere vim ad Magicum opus

operandum: Scaccia *de Judic.lib.1.c.12. num.34.* Gastald. *de potest. Angel. tom.2. disp.6.qu.6.artic.1.* Franciscus de Magistris *in Sylva Ecclesiasticâ, tom.2. lib.2. cap.5.num.74.* Sousa *in aphorism.Inquisit. lib.1.cap.56. n.11.* Moura *de Incant.sect. 3.cap.5.num.29.* Bordon. *in Tribun. cap. 18.num.30.* Carena *par. 2. de Sortil. tit. 12. §.5. num.37. & §.8. num.53. & 54.* quos sequitur Pistachius *de Superstit. part.1.cap. 22. num. 23.*

6 Quarè sugillandi sunt Oldrad. *cons.* 110. Locat. *in Judic.verb.Sacerdos,* Farinac. *quæst.*20. Torreblanc. *juris spiritualis, lib.*13 *cap. 6. n.5.* post Griland. *de Sortileg. q. 10. num.*13. asserentes, hujusmodi non esse sortilegium hæreticale, licèt Farinacc. *q.*181. §.1. *n.*21. videatur se corrigere, approbando opinionem Martini Del Rio *disq.lib.3.sect.13. vers. dico quinto,* quam refert laudatus Pistachius *loco cit.n.22.*

7 Si verò fiat incantatio super hostiâ non consecratâ, ex eo quod missa non fuerit super eâ celebrata, notis, & characteribus incognitis inscriptâ, esset adhùc suspectus, & adhùc oriretur suspicio, quod sortilegium esset qualificatum: Nam solent quandoquè Incantatores abuti Imagine Crucifixi in eâ sculptâ: Carena *par.2. tit. 10. §.4. num.*28. & Dæmoni eam hostiam immolari, quæ Deo in Eucharistiâ erat sacrificanda, de quâ re idem Pistach. *loco cit.n.*24. ubi refert etiam opinionem Bordoni.

8 Quò verò ad pęnitentiam, & extremam Unctionem, has non introduxit Dęmon, ne peccati detestationi, ad quam utrumque Sacramentum ordinatur, modo aliquo ansam præberet: Moura *de Incant.sect. 2. cap.6.num.28.*

9 Respectu Ordinis Sacri, dici potest, quod æmulari Deum velit Dæmon, cum jubeat Neocromanticos castitatem pro ejus reverentiâ, & monito observare: Eymer 2. *par. direct. qu.43.n.2.* quosquè stygmatizat: Vndè Medina, *ad cap.2. qu.22. artic.3.concl.3.* ait: *Diabolus habet suos Apostolos; suos Prophetas; suos Euangelistas, & Doctores; Martyres, & Virgines ad confirmationem Corporis reprobi.*

10 Modò restat Matrimonium, quod Dæmon aliquando incubus, aliquando, licet rariùs, succubus cum suis confæderatis init, vt patet ex constitut. Innocent.VIII. ad Inquisit. Germaniæ, editâ *anno* 1484. & prout docent Abulens. *in Genes. cap. 6.* Moura *loco cit.* latissimè Torreblanca *Juris spirit. lib.5. cap.1.* Simanch. *de cathol.instit.tit.37.n.5.* Pistach. *de superst.par.1. cap.24. num.16.* Candidus Brognolus *in Alexicon.disp.3. par.1.c.2.sect.2. Art.2.* Quicquid dicant Georgius apud Sixtū Senens. *Bibliothec. lib.5.annot.* 51. Cardanus, Ponzinibius, & Porta, quos citat, & reprobat Del Rio *disq.magic.lib.2. qu.15.* Eugubinus, Uldericus Molitor, Peramato, & Franciscus Valleriola, quos confutat Torreblanc. *dict. lib.5.cap.1.num.2.* Imò addit Del Rio, ex tali matrimonio prolem posse nasci; id quod etiam astruunt D. Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 5.* D.Thomas *par.1.qu.51.art.3. & qu. 63. art.4. & qu.115. art.5. & sent. 2. dist.8. & quodlibet 7. qu. 10.* Cajet. 2.2. *qu.95. art. 3.* Annan. *de natura Dæmon. lib.4.* Grilland. *de Sortileg. lib.2. q. 7. à n.12.* Nider. *in formicar. lib. 5. cap. 9. & 10.* Malder. *de virtut.Theolog.tract. 10.cap. 8. dub.10.* Bulenger. *de Magia, lib. 1. cap. 25.* & alij: Contrarium tamen sentiunt ipsemet S.Augustin. *lib. 15. de Civit.Dei, cap.23.* Remig. *lib.1.dæmonol.c.6.* Ambros.Paræus *lib.34.de monstr.cap.16.* Alphons. à Carranza *de partu, cap. 20. qu.1. num. 98.* Comprovincialis meus Mercurialis *de morbo mulier.lib.1.cap.2.* Joann.Schenkius *observat.medic. tom.2.* Philipp.Boisar. *de Mag.incub.cap.7.* Solorzan. *de jure Indiar. lib.1.cap. 9. n.42.* Torreblanc. *juris spirit.lib.5.cap.2.n.34.* Philosophia. de Grand. *par.3.de Ang.& Dæmon.n.7.* & Sixtus Senens. *Bibl. lib.5. annot.51.* sequens communem Theologorum sententiam: Mihi tamen videtur, non posse Dęmonem incubum proprio semine generare, sed utiquè alieno, quod tantâ celeritate propter ejus activitatem deferre potest, itâ ut quid naturalis caliditatis minimè perdat: De re hac latè apud D.Bonavent. *sent. 2. dist. 8.art.3.qu.1.* Spinam *de Strigib. cap. 6.* Guil.Parisiens. *de universo, part.fin.cap. 23.* Sylvester *de strigimag. lib.2. cap.3.* & Stephanum Bubalum *in D.Thom. par.1. qu.51.art.3. q. 1. differ. 3. §. 1.& seqq.*

Non obstat ea ratio, quam laudatus

tus Torreblanca *ubi suprà* ex Ambrosio Pareo desumpsit, scilicet per hujusmodi seminis translationem, spiritus prolificos, & calorem evaporari; Imò solam virilis membri longitudinem præcipuam inter sterilitatis causas reputari, cò quod per illam viæ longitudinem refrigeretur semen: non obstat (inquam) nam in instanti agit Dæmon; præterquamquod ipse transferre potest semen adeò spiritale, adeòque calidum, ut per hujusmodi translationem fiat aptius ad generationem: Vide etiam Pistach. *de superest. p.* 1. *cap.* 24. *num.* 16. & antè eum Bellarm. *de Romano Pontifice, lib.* 3. *cap.* 12. *col.* 1. *litt. D.* ubi circà hujusmodi potestatem generandi in Dæmone ait ex D. August. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. id tantâ experientiâ comprobatum esse, ut adhùc velle negare, impudentia videatur.

Hac igitur superbiâ quærit ille coli, & ob id gaudet quoque verbis Sacris, ipsisquè obtemperat, de quibus infrà: Et
11 ex eo magis elucescit Dæmonis calliditas, quod non solùm per usum Sacramentorum, & rerum, verborumquè ad Dei Cultum spectantium illudit simplicitati hominum; verùm etiam occultat suas impias artes, sivè exigendo in incantationibus res naturales, quasi earum virtuti tribui debeant effectus mirabiles; sivè imperando Magis, ut ignotis Characteribus ensalmos perficiant.

Ut autem hac in re generalem regulam exhibeamus, dicendum est, modum, ex quo arguatur Diabolica virtus, esse, quoties videmus Magos Sacramentis abuti in incantationibus, uel verbis ignotis, aut etiam certis Characteribus; aut aljis verbis non spectantibus ad effectum, qui speratur, aut quæritur ex tali operatione; veluti signo Crucis, & solis verbis Sacris, & Religiosis: Sed cum ritu, & observantiâ peculiari, ut certis horis; ad certum situm stellarum; sub certo numero Crucium, Candelarum, quæ non pertinent ad efficaciam operis; vel tandem uti actibus, & effectibus indifferentibus, putâ ad expulsionem Dęmonum radere pilos, aut Capillos: D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 12. §. 12. Francisc. à Victoria *in Relectionibus, Relect.* 12. *de Arte Magicâ, n.* 16. *vers. & primum* Navarr. *in Manual. cap.* 11. *n.* 35. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *qu.* 13. *punct.* 2. Martin. *del Rio lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 2. Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. Campanil. *divers. jur. rub.* 11. *cap.* 26. *num.* 99. Martin de Arles *de superst. à num.* 8. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 9. *cap.* 5. *nam.* 1. Joannes Busseus *in Panario, verbo superstitio*. Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. & Del Bene *de offic. S. Inqu. par.* 2. *dub.* 228. *sect.* 8. Ratio à priori regulæ assignatæ videtur esse, quoniam cum hæc omnia nullam vim naturalem in se habeant, nec à Deo; Nam Sancti non utebantur talibus ritibus, & observationibus; effectus proindè, qui sequitur, tribuendus sit pacto inito, & firmato cum Dęmone: D. Thom. 2. 2. *qu.* 93. *art.* 1. *&* *qu.* 95. *art.* 2. *ac alibi*, Toledo *in summ. lib.* 4. *cap.* 6. Sylvester *de Strigimag. lib.* 2. *cap.* 1. *& seqq.* Sanch. *tom.* 1. *decalog. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 11. Bonaccin. *in præcept. decalog. disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 4. *à n.* 1. Spina *de Strigibus, cap.* 18. Mour. *d. sect.* 2. *cap.* 14. *nu.* 12. Hurtad. *loco cit. nu.* 518. Id, quod expertus est Cardinalis Cajetatus: Nam hic videns, nonnullos filo suspendere super vase annulum, qui illius latera determinatis ictibus pulsaret, prout contingebat, prolatis nonnullis verbis Psalmistæ, experiri voluit, an hoc fieret virtute Diabolicâ: *Accepto namque filo* (sunt ejus verba *in sum. verb. incantatio*,) *& annulo, protestatus sum, quod versum illum sacrum Deo vero, cui à psalmistâ dirigitur, dicebam, & non tanquam institutum ad movendum annulum, & sic dixi versiculum illud, & annulus non est motus: ut hinc cognoscant omnes, quod tunc Diabolus movet annulum, quando versus ille dicitur ei, vt ipse instituit:* Hactenus Cajetanus, quem laudat Moura *de Incant. sect.* 1. *cap.* 5. sed quod magis ordini simul, ac claritati consulatur, agendum est priùs de pacto cum Dæmone, & posteà de verbis, seù characteribus, quibus Magi operantur.

§. I.

De Pacto cum Dæmone.

SUMMARIUM.

1 *Pactum cum Dæmone semper reperitur in Magiâ.*

2 *Pactum cum Dæmone duplex, expressum scilicet, & tacitum: utrumquè definitur, & num.3.*

4 *Per quodcumque pactum cum Dæmone incurritur hæresis suspicio.*

5 *An qualibet Dæmonis invocatio inducat vehementem hæresis suspicionem?*

6 *Pactum expressum cum Dæmone inducit vehementem hæresis suspicionem; tacitum verò levem.*

7 *An invocantes Dæmonem ad tentandam mulieris pudicitiam, sint de hæresi suspecti?*

8 *An si Dæmon faciat aliquid alicui, nullo prævio pacto, is sit de hæresi suspectus?*

9 *Præsumitur hæresis, vel idololatria in personis trahentibus originem ab infidelibus.*

10 *Magi vltra pactum cum Dæmone solent per chirographum animam dare Diabulo.*

11 *Sepè fœminæ stultæ bonâ fide utuntur vanis verbis, & ritibus.*

12 *An liceant superstitiones, præviâ protestatione de non consentiendo in pacto cum Dæmone?*

13 *Quando dubitatur de rerum vanitate, priusquàm aggrediantur, adhibendæ sunt diligentiæ ad dubiū removendū.*

1 PACTUM cum Dęmone, quod semper reperiri in Magiâ, testantur D. Augustin. *lib.2. de Doctr. Chr. c.* 20. D. Thom. 2. 2. *qu.*95. & 96. Sperenger. *in Mall. part.*2. *cap.*2. Picus Mirandulanus *lib.*7. *prænot. cap.*4. Grilland. *de Sortileg. qu.*3. *n.*2. Farinac. *tom.*1. *crimin. qu.*20. *à n.*77. Martin. del Rio *Magic. disq. lib.* 2. *qu.*4. Raphael de la Torre *tom.* 2 *de vitiis opposit. Relig. qu.* 96. Malder. *de virtute Theologic. tract.* 10. *cap.* 8. Sayr. *in clavi Regiâ, lib.* 4. *capit.* 6. Reginald. *in praxi fori pœnit. lib.* 17. *cap.* 15. *à numer.* 153. Moura *de incant. sect.* 3. *capit.* 5. *numer.* 18. & alii, quidquid dicat Vuierus *de Lamiis, cap.* 7. 8. & 23. & *de præstyg. Dæmon. lib.* 6. *cap.* 27.

2 Dupliciter fieri potest: Expressè, vel tacitè: Epressè, quandò ab ipso Dæmone visibiliter apparente, aut aliquo alio Mago vices Dæmonis supplente auxilium petatur; seù quandò Dæmones expressè invocentur ad aliquē effectum; seù quandò quis operetur sciens Dæmonem se immiscere: Simanch. *de Catholic. Instit. tit.* 63. *rubr. de superstitionibus, num.*12. Sperenger. *ubi suprà qu.* 1. Martin. del Rio *loco cit.* Malder. *d. cap.*8. *dub.* 1. Reginald. *eodem cap.*15. *ibid.* Suarez *de Relig. lib.*2. *cap* 8. Torreblanc. *juris spirit. lib.*11. *cap.* 13. *à num.* 2. Hurtad. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.*10. Candidus Brognol. *disp.* 3. *par.* 2. *cap.* 1. *sect.* 1. *art.* 1. Moura *ibid.* & *num.* 19. Sesse *dec.* 456. *vol.* 4.

3 Tacitè, quandò fiunt opera vana, & digna, quibus Dæmon se ingerat: Grilland. *de sortileg. q.* 10. Alphons. de Castro *de justâ hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 14. Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 8. & præter alios, Torreblanc. *ubi suprà, cap.* 14. *n.* 1. & Candidus Brognol. *dicta sect.* 1. *art.*2. seù quandò fit opus, cui Dæmon se ingerit, præter intentionem hominis operantis, directam scilicet, non indirectam: Simanch. *ibid.* ubi tamen *sub num.*33. malè dicit, tacitum pactum inducere vehementem hærerésis suspicionem; & Moura *loco cit. num.* 1. seù quando (ut rectè monent idem Simanch. *loco cit.* Del Rio *lib.*6. *disquis. Magic.* & Moura *ubi supra, num.* 20.) homo intentat aliquid facere per ea, quæ neque ex se, nec virtute aliquâ supernaturali divinitùs inditâ talem effectum producere possunt: Adverte tamen cum Hurtad. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 14. *num.*106. & cum aliis auctoribus citatis ab eodē Hurtad. requiri ad constituendum pactum tacitum, quod quis non ex joco, levitate, aut ignorantiâ vanis rebus utatur: sed seriò, & ex animo dandi fidem illis signis.

4 Ex quibus primò infertur, per quodcunque pactum hæresis suspicionem incurri, cum incidatur in Idololatriæ crimen: & quia Dæmon invocatur, ab eoquè petuntur, tamquàm divinitatis Æmulatore, effectus mirabiles, ei proindè tribuitur honor soli Deo debitus: Layman *de vitiis oppositis virtuti Relig. cap.*3. *de divinat. num.* 4. Moura *de incant. sect.*3. *cap.*5. *num.* 21. ex auctorit. Simanch. & *num.*22.

5 Quamvis enim quælibet Dæmonis invocatio vehementem non inducat hæresis suspicionem, dummodò non sit ad ea, quæ sphæram potestatis ipsius Dæ-

Dæmonis excedunt, ac nullus cultus Dæmoni tribuatur, nec interveniat aliquod factum hæreticale, vel aliquis abusus Sacramentorum, seù rerum, quas Theologi appellant Sacramentales, de quibus tractant Torreblanca *juris spirit. lib. 2. cap. 16.* & Pistachius *de superst. p. 1. cap. 28.* præcipuè *sub nu.* 3. & dummodò non adhibeantur orationes, aut verba Scripturæ Sacræ, præsertim ad consequendum, quod de se sit peccatum mortale: Peña *ad direct. par.* 2. *com.* 67. cum aliis penès Carenam *tit.* 12. §. 4. *num.* 23: Sicut etiam, dummodò non adsit vestium sacrarum abusus: Martin. del Rio *disquis. Magic. lib.* 5. *sect.* 16. *vers. Sacerdos*. Transmiera *de denunciat. cap.* 7. *per tot.* & Farinac. *de hæresi, q.* 181. §. 1. *per tot.*

6 Siquidem hæc in quâlibet superstitione, etiam absque expressâ invocatione, inducunt hujusmodi suspicionem, imò sortilegium efficiunt hæreticale, ac qualificatum. Bordon. *in Tribun. cap.* 18. *num.* 25. Semper tamen, quoties adest pactum cum Dæmone, insurgit suspicio, prout declaratur *in Extravag. contrà Magos*, Joannis XXII. quam registrat Eymer. *in suo direct. Inquisit. par.* 2. *qu.* 43. Bordon. *in Tribun. cap.* 17. *num.* 33. Neque est differentia inter invocationem tacitam, & invocationem expressam; hoc est, inter pactum tacitum, & pactum expressum; utrumque tamen suspicionem inducit: Illud scilicet, levem; hoc, vehementem: Illudquè non sapit manifestam hæresim; hoc autem utiquè: Bordon. *loc. cit. cap.* 18. *à num.* 25.

7 Non desunt tamen, qui putant, quod invocantes Dæmones ad tentandam Mulieris pudicitiam, hæresis notâ non sint redarguendi, prout sunt Clar. *Sententiar. lib.* 5. §. *hæresis, num.* 24. *&* 25. Grilland. *de sortileg. qu.* 10. *numer.* 10. Sesse *decis. Aragon.* 68. *num.* 17. *& seqq. lib.* 4. & alii, distinguentes inter invocationem per modum Imperii, & suffragii; & illam, quæ fit per viam adorationis, & cultus: Primo enim modo, ad quem pertinet invocatio ad tentandam Mulieris pudicitiam, cum in hoc Dæmoni nullus cultus exhibeatur, licet ex se malum sit, tamen hæresim non sapere existimant: Verum licet hæresim manifestam hujusmodi invocatio non sapiat, tamen continet in se quamdam Societatem cum Dæmone, quia petens aliquid ab Inimico, illi necessariò amicus fit, & ei obsequium reverentiæ, & quodammodò honoris præstat, undè talis invocatio deprecativa sub nomine Imperii semper tacitè in se includit cultum, & reverentiam; idcircò ab hæresis suspicione salvari non potest Bordon. *de Tribunal. Inquisit. cap.* 17. *n.* 16. Ponz. *de Lamjis, num.* 83. qui tamen dicit ob Muliebrem simplicitatem rigori esse detrahendum, & sequuntur Homobon. *de exam. Ecclesiast. tract.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 16. *vers. Si verò Amantes*, Simanch. *de Catholic. Instit. tit.* 21. *n.* 13. *& tit.* 30. *num.* 13. Pistach. *de superstit. cap.* 10. *num.* 18. *part.* 1. Mar. Italia *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *n.* 38. Moura *de Incantat. sect.* 3. *cap.* 5. *n.* 9. *& seqq.* Torreblanc. *jur. spiritual. lib.* 8. *cap.* 29. *num.* 15.

8 Cum igitur quodlibet pactum ingerat suspicionem hæresis, eò quià Dæmonis adoratio, seù honor nunquam segregatur ab invocatione Dæmonis, sivè tacitâ, sivè expressâ, quid erit dicendum quandò Dæmon ante omne aliud pactum aliquid faciat, putâ si primâ vice apparens, in gratiam fæminæ illicò cum eâ consentiente incubus fiat, nihil interim ab ea exigendo? Respondetur, quod fæmina conscia à Dæmone nil gratìs conferri, si ipsi ultrò adhęreat, dicitur apostatasse vi pacti: Moura *ibidem, nu.* 23. Nam quamvis non constet de ullo pacto, & adoratione, præsumitur tamen hujusmodi Idololatria: Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 12.

9 Eò magis, si simus in personis trahentibus originem ab infectâ, vel suspectâ radice Infidelium, sivè Gentilium, qui proni sunt ad superstitiones, fœderaquè cum Dęmonibus ineunda, ac ipsorum adorationem, intuitu commodi temporalis: Sed satis *in prælim.* egimus de hac causâ suspicionem inducente. Id etiam ampliat Moura *de Incant. sect.* 3. *cap.* 5. *n.* 23. quò ad Catholicos, qui veniunt à Judaismo: Siquidem hi ob finem temporalem facilè apostatabant à Deo sibi noto, ut patet ex sacrâ Scripturâ; Imò hodiè putant, licitam esse Magiam, quâ nil frequentius apud ipsummet Judaismum.

Quan-

10 Quandoquè etiam cum tali pacto solent Magi per chirografum speciale animam Dęmoni dare, quod dupliciter fit, vel retinendo illud penès se; vel ipsum Dęmoni tradendo. Undè ait Sanchez *ad præcept. tom.1. lib.2. cap* 40. *num.*52. primo casu, esse idem chirografum lacerandum, & comburendum per ipsummet sortilegum; & secundo casu, asserit Lupus *in edict. S. Officii, par.3. lib.20. art.3. differ.2.* non esse à Dęmone repetendum;(Vide etiam Suarez *tom.* 1. *de Relig. libr.* 2. *de superstit. cap.*17. *num.*3. Del Bene *de offic. S. Inqu. par.*2. *dub.*228. *sect.*22. *num.*1. & Pistachium *de superstit. par.*1. *cap.*24. *n.*9.)

11 Infertur secundò, quod quamvis, ut inquit D. August. *lib.* 2. *super Genesim*, sępè homines, & maximè fęminę stultę bonâ fide utantur vanis ritibus, & verbis ad remedia infirmitatum, Dęmones tamen assistunt operationibus illorum, ut decipiant, & persuadeant confidere in rebus vanis, & hoc est fœdus tacitum cum Dęmonibus: Candid. Brognol. *d. sect.* 1. *art.* 2. §. 2. Nam ex eo quod quis utitur medio ex se vim non habente producendi effectum, propter quem illud medium adhibetur, tacitè paciscitur cum Dęmone, ejus auxilium, licèt non expressè, invocando: Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 14. *num.*111. Bordon. *in Tribunal. cap.* 18. *num.*23. Quarè etiam notandum est, quod licet non possit sciri, nisi ipsis docentibus, quibus signis, aut rebus Dęmones alliciantur; nihilominùs revera Dęmones miscent se, & adveniunt quibuscumquè superstitionibus, statim ac intelligunt, homines confidere, & maximè, si ex intentione vellent invocare Dęmonem Franc. à Victor. *in Relect. Relect.*12. *de Arte magicâ, num.*28. *in fin.* Si verò absit intentio auxilium implorandi à Dęmone, & adhibeatur medium inane cum ignorantiâ probabili, nullum peccatum incurritur: Bordon. *loco cit. num.* 24. Dixi, *cum ignorantiâ probabili*, alioquin militarent ea, quę docet Torreblanca *Iuris spirit. lib.* 11. *cap.* 14. ex D. Thom. 2. 2. *q.*95. *art.*2. ex Sanchez *lib.*2. *decal. c.*40. *num.*3. ex Suarez *de Relig. libr.* 2. *c.* 16. *num.*26. ex Alphons. de Castro *de justâ hæret. punit. lib.* 1. *cap.*14. ex Moura *de incant. sect.*2. *cap.*18. *num.* 20. ex Lessio *de just. cap.*44. *dub.*4. *num.*26. ex Medina *in D. Thomam* 2.2. *q.*74. *art.*5. *disp.*1. *& quæst.*76. *art.*2. & ex aliis.

12 His stantibus, quærunt Doctores, an superstitiones liceant, si cum protestatione de non consentiendo pacto, adhibeantur, & negativè tenet Moura *de incant. sect.*2. *cap.* 18. *à num.* 19. cui opinioni libenter adstipularer, quoties intelligeretur, quando clarè constaret de vanitate earum: Sanchez *de impedim. matrim. libr.* 7. *disp.* 95. *numer.* 4. Secùs quando dubitaretur, an essent superstitiones, quicquid dicant Mora, *loco cit. num.* 9. & Bordon. *dicto c.* 4. *numer.* 23. Ratio est, quia si sunt claræ superstitiones, protestatio est contrà factum; nam confidere rebus vanis est fœdus tacitum inire cum Dęmone, prout suprà diximus: Quippè ipsæ res non habent in se efficaciam ullam, nec á Deo hæc virtus petitur, quoniam non movetur rebus vanis, ac consequenter tacitè invocatur Dæmon: At si sumus in dubio, an sint superstitiones, tunc virtutem experimur in ipsis, quatenus talem habeant; adeò ut si eam non contineant, non est nobis intentio, ut contingat id, quod tantummodò cupimus, si ex se, & sine Dæmonis auxilio exhibere possint: Baldell. *de superstit. & irregular. lib.* 4. *disput.*3. *num.*5.

13 Nec obstat, quod dicit Moura *ibidem*, scilicet priùs faciendam esse exactam diligentiam ad removendum dubium; nequè dici eam factam, quoties non sit habitus recursus ad authoritatem publicam; & casu, quo sit habitus recursus, si tamen Ecclesia noluerit declarare, contendit non esse licitas cũ hujusmodi protestatione superstitiones, de quibus dubitatur, an sint tales, stantibus pręceptis Divino, Apostolico, & Naturali; Non obstat, inquam, quia in dubio an effectus sit à causâ naturali, an verò ipsius causę naturalis excedat vires, censendum est, illum potiùs à causâ naturali procedere: Siquidem innumeræ naturalium causarum vires nos latent; & dubia in meliorem partem interpretanda sunt, ut benè advertit Pistach. *de superst.*

superst. cap. 21. *num.* 3. & antè eum D. Thoma 2. 2. *q.* 60. *art.*4. Adde, quod tota vis, virtus, & efficacia in superstitionibus consistit in condicto, & pacto, ut dictum fuit suprà, & stabilitur à Francisc. à Victor. *loco cit. n.* 28. Hoc pactum autem intrat tacitè, quoties confidimus rebus clarè vanis; non verò dubiis, quæ licet in se possint esse vanæ, nihilominùs ab ipsis, uti talibus, non expectatur effectus: Quarè cum expressâ protestatione concurrit etiam expressa voluntas (ex eo quod sunt dubiæ) rebus vanis fidem non adhibendi, & sub hoc sensu dubio Cajetanus fecit illud experimentum, de quo suprà, nec Dæmon se immiscuit.

§. II.

De Verbis, seù Characteribus, quibus utuntur Magi.

SUMMARIUM.

1 *Verba, quibus Magi utuntur vel sunt imprecativa, vel constitutiva.*

2 *Sæpè verbis conjunguntur ritus: Illaque possunt esse sacra.*

3 *Verba ex eo quod sint sacra, non purgatur hæresis suspicio, sivè pacti cum Dæmone.*

4 *Dæmon vult sua habere Sacramenta.*

5 *Magi utuntur verbis sacris, quia credunt Dæmones Divinorum Nominum virtute à se posse cogi.*

6 *Dæmones verba sacra exigunt in incantationibus, ut illis injuriam irrogent.*

7 *Suspicio pacti cum Dæmone in verbis sacris requirit perversionem eorumdem vel ratione sanctitatis in eis contentæ connotativè, vel objectivè, vel effectivè: declaratur* sub n. 7. 8. 9. & 10.

11 *Verba sacra pervertuntur, quoties pro usu Ensalmi nullus habetur Ministrorum delectus.*

1 VERBA, quæ à Magis, vel ore proferuntur, vel calamo exarantur in prodigiis exibendis, considerari possunt, ut imprecativa, & ut constitutiva: Imprecativa sunt, quæ fiunt per modum deprecationis, & impetrationis, sivè à Deo speretur impetratio, sivè à Dæmone, ac tota virtus ponitur ex parte operis operantis: Moura, *de Incant. num.* 3. *in proem. antè sect.* 1.

Constitutiva, sunt quorum efficacia constituitur in ipsis, ac ex parte operis operati attenditur omnis effectus: Moura *ibidem*.

2 Sępè sæpiùs cum his verbis, sivè sint imprecativa, sivè sint constitutiva, coniunguntur ritus, ac cęremoniæ. Hoc etiam commune est utrisquè, quod effectum producere possunt, tàm virtute Divinâ, quàm Diabolicâ, ita ut quod omni possint carere superstitione, & esse è contrà superstitiosa.

3 Ut autèm breviùs, quantum fieri potest, de ipsis tractemus, præmittendum est, quod cum possint esse sacra, & non sacra: Bordon. *in Tribunal. S. Inqu. cap.*18. *num.*15. non ex eo, quia in incantationibus sacra adhibeantur, purgari suspicionem pacti Dæmonis, prout suprà innuimus. Quin habemus infallibilem definitionem Sanctæ Synodi Trid. *Sess.*4. ubi: *Temeritatem illam reprimere volens, quâ ad Prophana quæquè convertuntur, & retorquentur verba, & Sententiæ Sacræ Scripturæ ad Scurilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & Diabolicas Incantationes, &c.* Ratio quoquè non deest: Cum enim Dæmon ut ait Majol. *tom.*2. *Dier. Canic. colloq.* 3. *Sagæ*, §. *Amuleta*, *p.*428. ex authoritate Augustini, non possit nocere dando venenum clarè, scilicet incantationis, addit mellis aliquantum, nempè nomen sacrum, quemadmodum etiam superiùs dictum est. (Vide Torreblancam *Iuris spirit. lib.*11. *cap.*15. *num.*1.) Potest etiàm dici cum eodem Majol. *ibidem* §. *si virtus*, quod Dæmon verbis Sacris, sicut & thurificatione incensi, vel Thymiamatis ad Dei similitudinem coli procurat.

4 Imò tanta est superbia Dæmonis, quâ nititur esse Altissimo similis, ut sua velit habere Sacramenta, sicut suprà demostravimus, ac ea curat, ut verbis perficiantur sacris, vel ipsismet rebus Sacramentalibus.

5 Inducuntur etiam Magi, ut verbis sacris utantur, quoniam arbitrantur, Dæmo-

Dæmones Divinorum Nominum virtute adjuratos se advocare, & cogere posse, ex vi nempè, & potentiâ ipsorum nominum: Nam omnis creatura timet, & reveretur Creatoris nomen: Medin. *de rectâ in Deum fide*, *cap.*7.§.*Hi verò*.

6 Tandem addi potest, quod Dæmones exigant Verborum sacrorum usum in Incantationibus, ut illis injuria irrogetur: Suarez *tom.*1. *de Relig. cap.*1. *nu.* 18.*fol.*614. Hinc sæpè ea verba applicant ad morbos in turpibus corporis partibus consistentes, æquivocè, ac per contemptum, quemadmodum observat Moura *ubi suprà*, *num.*11.

7 Ex his hactenùs dictis inferri potest, suspicionem pacti Dæmonis augeri ex sanctitate verborum, quod tamen, ut sibi locum vindicet, requiritur ipsorummet verborum perversio, quæ consideratur ratione Sanctitatis vel contentæ in verbis sacris; vel effectæ ab illis; vel requisitæ ad illa in proferente, loco, & tempore, ut benè ait idem Moura *ibidem*, *num.*22.

8 Perveruntur ratione Sanctitatis contentę in ipsis connotativè, quando ab homuncione instituuntur, vel adaptantur ad aliquid significandum, vel efficiendum, nam desinunt connotare Deum Sanctum institutorem: Moura *loco cit. num.* 24. Del Rio *disq. Magic. lib.*3.*sect.*7.*pag.*338. *col.* 1. *in fine*, Joan. Micrologus *de observat. Eccles. cap.*7.

9 Perveruntur ratione Sanctitatis contentæ in ipsis objectivè, quoties adaptantur ad sensum contrarium ei, ad quem reddendum à Deo imposita sunt, ut evenit in eâ incantatione, de quâ Llamas 3.*p. Method. cap.*3.§.*reducuntur*, *fol.*370. contrà infirmitatem, quâ nates in secretiori parte inficiuntur, diciturquè ficus. Applicatur namquè illa verba Abachuc 3. *Ficus enim non florebit*. (Vide etiam del Rio *loco cit. sect.*7. *pag.* 338. *col.*2. *litt. A.*)

Ratione autem sanctitatis ab illis verbis effectæ dicuntur perverti, quando sumuntur ad finem diversum ab eo, ad quem per se à Deo ordinata sunt. Cum verò finis spiritualis non consideretur in incantationibus, sed tantùm temporalis, ac corporalis; & cum sacra verba ordinentur ad finem spiritualem, consequenter in ipsis incantationibus committitur hæc perversio: Moura *loco cit. num.*31.

11 Cæterum perveruntur, tùm quia prò usu, ac contrectatione Ensalmi confecti ex verbis sacris, nullus habeatur Ministrorum delectus: sed omnes, sivè sint Milites, sivè Vetulæ, sivè personæ sacratæ, admittuntur: Moura *ibidem*, *num.* 33. Tùm quia ista verba in incantationibus proferuntur vulgari linguâ, nec debitis tempore, & loco.

Sed quoniam assignantur à doctissimo Moura in eo libello, quem suprà non semel appellavimus, à Del Rio *in suis disq. Magicis*, à P. Gaspare Schotto *par.*1. *lib.*1.*cap.*7. *Prolegom.* à Torreblanca *juris spirit. lib.* 11. *cap.* 15. & ab aliis Doctoribus, signa, quibus hæc verba, seù imprecativa, seù constitutiva, dicuntur non operari virtute supernaturali Divinâ, nonnulla attingenda sunt, utpotè principaliter ad notitiam, de quâ agimus, spectantia.

§. III.

De signis Magorum, quibus dicuntur eorum verba non operari virtute supernaturali Divinâ.

SUMMARIUM.

1 *Primum signum: Quotiescumque Magi utuntur aliquâ falsitate, vel peccato, vel re indifferenti, non dicuntur operari Divinâ virtute. Ratio hujus.*

2 *Secundum signum: Quoties Magi utuntur verbis ignotis, vel nihil significantibus, non dicuntur Divinâ virtute operari.*

3 *Tertium signum: Quoties Magi promittunt aliquem effectum infallibiliter, non dicuntur Divinâ virtute operari.*

4 *Nec verba impetrativa, nec constitutiva habent effectum infallibilem.*

5 *Refellitur Polydorus Virgilius asserens, quod gratia sanandi strumas concessa Eduardo Regi Anglorum, transierit ad Hæredes, etiam à fide apostatas, ubi alia ad rem.*

6 *Exorcismi, licet ministrentur à Viris sanctis-*

sanctissimis non habent effectum infallibilem, & cur? ubi refertur historia de Monialibus à Dæmone vexatis.

7 *Quartum signum: Quoties verba promittunt præservationem à morte;*

8 *Vel longitudinem vitæ;*

9 *Vel scientiam futurorum.*

10 *Quintum signum: Quoties utentes eis verbis sunt vitæ sceleratæ, dicuntur agere virtute Diaboli: ubi quod regulariter gratia miraculorum requirit statum charitatis.*

11 *Hoc signum est debile, quoties desint aliæ circumstantiæ: Ratio hujus.*

12 *Sextum signum est: Quandò illis verbis eduntur prodigia, quæ ad sanandos homines non conducunt, eadem sunt suspecta.*

13 *Ex bonitate finis non legitimatur incantatio superstitiosa.*

14 *Reprobantur Auctores putantes esse licitum Diaboli commercium ad bonum finem, de jure civili.*

15 *Quomodo plures Sancti usi sint Dæmonis ope?*

16 *S. Hilarion quâ ratione solverit Dæmonis maleficium. & num. 17.*

18 *Septimum signum: Quoties verba efficaciam sortiuntur ex qualitate temporis suspecta sunt, ubi de collectione herbarum in nocte Sancti Joannis.*

19 *Dæmones sacratioribus temporibus parant maleficia, & cur?*

20 *Octavum signum: Verba incantatoria si in præsentiâ alterius, majorem vim habentis, suam virtutem amittunt, sunt suspecta.*

21 *Nonum signum: Quoties his verbis quis utatur per modum artis.*

22 *Decimum signum: Verba prodigiosa sunt suspecta, quoties adhibentur ab illis, qui se invicem cognoscunt, licet priùs non se viderint.*

23 *Salutatores Hispanici prohibendi, ac qui eis utuntur, vel aliis similibus, puniendi sunt.*

24 *De gestatione quarumdam oratiuncularum: ubi de gestatione reliquiarum. & num. 25.*

26 *Quid dicendum de usu benedictionum imprecatoriarum? Orationes habemus, ab Ecclesiâ approbatas, ad omnia beneficia à Deo postulanda.*

Ideò non uti debemus quibusdam aliis Oratiunculis suspectis.

1 PRIMUM Signum est, quoties cum verbis Magorum, seù imprecativis, seù constitutivis, concurrit falsum, peccatum, vel omninò indifferens moraliter, tamquam necessariò requisitum, sivè in materiâ, sivè in formâ: D. Thom. 2. 2. *q.* 93. Victoria, *de Magia*, *num.* 34. Valentia 2. 2. *tom.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 2. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. Reginald. *in praxi fori pœn. tom.* 2. *lib.* 17. *à num.* 157. Moura *loco infracitando*, & Torreblanca *Juris spirit. lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 30. Ratio est, quia Deus non potest esse testis falsitatis, qualiscunque ea sit, nec peccati: latissimè Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 55. §. 2. *num.* 1113. & §. *seqq.* At esset testis, inquit Moura *sect.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. & 11. si ad falsitatem, vel peccatum necessariò requisitum per miraculosum influxum, effectum produceret; quæ verò sunt indifferentia, licet non sint Deo ingrata, non sunt tamen ei grata, & consequenter non sunt apta, ipsum movere ad miraculum efficiendum: imò efficiuntur ingrata Deo, si ipsa exhibeantur ad modum cultus, ut constabit ex his, quę suo loco dicturi sumus.

2 Secundum signum est, quoties verba, quæ proferuntur, vel scribuntur, sunt ignota, seù nihil significent, prout docet D. Tho. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. quem sequuntur communiter Doctores ultrà Del Rio *disq. Magic. lib.* 3. *sect.* 8. *pag.* 341. *col.* 2. & Torreblanc. *juris spirit. d. cap.* 16. præcipuè *sub num.* 39. & rationabiliter, nam mirum esset, ut ait Cajetanus, quod Deus has miraculosas virtutes denegaverit verbis certis, & cognitis ab Ecclesiâ, ab eâque approbatis, & in veneratione habitis; concederet verò dubiis, & ab eâ veluti alienis. (Vide quoque Del Bene *de offic. S. Inquis. par.* 2. *dub.* 228. *sect.* 8. *num.* 2.)

3 Tertium signum est, quando ea verba ex vi suæ institutionis promittant aliquem effectum certò, & infallibiliter: D. Thom. *par.* 1. *q.* 110. *art.* 3. & *alibi* apud Torreblancam *juris spirit. lib.* 11. *cap.* 15. *n.* 13.

Stabilitur hoc signum, nedùm auctoritate D. Thom. superiùs allegati,

Gersonis 2.*p. tract.de absolut.Sacram.* & aliorum apud Mouram *de incant.sect.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. sed evidenti argumento: Vel enim sunt verba impetrativa,& hęc
4 non possunt impetrare infallibiliter; sed tantùm fallibiliter, & dependenter à fine, & ordine Divinæ Providentiæ, ut patet ex vi ipsius nominis, & ex eo quod nulla oratio, etiam instituta à Deo, absque tamen infallibili promissione obtinendi, impetrat infallibiliter bona temporalia: Vel sunt constitutiva,& tamen non possunt obtinere infallibiliter; sed supposito ordine Divinæ Providentiæ: Non enim Deus alligavit potestatem suam verbis quibuscũque,ut necessariò ex lege tribuerẽt,quæ temporalia sunt. Sed operatur quandò sibi placet ad gloriam suam, & utilitatẽ credentium, & multum facit ad hoc pietas, & fides Ministrorum: Francisc.à Victor *de Art.Magic.n.*24.Undè *in c.*19. *Actuum* dicitur de filiis Scevæ, quod invocabant Nomen Jesu super eos, qui habebant Spiritus malos, dicentes: *Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat*: Respondens autem Spiritus malus,dixit: *Jesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?* & insiliens, invalvit contrá eos. Quare rectè vellicandus
5 Polydorus Virgil. qui *lib.* 8. *histor. Anglic.fol.*359.asserit,gratiam sanandi strumas concessam Eduardo Regi inter Divos relato, Jure hæreditario fuisse propagatam in posteriores Reges, etiam à Fide Apostatas, sicut & Gulielmus Toonerus, qui *in lib. Charisma*, ait, hujusmodi gratiâ præditam fuisse Reginam Elisabeth; nam si ipsa talem facultatem habuit, fuit diabolica, prout benè dicit Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 29. *in fin.* Rectè igitur Andreas Laurent. in suo super re hac peculiari tractatu, probat hujusmodi mirabilem virtutem solis Regibus Christianissimis divinitùs fuisse concessam. Ait tamen Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 12. *cap.* 23. *à num.* 10. Vitam improbam non impedire, ne recipiantur à Deo hujusmodi gratiæ, id quod affirmat Hurtad. *d. resol.* 29. Impedit tamen hæresis crimen, ut præter alios, probat laudatus Hurtad.*ibid.*(Consule quoque Pistachium *de superst. cap.* 21.*n.*10.
6 Imò nec ipsi exorcismi, licet ministrentur à viris Sanctissimis, obtinent certò effectum, undè narrat Del Rio *lib.* 4. *disqu. cap.* 1. *q.* 3.*sect.* 2.*fol.* 263. historiam de Monialibus per quatuor annos, quatuor Menses à Dæmonibus ità vexatis, crebròquè velut canibus per Agros discurrentibus;instar avium volantibus; sicut feles in Arbores reptentibus, fundentibusque de Ramis variarum animalium voces,ità ut post crebrò repetitos Exorcismos, eorum nomina Romam delata,ab Alexandro Sexto lecta fuerint in Cœnâ Domini, sub Divino Sacrificio, & nihil profuerit: Non est enim conforme ordini Divinæ Providentiæ, sicut notat Sotus *de just. lib.* 8. *qu.* 3. *artic.* 2. ut Exorcismi nostris temporibus, quibus non indigemus fidei nostræ testimoniis, scilicet miraculis, ut Dæmonum expulsionem operentur; nec Ecclesia instituit exorcismos, qui ex opere operato instar Sacramentorum agerent: Siquidem solo imperio in primitivâ Ecclesiâ pellebantur Dæmones;sed tantùm instituit quasdam orationes imprecatiorias, quibus prohibuit aliquid addi ob vanitatis periculum: Raphael. *ad. qu.* 90. *art.* 2. *disp.* 26. *num.* 41.*fol.* 854. *de vitiis. &c.*

7 Quartum signum est, quoties verba promittant præservationem à morte, sivè simpliciter, & absolutè; sivè quamdiù mortalis homo ipsis utatur; sivè per aliquod temporis spatium: vel promittant futurorum scientiam.

Hoc signum sequitur ex primo, ex eo quod falsitatem involvat: Statutum enim est, omnibus hominibus semel mori.

8 Involuit etiam falsitatem, quamvis promittat tantummodo longitudinem vitæ per aliquod temporis spatium; seù quamdiù quis illis verbis, eâquè incantatione utatur, ut patet ex illo *Matth.* 25.*Vigilate, quiâ nescitis diem, neque horam*, & ex illo *Lucæ* 12.*Quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.*

9 Involuit similiter falsitatem, promittens futurorum scientiam: *cap. illud* 26.*qu.*2. Ciruelo *de superst.cap.*11.Martin.de Arles. *de superst. à num.* 8. Torreblanc. *juris spirit. lib.*11.*cap.*15. *à n.*52. Quippè donum Prophetiæ confertur à Deo tantummodò in confirmationem fidei, & hoc pacto collatum quoquè fuit

fuit Gentilibus, & Sybillis, quæ erant Idololatræ, exceptâ forsan Erithræâ, si credimus Majol. *to.* 1. *Dier. Canicul. colloq.* 2. *Homo* §. *non vacat*, ac ipsi Balaam: Voluit namque Deus eis fide carentibus uti in fidei confirmationem: Bellarm. *to.* 1. *cap.* 15. *de notis Eccles.* At modò fides nostra non eget confirmatione; & si nobis esset facultas conficiendi incantationes, quibus futura prænoscceremus, nil esset in mente hominum; nil in mente Dei, quod à nobis non præcognosceretur. Quapropter benè Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 30. *num.* 302. dicit, Salutatores hispanicos esse suspectos, quoties jactant prænoscere futura: Imò idem Hurtad. *loco cit. Resol.* 54. §. 20. latè probat, non esse licitum petere à Deo Revelationes, eò quia Diabolus facillimè se ingerat, satisfaciens hujusmodi desiderio, id, quod experta est B. Catharina Bononiensis, ut ipsa fatetur *in lib.* 1. *de vitâ, & erroribus*.

10 Quintum signum erit, quando qui utuntur illis verbis, seu incantationibus, sunt sceleratæ vitę. Etenim quamvis Balaam habuerit gratiā prophetiæ, & quāvis possit dari gratia miraculorum sinè charitate: Francisc. à Victor. *de arte Magica, n.* 10. *vers. nec iterum sufficit*, attamen complures testantur apud Mouram *de Incant. sect.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. regulariter requiri probitatem morum, ad hoc, ut dicantur hujusmodi incantatores virtute supernaturali divinâ operari, & præsertim, quod hæ gratiæ non permaneant habitualiter in sceleratis, tenet Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 12. *de superst. n.* 25. In specie verò vitium carnis impedire has gratias, dicit Moura *ibidem*. Hinc Petrus Matthæus *sub finem historiæ Sancti Ludovici*, narrat ex veteri codice Guilberti Abbatis, Ludovicum Crassum, Philippi Primi Regis Franciæ filium, initio Regni complures strumis morbidos suo contactu curasse; illud autem privilegium posteà amisisse, nequè posthac, dum vixit, recuperasse, ex quo ejus mores per luxuriam, & incestuosos Bertradæ amores in deterius versi fuerint.

Item vinositatem ipsas impedire, patet ex eo quod ait Hurtadus *ubi suprà*, *resol.* 30. *num.* 297. scilicet illos, quos in Hispania vocant Salutatores, non agere divinitùs, si dicant nimio vino indigere, ad hoc, ut virtus vivacior sit. (Vide etiam Del Bene *de Offic. S. Inqu. par.* 2. *dub.* 228. *sect.* 16. *nu.* 6.)

Similiter impedire Simoniæ crimen, docet Moura *loc. cit. num.* 13. *in fine*, & Simoniæ crimen esse, si habens à Deo virtutem aliquâ incantatione sanandi, ipsam quæstus causâ exerceat: cui congruit, quod ait Zacchia *de Salario, qu.* 59. *num.* 3. nempè eum, qui Prophetiâ ab æternâ Sapientiâ fuit decoratus, Simoniæ crimen committere, quoties mercedem aliquam exposcat.

Si ergò scelus impedit, quominus credatur, quod sit à Deo hujusmodi Incantatio, quantò magis hoc erit dicendū de crimine hæresis, quo nullum majus dari potest? Narrat propterea Bozius *to.* 1. *lib.* 9. *c.* 9. *sign.* 39. §. *interiora*, in Pisidia Asiæ Regione, fuisse Deiparæ Imaginem, è cujus manu scatebat abbundè unguentum ad omnes morbos curandos valens, sed ex quo hæreses in iis locis grassarunt, miraculum defecisse.

11 Hoc tamen signum non est tanti ponderis, ut mereatur considerari, quoties non adsint aliæ circumstantiæ: Siquidem, ut diximus, hæ gratiæ dantur non propter meritum conferentis, sed in pręmium eorum, quibus conferuntur, ut ex D. Tho. superiùs allegato; & ad patrationem miraculi interdum eligitur potiùs Vir non optimus, quàm optimus, prout alibi innuimus: Nec obstat, quod aliquando hæretici perdidissent hujusmodi facultatem mirabilia patrandi sinè arte Diabolicâ; nam ità evenisse, ne magis confirmarētur eorum errores, sapienter demōstrat sępè citatus Moura.

12 Sextum signum est, quando his verbis, seù incantationibus eduntur prodigia, quæ ad sanandos homines non conducunt; & ratio est, quia gratiæ gratis dantur à Deo ad aliorum, seù propriam vtilitatem, cum Deus semper intendat bonum, ut dictum est. Quarè quando his incantationibus absquè nocumento laminas ardētes attrectant; carbones ignitos devorant; furnum ardentem ingrediuntur, quia hæc sunt ad solam ostentationem, suspicionem incurrunt incantatores, quod arte Diabolicâ operentur, vt patet ex fine Magorum,

gorum, de quo suprà, & prò ut videre est penes Hurtad. *dict. Resol. 30. nu. 299.* & Del Bene *laudatâ sect. 16. n. 12.*

13 Advertendum tamen est, ex bonitate finis non legittimari incantationem superstitiosã. Etenim *lex eorum est scientia, C. de malef. & Mathem.* abrogata fuit à Jure Canonico *in cap. ex tuarum, de sortilegjis*, ubi Alexander III. damnat presbyterum, qui bono fine superstitiosam divinationem expertus fuit: latè Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 95. nu. 1.* Quin Jus ipsum Civile aliud statuit, nam Leo Imperator *Constitut. 65. ad Stylianum, de Incant. pœnâ*, expressè dixit, Incantatores, sive ad restituendam, conservandamvè valetudinem; sivè ad avertendas à rebus frugiferis calamitates, si operarentur, Apostatarum pœnam subire. Et rationabiliter, eò quia bonum non rectè assequi desiderent hi incantatores, hoc est illicitis artibus. *Quamvis enim* (inquit Fatius *orat. contrà Græc.*) *Magicis, & præstygiis quis utatur ad bonum, tamen punibilis est, non secus, ac qui cum latrone fuerit, etiamsi latro non sit, ut socius sceleris punitur.*

14 Ideò malè Hostiensi. & Azor. *in suis summis*, Aerodius *lib. rer. judicat. lib. 8. tit. 7. cap. 16.* Bart. cum Salycet. Godefrido, & aliis *in l. eorum. C. de Malef.* Troilus Malvetius *de sortibus*, & Grilland. *de Sortileg.* putarunt in terminis Juris Civilis, esse licitum ad hunc finem diaboli comercium, quos referunt Del Rio *disq. Magic. lib. 6. qu. 2. in princ.* & Sanchez *d. disput. 95. num. 1.* Iure meritò igitur à facultate Parisiensi proscripta fuit opinio illa, quâ dicitur, licere Magiam ad bonum finem, vt advertunt Del Rio, & Sanchez *locis citatis*; & malè impius Paracelsus *lib. de Morbo Caduco, & lib. de hyperplys. morbis cur.* dixit, nihil referre, an Deus, an Diabolus; Angeli, vel immundi spiritus Ægro ferant

15 opem, modò morbus curetur: Scio complures Sanctos Dæmonis ope usos esse: sed cum eo, Deo dispensante, imperativè, & coactivè; non amicabiliter egerunt, ut est apud Mouram *sect. 2. cap. 2. num. 7.* quem vide *per totum dictum caput*, ubi etiam explicat superiùs allegatam *l. eorum*, *sub num. 5.* Vide etiam Pistachium *de superst. cap. 25. num. 7.* Carenam *par. 2. tit. 12. §. 5. n. 30.* & Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 41. n. 3. & lib. 7. de Matr. d. disp. 95.*

16 Mirabile propterea semper mihi visum, quod narrat Hieronymus *in vitâ Hilarionis*, nempè Italicum quemdam Municipem, Gazam nomine, Christianum, cum aleret Equos Circenses, habuisse maleficum æmulum, qui impediebat suos Equos, & proprios incitabat ad cursum: Dei ob id auxilium petijsse ab Hilarione, qui jussit ab eo sumi cyathum fictilem, quo bibere consueverat; illumquè aquâ repleri, deindè equos, aurigasquè suos, & rhedam, nec non etiam carcerum repagula aspergere; quod cum fecisset, non sinè omnium admiratione, & risu, sortitam fuisse optatam gratiam: Quis neget

17 κατοπτρομαντείας his verbis describi illam speciem, quæ cum aquâ, & cyatho peragebatur? Unde Causabonus apud Elium Spartianum *in Didio Juliano*, sic ait: *Quarè miratus sum persæpè, Antiquissimum Monachum Hilarionem, conclamatissimæ virtutis Virum, cum in Christi nomine miraculum esset editurus, curiosorum hominum artes hoc genus esse æmulatum.* Sed in Hilarione fuit humilitatis hic excessus, ad occultandam scilicèt virtutem, quâ miracula merebatur edere: Aduertit tamen S. Thom. *qu. 95. art. 4. ad 1.* quod à Dęmone spontè occurrente possumus aliquid inquirere, quando scilicèt adest specialis instinctus, aut revelatio divina, quâ ducti multi Sancti ad aliquos effectus usi sunt operatione, & colloquio Dæmonum: Hurtadus verò *Resol. moral. tract. 5. cap. 4. Resol. 11. num. 97.* ex auctoritate Soti subjungit, id fieri non debere, nisi à Sanctissimis viris, quibus est à Deo specialis delegata potestas ad Dæmones compellendos; Imò quod nec communibus Exorcistis licitum sit, plura interrogare à Dæmone, etiam cum prætextu interrogandi ad bonum commune: Ratio, quam ipse adducit, est quia Dæmon ad seducendum, quidquid facit, ordinat; & honorem ei verè exibet, qui curat ab eodem aliquid addiscere, illumquè tanquàm benefactorem recognoscit.

18 Septimum signum est, quoties hujusmodi verba efficaciam sortiuntur ex qualitate temporis, adeòut certis hæbdoma-

domadæ diebus vim majorem habeant: Hurtad. *ubi suprà, Resol.* 30. *num.* 298. Del Rio *disq. Magic. lib.* 3. *qu.* 4. *sect.* 6. & Torreblanca *Iuris spirit. lib.* 15. *num.* 58. Idcircò videtur superstiosum, recolligere herbas Medicinales ex vanâ observantiâ in nocte S. Joannis, ut faciunt nonnullæ Mulierculæ: Merbes. *in summâ Christian. part.* 1. 2. *qu.* 31. *pag.* 124. *col.* 1. *in fin.* Consule ipsum Hurtad. *loc. cit. Resol.* 49. ubi tamen addit, quod si recolligerentur ob devotionem, cessaret superstitio; vel si contingeret ea dies in aliquâ costellatione speciali, quæ influeret, ut benefica esset herbarum, vel lignorum recollectio.

Veritas hujus signi patet etiam ex primo, & secundo signo; nam tempus ex se tribuere nequit hanc efficaciam, cum sit indifferens, nec quid significet ad hunc effectum: Quarè eo modo videtur respectus non haberi ad Dei reverentiam, ac virtutem, nec ab eâ solùm expectari effectus: Malleus Maleficarum *par.* 2. *qu.* 2. *cap.* 6. *in sex-*
19 *ta conditione*. Imò Dæmones, non solùm verborum Sacrorum abusum exigere solent, verùm etiam sacratioribus plerumquè temporibus parari, & exerceri maleficia à Magis jubent; & proindè Thyreus *de Apparit. Spirit. cap.* 10. *num.* 190. ait: *Cur iis noctibus, quæ inter diem Veneris, & Sabathi mediæ sunt, frequentiùs Dæmones se exibent, ut habet Ioann. Bod. lib.* 3. *cap.* 1. *de Dæmone; ac maleficos, & nefandos conventus cum perditis hominibus exercent? Licet Abrabam Abenezraar* 4. *sup.* 10. *præcept. Divinâ id velit fieri dispensatione, Dæmonibusquè illo tempore majorem mortalibus nocendi factam esse potestatem, asserat*.

Nullam tamen præfati Auctores rationem afferunt, cur Dæmones dicto tempore, quàm alio, frequentiùs se exibeant: Imò in contrarium videtur militare, quod cum Christus tunc temporis descenderit ad inferos ad alligandos Reges eorum in compedibus, minùs potestatis habere deberent.

20 Octavum signum est, quando verba in præsentiâ alterius incantatoris vim majorem habentis, suam amittant virtutem: Moura *loco cit. cap.* 9. *num.* 73. Veracruz *lib.* 2. *de anima, spec.* 2. Del Rio *lib.* 1. *Magic. disqu. lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *decalog. cap.* 40. *num.* 47. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 12. *cap.* 23. *n.* 24. Del Bene *de offic. S. Inqu. par.* 2. *dub.* 228. *sect.* 16. *num.* 8. & Pistachius *de superst. par.* 1. *cap.* 21. *num.* 15.

Quamvis enim nullus ordo apud Inferos, ut habetur ex Job, adest tamen quædam imperfecta, & materialis distinctio inter Dæmones: D. Thom. *par.* 1. *quæst.* 109. *art.* 2. Suarez *de Angel. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. *&* *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 1. Del Rio *lib.* 2. *Magic. disq. lib.* 2. *quæst.* 30. *sect.* 1. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 37. Idcircò superioribus inferiores, etsi non spontè, non alacriter, verùm inviti obtemperant: D. Thom. *par.* 1. *qu.* 90. *art.* 20. Binsfeld. *in confess. malef. prælud.* 10. Bartholom. Spina *de Strigibus, cap.* 18. Del Rio *ubi supra*, Torreblanc. *juris spirit. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 33. Hinc quibusdam Magis vis, & potestas, ut aliorum effectus impediant; scilicet quia illi potentioribus Dæmonibus jubeant, ut impediant istorum opera: Quoties autem utriquè æquè potentibus imperant, invicem arte suâ operari impediuntur, propter Dæmonum conflictum, quibus Magi certantes sunt confœderati: Del Rio *disq. Magic. lib.* 2. *qu.* 30.

21 Nonum signum est, quoties his verbis quis utatur in incantationibus per modum artis: Hurtad. *loco cit. Resol.* 30. *num.* 300. Ratio est, quia gratia gratis data, non addiscitur, sed infunditur: Torreblanc. *juris spirit. lib.* 12. *cap.* 23. *num.* 41.

22 Decimum signum est, quandò qui utuntur illis verbis, cognoscantur invicem, licet priùs nunquàm se viderint: Torreblanc. *jur. spirit. lib.* 12. *cap.* 23. *num.* 37. Suspicari enim possumus, hanc cognitionem provenire ex aliquo stygmate à Dæmone impresso, de quo in suâ Sede.

23 Cum igitur tot circumstantiæ reddere possint incantationes suspectas, ferè impossibile est, reperiri, quæ in aliquod non peccent; Undè sicut ipsis Salutatoribus Hispanicis incantationum usum prohiberi semper debet: Moura, *de incantat. sect.* 2. *cap.* 9. *num.* 46. & puniendos esse eos, qui vtuntur ope ipsorum, ait Gaspar Rejes *in Elysio q.* 24. *num.*

*num.*18. ità dicendum est de familiis, quæ jactant, se habere virtutem sanandi, quoties non adsint omnes supradictæ circumstantiæ, quamvis per longum tempus usæ fuissent tali virtute: Hurtad. *dict. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 43. *num.* 539.

24 Quinimmò mihi numquàm persuasum est, gestare quasdam orationculas adversùs morbos: Considerabam enim, etsi absquè ullâ superstitione essent meræ laudes in Dei, vel Sanctorum honorem; attamen ipsas significatione, & non contactu præcipuè operari, prout benè dixit Abulensis; præterquamquod regulariter tàm hæc verba, quàm reliquiæ non portantur cum debitâ reverentiâ, undè idem Abulensis invehitur in gestantes eas, & cum illo Cornelius Darocensis *lib. de superstit. cap.* 4. *p.* 3. cui tamen non adstipulatur Del Rio *disq. Magic. lib.* 1 *qu.* 4. exemplo B. Helenæ, quæ Clavorum Christi unum fræno Equi, alium Galeæ Constantini indidit; & exemplo B. Antonij, Athanasii, & Gregorii, de quibus vide ibi.

25 Sic etiam benedictiones imprecatorias, seù orationes, quibus à Deo, sivè sanitatem vulneris; sivè tempestatis cessationem postulemus, quamvis institui possint, ac edoceri cum spe, quod Deus infallibiliter sit gratiam efflagitatam concessurus, dummodò non repugnet ordini providentiæ, ac sint sinè ullâ vanâ observatione; liceatquè ipsas & gestare, & super infirmos ponere: Moura *de incantat. sect.* 2. *cap.* 14. *à n.* 21. Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 44. adversùs Torreblancam, & Anton. Escobar *vol.* 4. *Theol. Moral. sect.* 2. *lib.* 28. *cap.* 30. *Probl.* 117. laudabiliùs semper existimavi, abstinere ab iis, quousquè ab Ecclesiâ non fuerint approbatæ: Ratio est, quia, vt plurimùm, vanitatibus implicantur, seù claris, seù imperceptibilibus; & licet sint defecatæ, ac puræ ab omni superstitione; regulariter tamen reputantur proximè aptæ ad generandum scandalum, movendumquè personas, saltem viles, & parùm timoratas, ad hoc, ut tali exemplo ad alias superstitiosas, vel de vanitate dubias se indiscriminatim proiciant: Moura *ibidem, num.* 15. Consule etiam prædictum Hurtad. *ibidem, n.* 550. qui allegat præter alios, S. Hieronym. de Iudæorum phylacteriis loquentem in hunc modū: *Hoc factitant vsque hodiè superstitiosæ Mulierculæ in parvulis Evangeliis, & in Crucis signo, & istiusmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxtà scientiam.*

26 Indignum quoque semper credidi Christianâ prudentiâ, uti dictis orationculis, cum habeamus approbatas ab Ecclesiæ authoritate orationes ad omnia beneficia à Deo postulanda; & hinc elucet EE. Patrum Sacræ Congregationis S. Officii sapientissimum judicium, qui quamplures libros hujusm odi Orationculis refertos proscripserunt, præcipuè hisce temporibus, in quibus novitates abbundant in semi-spiritualibus.

Quinimò, Ecclesiam non habere potestatem instituendi cæremoniam, vel orationem, quæ ex vi usus, seù ex opere operato, licet fallibiliter, ac dependenter à servato ordine divinæ providentiæ, sanitatem corporalem operetur, latè probat Moura *de incantat. sect.* 2. *cap.* 11. *num.* 14. licet contrà eum validissimis rationibus scribat Hurtad. *ubi suprà, resol.* 45. *per tot.*

SUBSECTIO IV.

De Magia Naturali.

SUMMARIUM.

1 *Non est statim damnandum opus insolitum, quantumvis mirabile, quia quædam mirabilia non excedunt naturalem sphæram.*

2 *Refellitur Trismegistus cum Peripateticis attribuens omnia opera Magorum virtuti naturali.*

3 *Indubitatum est, dari Magiam supernaturalem.*

4 *Imò hanc negare, sapit hæresim.*

5 *Magia naturalis excludit omnem superstitionem.*

1 POSTQUAM egimus de Magiâ supernaturali, modò dicendum est de naturali: Rudis enim est, & imperiti ingenii, statim damnare opus insolitum, quantumvis mirabile, & referre illud ad superiorem potestatem: Franc. à Victor. *in Relectionibus, Relect.* 12.

de

de Arte Magica, *num.6.vers. & videtur*; idcircò benè in hoc monuit Cardanus *lib.12.de subtilit.* Multa sunt mirabilia, & in naturę majestate penitùs abdita, quorum tamen, cum causam noveris, cessat admiratio; & affert exemplum de Sulphure valdè puro, qui si cum cerâ æqualiter dissolvatur, reddit eam inextinguibilem: Latè Torreblanca *juris spirit.lib.11.cap.2.*& Georgius Raguseus *de divinat.lib.2. epist. 6.*

2 E conversò, meritò refellendus est Trimegistus, qui contendebat, ut refert August. *de Civit. Dei, lib.* 8. omnia opera Magorum fieri virtute naturali, cujus opinioni subscribunt Peripatetici, eamquè latè tuetur Alex. *in lib. de Magis.* Hujusmodi opinionis fuerunt quoquè Hippocrat. *lib. de Sacro Morbo.* Galen. *de Simplic. Medic. lib.6. &* 10. Fernelius *de Abditis rerum causis*, Joann. Vvjerus *de lamiis, cap.* 7.8. *&* 23. *& lib. 6. de præstig. dæmon. cap.*27. Alciatus *in cap. perniciosa*, *de Offic. Ordin. num.66. & lib.8. Parerg. cap.*22. Franc. Duaren. *in l.1.C. ad l.Cornel. de Sycar.* Tiraquell. *ad Alex. ab Alex. lib.5. Genial. cap.*23. Navarr. *in Manuali*, *cap.11. num.* 28. Ponzinibius *de lamiis, à num.* 47. qui pleno ore Magiam supernaturalem negarunt. Etenim jàm satis superiùs dictum est de eâ supernaturali, quâ operantur Magi,

3 ità ut ineptum sit in dubium revocare, an detur Magia supernaturalis, prout benè probat S.Thom. *lib.3. contra Gentiles, cap.*104. Imò esset negare ea, quæ ipsis sensibus subsunt. Siquidem, cum Magi dent responsa de occultis, ut de furtis, & Thesauris; cumquè statuæ Magorum loquutæ sint, & ipsi Magi per hanc artem scientias rerum, artesquè liberales adepti sint, jàm est prò comperto, nonnulla Magorum opera referri non posse, nisi in causam non naturalem, ut benè ait Victoria *loc. cit. num. 9.* Adde quod Magiam hu-

4 jusmodi negare, sapit hæresim, ut liquet ex D.August. *lib.11. de Civit. Dei, cap.6.* D. Thom. *loco cit. & sent. 4. dist.* 34. Turrecremat. *cap. si per Sorcianos* 33. *qu.1.* Barth. Spina *de Strigib. c.2. cum seqq. & in Apolog. 2. cap.5.* Binsfeld. *in confess. malef. prælud. 4. in Rub. C. de malef. & Mathem. notab. 3.* Azor. *par. 1. moral. lib.9. cap.25.* Farinac. *de hæresi, qu.181. num. 36.* & aliis.

5 Cum ergò ultrà Magiam supernaturalem, detur etiam naturalis, quæ nullum Dæmonis pactum inuoluat; & consequenter omnem excludat hæresis suspicionem; Imò quam cum cæteris scientijs Adamo largitus est Deus, ut naturæ Arcana cognosceret; eamquè posteritati, prout fecit, traderet: Del Rio *disq. Magic. lib.1. cap.3.* de hac igitur Magiâ Naturali videamus in quibus rebus consistat, scilicet:

An in Corporibus Cœlestibus?
An in Corporibus animatis?
An in Corporibus inanimatis?

§. I.

An in Corporibus Cœlestibus consistat Magia Naturalis.

SUMMARIUM.

1 *Peripateticorum Schola profitetur, quod in corporibus Cœlestibus residet virtus magica.*
Ubi ratio affertur.

2 *Imagines astronomicas habere peculiares virtutes, tenuerunt aliqui, & cur?*

3 *De annulis Jarcæ Indorum Principis, & de aliis similibus, & nu.4.*

5 *Medici, & Chirurgi an uti possint annulis, & Imaginibus Astronomicis? & num.6.*

7 *Ex Astris nequit exhauriri Magia Naturalis.*

8 *Idque secundum commune Theologorum sententiam:* Ratio *hujus.*

9 *Non reperiuntur in cœlo illæ imagines, ad quarum similitudinem componuntur imagines astronomicæ.*

10 *Ex Stellarum influxu non habetur virtus futura prædicendi. Undè excommunicantur, qui ex eis futura prædicere præsumunt.*

11 *Damnandi Auctores, qui Astris subjectant Religionis nostræ Mysteria, quæ Dæmon perfectissimus in Astrologiâ ignoravit.*

12 *Refellitur Petrus de Alliaco jactans, Reges Magos prævidisse in astris Christi nativitatem.*

13 *Cœlestibus corporibus subjectantur tantùm temperamenta, complexiones, & temporum vicissitudines.*

Ex

Ex hac theoriâ multa deducuntur usq; ad finem subsectionis.

1 QUod in corporibus Cœlestibus resideat virtus Magica, quâ naturaliter edantur prodigia, tenuit cum Peripateticorum scholâ Alexander *in lib. de Magis.*, ac probavit eâ ratione, quod nempè virtus Cęlestis, licet non formaliter, virtualiter tamen, & eminenter sit virtus omnium Elementorum, & mixtorum; omniumquè illorum habeat efficaciam. Hæc sententia confirmatur ex eo, quod peculiares virtutes à Cardinali Cajetano 2. 2. *qu.96.art.2.* §.*ad primum dubium*; à P. Andrea de Leon apud Hurtad. *Resol. Moral. tract.*5. *cap.*4.*Resol.*32. §.1.*num.* 318. ab eodem Hurtado. *loco cit.* §. 3. &
2 ab aliis, tribuãtur imaginibus illis, quas Astronomicas vocant, non solùm eò quia materia alteratur ab artifice, virtute primi alterantis Cęli, ut volunt dicti Auctores; sed etiam (ut nonnulli contendunt) eò quod in eis imaginibus Stellarum figuræ sculptæ sint: Autumnant enim, in ipsis omnem cęlestium corporum efficaciam transfundi, non secùs ac colliguntur radij visuales in speculis: Del Rio *disqu. Magic. lib.* 1. *qu.*1. vndè in curatione morborum, vel ab ipso Marsilio Ficino inter alios ad-
3 hibebantur: Legimus quoquè apud Historicos, Jarcam Indorum Principem annulos septem compegisse, ac septem stellarum nominibus præsignasse, quibus mirifica opera ederet, quos etiam Apollonius Thiancus dono ab eo accepit, quorum beneficio contigit, Apollonium juventæ nitorem protraxisse, & conservasse, quamvis annum centesimum jam excessisset, cum singulos annulos diebus singulis gestaret, secundùm dierum, & Planetarum nomina.

4 Quibus annulis non valdè absimiles videntur illi, de quibus Franciscus Diaz Medicus, & Chirurgus Philippi Secundi Hispaniarum Regis *in lib. de omnium infirmitatum renis, &c. cap.6.fol.*245.*vers. testatur*, ubi ait, sibi cum juramento affirmatum fuisse, militem quemdam nobilem fecisse annulos quinquè sub suis planetis adversùs infirmitates, quorum vnum Jo[illegible]i Austriaco; secundum Florentiæ Duci; tertium Philippo Secundo; quartum Duci Joanni Castiliæ dono dedit: quintum verò sibi reservavit.

5 Cum igitur tanta virtus, & efficacia, ut jactant isti, transfundatur in hujusmodi imagines à naturali proprietate corporum Cęlestium, quam Ptolomæus Idiotropiam vocat, vti poterunt illis Medici, & Chirurgi eo modo, quo utuntur astrologiâ naturali, de quâ D. Thom. 2.2.*q.*95.*art.*4. *& opusc. cap.*26. *& lib.*3. *contrà Gentes, cap.*86. & Francisc. de Magistris *in sylu. Eccles. to.*2.*lib.*2. *cap.*3.*nu.* 41. nec propterea compræhenduntur in Bullâ Xisti V. pro ut ibi expresse.

6 Imò cum à causæ cognitione effectus innotescat, sæpè ipsi Medici à Lunæ, & aliorum Planetarum aspectibus cùm inter se, tùm ad Mundi Cardines, & à Zodiaci dodecatemorijs venantur qualitates ægritudinum, quibus cognitis faciliùs medicamenta congrua exibere possunt: Majol. *tom.* 2. *dier. in* 2. *edit. colloq.*4. *Prædictionis Physicæ* §.*certè, pag.*682. & propterea fidem mereri videtur Porphirius, affirmans cum de sè interficiendo vehementer cogitasset, Plotinum hoc cœlitûs prævidisse, sequè à tanto facinore prohibuisse: Quinimò jactat Petrus de Alliaco, Magos Reges in Astris prævidisse ejusdem verbi Incarnati nativitatem, ac divinitatem; ideoquè ipsos dixisse: *Vidimus Stellam ejus in Orientem, & venimus adorare eum.*

7 His tamen non obstantibus, dico ex Astris, cæterisque corporibus Cęlestibus hanc Magiam desumi non posse: Hæcquè est communis Theologorum sententia cum D. Thom. 2. 2. *quæst.*96. *art.*2. idque docent Codronchius *de morbis veneficis*, *lib.*2.*cap.*5. Jo. Malderus *de virtute Theol. tract.*10.*cap.*8. *dub.* 1. Del Rio *lib.*1.*cap.*4.*q.*1. Leonard. Vayrus *lib.*2.*de Fascino*, *cap.* 11. & Torreblanc. *Iuris spirit. lib.*7. *cap.*4. *à num.*12. Quarè, quæ narrantur de Tabulis astronomicis, vel sunt præstigiosa, vel arte Dæmonis confecta: Moura *de incant. sect.*2.*cap.*3.*nu.*46. Vndè rectè inter articulos Parisien. *artic.* 21. damnantur, & penitùs proscibuntur hujusmodi tabulæ.

8 Præterea vanitas hujus artis latissimè patet: nam si virtus cęlestium corpo-

rum,

rum, ut superstitiosi homines jactant, hujusmodi tabulis, vel sigillis communicaretur, assignari posset modus, quo ex astris ipsa deduceretur in res materiales, & sublunares, quemadmodum benè ponderant Moura *ibidem*, *cap.* 4. *num.* 8. Del Rio *dicto lib.* 1. *cit. quæst.* 1. & Torreblanca *loco cit. num.* 17. ubi rejiciunt etiam similitudinem speculorum, in quo radii visuales colliguntur: Cum itaquè impossibile sit hoc naturaliter, credendum est, eos qui se dicunt operari per supradictas tabulas, superstitioso modo agere. Aliquo modo tamen excusat Hurtad. *loco cit. Resol.* 32. §. 4. hujusmodi tabulas, sed potiùs, ut
9 ego existimo, ingeniosè, quàm verè: Adde non reperiri in Cœlo illas imagines, ad quarum similitudinem componunt superstitiosi imagines astronomicas: Fictitiæ enim Figuræ, &, ut logici loquuntur, entia rationis sunt Canes, Lepores, Hydræ, Dracones, Andromadæ, &c. quibus æthra stellifera ornatur: Hujus rei apertissimum sit argumentum, imaginem illam, quam Astrologorum plerique cadentem vulturem passim vocant, à Ptolomeo lyram nuncupatam fuisse. Quænam autem est lyrę, & cadentis vulturis comparatio? Ad hæc, quis ignorat, Rusticos à stellarum quarumdam conformatione, similitudine ductâ, falcem in Firmamento, currum, glociantem cum pullis Gallinam, & alias hujus generis imagines confinxisse? Quis ignorat, Barbaros Idolorum cultui deditos, quemadmodum insignes virtute viros, vt Herculem, Hectorem, ob egregia facinora in Deorum, sic animalia quædam, ut Canem, & Delphinum ob singularia quædam beneficia in Astrorum numerũ retulisse? Quis tandem ignorat, Poëtas fabulosè multarum rerum imagines in Cœlum transtulisse, ut Arietis in honorẽ Jovis arenarii, Tauri in memoriã illius, qui Europã incolumem transvexit in Cretam, & aliorum compluriũ? Fabula igitur illa, quam narrat Haly de imagine scorpionis formatâ à quodam Astrologo eo tempore, quo scorpionis imago in Cęlum vigebat, eamque optimè scorpionum ictus curare dicebat.

10 Sed nedùm in hujusmodi imaginibus; verùm etiam nec in stellarum ipsarum influxu reperiuntur vires, quas falsò eis tribuunt nonnulli, qui ab eo futurarum rerum cognitionem haurire præsumunt: Quare Astrologi, qui futura certò prædicere audent, excommunicantur in Bullâ Xisti, & damnantur non solùm à Jure Canonico, non solùm à Sanctis Patribus; sed etiam á Jure civili, à Philosophis, ab Historicis, & ab ipsis Astrologis, ut demonstrat Torreblanca *juris spirit. lib.* 7. *cap.* 5. *à num.* 50. Damnantur quoque à Theologis, & Jurisperitis, quos longâ serie recenset Torreblanc. *loco cit.* Vide etiam Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *Resol.* 17. Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 33. & *Resol.* 34. Michaelem Medinam *lib.* 2. *de rectâ in Deum fide*, & Paulum Nazarium *de Magia*, *qu.* 6.

11 Et majori animadversione digni sunt, qui ut Petrus de Alliaco, quem suprà laudavimus, Astris subjectant Mysteria nostræ fidei, ut Christi Adventum, & Nativitatem; Religionis, Fideiquè mutationes: Alberghin. *in Manual. cap.* 18. *sect.* 2. §. 5. *nu.* 8. Francisc. de Magistris *in Sylva Eccles. to.* 2. *cap.* 5. *num.* 45. Adversùs hos astrologos invehitur Picus Mirandulanus *lib.* 2. *contra Astrol. cap.* 5. & *lib.* 5. *auct.* 11. quem citat Del Rio *disqu. Magic. lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 1. (Vide P. Baldell. *Theolog. Moral. lib.* 4. *disp.* 5. *num.* 8. & Mouram *de incant. sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 21. *per tot.*)

12 Dedecet enim, Sacrosancta Mysteria Astris superiora, Astris subijcere: Del Rio *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 1. 3. *concl. vers. notandum*; Undè perfectissimus in Astrologiâ Dæmon ignoravit ea Sacratissima mysteria, vt benè ait Baldell. *loco cit.* quidquid dicat apud Eruditissimum Amicum Abbatem à Turre *de Mithra*, *cap.* 6. *pag.* 225. Aleander, scilicet Dęmonem instituisse Natalem Mithræ eâ die, quâ nasciturus erat Christus: Hoc enim latebat Dęmonem: Quâ proptèr à fortiori tamquàm falsum, & erroneum rejiciendum est, quod suprà jactabat Petrus de Alliaco, nimirùm Reges Magos prævidisse in Astris Verbi Incarnati Nativitatem. Profectò Stella, quæ Magis apparuit, non fuit ex illis, quibus Cœli ornantur; nec etiam vapor Meteoricus, sed in eo omnes conveniunt, ut testatur Henricus Spondanus *ad annum Christi*

primum, *n.* 8. fuisse divinam quamdam virtutem, quæ & radiis fulgoris sui intuentium oculos illustraret, & mentes divinâ luce perfunderet. Porrò ejus splendorem solem ipsum illustrasse, testatur S. Ignatius Martyr.

13 Non aliud igitur subjectare possumus Cœlestibus Corporibus, nisi temperamenta, ac complexiones, & temporum vicissitudines: Torreblanca *juris spirit. lib.*7.*cap.*6. Quâpropter non est illicitus Astrologiæ usus in rebus, quæ ad Medicam, & Nauticam artem spectant, sicut ad agrorum culturam, ut paulò antè diximus, & proùt docet inter alios, Hurtad. *ubi suprà*, *Resol.* 33. Imò idem Hurtad. *ibidem*, *Resol.*49.*num.*647. addit, non esse superstitiosum, si quis sciens motus Astrorum, & conjunctiones, velit expectare, diem in quo consummet Matrimonium; si enim (subjungit ille) in pecoribus conjungendis licet hoc facere, cur non etiam licebit id expectare in hominibus conjungendis? Et quia humana corpora componuntur ex quatuor qualitatibus, calore scilicet, frigiditate, siccitate, & humiditate, ex quorum proportione ingenium, & animi dotes apparent perfectiores, vel imperfectiores, ut præter Aristot. & Galenum, docent Conradus Vvimpin. *de signis*, *cap.*8.*nu.*1. & Torreblanc. *juris spirit. lib.*7.*cap.*8. *nu.* 1. Qui enim humores habent temperatos, sunt prudentissimi, sobrii, & ad omnia virtutis opera paratissimi: Jo. Huart. *de exam. Ingen. cap.*14. Qui calidâ Melancholiâ abundant, ingeniosi, juxtâ Aristot. apud Crinitum *de honest. discipl. cap.*6.*lib.*3. & Torreblanc. *ubi sup. num.* 16. idcircò Favorinus Heroicam passionem vocat hujusmodi Melancholiam: Quibus verò atra bilis frigida est, ipsi sunt stolidi, & ignavi; quibus nimia est, attoniti, & timidi: Crinitus *ibidem*. Temperamentum autem siccum, menti aptissimum esse dicit Galenus, *lib. quod animi mores*, *cap.*8. Sicut è contrà humiditas cerebri memoriam parit, & imaginatricem, ut ait Aristot. *sect.*14. *probl.*15. Quia, inquam, humana corpora his qualitatibus componuntur, secundùm quas ipsa corporibus cœlestibus subesse innuimus in *Prælim.* non est quoque illicitum, si Astrologia adhibeatur ad cognoscendas naturales inclinationes, & propensiones ad iram, mansuetudinem, ingenium, vires, robur, & cętera, quæ à temperamentis, & qualitatibus dependent: Baldell. *ubi suprà*. quorum cognitio cum aliis circumstantiis inservit quandoquè ad formamdū prudens Judicium circà res liberas contingentes: Baldell. *ibidem*, *num.*12. cum ad hunc finem Astrologia sit ars pura, liberalis, nec vetita; ab aliquibus tamen vitatur ob periculum ingestionis Dęmonis: Moura *sect.* 3.*cap.*5.*num.*24. ex Calder. *de hæret. c.*22.*num.*8. & Torreblanc. *juris spirit. lib.*7.*cap.*9.*&* 10. ubi latissimè.

§. II.

An in corporibus animatis consistat Magia Naturalis?

SUMMARIUM.

1 *Lingua, oculus, & tactus animantium, mirabiles producere effectus experientia docet.*

2 *Exempla effectuum mirabilium linguæ, & num.*3.

4 *Voces, & cantus animalium non destitui naturali magiâ, existimat Plinius.*

5 *Præfatos effectus effluere ex vi naturali probare nituntur multi Auctores.*

6 *Ars Cabalistica hodiè viget apud Iudæos. & num.*7.

8 *Reprobatur Archindus, docens, preces ad Deum fusas naturaliter efficaces esse ad obtinendum, & num.*9.

9 *An Tianæus, Melampus, & Salomon voces animantium intellexerint?*

10 *In quonam illuxerit sapientia Adami, nomina rebus imponentis?*

11 *Picus Mirandulanus primus omnium Cabalam in latium induxit.*

*Quæ hæresis suspicionem habet, & n.*9.

12 *Elementa literaria inter se ità, vel ità ordinata miranda exhibere valent, juxtà Bravum.*

*Sed reijcitur. num.*14.*&* 15.

*De Campana Villilæ in Aragonia, suâ spontè sonante. num.*13. *&* 17.

16 *Notabilis doctrina Hurtadi de Verbis, quibus animalia incantantur.*

18 *Campana in Terra Rocchæ Contratæ spontè pulsavit, eo momento, quo Innocentius XI. evectus fuit ad Summum Pontificatum.*

Vbi de Equo met allino Constantinopolitano.

19 *Vis, quæ inest verbis ad producendum mirabilia provenit, vel à virtute supernaturali divinâ; vel à virtute supernaturali diabolicâ.*

20 *Orationes quasdam ad impetrandum Dei auxilium ipse Deus, & Sancti edocuerunt, ut adversùs terræmotus, & tonitrua.*

21 *Virtute Divinâ Serpentes incantantur; quomodo, & quare?*

22 *Ubi, quando eorumdem incantatio potest tribui Dæmoniacæ virtuti.*

23 *Phormiginis mirabilis effectus, scilicet urinam provocare. Caii Gracchi exemplum; Et Davidis Citharam pulsantis, quâ Dæmon expellebatur.*

24 *Effectus mirabiles, quos producunt Verba, tribui quoque possunt virtuti intentionali eorumdem Verborum.*

25 *Verba non habent virtutem ad morbos curandos, & reiiciuntur contrarium asserentes.*

26 *An ad curandum Tarantismum, valeat Musica, & sonus?*

27 *De aspectu Strygarum, Basilisci, Lupi, et consimilium, & nu.28.29. 30. & 31.*

32 *Avicenna Orationes, & Litanias posuit in ordine naturæ.*

33 *Fascinatio non fit solùm cognitione visivâ, sed aliquâ virtute subiecto innatâ, vel à Deo gratis concessâ.*

Ubi de vi medendi per solum aspectum.

34 *Nedùm homines, sed etiam Bruta per tactum multa mirabilia operantur: Exempla.*

35 *Per tactum nequit Magia exerceri.*

36 *Mas inter fratres septimus suo tactu strumas medetur ex Lessio, & aliis.*

37 *Sed falsum est.*

38 *De privilegio medendi strumas per Regem Galliæ, & aliorum, & num.36.*

39 *Ex Ruperto Abb. si nuda mulieris planta tangat serpentem, eum interficit.*

40 *An manus immaturâ morte raptorum valeat ad curandas paroptides?*

1 MIRABILES quotidiè experimur effectus, quos homines, & cætera animantia, seù linguâ, seù oculo, seù tactu naturaliter operantur, adeòut in his tribus prodigiosa residere Magia prò comperto à quampluribus habeatur, præcipuè ab Avicenna, Algazel, & Arabicis ferè omnibus, & Cabalisticis, ac recentioribus Judæis: De hac re Origenes *contrà Celsum, lib.1. & 2.* Aetius *lib.8.cap.5.* Grilland. *de sortileg. lib.2.qu.8.* Leloyher *lib.1. spectror. cap fin. & lib.4.cap.4.* Pomponat *de incant. cap.4.* & Vossius *de origine, & progressu Idololatriæ lib.1.cap.6.*

2 Etenim quò ad linguam, dum ipsa in hominibus loquitur, vel dum in cæteris animantibus sonum edit, incredibilia producit: Siquidem narrat Grilland. *loco citato, sub num.2.* quem etiam citat P.Schottus *in Thaumaturgo, p.2. lib. 4. cap. 2. Syntagm. 3.* de quodam Græco, tempore Adriani sexti, qui solis verbis compresserat vires ferocissimi Tauri coram ducentis, & ultrà viris; id quod etiam adnotant P. Nierember. *lib. 1. de Miracul. naturæ in Europa, cap.36.* & Hurtadus *Resol. Moral. tract.5.cap.4. Resol.26.* ubi tamen sugillandus, dum tuetur consuetudinem in Hispania mansuefaciendi taurum in festo S. Marci Evangelistæ. Est enim efflagitatio divini miraculi, ut ait Clemens VIII. in Brevi edito *anno 1598. die 10. Martii.* Nec sunt petenda miracula in rebus vanis, & nullius momenti: Sed ad nos: Holcot. *ad illud sap. 16. Filios autem tuos, nec Draconum vicerunt dentes, sect.178. fol.264.* scribit, quod Mercatores quibusdam carminibus Dracones faciunt mansuetos ad tempus, quibus insidentes fræno eos ferunt usquè cum in Ethiopiam veniunt, ubi eos vendunt, quia Ethiopes in fervidâ plagâ habitantes, frigidissimâ Draconum carne vescuntur.

3 Superiùs diximus, & testatur Julius Cęsar Scaliger *de subtilit. exerc.344.7.* de Marsis, qui cogunt verbis quibusdã serpentes, ut virus deponant, & mansuescant: Imò David memorans hujusmodi incantationem *in psal.57.* dicit, quod Aspides ad eam evitandam, obturant aures, caudâ scilicet, juxtà Genobrandum; & Hieremia *cap.8.* tamquam quid speciale inter serpentes, ait, Regulos non incantari: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* de quâ re latè Hurtad. *Resol. Moral. tract.5.cap.4. Resol.25.* Habemus etiam

ex Origene ; quibusdam nominibus etiam non intellectis, ser pentes sopiri, protrahiquè à Cavernis, & corporis humani tumores solâ voce reprimi. Hujusmodi virtutem incantandi serpentes Nigritis, Africæ populis, Nigri fluminis accolis tribuit Aloisius Cadamust. *in nauigat. Ind. cap.* 28. & Crocodilos à piscatoribus Nili excantari, docet Villamontius *lib.* 3. *itiner. cap.* 12. sicut & Mamertinos, seu Messanenses certorum verborum sono piscem Xiphiam capere, testantur Athanasius Kircher. *in Arte magneticâ, & in Misurgiâ, lib.* 9. *par.* 2. *cap.* 7. & Thomas Fazellus *decad.* 1. *rerum sicul. lib.* 1. sed quod mirabilius est, veteres, ut lunam in Eclypsi laborantem adiuvarent, timpana, & Cymbala pulsabant, ne incantantium voces eò possent pervenire, ut ab eâ audirentur.

4 Nec suâ naturali Magiâ destituuntur voces, ac cantus animalium: Quippè galli cantu terruntur Leones, teste Plinio *de nat. hist. lib.* 10. *cap.* 21. Sed brevitatis causâ sexcenta hujusmodi mirabilia, quæ à brutorum vocibus pariuntur, omittamus.

5 Quod autem supradicti effectus effluant è vi naturali, probat Joannes Bravus Chamisius *de medendis Corporum malis, lib.* 1. *cap.* 7. & satis luculenter demonstrant ea Moysis Barcephę verba relata à Pererio *in Genesim, to.* 1. *lib.* 5. *vers.* 20. *fol.* 525. Quæ ità se habent: *Adam editiori Paradisi loco insidens, augustâquè auctoritate, & Majestate, ac tali vultus splendore, qualem emicasse è facie Moysis in* 34. *cap. Exod. scriptum est, voce, quæ sensu excipi posset, pronuntiatâ, singulis animantium generibus nomina indidit, unumquodquè nominatim appellando: illa verò submissis capitibus prona, nequè prænimio decore, quo ille splendebat, intueri ipsum audentia, singulatim præteribant, & suis ab illo appellabantur ex ordine nominibus,* v. g. *cum Taurum ille nomine appellaret, continuò is, audito nomine suo, transibat coram illo, capite submisso; similiter nominatim citatus Equus præteribat, dejectâ cervice, & sic de cæteris.*

6 Quamobrem usquè adhuc viget ars Cabalistica apud Judæos, quæ consistit in usu hæbriacorum nominum, litterarum, & accentuum, quorum omnium si quis vim probè calleret, posset, ut ipsi putant, multa mirabiliter efficere; asseverantes prædictas voces nactas fuisse potestatem in naturam, in Dæmones, in Angelos, & in Deum ipsum, ex eo quod ab Adamo Sapientissimo nomina rebus fuerint imposita, substantias, qualitates, & proprietates exprimentia. Quarè eisdem nominibus appellanti res confestim ipsæ subduntur, & obediunt. Hanc autem, inquiunt, artem res suis nominibus appellandi fuisse Adamo primo Parenti nostro in sopore illo, ingenti liberalitate, à Deo optimo maximo cõmunicatam: Tali pacto, qui ineptam hanc Judæorum sententiam sequeretur, dicere posset Exorcismos editos à Statu naturæ, quia Adam habuit notitiam à Deo naturaliter ad nominandum propriissimè, & secundùm proprietates, naturales res, ità ut ipsæ vocatæ his nominibus, subderentur, pròut tenuit impius Wiclef. apud Mouram *de Incant. sect.* 2. *num.* 2. hocque est præcipuum Cabalistarum fundamentum, teste Georgio Raguseo *de divinat. lib.* 2. *epist.* 5.

7 Imò hodiè firmè credunt Judæi Cabalistæ per nomen *Schembamephoras*, si rectè adhibeatur, & legittimè applicetur à Peritis, omnia effici posse; tribuuntquè peritiæ hujus nominis omnia Christi prodigia, atquè aliud Judæi ulteriùs ad eludendam vim miraculorum Christi fabulantur, ut dicit Majol. *tom.* 3. *colloq.* 1. *de perfid. Judæorum*, §. *sed aliud, fol.* 921. scilicet in Salomonis Templo Lapidem quemdam fuisse raræ virtutis, in quo Salomon prò suâ singulari Sapientiâ Nomen Dei insculpserat, quod cuique legere licebat quidem, sed ediscere memoriter, aut transcribere, prorsùs nemini; & ad valvas Templi duos Leones catenis duabus vinctos prostitisse, quorum tàm horribilis erat rugitus, ut qui edidicisset, præ metu oblivisceretur; qui transcripsisset, medius creparet: Sed Jesum Mariæ Filium, neglectâ dirâ illâ execratione, quæ prohibitioni adjuncta erat, spretoquè ipso Leonum rugitu, postquàm excripsisset, mirabili prorsùs animi fiduciâ pertransisse. Nè verò depræhenderetur, Suræ pelliculam aperuisse, ibiquè abscondidisse;

disse; indè verò factum, ut tot, tantaque miracula posteà patraret, quanta anteà neminem fecisse, legatur.

8 Judæorum opinioni fortasè innixus Archindus apud Eymer. *part.* 2. *direct. qu.* 4. §. *Archindi*, ajebat, preces ad Deum fusas naturaliter efficaces esse ad obtinendum bonum, & fugandum malum, non quia propter eas Deus hæc nobis tribuat; sed quòd ab ipsis verbis, & ab ipso desiderio, quoties Deum precamur, derivantur quidam radii, qui naturaliter in nobis efficiunt, quod optamus: Non absimilem opinionem tuetur etiam Cornelius Agrippa *lib.* 1. *de Philosophiâ occultâ, cap.* 70. quem refutat P. Schottus *in Thaumaturgo, par.* 2. *lib.* 4. *synt.* 3. *cap.* 1. *in Crisi*.

9 Sed hæc ratio nullius ponderis est, & fabulosa involvit, tùm quia, ut suprà stabilivimus, etiam voces animalium effectus mirabiles producunt, nec sunt significativæ: Quarè inane commentum fuit, quod Tianeus, & Melampus cũ aliis apud Porphir. *lib.* 3. *de abstinen.* & quod Salomon, ut tenent Judæi nonnulli apud Abulens. *q.* 11. *ad* 3. *Reg.* 1. 3. animantium voces intellixissent: Tùm quia, si tàm mirabilia causarent verba, hæc cogerent Deum ad illa producendum, quod est error in Fide: D. Tho. 2. 2. *qu.* 83. *art.* 2. & 3. *contrà Gentes, cap.* 96. Repugnat enim omnipotentiæ, quam reperiri in Deo fides nos docet: De hac re Pistachius *de superstit. cap.* 16. *nu.* 2. 3. & 4. ubi damnat artem Caballisticam, eamquè probat inducere hæresis suspicionem, & Candidus Brognolus *in Alexicon. tom.* 1. *disp.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *art.* 1. præcipuè §. 4. *num.* 750. & *seqq.*

10 Tùm quia in hoc tantùm illuxit Adami sapientia, quoniam talia nomina imposuit, quæ repræsentarent illas animalium proprietates, v. g. Leoni imposuit hujusmodi nomen, quod hæbriacè significat animal generosum; Simiæ, Cavillosum; Tauro, ferox; Evæ, Matrem viventium, pròut benè ostendit Angelicus Doctor 1. 1. *quæst.* 96. *art.* 1. *ad* 3. & si ipsa primo hominum Parenti obtemperabant, hoc evenit, non quòd vocis vis significandi naturaliter penetraverit; sed, quemadmodum docet idem Angelicus *ibid. ad quartum*, ex naturali instinctu, eo modo quo aves, & aliæ animantes suos duces sequuntur; & tali pacto essent obediturę nobis

11 in statu innocentiæ: Miror tamen, Jo: Picum Mirandulæ, qui primus Cabalam in Latium traduxit, gloriari se libros de Cabalâ maximo præcio emisse, atque in eis multa circa Mysteria Fidei nostræ optimè cognovisse.

12 Alia igitur ratio videtur assignanda, quod scilicet sicuti mixta, imò, & elementa virtute occultâ mirabilia causare possunt; ità elementa litteraria inter se tali, vel tali pacto ordinata, miranda exibere valent, juxtà Bravum *ubi suprà*, §. *quod si quæratis*.

Quod satis clarè demonstratur ex eo quod, cum nullus sonus detur, qui verbis exprimi non possit, quosdam sonitus videmus effectus dictu incredibiles edere, nec respectu eorũ oriri potest suspicio pacti cum Dæmone, quoniam emittuntur à rebus nec intellectivis, nec animatis.

13 Hinc oculati testes, ac fide digni narrant, Campanam Villilæ in Regno Aragoniæ suâ sponte sonare, quoties calamitates imminent, vel fælices exitus, sicut videre est apud Marianum *de rebus Hispan. libr.* 21. *cap.* 11. & Marcum Xavier 2. *par. cap.* 1. *de expuls. Mahumet.*

14 Sed nec ratio hæc subsistit: Siquidem verba sunt naturâ fluida, & transeuntia, & ferè nullius entitatis; undè conservare nequeunt virtutes permanentes, notabilis efficaciæ, & activitatis.

15 Adde quod quę sunt in eodē genere, non possunt in contraria diversi generis agere, & proindè sicut calor non operatur in saporem; nec sapor in odorem; nec sonus in figuram: Ità nec verba, & figuræ in morbos, sivè ut expellantur; sivè ut inducantur: D. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 2. & *lib.* 3. *contrà Gentes, cap.* 104. & 105. Cirvel. *de superst. par.* 3. *cap.* 3. Langius *epist.* 33. Coel Rhodig. *lib.* 16. *antiqu. cap.* 14. Valles. *de Sacrâ Philosoph. cap.* 3. Mendoza *in viridario Sacræ Script. lib.* 4. *probl.* 8. &

16 alii: Quò verò ad ea verba, quibus animalia incantantur, sapienter advertit Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 25. *à num.* 250. ex D. Thoma, quod bruta non agunt, sed aguntur ab aliquo agente intellectuali, quod vel est Deus, vel

vel Angelus bonus, vel malus: Idcircò, ut incantatio hæc vim habeat in irrationalia, dirigi debet ad moventem ipsa, scilicet ad Deum, cujus nutu omnia eveniunt, ipsum vel deprecando, ut desistat; vel Dæmonem compellendo per exorcismos ab Ecclesiâ approbatos, ne ipse Dæmon suam exerceat potestatem in irrationabilibus: & in his duobus casibus licita est adjuratio. Si autem dirigatur ad Dæmonem, cum deprecando, ut desistat; tunc incantatio superstitiosa est, & generans hæresis su-
17 picionem. Hoc porrò dicendum est, & eò magis, de rebus insensatis, quarè si vera sunt, quæ narrantur de eâ Campanâ, quò ad prædicenda futura, tribui debent virtuti supernaturali Dei, pròut tribuit Del Rio *lib. 4. disq. cap. 3. qu. 2.* præcipuè, quia super allegatus Xavier testatur, in præfatâ Campanâ exaratum esse illud Sybillarum Carmen: *Christus Rex venit in pace, & Deus Homo factus est.* Undè facilè (sunt verba Mouræ *sect. 1. cap. 1. num. 17.*) dici potest, prædictum psalmum eam miram futurorum prænunciationem præbere, qualem Sybillæ ipsæ habuerunt. Hoc
18 idem accidit in Terrâ Rocchæ Contratæ Senogalliensis Diœcesis, ut mihi de publicâ voce, & famâ testatur Patruus meus, ejus Ecclesiæ Episcopus: Ibi enim Campana Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis, extrà Portam S. Augustini, nemine eam impellente, sonum edidit eo momento, quo Sanctæ Memoriæ Innocentius XI. evectus fuit ad summi Pontificatus apicem, & sonus illius Campanæ adeò distinctus fuit, ut aliqui putantes vocari populum ad missam audiendam, eò se contulerunt, & neminem in eâ conspicientes, animadverterunt Campanam spontè pulsare. Verùm cum posteà per Tabellarios innotuerit electio Summi Pontificis, patuit causa hujus effectus, de quo postea fabricatus fuit in Curia Episcopali processus: Hoc ab habitatoribus illius Terræ tribuitur Miraculo, quia idem Pontifex annis antè actis, cum tunc Cardinalis ægrotaret, suadente ejus confessario ordinis Carmelitanorum Discalceatorum, Imagini prædictæ Beatæ Virginis devotè se commendavit, & Sanitatem obtinuit; quamobrem grati animi ergò generosâ pietate multam pecuniam largitus fuit prò illius Ecclesiæ constructione. E contrà virtuti diabolicæ adscribendum venit, meo judicio, id quod laudatus Xavier *ibi* narrat de Equo metallino, qui Constantinopoli hinnitu edito prænunciat, sed fallibiliter, quæ infidelibus impendunt: Idem habetur apud Nieremberg. *lib. 1. de miracul. natur. in Europ. cap. 18.* & Hurtad. *resol. Moral. tract. 5. cap. 6. resol. 50.*

19 Concludendum est igitur, vim, quæ inest verbis, mirabilia producendi, provenire á virtute supernaturali, seù diabolicâ, quod ex supradictis regulis facilè dignosci potest; idquè docent Annanias *lib. 4. de natura Dæmon.* Del Rio *Magic. disq. libr. 1. cap. 4. quæst. 3.* & Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 12. cap. 24. num. 32.* seu ex virtute Divinâ, ad quam impetrandam prò rerum varietate, varias quoque orationes, seù preces habemus: Stephan. Bubal. *in D. Thom. part. 1. qu. 50. art. 1. quæst. 2. differ. 2.* §. 4. Mendoza *superius laudato, probl. 8.*
20 & alii: Vel enim eas nos edocuit ipse Deus, ut adversùs Terræ-motum, imperantibus Theodosio, &, inter fæminas admiratione omnium dignâ, Pulcheriâ, narrat Niceph. *lib. 14. hist. cap. 16.* vel edocuerunt Sancti, ut adversùs tonitrua, quorum timidissimus erat S. Thomas, qui, cum tempestates, & tonitrua aerem concuterent, Signo Crucis se muniebat, ità dicens: *Deus carnem suscipere dignatus est. Deus nostrâ Causâ mortuus est, & surrexit*, pròut narrat Surius *in ipsius vitâ, tom. 2.* quod quidem mirabile est, talem nempè virum, qui in extasim Divinam, raptumvè ferebatur, totoquè vitæ cursu Deum læthaliter non offendit, adeò ipsum Deum tonantem pertimuisse. Sed in hoc etiam Sapientissimum sequutus est S. Augustinum dicentem: *Semper Deus timendus est; sed maximè cum tonat: timuit omnis homo, ergò qui non timet, non est de numero hominum.*

21 Patet itaque, Serpentes incantari divinâ virtute, sicut etiam suprà diximus. Imò Bozius *lib. 1. de signis, cap. 5. §. Refer*, ait Serpentes hominis jejuni salivâ excruciari, & enecari divinâ virtute; si tamen fauces, & os, quibus formata est vox ad Evam decipiendam, saliva

atti-

attigerit, mirabiliùs illos enecari, propter inimicitiam, quam Deus posuit inter serpentem, & humanum genus: Hæc etiam incantatio tribui potest Dæmoni, qui, si sub formâ Serpentis fefellit primos parentes, gaudet etiam cæteros homines per Serpentes decipere, juxtà D. Tho. 2. 2. *q.96. art.* 4. Verùm quia superiùs ostendimus, etiam belluarum, in quibus nulla cadit superstitionis suspicio, sonos mirabilia efficere, dici quoquè potest, aliquam naturalem vim reperiri in verbis, seù sonis, sympaticam, ut advertunt Del Rio *disq. Magic. lib.*1. *cap.*3. *q.*4. P. Kircher. *in suâ Phonurgiâ, lib.*2. *sect.*3. *cap.*4. *& in Musurgiâ, lib.*9. *par.*3. *cap.*2. *& alibi*, P. Nicolaus Serrarius *quæst.* 22. *in cap.*6. *Iosue*, Mersennus *in suâ Harmoniâ*, Hieronymus Fracastorius *in lib. de Sympathiâ, & Anthipathiâ*, P. Laurentius Forerus *disputat. de sympath. cap.* 1. *thesi* 1. Cornelius Agrippa *lib.*2. *Philosophiæ occultæ, cap.* 24. Joannes Porta *lib.* 20. *Magiæ naturalis, cap.*7. Laurentius Beyerlinck *in theatro vitæ humanæ, litt.M*, P. Mendoza *in viridario, lib.*4. *cap.* 34. P. Schottus *in Thaumaturgo, p.* 2. *lib.* 4. *per tot.*

22 Id etiam constat ex phormiginis sono respectu Reguli Vasconis Equitis: Is enim, ut narrat Scaliger *de subtilit. exerc.* 344.6. quandò hujusmodi sonum audiebat, urinam illicò emittere cogebatur: Igitur, sunt verba Scaligeri, è turmâ quidam, quem levis, ac civilis joci offensiunculâ aspersisset, ridiculam illi paravit ultionem: Propè discumbentem adduxit cæcum quemdam cum phormigine, cujus, ut solebat, sono permotus, ibi sub mensam inter clarissimorum convivarum pedes quinmeiret, continere sese non potuit; nec mirum, si consideramus, quemadmodum subjungit idem, cultellorum attritu aviculas in cancellatis caveolis ad cantillandum excitari ob acutam soni contentionem; ac limæ stridorem, & sericarum vestium siblium pluribus incutere horrorem, ex quo foris tolluntur pili, intùs musculi succutiuntur.

23 Hanc vim soni comprobat etiam Valer. *Max. lib.* 8. *cap.* 10. ubi ait de Cajo Gracco, quoties apud populum concionaturus esset, servum post se Musicæ artis peritum habuisse, qui occultè eburneâ fistulâ pronuntiationis ejus modos formabat, aut nimis remissos excitando; aut plus justo concitatos revocando, de quâ re P. Kircher *in dictâ Phonurgiâ, lib.* 2. *per tot.* Quinimò habemus in Sacrâ Scripturâ 1. *Reg.* 16. Citharâ, & Melodiâ Davidem expulisse Dæmonem à Saule, non quia detur genus Dæmonum, qui nequeant sustinere Musicæ Melodiam, ut innuit Figueira *in Platea universali, disc.*33. sed quia ille Dæmon non aliud notet, nisi humorem melancolichum in Saule, sicut videre est apud Mouram *sect.* 2. *cap.* 5. qui proindè humor suavitate soni vincebatur, id quod etiam adnotat P. Schottus *in Thaumat. par.* 2. *lib.* 5. *synt.* 1. *cap.*3. ubi concludit, instrumentum, quo verus Dæmon vexabat Saulem, fuisse melancholiam, quam David citharæ sono dissipabat.

24 Addunt etiam Del Rio, & Laurea apud Mouram *sect.*1. *cap.*5. *nu.*15. quod quamvis effectus mirabiles, qui per verba causantur, tribui debeant virtuti diabolicæ; attamen eorum multi reduci possunt ad Magiam naturalem, virtutemquè intentionalem verborum, quorum nempè significantia percepta, ac penetrata animantia ipsa concipiant: Licet enim ipsa non agnoscant formalem convenientiam, nihilominùs percipiunt materialem, ac eam, quam certæ voces naturaliter, & non ex solâ hominum impositione reddunt, sicuti risus, gemitus, & hujus generis alia; ideoquè voce imperiosâ hominis irati, quandoquè bruta mansuescunt: Codronch. de *morb. venefic. cap.*5. & Torreblanc. *Iuris spirit. lib.*12. *cap.*24. *num.*29.

25 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, infertur, toto Cælo aberrare, qui contendunt in verbis naturaliter magnam vim esse, præsertim ad morbos curandos, ut crediderunt eruditissimus Tiraquell. *de nobilit. cap.*31. *à num.* 299. Ficinus *lib.* 3. *de vitâ cælitùs comparandâ*, & Weccherus *de secretis*, qui liber meritò à Sac. Congregatione Indicis fuit proscriptus. (Vide, si vis, Gasparum Rejetem Francum *in Elys. campo jucund. q.q.* 22. *per tot.*) Non ità Cardanus, qui vellicat credentes inesse verbis hanc Magiam naturalem; nec Q. Serenus Medicus, qui cecinit.

Mul-

Multaquè præterea verborum monstra si-
lebo ,
Nam febrim vario depelli carmine posse ,
Vana superstitio ——

quæ sub præstygiarum crepundiis educata, in grandiorem ætatem adulta, ac pennulis præmunita, evolat in fatuorum arces, atquè nidulans, credulitatem parit, quę, utpotè parentis beneficii grata, illam mutuò enutrit, alioquin breviter interituram, queadmodum ait Calcagninus *in libell. de Amat. Mag.* quem citat Del Rio *disq. Magic. lib.* 2.

26 *q.* 2. Nec dicatur, quod ad curationem Tarantismo affectoru m plurimùm conferat sonus, & musica: Tarantati enim non musicâ, sed labore (ut ait ex Cardano P. Schottus *in Thaumat. par.* 2. *lib.* 5 *syntagm.* 2. *cap.* 3.) venenum à se discutiunt: labore namque, subjungit Scaliger *excercit.* 185. ac sudore tùm vincitur, tùm expellitur venenum. Ratio autem, quare somnolenti illâ musicâ Tarantati excitentur, adducitur à P. Schotto *ibid.*

27 Quò autem ad oculorum vim, licet non ignoremus, Stryges solo aspectu homines, pręsertim in infantili ætate constitutos, incantare, aliaquè mirabilia efficere; attamen quandoquè incantantur etiam naturali aspectu, absquè ullo pacto Dæmonis, quemadmodum benè demonstrant Fracastorius *in suo Opusculo, de Sympathiâ*, P. Gaspar Schottus *in Thaumaturg. &c. par.* 4. *lib.* 5. *pag.* 485. & antè eum D. Thom. *par.* 1. *q.* 117. *art.* 3. *& libr.* 3. *contra Gentes*, *cap.* 103. *& de malef. quæst.* 16. *art.* 9. Bern. Basin. *de artib. Magic. prop.* 8. Perez de Lara *in Compend. vitæ homin. cap.* 1. *à n.* 28. & Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 28.

28 Nec mirum: Solo enim intuitu Basiliscos necare narrant, & quoties virus eorum speculo repercutiatur, à se ipsis mortem accipere: Tholos. *Synthagm. lib.* 34. *cap.* 11. *num.* 9. Dioscorid. *lib.* 6. Plinius *lib.* 8. Solin. *cap.* 20. Scalig. *exerc.* 24. & Mercurial. *lib.* 1. *de venenis*, *c.* 21. Quippè tunc radii visuales, qui sunt infecti, ad ipsum Basiliscum reflectuntur, & aerem, tali infectione corruptũ, ad ipsum retorquentes, eum necant: Eodem modo, licet absquè speculo, quidam, nomine Antipho, de quo scribit Aristoteles *in Meterologicis*, & Basson *in Concl. philosoph. Introd.* 2. *lib.* 5. *art.* 9. cernebat imaginem suam antè se in aerem, quoniam ob visus debilitatem ipsi radii in aere frangebantur; fiebatquè illi aer, tanquàm speculum, quo radii ad eum

29 reflectebantur. Testantur quoquè D. Ambrosius *in Luc. cap.* 10. Plin. & Jesuer *lib. de quadruped. in Lupo, litt. C. & H.* Lupum, si priùs hominem conspiciat, quàm videatur, vocem ei adimere, undè Virgil. in Bucol.

—— *Vox quoque Mærim*
Jam fugit ipsa: Lupi Mærim videre prio-
res .

30 Ratio est, quia, ut ait Cappella Tholos. Cantipratensis *lib.* 2. *de apibus*, *cap.* 57. *part.* 39. Spiritus oculorum Lupi homini immissi, spiritus ipsius hominis visivos desiccant; hisque arefactis, arteriæ desiccantur, & sic offenditur Instrumentum vocis: Hanc rationem affert ille, & si super hac re causam quærere, sit decipere, juxtà Brodæum *lib.* 7. *Miscell. cap.* 7. At quoties Lupus prior videatur, non ità evenit, eò quod metu pori, è quibus virus exit, intercipiantur, dum se conspici videns, insidias sibi parari suspicatur, & fugit, quod tamen non admittit Andr. Laurent. *de Lupo.*

31 Scribit etiam Annanias *de nat. Dæm. lib.* 4. Leonem pavescere, ac trepidare ad Gallinacei aspectum: Quarè igitur dici nequit, etiam naturaliter incantari pueros à vetulis, dum putidis plenę humoribus teneros aspiciunt infantes? Siquidem inter has vetulas, & pueros non implicat, quod adsit naturalis antipatia, & quod sufficiens sit earum mala intentio, & imaginatio ad eos inficiendos: Ait S. Thom. 1. *part. d. qu.* 117. *art.* 3. *ad* 2. ex forti imaginatione immutari spiritus corpori injunctos, & potissimùm subtiliores. Hinc est,

32 quod Avicenna apud Mouram *sect.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. in hac opinione nimis progrediens, orationes, & Litanias posuit in ordine naturæ, putans imaginativam posse etiam corpora extranea mutare per has orationes: Verùm id, quod dicit S. Thomas evenire posse ab imaginatione, faciliùs quidem contingere potest per spiritus, qui ab oculis exeunt: de hac re Medina *lib.* 2. *de rectâ in Deum*

fide

fide, *cap*.7. Picus Mirand. *de Imaginat.* Abulensis *in cap*.30. *Genes.* Pistachius *de superstit.p*.1.*cap*.21. *num*.17. 18. *&* *nu*. 20. & Perez. de Lara *in compend. Vitæ hominis*, *cap*. 1. *à num*. 28. Sed inhærendo sententiæ D. Thomæ, dico id, quod sortiri valet infecta imaginatio, & antipathia, eâdem ratione assequi poterit ipsamet Imaginativa benè affecta, atque vis sympatica, solo aspectu egrediens, mederi; licèt id esse potius incredibile, putent Doctores, quos citat, & sequitur Moura *de incant. sect*.2.*cap*.4.*n*.6. Aduersùs tamen Torreblancam inquit Hurtad. *Resol. Moral. tract*.5. *cap*.4.*Re-*
33 *sol*.31. quod fascinatio non fit solùm cognitione visivâ, sed aliquâ virtute sibi innatâ, sivè à Deo gratis concessâ: Et quamvis asserat ipse Moura *ibidem* posse imaginationem itâ alterare proprium subjectum, ut in eo causet qualitates aliquas (putà calorem valdè intensum) quæ possint alieno vulneri mederi: nihilominùs hoc dicit, & rectè, esse rarissimum, & per accidens, ut non minùs nocere, quàm mederi valeant: Quippè qualitates venenatæ in nobis reperiri possunt, ipsæque emitti per oculos, ut ex superiùs dictis patet, & prò ut experimur evenire ex visu menstruatæ mulieris, quo inficiuntur specula. At qualitates, quæ ex se adeò sint salutiferæ, ut morbos sanare possint, non nobis insunt, nec percipio, quomodò inesse possint, præter vim sympathiæ: Adde, quod imaginatio cum sit potentia passiva, non potest homines fascinare, ut docent August. *lib. 3. de Trinit. cap*. 8. D. Thom. *par*.1. *quæst*.118. *art*. 3. *& lib*.3. *contrà Gentes cap*.103. Valent. *disp*.8.*qu*.8.*punct*.2. Suarez *Metaph disp*. 18.*sect*.8. *cap*. 25. Medina *de recta in Deum fide*, *lib*.2.*cap*.7. Con imbricens. *lib*.7. *physic*. *qu*. 1.*cap*.2. Toletus *in Physic*.7. *cap*.2. *text*.24.*qu*.2. Piccolomineus *in lib. Physic. tract. de potent. motiv. cap*. 24. Vayrus *lib*.2. *de fascino*, Codronch. *de morb. venef. lib*.2.*cap*. 1. Vallesius *de sacrâ philosoph. cap*. 11. Mercadus *tom*.1.*lib*.2.*clas*.3.*qu*. 168.*art*. 4. Thom. Fienus *de viribus imaginat. qu*. 10. 11. *&* 12.

34 Nunc remanet videndum, an per tactum naturaliter exerceantur prodigia.

Quamvis homo præ cæteris animantibus polleat sensu tactus, undè cęci solo tactu percipiunt diuersitatem rerum; attamen bruta quoque animalia per tactum nonnulla mira operantur, quamobrem itâ de Echineide cecinit Lucanus:

Puppim retinens auro tendente rudentes
In mediis Echineis aquis ——

Quod etiam testantur Basilius, & Ambrosius *in Hexameron*: Tradit etiam Del Rio *disqu. Magic. lib*. 1. *cap*.3. *q*.4. Torpedinem sarissâ ictam ferientis manum, corpusquè totum torpefacere; Hyenæ umbrâ canes obtumescere; Viperam arundinis percussione obstupescere; vespertiliones folijs Platani abigi; cæteras pennas, aquilæ pennis mixtas, contactu absumi; Lepore Marino visu, vel tacto necari nonnullos.

35 His tamen non obstantibus, per tactum Magiam exerceri minimè posse, sentio cum Guttier. *Opusc. de Fascino*, *dub*.4. *num*. 58. *&* *dub*.7. *à num*. 11. cum P. Gaspare Scotto *in Thaumat. physico*, *par*.4.*lib*.5. *cap*.3. *pag*.490. & cum Del Rio *loco cit*. qui illis prodigijs validissimè satisfaciunt.

36 Nec pariter officere videtur, quod Lessius ait, & non reprobat, marem omnem, numero inter fratres septimum, suo contactu strumas sanare; Hancquè virtutem quod habeant omnes Galliæ Reges, testantur Hormisda Papa *ep*.1. *ad Remigium Rhemens. Episcopum*, & Bonifacius VIII. *in canonizat. D. Ludovici*, D. Thom. *lib*. 2. *de Regim. Princ. cap. fin*. Genebran. *tom*.2. *Chronic*. *lib*.3. *anno* 498. Andr. Laurent. *in tract. de hac re edito*, *lib*.1.*cap*.2. Lessius *de just. dub*. 10. *cap*.43. Bozius *de signis Eccles. tom*.2. *lib*. 21. *sign*. 92. Jo. Tagaucius *Instit. Chirurg. lib*.1. Hurtad. *Resol. Moral. tract*. 5.*cap*.4.*Resol*.29. ubi ait, temerarium esse, hujusmodi privilegium negare Regi Francorum, & Vualdens. *in lib. de dignit. Regum*, *Regnorumque Hispaniæ*, *cap*.16.*num*.9. ubi quoquè eam facultatem dixit regibus etiam Angliæ concessam vnà cum dono curandi morbum comitialem, quod etiam affirmat Polydor. Virgil. *lib*.8. *hist. Angl. fol*.140. Nec tali virtute sanandi strumas carere Reges Hispaniæ, tenent Moura *de incant. sect*.2.*cap*.8.*num*.12. Vualdens. *ubi suprà*

Bozius *loco cit. tom. 1. lib. 8. cap. 1. sign. 32.* nec carere Reges Aragonum, ajunt Beuter. *lib.* 1. & Joan. Euseb. *par. 1. suæ Philosophiæ, lib. 1. cap. 52.*

37 At respondemus, inane commentum esse, quod asseritur de virtute, quâ præditum fabulantur septimum filium Masculum, qui in lucem editus sit post alios sex fratres Masculos, non interruptâ serie per nativitatem alicujus fæminæ, prò ut benè dixit Sanchez apud Mouram *dicta sect. 2. cap. 9. num. 13.* Testatur tamen Hurtad. *Resol. Moral. tract. 5. c. 4. Resol. 31.* se agnovisse *anno.* 1608. in Curiâ Regiâ (puto Neapolis) vetulam non ignobilem, quæ solùm tangendo partem malo humore infectam, illum extrahebat, aut evomere faciebat, idquè virtute, vel sibi innatâ, vel á Deo gratis concesâ: Sed hæc raró eveniunt, & (ut ego existimo) divinâ tantummodo ùirtute alicui gratis concessâ: De hac re tractat quoquè Pistachius *de superst. part. 1. cap. 21. num. 6.*

38 Quò veró ad ipsam facultatem, quatenus Regibus suprà laudatis concessam, dicimus esse gratiam gratis à Deo ipsis traditam, ut patet ex *ep. 1. Hormisdæ Papæ ad Remigium Rhemensem Episcopum, & ex Canonizat. S. Ludovici ad Urbem Veterem factâ à Bonifacio VIII. Pontificatus sui anno tertio*, quod etiam superiùs tetigimus: Vide, si lubet, Hurtad. *vbi suprà*, Del Rio *Disqu. Magic. lib. 1. cap. 3. qu. 4.* contrà Tookerum, qui librum scripsit cum inscriptione *Charisma, sivè donum sanationis*, quod contendit, fuisse penès Elisabetham Angliæ Reginam, & Achatolicam.

39 Difficultatem tamen non parvam ingerunt eà verba Ruperti *lib. 1. to. 3. de Trinit. cap. 2. fol. 31. Si nuda Mulieris planta dentem serpentis prævenerit, & vivacissimum caput ejus, vel leviter presserit, statim totum cum capite corpus repentè interit; ità ut omninò motus nullus, nullus sensus in aliquâ parte residuus sit, quod non malleis, aut vectibus certè gladiis concidentibus citò, ac leviter effici potest: Siquidem excisum caput, cum tribus, aut duobus digitulis vivere, & abire prohibetur. Hoc quoquè quod prædictam est, ità esse, ipsorum, qui per industriam exploraverunt, fide, & relatione comperimus.* Datur igitur Magica virtus in tactu: Sed videndum, quod suprà diximus de verbis, ac de salivâ interficiente serpentes.

40 Eâdem prorsùs facilitate corruit objectio illa, quæ desumitur ex eo, quod manus immaturâ morte raptorum valeat ad curandum paroptides: Est enim anilis fabula, non dissimilis ab eâ, quam retulimus de septimo Masculo post alios sex fratres nato absquè fæminæ partus interruptione. Non obstat tandem, quod Alexander Magnus mortem objisset, teste Aristotele, si commercium habuisset cum quâdam puellâ: Naturaliter enim hoc evenire poterat, quià ipsa, utpotè napello educata, suo tactu venenoso Alexandrum occidisset.

§. III.

An in corporibus inanimatis Magia naturalis consistat?

SUMMARIUM.

1 *In corporibus inanimatis residere Magiam naturalem, docet Franciscus à Victoria: Sed declaratur.*

2 *D. Augustinus narrat, tanquàm miraculum naturæ, catenam magneticâ virtute connexam.*

3 *Magnes non attrahit ferrum, si juxtà eam adamas ponatur; & si rapuerit, dimittit.*

4 *Contingere potest aliquis effectus mirabilis per virtutem Astrorum, & rerum naturalium, qui causis inferioribus confici nequeat: ejus tamen auctor esset suspectus, donec se omni suspicione purgaret.*

1 TRACTAT hanc quæstionem doctissimus à Victoria *relect. 12. de arte Magica, num. 7.* eamquè affirmativè resolvit, quoties intelligatur Magia, prò quâdam parte secretioris, & reconditioris philosophiæ, quæ si notior fiat, & in consuetudinem venire incipiat, etiam vulgi, desinit vocari Magica virtus: Nonnè Magus putaretur, & haberetur, qui primùm ostenderet Magnetis usum nondùm ità cognitum? Esset enim admirabilis, & incredibilis operis auctor, & effector; Quarè August. 21. de

2 Civit.

Civit. Dei, cap. 4. tamquam prò miraculis, refert, se vidisse annulum ferreum à Magnete pendentem, qui rursùm secundum annulum traxit, & ille rursùm tertium, & sic usquè ad certum numerum, ut velut catena texeretur: Et adhùc admirabiliùs narrat, Magnetem

3 non rapere ferrum, si juxtà eum adamas ponatur; & si rapuerit, dimittere: Plura hujusmodi prodigia congerit Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 11. *cap.* 2. *per tot.*

4 Sed quià non omnia naturæ secreta, & Mysteria sunt, vel peritissimis Philosophorum nota, ob id contigere potest, in quo Alexander rectè sentit, aliquid insigne, & singulare, & præter consuetum naturæ ordinem Astrorum, adhibitis paucis rebus naturalibus, quale opus etiam nullis causis inferioribus confici possit: Reputaretur tamen hujusmodi operis effector utiquè suspectus, donec se ab omni suspicione purgaret, ostendendo naturaliter illud egisse.

Cum ergò dubio procul detur in rebus inanimatis Magia, quâ mirabilia operari possumus, non erit ab re, regulas quasdam in sequenti subsectione tradere, quæ quandò reverà effectus non sit naturalis, indicent: Nec quia virtutes quamplurimæ lateant, impossibile est, ipsas regulas adinvenire. Quinimò quò magis illæ nobis occultantur, eò uberior est fructus, qui percipitur, si modum habeamus dignoscendi, an naturalis sit vis, quæ in ipsis operatur.

SUBSECTIO V.

De regulis, quibus dignoscitur, naturalis num sit mirabilis effectus.

SUMMARIUM.

1 *Prima regula ad cognoscendum quandò effectus mirabilis, quem causare videntur res naturales, non sit ex vi naturæ productus, est, quoties res naturales effectum non producunt, si protestatio adhibeatur de non consentiendo pacto Dæmonis.*

2 *Secunda regula: Non est naturalis effectus, quem producunt res sacræ: Tunc enim omnis virtus, vel est à Dæmone, vel à Deo.*

3 *Apud Carthusienses nullus cimex generatur; & apud Moniales S. Teresiæ, nullus pediculus.*

4 *Prodigia à Reliquiis provenientia, Deo sunt tribuenda: Ubi de statuâ Salvatoris nostri, & de bracchio S Ludovici, ac de aliis, & n.* 5.

6 *Res sacræ tales dicuntur, quotiescumquè relationem habent ad cultum Dei, & Sanctorum: Ubi exempla.*

7 *Tertia regula: Quoties res in distanti operantur, non dicuntur naturaliter operari: ubi examinatur Magnetis virtus, & n.* 8.

9 *De pulvere sive unguento sympathico ad medendum in distanti, an sit superstitiosum?*

10 *Refellitur Van-Helmont fabula, & altera Bruxellensis.*

11 *An sanguinis emissio ex cadavere ad præsentiam Occisoris sit naturalis?*

12 *Ubera Mulieris naturaliter sterilescunt, si dum infantem ablactatur, lac in prunas emulgeat.*

13 *Quarta Regula: Res destruentes proprium* quarto modo *dictum, absque subjecti destructione, non dicuntur agere naturaliter.*

14 *An Dæmon possit reddere corpus invisibile?*

15 *Regula quinta: Quandò res naturales agunt in spirituales non agunt naturaliter, & n.* 19.

16 *An Ruta, herba Tapsia, & odores quidam Dæmones fugent?*

17 *Superstitiosum est sepelire cadavera sub foco cum quibusdam cæremoniis, ne spiritus redeant ad vivos?*

18 *Ubi de consimilibus superstitionibus.*

20 *Refellitur Abailardus, sentiens Dæmonum suggestiones in nobis fieri contactu lapidum, & herbarum.*

21 *Refellitur Helmont de quâdam herbâ amorem inducente, asserens.*

1 PRÆTER signa *in subsect.* 4. recensita, quæ quandò verba sint superstitiosa, demonstrant, quequè considerari debeant, quò ad res naturales, an scilicèt superstitionem ullam redoleant, adsunt etiam aliæ regulæ, secundùm quas non arduum erit judicare, quandò effectus mirabilis, quem causare videntur res naturales, non sit ex vi naturæ productus.

1 Prima regula sit, quoties res naturales effectum non producunt, si protestatio adhibeatur de non consentiendo Dæmonis pacto, sinè quâ operari solent.

Hæc resultat ex experimento Cajetani *suprà in subsect.* 3. *num.* 11. relato; & ratio est, quoniam protestatio nil aliud efficit, nisi quod Dęmon se non immisceat, quandò res non sunt evidenter vanę, prout jam *in subsect.* 3. §. 1. *num.* 13. stabilivimus.

2 Secunda sit, quandò res naturales, quibus aliqua virtus tribuitur, sunt Sacræ: Tunc enim omnis virtus, vel à Dæmone descendit, quatenus ipsæ res aliquid superstitionis contineant; vel à Deo emanat, ob earumdem devotionem:

3 Huic tribuendum est, quod de toto Charthusiensium ordine illius Patres constanter referunt, longo scilicèt compertum experimento, nullum cimicem generari apud eos, vel vivere: Imò nec penès eos intrà Monasterii septa.

Non dissimilis gratia est ea, quæ concessa dicitur Monialibus S. Theresiæ, primùm Monasterii S. Josephi de Avila, deindè reliquis totius ordinis ad preces ipsiusmet S. Matris, scilicèt pediculis, quibus illæ priores summoperè vexabantur, fuisse liberatas, & in posterum præservatas, sicut testatur Repes *in vita S. Theresiæ, lib.* 2. *cap.* 12. *fol.* 127. Hujusmodi plura prodigia miraculosa adversùs animalia, & res insensatas, refert Cenedus *Quæst. Canonic.*, *&* *Civil. qu.* 19. ubi adversùs Bartholomeum Cassaneum latè probat, non posse excommunicari tempestates, locustas, mures, & alia similia: De hac re tractat etiam Didacus Balmaseda *de collectis, qu.* 53. *num.* 16.

4 Tantò magis à Deo recognoscenda sunt ea prodigia, quæ nobis à Sanctorum Reliquijs eveniunt, quod scilicèt bracchium D. Ludovici in Cataloniâ servatum, retineat virtutem strumis laborantes sanandi, ut ait Andr. Laur. *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 11. Item, quod sub statuâ æneâ Salvatori nostro erectâ à Muliere illâ, quam ipse à sanguinis fluxu curavit, nasci solebat quædam herba, quæ ubi crevisset ad fimbriam Imaginis, tactu cunctis morbis medebatur: Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 3. *de Rom. Pontif. cap.* 15. §. *de miraculis*, quamquè Statuam Julianus Apostata virulentâ irâ accensus deturbauit, suamque in locum ejus reposuit, quæ confestim igne cęlesti tacta, in terram dejecta est, ut refert Sozomen. *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 20. Eam verò Christi statuam Fideles in Diaconicum, seu Secretarium Basilicæ intulerunt, competentem ei curam, atque observantiam deferentes, teste P. Mabillon. *in dissert. de Azymo, cap.* 8. *pag.* 78. Similiter, quod pulvis sepulchri Jeremiæ sanet statim, quos serpens momordit: Lorin. *Actor.* 28. sicùt de minutissimo pulvere, instar Mannæ ex Sepulchro S. Joannis Evangelistæ scaturiẽte, testantur Methaphrastes, & Occumenius; & quemadmodum de illo Oleo ex Imagine Virginis, & Cruce emanante narrat Eustachius *in vita Eustachii Patriarchæ*: De hujusmodi gratijs Reliquiarum latè Torreblanca *Iuris spirit. lib.* 1. *cap.* 10. *per tot.*

5 Hæ porrò res sacræ fiunt ad hunc effectum per solum contactum, quarè refert Bozius *de signis Eccles. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. in Ægypto ætate Burcardi, fontem fuisse, quo Maria Christum sępius abluit; & inter alia miracula, Saracenos, è quibus gravis fætor exhalare solet, ad eum accedentes fontem, & in eo lotos, non ampliùs malè olere.

6 Imò ad excludendam virtutem naturalem operandi, res intelliguntur sacræ, quoties aliquam dicant relationem ad cultum Dei, vel Sanctorum ejus: Brittannia enim Insula, ex quò cultum Christi est amplexata, nequè venenatũ animal gignit, nec nutrit, teste Bozio *loco cit. lib.* 22. *to.* 2. *sign.* 93. *c.* 1. qui hoc etiam testatur de Insulâ Augia, & Hyberniâ, in quâ quicquid nascitur, mirè valet adversùs venena: Insuper Archiepiscopatus Toletanus meritis S. Idelphonsi caret venenatis animalibus, prò ut scribit Eusebius Nieremberg. *in historiâ naturali, par.* 451. Ait quoquè Lorin. *loco cit.* glebam Insulæ Melitensis, quæ nedùm non nutrit venenata animalia, sed si aliundè transportentur, ibi venenum deponunt, esse antidotum mirabile contrà venenum; & quod magis est, addit idem, probabiliter credi, omnes, qui in die Conversioni S. Pauli dica-

dicato, ubivis nascantur, non horrere, vel formidare angues, quin solâ salivâ eorum morsibus mederi.

Quamvis tamen ob hanc regulam prodigia credi non debeant naturalia, nihilominus non sunt præsumenda à Deo, nisi suis concurrentibus circumstantiis, de quibus satis suprà, cum semper miracula non præsumantur, ut patet ex jis, quæ dicit Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 3. *& alibi*.

7 Tertia regula est, si hujusmodi res in distanti operentur: Adversùs hanc regulam maximam ingerit difficultatem magnes directiva, de quâ ità Pastor Italus,

La Calamita, ancorche lunge
Il sagace Nocchier la porti errando,
Hor dove nasce, hor dove muore il Sole,
Quell' occulta virtute, ond' ella mira
La Tramontana sua, non perde mai.

Sed videtur hoc divinæ Providentiæ miraculum: Nam cum dissitas, & toto Oceano remotas nationes Christianis ritibus imbuere Deus voluit, trecentis circiter annis directionem hanc Magnetis detexit, prout rectè considerat eruditissimus De Chales *in cursu Mathemat. tract.* 9. *de Magnete, in præfat.* Imò putat Bozius apud Solorzanum *de Iure Indiarum, tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 45. illas terræ fascias, quas Indi colunt, ab Orbe condito ad Christum usquè, semper desertas mansisse. Post Christi verò felicissimum in mundo ortum, cœpisse illas hominibus incoli; idque ut Christi adventu terra melior, atque humanis usibus commodior redderetur, quâ ratione excusari possunt S. S. Patres, qui negabant, dari Antipodes, cum ipsi juxtà naturæ ordinem loquerentur.

8 Prætereà re maturè perpensâ, non in distanti agit Magnes, quod demonstrat idem De Chales *d. tract. lib.* 2. *propos.* 7. *& propos.* 15. probans, nullum Magneticum aliud corpus afficere, nisi illud tangat immediatè, ità ut per illud spatium, quod est inter Magnetem, & & ferrum, diffundatur virtus Magnetica substantialis, seù spiritus Magnetici, sicut de odore, quem per plura milliaria spargi, experientia docet, quam quotidiè ex canum odoratu habemus.

9 Facilè ergò ex hac regulâ dignoscitur, superstitione minimè destitutum esse Magneticum unguentum, sivè pulverem, quicquid dicat Joannes Baptista Van-Helmont. *in peculiari de hac curatione tractatu*, & antè ipsum complures alii, quos citat, & confutat P. Gaspar Schottus *in Thaumaturg. physic. par.* 4. *libr.* 5. *à* §. 1. Id, quod etiam deduci potest ex regulâ primâ: Siquidem Vir, quem omni mendacii suspicione purgat summa ejus animi ingenuitas, ac summa ejus doctrina, & omnigena litteratura, quâ inter nostri eruditissimi sæculi litteratos præclarum obtinet locum: Hic, inquam, mihi testatus est, quondam cum experiri vellet pulverem sympathicum in medendo vulneri, cujus cicatrix ipsi adhuc inter pollicem, & indicem extat, sudariolum sanguine, qui ex eo vulnere exiverat, aspersum, cum tali pulvere curasse, sed præmissâ protestatione de non consentiendo pacto Dæmonis, nullum effectum assequtum fuisse. Huic experimento adde auctoritatem Kircheri *lib.* 3. *de, Magnete par.* 7. *cap.* 2. Laurentii Foreri *in viridario Philosoph. de Magnete, cap.* 2. *à num.* 16. Joannis Roberti, *tùm in thesibus Lovanii editis contra Goclerium, tùm in Apologiâ contra eumdem*, Nicolai Cabæi, *libr.* 1. *Meteor. text.* 5. *q.* 1. Andreæ Libanii *in Tractatu de impostoria vulnerum sanatione, & p.* 1. *Apocalyps. Hermet. cap.* 22. & omissis aliis, Gasparis Schotti *in Thaumaturg. physico par.* 4. *lib.* 5. §. 5. Hi omnes agnoscunt, & probant, hiplochrisma non sanare naturaliter vulnera dissita, id quod etiam firmant Bonacina *in* 1. *decal. præcept. disp.* 3. *qu.* 5. *punct.* 4. *num.* 17. *&* 18. Carena *par.* 2. *de Sortileg. tit.* 12. §. 4. *num.* 29 Bordon. *to.* 1. *cap.* 18. *num.* 37. Mazuchell. *disp.* 2. *de casibus Mediol. cap.* 10. *num.* 81. quos sequitur Pistacchius *de superst. par.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. qui *sub num.* 5. *ibidem* addit, denunciandum esse eum, qui utitur hoc medendi modo.

Abbas Philippus à Turre.

10 Quod autem ait Van-Helmont. *ibid.* ex Paracelso, sanguinem scilicet ægri calentem, in ovo cani propinatum, ipsummet canem inficere tali morbo, quo æger laborat; ægro verò sanitatem restitui, fabulam puto gerris Siculis vaniorem, cui aliam subnectit his verbis:

bis : *Bruxellensis quidam in pugnâ nasum amisit : adivit Chirurgum Tagliacozzum, Bononiæ degentem, ut nasum præstolaretur; & cum incisionem brachii sui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio nasum tandem, dato pretio, eruit; mox tresdecim circiter menses à reditu in patriam, repentè nasus insititius friguit, & ab indè aliquot diebus putrilagine cecidit; cujus rei inopinatū casum investigantibus, inventum fuit, eodem forte momento, quo nasus friguit, expirasse bajulum* : Hactenus Helmont: Sed hæc, nugæ sunt, ut quoque agnovit P. Gaspar Schottus *in Thaumaturg., par.*4. *lib.*1.*Syntagm.* 5. *cap.*2. *in fine*: Nec solis calor potuisset tam in distanti ità operari, quantum egisse naturalem Bajuli calorem, dicit Van-Helmont, cui forsitan hujusmodi fabula imposita fuit ab aliquo agyrtâ.

11 Sed quid dicendum de sanguinis emissione ex cadavere occisi in præsentiâ occisoris? Hoc ad anthypathiam referunt Arist. *de immixt. element. & in lib. de natura rerū, c.*13. Langius *ep.*40. Lemmius *de occultis natur. cap.* 7. Del Rio *in comment. ad Senecam, vers.* 127. *& in lib.*1. *disq. Magic. cap.*3. *q.*4. §.6. Majol. *tom.*1. *colloq.*1. Joan: Eusebius *p.*2. *curiosæ philosoph. lib.*1. *cap.*51. & alii : De hac re Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 1. *cap.* 8. ubi contrà Menoch. Paris. De Puteo, Boer. & Mascard. contendit, non oriri ex hac sanguinis emissione nec etiam judicium ad capturam.

12 Quæcumque verò mirabilia ab ipso Helmont recensita, quorum causæ in distanti non dicuntur agere, naturalia esse queunt : Nec putandum cum aliquibus, quod Satanas exugat ubera mulieris infantem ablactantis, quæ, ut citiùs ubera exonerentur, in prunas lac emulget, ac ea sic flacescunt: Quamplurima id genus alia non tantùm à Magis, sed à Doctissimis Philosophorum monumentis prodita sunt; quæque damnari non possunt, licet nonnulla potius non credantur, ut est illud, quod narrat August. *de Civit. Dei, lib.*21. *cap.* 5. de fonte in Epiro, ubi faces ardentes extinguuntur; & extinctæ, accenduntur.

13 Quarta Regula, quoties res prædictę destruunt proprietates, quę alicui *quarto* (ut ajunt) *modo* competunt, ejus subjectum non destruentes.

Ex hac infertur, annulum, quem cum Gyges gestaret, teste Cicerone *in officiis*, & Greg. Nazianz. *in Monodia*, quandò videri nolebat palàm, intrà digitum vertebat, quâ ratione in Lydorum Regiam penetravit, naturaliter non egisse. Impossibile enim est, non destruere corpus humanum, ac illud invisibile reddere, undè patet, hanc esse meram fabulam ab Herodoto primò con-

14 fictam ; & tenendum est, nec Dæmonem quoque, licet omnibus naturæ viribus incumbat, posse hominem invisibilem reddere, cum hoc Deo tantùm competat, undè Apostolus 1. *Tim.* 1. *Regi Sæculorum immortali, & invisibili soli Deo honor, & gloria*. Cæterum negari nequit, Dæmonem posse corpus materiale invisibile reddere, interponendo aliquod opacum, modo aliquo sensibus nostris imperceptibili.

15 Quinta regula, quandò res naturales in res spirituales agunt.

Hæc probatur ex Concil. Lateran. *cap. firmiter, de summ. Trin. & fide Catholicâ*, ex quo habetur, Dæmones, & Angelos esse creaturas spirituales, omnis corporis expertes, proindequè non posse pati à virtute materiali, prò ut infert Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 5. *num.* 7.

16 Stante hujusmodi regulâ, falsitatis notam incurrunt, qui Tapsiam herbam, (de quâ Amatus Lusitanus *lib.* 4. *enarration.*) Dæmones fugare contendunt, quod etiam Rutæ competere asserunt. Idem puto dicendū de eâ radice, quam memorat Joseph. *de antiquit. Judaic. lib.* 8. *cap.* 6. ac de odoribus, & suffumentis, quibus ait Abulensis *in* 2. *Reg. cap.* 16. *qu.* 43. liberari loca ab infestatione Dæmonum ; Non enim hæc suffumenta ullam vim naturalem expellendi Dæmones habere possunt, ut patet ex dictâ regulâ : Idcircò si quandòque expellunt, naturaliter non operantur. Non inficior tamen, ea operari posse divinâ virtute, vel virtute mysterii alicujus, quod repræsentent, ut videre est penès Abulens. *ubi suprà*, sed cautè sunt adhibenda, & Angelo tantummodò edocente, prò ut fecisse Tobiam testatur Sacra Scriptura ; vel Ecclesiâ approbante : Vide latè de hac materiâ penès Serarium *ad cap.* 8. *Tobiæ*, Del Rio

Magic.

Magic. disq. lib. 2. qu. 30 sect. 2. Petrum Thyr. *de locis infestis, cap. 42. & de dæmoniacis, cap. 46.* & ante illos, D. Thom. *qu. 6. de poten.* item apud Valesium *de Sacrâ Philosophiâ cap. 38.* Hurtad. *resol. moral. tract. 5. cap. 6. resol. 48.* ubi egregiè, & fusè, & Anton. Escobar *vol. 4. theol. moralis, sect. 2. lib. 28. c. 30. probl.* 136. Infertur pariter ex hac regulâ, su-

17 perstitiosam esse sepelitionem cadaverorum sub foco, cum determinatis cæremoniis, ne eorum spiritus ad vivos redeat: latè Thyreus *de locis infestis, par. 3. cap. 63. per tot.* Idem prorsus existimari debet de Sanguinis Innocentium effusione ad tollendum Dæmonum è Domibus molestias cum quibusdam cæremoniis: Hac simili superstitione involutum fuisse Populum Dei antiquitùs, patet ex *Psalm.* 105. & post Verbi incarnationem *Anno* 1273. fuerunt nonnulli, vulgo flagellantes, qui nonnisi effuso sanguine humano, Deum placari jactitabant.

18 Similiter infertur, quod superstitiosa sit projectio fabarum nigrarum post terga cum aliis cæremoniis, ad fugandos spiritus hominum defunctorum è locis ab ipsis habitatis: Thyreus *loco cit. cap. 64. num.* 10.

19 Ex quibus omnibus liquet, quod res corporeæ, nisi divinâ virtute, in Dæmones operari nequeunt, undè benè D. Ambros. *lib. 4. in cap. 4. Lucæ sub fine* ait: *liberare à Dæmone, & homines, sed in verbo Dei, possunt*, scilicèt per orationem, jejunium, eleemosynam, & alia pænitentiæ opera; per sacrificiũ Corporis Christi; per Sanctas Reliquias; & per exorcismos, de quibus Lupus *in edict. part. 3. lib. 21: dist. 3. art. 1. diff.* 4.

20 Liquet etiam ex identitate rationis, quod malè Abailardus apud D. Bernard. *epist.* 190. sentit, Dæmonum in nobis suggestiones contactu fieri lapidum, & herbarum, pròut Dæmonum sagax malitia novit, harum rerum vires diversas diversis incitandis, & incendendis vitiis, convenire.

21 Cui aliquo modo adstipulatur Helmont *loco cit. num.* 27. summâ, ut ipsi est moris, animositate asserens, se novisse herbam passim obviam, quæ si teratur, & à te foveatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detineris, quò ad & illa tepescat, amore tui ille totus continuò ardebit ad aliquos dies; additque, se detinuisse pedem cujusdem catuli, atquè hunc confestim peregrinum se secutum, adeò quod noctu antè cubiculum ejularet, quo eidem aperiretur, renunciatâ hæra suâ. Mirabilior hæc virtus, quoniam non solùm intellectum, ac voluntatem, spiritales potentias, afficit, ipsisquè amorem ingerit: Sed etiam brutorum phantasiam incendit.

Sexta, quoties ipsis rebus naturalibus virtus futura, seù occulta prænunciandi, tribuitur.

Non habent enim hanc potestatem, ut suo loco patebit.

SECTIO III.

De Divinatoribus.

SUMMARIUM.

1 *Divinatores sunt suspecti de hæresi, quoties cum Dæmone paciscuntur, vel ipsum adorant.*

2 *Qui jactant, vel fingunt Prophetiæ donum, sunt de hæresi suspecti.*

3 *Donum prophetiæ aliquando à Deo provenit, sed plerumquè à Dæmone, præcipuè in Ecstasi, & raptu.*

4 *Verum prophetiæ donum quatuor requirit conditiones.*

5 *Non tantùm non sunt de hæresi suspecti, qui virtute divinâ prophetant, sed nec sunt suspecti, qui prophetant naturali virtute, & qui sunt isti.*

6 *Nec hæresis suspicionem incurrunt, qui utuntur Astrologiâ naturali.*

7 *Nec sunt suspecti de hæresi, qui per physiognomiam divinant, & quomodò? Sic Greg. Naz. mores perditos Juliani Apostatæ prædixit.*

8 *Damnantur divinantes per Physiognomiam, vel Chiromantiam, quoties volunt divinare bonam, vel malam fortunam: Hinc puniendæ Zingaræ.*

9 *Quænam sit Chyromantia Astrologica? Hæc non est licita, quamvis Cardanus, & alii eamdem professi sint.*

10 *Metoposcopi non sunt de hæresi suspecti, dummodò naturaliter operentur.*

11 *Qui habent, vel jactant, se habere revelationes, non sunt de hæresi suspecti, quoties constet, ipsas esse phantasticas, vel naturales, & n. 12.*

Di-

1 DIVINATORES arte Dæmoniacâ (de quibus Simanch. *de cathol. institut. cap.* 62. *cum seqq.* Jul. Clar. *in Pract.* §. *hæresis, num.* 25. Damhauder. *in prax. crimin. cap.* 61. *à num.* 80. Avendan. *de exequend. Mand. lib.* 2. *cap.* 32. Cassan. *in theatr. glor. Mundi, part.* 10. *consid.* 52. Joseph. Ludovic. *dec. Lucens.* 4. *à n.* 27. Salazar. *de usu, & Consuetud. cap.* 2. *à num.* 24. Graffis *lib.* 2. *decis. cap.* 5. *cum seqq.* Torreblanca *juris spirit. lib.* 6. *c.* 1. *in fine*, & Meraviglia *in tractatu de Divinationibus*) quod sint suspecti de hæresi, quoties cum Dæmone paciscantur, vel ipsum Dæmonem adorent, latè probant Barbat. *in cons.* 55. *lib.* 1. quem etiam citat Farinac. *de hæresi, qu.* 181. *num.* 73. Sous. *in Aphorism. cap.* 58. *num.* 5. *&* 8. *& lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. Lup. *in Edictis, par.* 3. *lib.* 27. *dist.* 2. *art.* 4. *diff.* 1. *&* Caren. *par.* 2. *tit.* 12. §. 3. *num.* 240. *cum. seq. &* §. 1. *n.* 3. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 10. præcipuè *sub num.* 10. Campanil. *diversor. jur. can. rubr.* 11. *cap.* 26. *num.* 96. 97. *&* 98. Passerin. *in* 6. *Decretal. cap. accusatus, num.* 173. *&* 174. *de Hæretic.* Sesse *decis. Aragon. vol.* 4. *dec.* 464. *n.* 15. *&* 16. Ratio est eadem, quâ suprà diximus, Magos suspicionē hujusmodi incurrere, & quam affert D. August. *lib.* 2. *de Doctr.* necnon S. Thomas 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 9. qui hanc divinationem testantur, cum Dæmone infidelem continere societatem, idque etiam tradit Anton. Escobar. *vol.* 4. *Thol. moral. sect.* 2. *lib.* 28. *cap.* 30. *probl.* 101. *num.* 542. *& seq.* Quo fit, ut pariter, qui jactant, vel fingunt prophetiæ donum, revelationesque divinas, subjecti efficiantur hæresis suspicioni: Hurtad. *resol. moral. to.* 1. *cap.* 6. *resol.* 54. quoniam isti non solùm imitantur hæreticos, qui nascente Ecclesiâ, hæreses disseminarunt: Etenim si in earum confirmationem sibi fingebant revelationes, ac prophetiæ donum habere: Hurtad. *d. resol.* 54. §. 1. *n.* 800. *&* 801. sic, præsertim Mulierculæ solemni hypocrisi sanctitatem affectantes, revelationes, quas non habent, fingunt; verùm etiam, quia Dæmonis ope tunc utuntur, quotiescumquè vera prædicentes, præseferunt id ab ipsis præstari divinâ virtute ob vitę meritum concessâ, ut etiam innuunt Divus August. *exposit. epist. ad Rom.* 1. Covar. *libr.* 1. *de vera, & falsa proph. cap.* 10. Del Rio *libr.* 4. *Magic. disq. cap.* 1. *quæst.* 3. & Torreblanc. *juris spirit. libr.* 6. *cap.* 4. *numer.* 2.

3 Non tamen implicat, aliquandò prophetiæ donum à Deo provenire, & revelationes cælestes esse, ut præter eumdem Hurtad. *dicto* §. 1. & Meravigl. *de divinationibus, dissert.* 7. demonstrat Fr. Egidius de concept. B. Virginis, *lib.* 3. *qu.* 6. *art.* 4. §. 1. Sed plerumque, quoties prophetia nō excedat sphæram potestatis Dæmonis, ab ipso est: Imò, quia raptus, & ecstasis propheticis splendoribus annumerâtur, ut docet D. Thom. 2. 2, *qu.* 175. *art.* 3. *ad* 2. nam in ecstasi ferè semper intercedit visio, & revelatio; Moura *sect.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. hinc improbus Lucifer, ut æmuletur Deum, dat suis Pseudo-prophetis ecstases, & raptus, ac tales puto habuisse Socratem, & Maximillam, quæ se rapi dicebat, & prophetabat multa, quæ non contingère: De re hac Epiphanius *hæres.* 48. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 21. *num.* 29. Medio. *in D. Thom. part.* 3. *quæst.* 25. *art.* 3. *regul.* 10. Del Rio *disq. Magic. cap.* 1. *qu.* 3. *sect.* 3. Majol. *tom.* 2. *canicul. colloqu.* 2. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 3. *cap.* 7. Maravigl. *de divinat. dissert.* 12. Hurtad. *in laudata resol.* 54. §. 23. ubi recenset decem jndicia ad qualificandos raptus, & ecstases.

4 Ut autem pateat, quodnam prophetiæ donum damnari nequeat, inspiciendum est, an quatuor conditiones interveniant, quarum prima est, quod sit revelatio conformis fidei regulis: latè Hurtad. *d. resol.* 54. §. 14. Torreblanc. *juris spirit. lib.* 5. *cap.* 5. *à num.* 29. Secunda, quod sit utilis ad aliquam spiritalem ædificationem: Torreblanc. *ubi suprà à num.* 47. Tertia, quod sit facta personæ, quæ illius non indigna videatur: Moura *loco cit. n.* 35. Abelly. *in medulla Theol. part.* 1. *cap.* 1. *tract.* 1. *sect.* 6. Sanctus Vincent. Ferrer. *de vita spirit. cap.* 11. *&* 12. Jo: Gerson. *de probat. spirit. cap.* 2. qui tractatus editus est jussu Concilii Constantiensis.

Turre-

Turrecremat. *in defens. S. Brigit.* Hieronym. de Ferrar. *in compend. revel.* Picus Mirandulan. *lib. 9. prænot. cap. 2.* Covar. *lib. 1. de vera, & falsa prophet. cap. 17.* Torreblanc. *juris spirit. lib. 6. cap. 5. n. 11.* Gravin. *2. part. de discernend. spirit. lib. 1. cap. 1.* Hurtad. *d. resol. 54. §. 15.* Maravigl. *ubi suprà, dissert. 8.* scilicèt, quod non sit superba, nec renuat aquiescere consiliis prudentum Judicum, & Superiorum; nec affectet Sanctitatem, cupiens sanctam haberi ab hominibus; tandem, quod in ipsis revelationibus publicandis non incumbat propriæ cõmoditati, sed proximorum utilitati, nec çruscatorum instar munera, & pecunias prò ipsis recipiat, quemadmodum rectè ponderat Sallell. *de mater Sanctæ Inquisitionis, tom. 3. reg. 403.* Gravin. *in lydio, cap. 17.* Hurtad. *d. resol. 54. §. 3. n. 811.* & Abelly *ubi suprà.* Quarta conditio est, quod Judicio magnorum virorum approbetur revelatio, juxtà Mour. *loco cit.* Sed in hac re plura videri possunt apud Joãnem Escobar á Cerro *in tract. peculiari*, cui titulus est, *Ars dignoscendi bonos, & malos spiritus, revelationes, &c.* Del Rio *disq. Magic. lib. 4. qu. 3. sect. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* Hurtad. *ubi suprà, à §. 16.* ac Phylamarin. *de divinit. revelation.*

5 Non solùm verò, qui virtute divinâ prophetizant, non sunt de hæresi suspecti, sed nec qui divinant ex vi naturæ, cui tribuuntur quandoquè ea vaticinia, quæ eduntur à proximis morti, juxtà D. Greg. 4. *dial. cap. 26.* Azor. *institut. moral. lib. 9. cap. 24.* Picum Mirandulan. *lib. 2. prænot. cap. 6.* Covarr. *de vera, & falsa prophet. lib. 2. cap. 3.* Joan. Euseb. *par. 2. curiosæ Philosophiæ, lib. 2. cap. 75.* Torreblanc. *juris spirit. lib. 6. cap. 6. n. 23.* Joan. Huart. *de exam. ingen. cap. 4.* Præter enim spiritum divinum, qui aut per se immediatè spiret, quæ recta sunt; aut mediis Angelis bonis, ut ordinariè contingit; & præter diabolicum, qui vel immediatè suggerit, vel medio aliquo Mago, datur etiam spiritus proprius, seù sit propter corruptionem carnis, & appetitus deordinationem, qui spiritus dicitur phantasticus; sivè sit propter naturalem instinctum, quem habent plurimi homines ad cognoscenda futura, & hic appellatur spiritus naturalis; Ita Hurtad. *ubi suprà, §. 2. n. 806.*

6 Ex eâdem ratione non incurrunt suspicionem hæresis, qui utuntur Astrologiâ naturali, ut superiùs dictum est, cum non sit illicitum, observare nativitates cuiuscumque, & ex Astrorum aspectu coniecturare temperamenta, complexiones, naturales inclinationes, ingenia, & vires: Azor. *d. lib. 9. cap. 13.* Less. *de justit. & jur. cap. 33. n. 32.* Anton. Escobar. *vol. 4. Theol. moralis, sect. 2. lib. 28. cap. 30. probl. 103.* Maravigl. *de divinationibus dissert. 17. & 18.* Moron. *respons. moral. resp. 95. num. 99.* quemadmodùm illicitum non est, cum nonnullis circumstantiis, quæ prudentèr cõsiderari possunt ad coniecturam probabilem de futuris contingentibus liberis, coniungere aspectus Astrorum ad dignoscenda temperamenta, & inclinationes, ut indè meliùs, & prudentiùs judicetur circà ipsa libera contingentia: Baldell. *de superst. lib. 4. disp. 4. num. 12.* Mattheu *de regim. Regn. Valent. cap. 7. §. 3. num. 72.* & nos suprà: Imò S. Hieron. *in epist. 130. ad Paulinum*, inter artes humano generi utiles, posuit quoquè hanc Astrologiam, de quâ, præter alios, Pistach. *de superstit. par. 1. cap. 11. n 2. & num. 8.* ubi probat, hujusmodi Astrologiam nec esse malam, nec prohibitam; nam Sixtus V. prohibuit tantummodò judicium, & prædictionem alicujus casus fortuiti, & pendentis à libero arbitrio. Videndum de hac re, quod latè disserunt Passerin. *in cap. accusatus, §. sanè 4. à num. 251. de hæretic. in 6.* Mattheu *de Regim. Regn. Valent. cap. 7. §. 3. à num. 68. usque ad 90.*

7 Nullam quoque superstitionem incurrũt divinantes per physiognomiam, dummodò se contineant in naturalibus, hoc est ex pilorum, membrorumquè corporis colore, habitudine, & proportione, deducant temperiem, valetudinem, inclinationes, & ingenium: Engel. *in Ius canon. lib. 5. tit. 21. §. 2. num. 14.* Baldell. *lib. 4. disp. 9. num. 1.* Torreblanc. *de Magia, lib. 1. cap. 9. & Iuris spirit. lib. 7. cap. 7. num. 1.* Hurtad. *resol. moral. tract. 5. cap. 5. resol. 39. num. 407.* Moron. *resp. 95. num. 127.* Sess. *decis. 455. sub. n. 37. vol. 4.* Ideoque

que quandò plures sunt torturæ subjiciendi, incipi debet ab eo, qui deformior est, ut magis de crimine suspecto, quemadmodùm ex auctoritate plurium refert Torreblanc. *d. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 3. Habemus etiam, quod D. Greg. Nazianz. Athenis Julianum conspiciens, antequàm imperio potiretur, ex ejus physiognomiâ de illius moribus rectum tulerit judicium, ut narrat Niceph. *lib.* 10. *cap.* 37. latè Torreblanc. *in d. c.* 7. ubi docet, quandò physiognomia sit licita, Passerin. *in d. cap. accusatus*, §. *sanè* 4. *num.* 214. *& seqq. de hæretic. in* 6. Idem dicendum de Chiromantiâ, ut præter alios, docent Torreblanca *cit. lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 7. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 14. *numer.* 2. 3. 4. *& seqq.* Maravigl. *de divinationibus, differt.* 19. *&* 21. Sess. *dec* 455. *num.* 36. *&* 37. *vol.* 4.

8 Secùs si vellent divinare bonam, vel malam fortunam; prosperos, vel adversos eventus; hosquè effectus certò prędicere: Baldell. *loco cit. n.* 7. *& disp.* 10. *num.* 5. undè etiam Ægyptiacæ, vel Zingaræ essent puniendæ, si certò prædicerent bonam, vel adversam fortunam: Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 128. & Pistach. *d. cap.* 14. *num.* 7.

9 Nec etiam licèt Chiromantia astrologica, quæ dividit volam manus in lineas, & areolas, applicando ipsis Astra, & Planetas: Conrad. Vvimpina *de signis, cap.* 10. *num.* 4. Baldel. *supràdictâ disp.* 4. *num.* 5. *in fine*, quam tamen superstitionem professi sunt non è vulgo tantùm homunciones, sed viri etiam docti, quos est inter Hieronymus Cardan. *lib.* 15. *de variet. rerum, cap.* 79. Qui tamen Cardanus variâ semper, & miserâ usus fuit fortunâ, eò quod sæpiùs Religionis causâ conquisitus, sæpè in vitæ discrimine fuit: Triginta annis se laborasse fatetur prò suâ genturâ exponẽdâ: Objit, quo se obiturum dixerat die, inediâ mortẽ procurans, ne mendax depræhenderetur. Nõ valuit tamen suę uxoris impudicitiã prævidere, nec mortẽ infamem sui filij, Mediolani capite damnati, quòd adulteram vxorem veneno sustulerit, ut refert Isaac Cardosus in suâ Philosophiâ liberâ *lib.* 3. *qu.* 21. De chiromantiâ plura vide apud Nicquetium *in Physiognomia*, ex Bartholomæo Coclite discipulo Antiochi Tiberti concivis mei, ex Joanne Teisnero, & ex Joanne de Indagine; Picum Mirandulan. *lib.* 6. *prænot. cap.* 1. Franciscum Valesium, *de sacrâ philosoph. cap.* 32. *&* Torreblanc. *d. cap.* 9. *num.* 8.

10 Tandem ob eamdem causam à superstitione eximuntur Metoposcopi, qui considerant lineas, & signa frontis, de quibus omnia prorsùs verificantur, & procedunt, quæ dicta sunt suprà quoad Chiromantiam.

Siquidem quoties naturaliter operatur, nulli hęresis suspicioni obnoxii sũt, eò quia nullâ superstitione cum Dęmonis pacto, vel adoratione, vel abusu Sacramentorum utuntur, ideoquè etiam qui revelationes dicunt se habere, eximuntur à suspicione, quandò constet, esse phantasticas, ac imaginarias à naturâ ipsâ per excessum imaginativæ, corruptionemquè phantasmatum ortas: Moura *loc. cit. num.* 3. quæ quandoquè veras prædictiones continere possunt, sed fortuitò, ut accidit somniantibus.

11 Quemadmodùm enim non damnantur divinantes subtilitate ingenij, ac solerti circumstantiarum discussione, ut firmat Toreblanc. *de Magia, lib.* 1. *cap.* 3. id, quod suprà stabilivimus, vndè rectè ex eo, quod Gentiles ponderantes, nondùm se complevisse Orbis gyrum, licitè potuerunt prædicere, orbem fore inveniendum, ut Plato primùm *in Timæo*, dein Seneca *in Medea* illis versiculis.

—— *Venient annis*
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat Tellus, Thyphisque novos
Detegat orbes, nec sit terris
Ultima Thule ——

quibus verbis, tanquã quodam oraculo, motum fuisse Columbum ad Indias Occidentales perquirendas, seriò tradunt plures apud Solorzanum *de Iure Indiarum, tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 68.

12 Ità non sunt damnandæ revelationes, quæ ex defectu imaginatiuæ oriuntur, licet quandoquè aliquâ in re evadant veræ: sunt tamen, qui tales habent revelationes, instruendi à prudenti Confessario, ipsis à superiore Ecclesiastico assignando, ne sibi persuadeant esse, quod non sunt.

Ex his

Ex his hactenùs dictis infertur, divinationem dividi in Divinam, Naturalem, & Dæmoniacam, quarum primâ omissâ, cum insanum sit quærere, quid revelare possit Deus, nonnulla delibanda sunt circà Naturalem, & Dæmoniacam, ut pateat, quandò divinatores sint superstitiosi: Videndum est igitur:

Quid prædicere possit Magia Naturalis.
Quid Dæmoniaca.

SUBSECTIO I.

Quid prænunciare valeat naturalis divinatio?

SUMMARIUM.

1 *Licet Deus futurorum scientiam soli sibi reservavit, multa tamen futura homo prædicere potest ex causis naturalibus.*

2 *Deus in aliquibus rebus ad nostram utilitatem signa posuit, ne scilicet feriat, nisi priùs admoneat.*

3 *Astrologia revelationis quid probabiliter indicare possit?*

4 *Astrologia Genethliaca quid possit prædicere circà hominum inclinationes, &c.?*

5 *Astrologia hæc potest conjecturaliter prædicere fortunas hominum prosperas, vel adversas, quarum causa sunt actiones.*

6 *Astrologia electionum absolutè damnari nequit, nisi in vanitatibus exerceatur, uti faciunt, & docent superstitiosi Arabes.*

7 *Physiognomia quid præmonstrare possit ex aspectu? Ubi affertur exemplum divinationis Antiochi Tiberti, & rejicitur.*

8 *Fundamentum physiognomiæ ex aspectu.*

9 *Chiromantia tantùm prænuntiat per quinque lineas in volâ manus existentes, ubi de Zingaris, eorumquè origine, &c.*

10 *Prodigia in Meteorologicis quid præmonstrent? ubi de comete.*

11 *Cometæ minantur præcipuè mortem Principibus, & Magnatibus; & alia minantur, non necessariò tamen eventura.*

12 *Vespasianus Imperator irridet apparitionem Cometæ: sed Carolus V. sapienter philosophatus est.*

13 *Cometæ prænuntiant clades divinâ institutione: Idem dicendum de Terræmotibus, qui Deum iratum signant.*

14 *Ab avibus cognosci possunt Aeris futuræ qualitates, pròut etiam ab aliis brutis dignosci possunt intemperies, &c. Exempla istorum.*

1 ADeò præclaram homini mentem Deus concessit, ut naturæ suæ vi, magno licet cum labore, multa investigaret, atquè intelligeret: Et quamvis, nè superbum Animal altùm saperet, sed ut magis timeret, & immensam Conditoris sui Majestatem humi stratus veneraretur, Deus sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam reservaverit, quemadmoùdm inquit Sixtus V. *in Bullâ adversùs Astrologos, incipien. Cæli, & Terræ*; non tamen ei abstulit cognitionem futurorum ex causis naturalibus necessariò, vel frequenter pro-
2 venientium: Quinimò summa ergà nos Dei providentia signa posuit, è quibus earum rerum cognitionem hauriremus, quas præscire, nostrorum utilitati conduceret; ac ejus charitas continuò se ostendit, ut non feriat, nisi priùs aliquibus prodigiis, & per ipsas res naturales admoneat, undè *Psal. 59. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus*, cui consonat illud, quod cecinit Manil. de Deo.

Signa per effectus, Cæliquè incendia mittit.

Hæc siquidem signa nedùm in Astris collocavit, quæ in ministerium cunctis sub Cælo degentibus creavit, verùm etiam in fronte, ac in ipsis corporibus hominum, quibus cum conversamur, ac in Meteoris, cæterisquè naturalibus rebus quotidiè collocat, vel per causas ostendens effectus naturaliter futuros; vel per effectus indicans causas, è quorum vi identidem naturali euenturi sunt alii effectus.

3 Sed, ne videamur cum superstitiosis convenire, oportet, ut exponamus, quid nobis Astrologia, Physiognomia, Chiromantia, Prodigia, sivè in Meteoris, sivè in rebus terrestribus, Augurium, &

Auspiciam naturaliter præmonstrare possint.

Quò ad Astrologiam, de quà nonnulla suprà tetigimus, quęquè hìc non sunt repetenda, scire oportet, eam partem, quæ revelationis nuncupatur, posse, pròut procedit ex certis artis regulis, indicare probabilitèr, juxtà Astrorum aspectus, atquè constellationes, Cęli Eclypses, sterilitatem terræ, aeris corruptionem, vel salubritatem, & effectus, qui indè sequuntur: Del Rio *disqu. Magic. lib.* 4 *cap.* 3. *qu.* 1. Moron. *resp.* 95. *num.* 127. Scil. *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 455. *numer.* 12. Graffis *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 9. *& seqq.* hæcquè non est damnanda, sicut habetur *in Cap. ex tuarum, de sortileg.* latè Torreblanc. *juris spirit. lib.* 7. *cap.* 1. *&* 2. & antè eum, D. Chrysostom. *ad Genes. cap.* 1. *hom.* 6. D. Augustin. *in epist. ad Ianuar.* & D. Thom. *ad fratrem Reginald. & alibi*, Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 33. Hujusmodi verò prædictio non potest esse de necessariò, sed de contingenter eventuris, vt benè dicunt Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. Hurtad. *ubi suprà*, Maraviglia *de divinationibus, dissert.* 17.

4 Alia Astrologiæ pars, quæ Genethliaca vocatur, hominum inclinationes, & temperamenta ostendens, non necessariò, sed dispositivè futuras ipsorum actiones prænuntiare valet, juxtà Angelicum Doctorem 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 6 (Videantur Conrad. Vvimpin. *de fato, lib.* 1. *& de superstitione, lib.* 2. *&* 7. Tolet. *in summâ, lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 6. Del Rio *Magic. disqu. lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 1. Suarez. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. Raphael. della Torre, *tom.* 2. *de vitiis opposit. Relig. quæst.* 96. & nos suprà): Quamvis enim liberum arbitrium ab Astris non cogatur, attamen, quia homo secundùm Corpus cælestibus sub Corporibus nascitur, influxus propterea eorum sortitur, ac affectiones, quibus sæpè regulatur, divinâ inspiratione posthabitâ, secundùm quam operari deberet, & posset.

5 Tali pacto conjecturalitèr prædicit hæc Astrologiæ pars fortunas seù adversas, seù secundas, quarum causa ipsæ actiones sunt, juxtà Guarinum in suâ celebri Pastorali.

Non incolpar le Stelle,
Che noi soli à noi stessi,
Fabbri siam pur de le miserie nostre.

ubi rectè ait, infelices eventus non esse Astris adscribendos, tanquàm scilicet causis immediatis, sed per indirectam inclinationem, hoc est nisi prò quanto pendent à corporibus actiones, & servato moderamine conjecturæ, ut ait Cajet. *in summ. verbo Astrorum*: Non me tamen latet, explicari Guarinum, quod intellexisset non de Astris ipsis, sed de Deo, à quo, licet sit malum pœnæ, nihilominùs non provenit malum culpæ, ut habetur apud eruditissimum, ac omnigenâ in literaturâ versatissimũ Fontaninum, Eminentissimi, & Reverendissimi Cardinalis Imperialis, Principis pietate, & doctrinâ præclarissimi, necnon Mæcenatis ęvi nostri Bibliothecarium *in lib.* cui titulus est, *Aminta difeso*, *pag.* 201.

6 Quo fit, non posse in totum damnari eam Astrologiæ partem, quam dicunt electionum: Hæc enim tradit modum eligendi tempus aptum ad aggrediendum quodlibet opus, constituendo in horoscopo, vel in aliis Cęli cardinibus stellas operi illi congruentes: Quia verò hominum curiositas eò devenit, ut minutissima quæquè persequens, omnes actiones à Cælo auspicari cæpit, hinc factum est, ut vanitatis nomen adepta fuerit; undè Del Rio improbat credulitatem nimiam, quam testatur fuisse penès Matronas, quæ Catharinę Galliarum Reginæ inserviebant: Ipsæ enim, antequàm quid operarentur, quotidiè Astrologos consulebant, ut indè juxtà Astrorum influxus agerent, vel agere differrent: Cæterùm electionibus valdè inaniores sunt interrogationes, quibus utuntur quidam creduli insipientes, qui sibi animum inducunt, hujusmodi nugis patefieri res futuras, vel occultas; quarè superstitiosi Arabes Astrologi, & in specie Zael Bembiz Ismaelita scribunt, observandum esse tèmpus, quo vir, qui cupit scire aliquam rem, summoperè flagitans interrogat Astologum, & ad illud temporis momentum esse de more erigendum thema cæleste, & planetarum loca in eo describenda, atquè hoc pacto se voti compotes fieri, somniant: dicunt enim transfundi horâ ad rem opta-

optatam manifestandam idoneâ vehemens desiderium ipsam sciendi, & ab eo posteà impelli hominem curiosum ad interrogandum Astrologum. (Vide Hurtad. *loco cit. Resol.36.*) Cum itaquè pateat, per hujusmodi superstitiosas electiones, & interrogationes homunciones istos subjicere semetipsos corporibus cælestibus, veluti certæ cuidam causæ, & legis decreto, liquet, ista non licere nobis, qui astris ipsis præstantiores sumus: latè Passerin. *in sæpè citato cap. Accusatus, §.sanè, à num.*270. *de Hæretic.in 6.*

7 Similiter quò ad Physognomiam quędam superiùs innuimus; sat erit hìc addere, ut agnoscamus, quid ipsa præmonstrare possit, quod ait Ecclef. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei, cognoscitur sensatus*. Hinc Socrates prędixit, Platonem futurum insignem virum ex aspectu, pròut testatur Jul. Seren. *lib.6.de fato, cap.* 39. & Pythagoras, discipulos ut admitteret, vel reprobaret, faciei aspectum rimabatur, si credimus Aulo Gellio 1. *noct. Attic. cap.*9.

Mirabiliora narrat Paulus Jovius *in Elogiis*, de nobilissimo Physiognomo cive meo, Antiocho Tiberto, scilicet eum Guidoni Balneo prædixisse, quod ab intimo amico necaretur: Pandulpho item Malatestæ Ariminensium Tyranno, quod ex Patriâ pelleretur, & exul in extremâ egestate periturus esset; quod equidem accidit, nam paulò post Pandulphus Guidonem, ob spectatam virtutem, & suspectam, obtruncavit; deindè ipse Pandulphus exul, & egens, ab omnibus desertus in meritoriâ tabernâ senex periit.

Hæc tamen prænuntiare potuisse Antiochum per Physiognomiam, mihi durum videtur, & multum quidem ille neglexisset, non utens speculi ope ad vultus sui inspicienda lineamenta, ut sibi quoquè caveret; nam ab eodem Tyranno in carcerem conjectus fuit, ac percussus, dum fugam arripiebat.

8 Fundamentum Physiognomiæ, omissis aliis fundamentis, de quibus latè, & eruditè P. Gaspar Schottus *in suo Thaumaturgo, par.* 4. *lib.* 7. *synt.* 1. est quædam hominum similitudo cum animantibus: siquidem horum cuiquè cum suas Deus assignasset dotes peculiares, ut videre est penès *Zoopediam* P. Antonii de Belinguen, proportionata etiam ad illas organa impertitus est: Quoties igitur natura his organis humana corpora instruit, si nil frustrà operatur, fatendum, similes dotes inesse hominibus, quemadmodùm sapienter observant Torreblanc. *de Magiâ, loco cit. cap.* 9. *num.* 16. Del Rio *disq. Magic. lib.* 4. *cap.*3. *q.*4. & Honoratus Niquetius *de physiognomiâ*: Idcircò leve argumentum animi pulchritudinis desumi poterit ab externâ pulchritudine, cum Leo, cui majores, quàm cæteris animantibus sunt dotes, non majori præ cunctis sit formâ præditus, quidquid afferat Christoph. Crusius *de indic. delict. part.* 1. *cap.* 22. *num.* 2. ubi ait. *Patinam argenteam requirunt, & exornant poma aurea: quidni virtus venustum, ac speciosum objectum præseferat?*

9 De Chiromantiâ verò identidem diximus, & per eas quinque principaliores lineas, quas in volâ manus habemus, temperamenta, inclinationes, atquè infirmitates indicantur futuræ, sed omnia conjecturaliter: Arist. *lib.* 1. *histor. animal. cap.*5. *&* 30. *& in problem.* 34. *sect.*1. Conrad. Wimpina *de signis, cap.* 10. 11. *&* 12. & P. Schottus *in Thaumaturg. par.*4. *lib.*8. *versùs finem.* Cæterùm quò ad alias prædictiones, pròut quandoquè Zingemeri, seù Ægyptiaci hac arte faciunt, prorsùs est vana, & futilis, atquè directa ad decipiendas innocentes fœminas, quibus, ut aliquid surripiant Zingemeri, mille inventiones excogitant ex suo marte, ut notat Fritsch. *tract.var.par.*2. *de Zingem.orig. & morib. membr.*3. Cosp. *il Giudice Criminalista, cap.* 46. *num.*16. non ob id tamen censentur, aliquod pactum inire cum Dæmone; idcircò puniendi sunt, ut fures, non autem, ut superstitiosi, quemadmodùm benè ponderat Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *Resol.* 14. *num.* 110. nisi constet ex aliquo probabili arguméto, quod superstitiosè agant: nam tunc maxima adversùs eos insurgeret suspicio, undè eis vetitum est, divinationem exercere, aliàs contra eos procedere Inquisitores, tradit Ricciull. *de person.quæ in stat.reprob.versant.lib.*8. *cap.* 1. *num.*11. eò magis, quia è gente adeò superstitiosâ trahunt originem:

Quip-

Quippè è cænoso Turcarum genere prodeunt, ab ipsis tanquàm Christianæ Religionis exploratores ad Hispaniam missi, teste Philipp. Camerar. *horar. success. cap.* 17. & Tholos. *lib.* 34. *Syntagm. cap.* 16. *in fin.* Consule, si vis, Cresperum *lib.* 1. *de odio Satanæ, disc.* 12. *fol.* 176. *cum seq.* Ricciull. *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 8. *cap.* 1. Rovit. *in pragmatic. Regn. de Zingem. fol.* 794. Maravigl. *de Divinationibus, animad.* 51. ubi inquit, eos mortaliter peccare, qui interrogant Zingaros animo firmiter credendi illorum dictis.

10 Nunc remanet pervestigandum, quid prænuntiare possint prodigia, sivè in Meteoris, sivè in cæteris rebus terrestribus appareant. Innumera propemodùm sunt Meteorologica prodigia, quæ cum ab excessu humiditatis, vel siccitatis eveniant, juxtà Arist. *lib.* 1. *meteor. cap.* 4. ideoquè fertilitatem terræ, aeris temperiem, pluviasquè præmonstrant: latè Torreblanca *juris spirit. lib.* 6. *cap.* 15. Quinimò omnibus admirabilior Cometes, nedùm temporis siccitatem, nedùm sterilitatem, inopiam, & famem; quia quoties nimis calore terra aduritur, ejus fructus, & Arbores languescunt: Seneca *in qq. natural. lib.* 2. *cap.* 32. Plin. *lib.* 2. *c.* 25. Leopoldus de Austria, & Augustinus Niphus *in meteor.* Alphons. Perez *ad Meteor. p.* 1. *cap.* 2. Connimbricenses *in Meteor. p.* 3. *cap.* 5. Javellus *in Meteor. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. & alij: Verùm etiam pestem, ob scilicet malam ciborum qualitatem, & corruptionem ex terræ languore ortam prædicit, ac morbos; ob id Manilius:

Nunc gravibus morbis, & lenta corpora Tabo
Corripit, exustis lethalis flamma Medullis,
Languentesquè rapit populos, totasque per Urbes
Publica succensis perunguntur fata sepulchris.

Hæc omnia innuit Aratus, ubi lætum annum proponit, in quo non effulserit Cometa, his versiculis:

Lætus, ut optanti contingat aureus annus,
Nunquàm crinitum videatur in aere Sydus:
Non unus, geminive miscent, pluresquè cometes:

De hoc latè Hippocrat. *de Aliment.* Galen. *de cibis Euchymis, & Cacochymis, & de febribus lib.* 1. item *de Aliment. facult.* Joann. Hucherus *in Therapent. lib.* 4. *cap.* 6. & Torreblanca *juris spirit. loco cit. num.* 18.

11 Præcipuè mortem Cometæ minantur Principibus, ac Magnatibus, qui curis, vigiliis, odoratisquè cibis, tùm vinis potentibus siccantur, ut benè adnotant Cardan. *de subtilit. lib.* 4. *pag. mihi* 209. Del Rio *disq. Magic. lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 2. & Torreblanc. *juris spirit. lib.* 6. *cap.* 25. *& de Magiâ, lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 16. ubi tamen haud consequenter loquitur, dum dicit, *anno* 1490. Cometam mortem præsagisse Alphonso Portugalliæ Regi, qui equo delapsus, juvenili ætate periit, nam cum, non ob siccitatem, mortem oppetierit, non potuit Cometes prænuntiare hujusmodi eventum.

Prænuntiant tandem Cometæ rixas, seditiones, & Regnorum subversiones, quæ ab immodicâ siccitate causantur: Cardan. *ibid.* Del Rio *loco citato*, Torreblanc. *Iuris spirit. dict. cap.* 19. *num.* 22. *& de Magiâ, cit. cap.* 5. *num.* 20. Francisc. Rasco *lib.* 3. *de Comet. cap.* 19. *num.* 20. & Niphus *lib.* 1. *Meteor. comm.* 84.

Hæc tamen omnia non necessariò eventura præmonstrant; imò plures viri doctissimi arbitrantur, cometas neç signa, nec causas esse calamitatum, dementiamquè esse, putare à Cometâ regem interfici, aut Provinciam everti; nequè ullius mali signum esse, eo modo, quo fumus ignis: sed tantùm per quamdam cohærentiam à communi causâ, ut Scaliger *exercitat.* 79. Multi enim Clarissimi viri suo fato functi sunt; multi eversi principatus; pesundatæ familiæ præclarissimæ, sinè ullo Cometæ judicio, ut firmat Scaliger citatus: E contrà multi visi sunt cometes, sinè mortalium pernicie: Sapienter proindè

12 Vespasianus Romanorum Imperator eludebat præsagia Cometarum: Cum enim Cometam quemdam comatum intueretur, dixit ad Regem Parthorum spectare, *quia ille comatus; Ego calvus sum.* Cæterùm prodigia plerumquè sunt à Deo in signum ultionis, quâ punire vult, nisi emendemus nos, undè rectè Manilius:

Nè mi-

Nè mirere graves rerum, hominumque Minas:
Sapè Domi culpa est; nescimus credere Cœlo,

Et tanta est Dei clementia, ut nè nos Cęlestibus vocibus surdos feriat, terrenis sæpè monet, præcipuè terram motibus concutiens.

Sed rectiùs hac in re Carolus V. Animum ad superna erigens, philosophatus est: Is enim conspectâ crinitâ Cometâ ab Eginardo Philosopho percunctatus est, quidnam portenderet. Cui Eginardus illud Hieremiæ Prophetæ prò responso objecit: *A signis Cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*; sed retorsit sapientissimus Imperator, se non metuere signa, sed signorum Opificem Deum, eumquè vel ea propter venerari, quod lacessitus hominum sceleribus Reges, ac populos hac ratione præmoneat priùs, quàm feriat, vt ad pænitentiam eos provocet: Engel. *Luc. Evang. par. 2.*

13 Videtur itaquè dicendum, Cometes prænuncios esse cladium ex Dei instituto, & non ex naturâ suâ, quemadmodùm Iris, quę licet à Causis naturalibus ortum ducat, signum est ex divinâ institutione diluvii non futuri; arcum in signum pietatis; cometam in signum Iræ Deus assumpsit, ut homines terreret, pęnasque minitaret ob scelera, & accusante conscientiâ mortales resipiscerent; ad Deum preces, & vota converterent, ut maligna sydera in salutaria commutentur; quâ ratione Machabęi *lib. 2.* superis illis ostentis perterriti, Deum rogabant, ut in bonum minatoria prodigia converteret.

Idem dicendum de Terręmotibus, iuxtà illud *Psalmi 17. Commota est, & contremuit terra, & fundamenta ejus conturbata sunt, quia iratus est eis*: Undè B. Pius V. dolens, quod Ferraria terræmotu affligeretur, scribit Alfonso Estensi, quæ est *Epistol. 45. lib. 4. Quàmvis ejusmodi terrarum motus naturalibus ex causis oriantur, tamen diligenter attendendum est, ne illi peccata nostra causam fortassè attulerint: solet enim Deus his quoque rebus iram suam in populos, atquè adeò in ipsos Principes non obscurè quandoq; significare*: Dè hac re latè Torreblanc. *juris spirit. lib. 6. c. 3.* & licet ipsi terręmotus naturalitèr portendāt infirmitates, hoc pręstant per accidens: nam cum eorum causa sit spiritus, & exhalatio infrà opacam terram detenta, quæ quęrit erumpere, vt docet Seneca, *in natural. qq. lib. 6. cap. 12.* Postquàm exivit è pestiferis locis subterraneis, vicinum inficit aerem; & omne, quod attingit, lædit. Hoc Romę evenit, dum Terrę hiatus medio fori apparuit, ex quo tanta lues egrediebatur, ut miseratus Patriæ infectionem Curtius Equo insidens, se in illo foramine iniecit prò publicâ salute, juxtà oraculi prædictionem, vt narrat D. August. *lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 18.*

14 Nonnulla etiam conjicere possumus de aeris futuris qualitatibus ab avibus, unde ait Hieremia *cap. 8. Milvus in Cælo cognovit tempus suum; Turtur, & hirundo, & Cyconia custodierunt tempus adventus sui*; naturali scilicet instinctu, quo duce moventur ad petenda commoda, & ad ea, quę noxia futura sunt, devitanda. Huic rei confert sensus, quo percipiunt aeris, in quo degunt, mutationem; quià cum Cœli influxus in aerem descendant, & eo mediante, in alias res animatas, & inanimatas, ut luculentèr tradit Ptolomæus *in primo libro Apotelesm.* aves, quò altiùs volitant, magis temporum varietates agnoscunt: Ant. Mizaldus *de Magia naturali*, & Torreblanc. *juris spirit. lib. 5. cap. 11.*

Cætera etiam animalia has intemperies pręnunciant, nam assiduè auram colunt, nec aliis occupationibus distrahuntur.

Quarè verò ex Alcionis ovorum incubatione maris serenitatem futuram arguat Aristot. *lib. 1. histor. animal. cap. 8. & lib. 9. cap. 14.* & ex Delphini saltationibus, tempestatem Seneca *in Traged. 8. Agamen.* & Lucan. *lib. 5. farsal.* non videtur arduum, rationem assignare: Alter enim ex futurâ aeris temperie, maris serenitatem dignoscit: Alter alterationum maris, quod habitat, præsentit initia.

Tota igitur divinatio naturalis, quid pręnunciet, exposuimus; nec ipsa suas magis dilatat fimbrias: Quamobrem si quis prędictiones quascumq; pręter dictum modum, expiscari velit, naturalis philosophiæ limites excedit, &

& propterea superstitionibus implicetur, necesse est.

SUBSECTIO II.

Quid Diabolica Divinatio præmonstrare valeat.

SUMMARIUM.

1 *Ex divinatione diabolicâ quanta rerum scientia exhauriri possit, explicat S. Augustin. ex acumine ingenii, & ex celeritate motus Dœmonis, exemplo Appollonii Tianæi.*

2 *Secreta humani cordis quâ ratione Dæmones rimari possint?*

3 *Dæmones ob temporis diuturuitatem habent summam rerum experientiam; & perfectam Astrologiæ naturalis cognitionem.*

4 *Dæmones cur in Oraculis sæpè responsa dabant ambigua?*

5 *Probabiliùs est, Dæmones Sacerdotes Idolorum decepisse ad firmiùs stabiliendam Idololatriam: Ab Oraculis enim Idolorum plura prædicta sunt, ad quæ mens humana pertingere non poterat.*

6 *Gentilitas nullam fidem Oraculis dedisset, si in eis aliquam falsitatem reperisset, ideo Dæmon in Oraculis nunquàm mentiri, visus est.*

7 *Non est credendum Sepulchrorum Oraculis, quæ è terrâ effodiuntur. Hinc detecta falsitas Laminarum Platonis, & Granatensium.*

1 EX hac divinatione omnem illarum rerum scientiam exhaurire possumus, quarum notitia Dęmones non lateat: Videamus ergò, quid ipsi prędicere possint: Quod paucis explicat D. August. *lib. de natur. Dæmonum*: quia Dęmones, ait, sensu, & acumine ingenii pollent, & celeritate motus alibi gesta, antequám nobis sint nota propter locorum longam intercapedinem, cognita habent, ità pręnunciare possunt: & sic Apollonius, cum Ephesi esset, exclamauit, ut præsens spectaculo Romæ, interfici Domitianum, si credimus Philostrato *in vitâ Apoll.* sic ille juvenis apud Gellium: De hac re Candidus Brognol. *in Alexicon. disp.* 1. *cap.* 2. *sect.* 3. *art.* 2. §. 1. & Horozeus *cap.* 14. *lib.* 1. *de verâ, & falsâ Prophetiâ*. Talis est dæmonum potestas præmonstrandi, scilicèt præterita, quæ tamen, ut ipsi cognoscant, oportet, quod gesta sint cogitata; quarè omnes cogitationes, quò vsquè ipsas non ostendamus, per aliquem actum externum, ignorant, ut benè ponderant P. Perer. *in Genesim*, Candid. Brognol. *ubi suprà*, *sect.* 2. *art.* 1. *et* 2. cum solus Deus sit scrutator cordis, & si possent Dęmones, quæ sunt in animo explorare, eâdem ratione agere possent immediatè in nostrum intellectum, quod est contrà communem Theologorum opinionem, relatam à Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 5. *num.* 18.

2 (marginal number beside "rè omnes cogitationes")

Non inficior, quandoquè animi secreta ab ipsis præmonstrari: Nam cum intellectus humanus ità strictè in hac vitâ sit sensibus alligatus, ut nihil sinè illis possit intelligere, vixquè quicquam cogitare, quin fiat aliqua mutatio in sensu, saltem interiori; & voluntas sic appetitui conjuncta, ut ejus operationes in eum redundent, coniunctione quasi inseparabili, qui rimantur omnes nutus nostros, omnes phantasmatis, & imaginationis species, omnia spectra memoriæ, omnes motus appetitus, indè possunt cognóscere, quæ recipimus, quęquè respuimus: Candid. Brognol. *d. art.* 2. §. 3.

3 Adde, quod experiētiâ rerum propter diuturnitatem temporis, ex quo creati fuerunt, prævalent Dęmones, quemadmodum docet D. August. *loc. cit.* Habent quoquè cum hac experientiâ perfectam Astrologię naturalis cognitionem, cujus ope ad efformandum judicium, ut plurimum utuntur: Quo fit etiam, ut aliquando vera de futuris contingentibus judicent, non tamen certò, sed causaliter, & argumentativè ex inclinationibus: Quinimò futura pendentia ex naturalibus signis, omnia arte prędicere possunt: Nec hìc sistitur eorum potestas circà futurorum Divinationem: Quippè pręnunciant quoquè, quę ipsi facturi sunt potestate à Deo acceptâ; quęquè facturos se posse arbitrantur. Ad hęc Dæmones etiam mirabilia docuisse Ethnicos, quę futura erant, non aliâ quidem arte nisi expiscandi, ac furandi à Prophetis eorum mirabilium cognitionem, testatur

tur idem Candidus Brognol, *ubi suprà, sect. 3. art. 2.* undè rectè Basil. *Fur est Diabolus, et nostrà nunciat per suos Prophetas, aliundè accipientes.*

4 Ultrà metas istas, dæmoniacæ divinationis facultas non progreditur: Idcircò Idolorum oracula sæpè ambigua responsa dabant. Quippè in ipsis oraculis Dæmones loquebantur, non autem Sacerdotes, ut nonnulli crediderunt, ex eo solo levi quidem argumento, quod diruto Serapidis Alexandriæ templo, reperta sint simulacra omnia ità elaborata, ut cava pars, & terga templorum parietibus adaptarentur, occultis meatibus in templo relictis, teste Niceph. *lib. 12. cap. 21.* Sed ipse Dæmon innuit apud S. Marcum *cap. 1. nu. 24.* per semetipsum in oraculis loquentem Ethnicos decipere; id, quod etiam fassus est Dæmon ille, qui apud Delphos oracula reddere consueverat, ut ex Svida, & Cedreno, narrat Baronij Epitomator in *Apparat. ad Annales, num. 13.* fassus est (inquam) scilicet illis versiculis:

Me puer Hebræus divos ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemquè redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.

Hinc est, quod Gentiles collegère, esse Dæmones, ac Spiritus, quos esse oraculorum causas, agnoverunt præter alios Porphyrius *de Dæmonibus*, & Jamblichus *de Mysteriis, cap. 21. & 26.* Id etiam suadet ratio, nam ab Oraculis plura prædicta sunt, ad quæ pertingere non poterat mens humana, ut benè advertit Vossius *de origine, et progressu Idololatriæ, lib. 1. cap. 6.* Super hac re latè Solorzan. *de jure Ind. lib. 2. cap. 13 à num. 36.*

5 Prætereà probabilius est, à Dæmonibus ipsos quoquè Sacerdotes deceptos fuisse, ut firmiori fundamento idololatriam stabilirent, dùm latente causâ, effectus vti divinus, omni suspicione remotâ, crederetur: Tanta enim est Dæmonis sollicitudo, & cura, nè suus corruat honor, & nè homines desinant ipsum venerari, vt non solum non gravaretur respondere per semetipsum superstitiosis, à quibus consulebatur; verùm etiam in prædicendis futuris eventibus ità se præmunire solebat, ut quotiescumque ab exitu fallax detegebatur, ipse, vt ostentaret potestatem, quâ nullo pacto pollebat, credulorum oculos perstringebat; mentem turbabat; ac quæ non erant, pròut futura demonstraverat, esse persuadebat: Ob id rectè Horat.

Meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt Magus, & modò me Thebis, modò ponit Athenis?

Et licèt falsa, & æquivoca essent quandoquè Oraculornm responsa, Dæmon tamen suis præstigijs uti vera demonstrabat, adeòut numquàm mentiri apparuerit: *Si Oraculum Delphis*, inquit Cicero *lib. 1. de Divinat. aliqua vera non dixisset, neutiquam in tanto pretio foret.*

6 Si fidem igitur incauta Gentilitas Dæmoniacis dictis non dedisset, quoties in ipsis falsitatem aliquam reperisset, tantò magis eam ipsis negare debet quicumquè Catholicam doctrinam profitetur, & exploratum habet, quàm sit Dæmoni curta potestas in futurorum prænunciatione, & quanto odio prosequatur homines, ipsosquè falsitatibus

7 deludere gestiat. Hinc minimè credendum superstitiosis sepulchorũ Oraculis, quæ à terrâ effodiuntur, Clades hominum, aliaquè vaticinia continentibus, præcipuè, quià omnibus jàm innotescit falsitas laminæ Platonis de tempore Resurrectionis mortuorum, & laminarum Granatensium errores, qui proscripti fuerunt cum ipsis laminis, post diligentem quinquaginta annorum, & ultrà discussionem, ab Innocentio Undecimo *die sextâ Martii* 1682. *Pontificatus sui anno sexto.* Undè penitùs explodendus Torreblanc. *de Magiâ, lib. 1. c. 12. à n. 17.* ubi defendit, & uti sanctas tuetur has laminas cum cæteris libris ab Innocentio damnatis; aliqualiter tamen excusandus idem Torreblanca, quia scripsit antè prædictam proscriptionem, & quia *in lib. juris spirit. lib. 8. cap. 5. num. 5.* circà hujusmodi laminas se iudicio S. Sedis submittit.

Sed quià divinatio Dæmoniaca fit, vel sortes consulendo, vel vana observando, agendum erit de sortilegis, deindè de vana observantibus.

SECTIO IV.

De Sortilegis.

SUMMARIUM.

1 *Sortilegi sunt de hæresi suspecti, undè eorum causa ad Inquisitores spectat, imò etiam si sortilegia hæresim non saperent.*

2 *Omne sortilegium damnatur, etiamsi manifestam hæresim non sapiat.*

3 *Sortilegium omne continet cum Dæmone societatem, etiamsi sortes bono zelo tententur.*

4 *Sortes non tentandæ, etiamsi effectus à Deo expectetur, quia non sortibus, sed Orationibus Deus supplicandus.*

1 QUEMADMODUM superiùs diximus, divinatores esse suspectos de hæresi, quoties adsit Dæmonis cultus, vel pactum expressum, vel Sacramentorum, sivè rerum sacramentalium abusus; itá dicendum de Sortilegis, quarè *in cap. accusatus, §. sanè, de haret. in 6.* dicitur, causam sortilegiorum ad inquisitores spectare, quando scilicet sortilegia manifestam hæresim sapiunt, ut præ cæteris tradunt Fermosin. *in cap. cum sit generale, qu. 8. sub num. 8. de for. competen.* Leo *Thesaur. For. Eccles. cap. 5. num. 13.* Jul. Capon. *discept. for. tom. 2. discept. 96. num. 9.* Scacc. *de Iudic. lib. 1. cap. 12. num. 51.* Sess. *vol. 4. decis. 463. nu. 3.* & expresè Doctores testantur, sortilegia manifestam hæresim sapere, quandò adest cultus Dęmonum, vel pactũ expressum, vel absuus Sacramentorum: Abb. *in cap. 2. de sortileg.* Caball. *resol. crimin. cas. 223. num. 1.* Passerin. *in 6. Decretal. cap. Accusatus, §. sanè, n. 185. de Hæret.* Bellett. *disqu. clerical. de fau. Cleric. real. §. 4. num. 132.* Campanil. *diverf. jur. can. rubr. 11. cap. 26. num. 97.* Leo *Thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 5. num. 9.* Sess. *decis. Aragon. vol. 4. decis. 463. n. 8. & 9.* Trivisan. *decis. lib. 2. decis. 39. nu. 8.* Panimoll. *decis. 17. annot. 3. num. 8.* Imò hodiè certum est, causam sortilegiorum, quamvis manifestam hæresim non sapiant, ad eosdem inquisitores, non verò privativè quòad alios Iudices, spectare, stante particulari constitutione Sixti V. ut docet Bardellon. *cons. 29. n. 2.* Del Bene *dub. 228. sect. 28. num. 11.* Mattheu *de re crim. contr. 60. num. 3. & seqq.* & dicturi sumus *in p. 2. hujus tractatus.*

2 Igitur licet verum sit, non semper in sortilegiis manifestam hæresim contineri, omne nihilominùs sortilegium damnatur, ut videre est penès D. Thom. *2. 2. qu. 95.* Lel. Zecch. *in summ. pat. 1. tit. de fide, cap. 15. num. 9.* Toletum *in summ. lib. 4. cap. 15. à num. 3.* Del Rio *lib. 4. Magic. disqu. cap. 2. quæst. 7. sect. 3. & 4. & cap. 4. quæst. 1.* Suarez. *de Relig. lib. 2. cap. 12.* Petr. Binsfeld. *in l. 3. C. de malef. q. 3.* Tiber. Decian. *lib. 5. cap. 17.* Malvet. *de Sortibus, qu. 3.* Campanil. *diverf. jur. rub. 11. cap. 26. num. 94. & 95.* Bulenger *lib. 2. de Sortibus, cap. 1.* Bonacinam *in summ. tom. 1. circà primum decalogi pracept. disp. 3. qu. 5. punct. 3.* Farinac. *de hæresi, qu. 181. §. 1. num. 62. 63. 64. & 65.* Cavalcan. *de Brachio Regio, par. 1. num. 84.* Raphael de la Torre *tom. 2. quæst. 95. art. 8.* Barbos. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 51. cas. 8. n. 128.* Papon. *Cons. 10.* Intrigl. *singul. 79. n. 67. & seq.* Caren. *par. 2. tit. 12. §. 3. num. 240. cum seq.* Francisc. de Magistr. *in sylu. Eccles. tom. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 111. & 112.*

3 Ratio est, quià infidelem cum Dæmone societatem, seù amicitiam continet: Tholos. *syntagm. lib. 34. cap. 7. n. 5.* Torreblanc. *de Magiâ, cap. 22. num. 9.* ubi quoquè ampliat, etiam si bono zelo sortes exerceantur, quod etiam dixit Merbes. *in Sum. Christian. par. 1. 2. qu. 30 pag. 122. col. 2.*

Si enim effectus expectatur á fortunâ, tunc

Te facimus, fortuna, Deam, Cæloque locamus.

Si á fato, ipsum admitti mus, quandò aliter sentit Ecclesia, scilicet non dari fatum: *Cap. hæc est fides 24. qu. 1.* Naturaliter autem non inest sortibus potestas prænunciandi, & iam suprà loquuti sumus de sphærâ potestatis Magiæ Naturalis.

4 Si tandem consulitur Deus, frustrà ab eo expectamus effectum, quia non sortibus, sed orationibus persuadetur; ideoquè quoties modus non est ex se aptus ad impetrandum à Deo, hujusmodi modum adhibere est vana superstitio.

stitio, ut suprà innuimus, & hoc casu saltem implicitè à Dæmone expectatur effectus sortium: Torreblanc. *ubi suprà, num.* 15. quod intelligendum est de sortibus, quoties non serventur debitæ conditiones.

Videamus ergò, quot modis, & quibus conditionibus licitè consulantur sortes.

SUBSECTIO I.

Quot, & quibus conditionibus licitè sortes consulantur.

SUMMARIUM.

1 *Sortes aliæ sunt divinatoriæ, aliæ consultoriæ, quæ aliquando possunt permitti; aliæ divisoriæ, quæ semper permittuntur.*

2 *Quæ sint sortes consultoriæ & divisoriæ.*

3 *Inter sortes consultorias est illa, quæ vocatur Politica.*

4 *Quinque conditiones assignantur, ut sortes consultoriæ, & divisoriæ sint licitæ.*

5 *Prima conditio communis utrisque est, quod à Dæmone nō expectetur eventus, imò nec à casu, sed à Deo.*

6 *Secunda conditio est, quod non adhibeatur aliqua superstitio, aut scripturæ abusus, communis utrisque.*

7 *Tertia, pariter communis utrisque est, quod qui sortiuntur, æquali jure nitantur, ubi de electione S. Mathiæ.*

8 *Exemplum ex D. Aug. de sorte mittendà inter duos æqualiter pauperes, & aliud exemplum de aliquo ex pluribus projiciendo in mare ad naufragium commune evitandum.*

9 *Quarta conditio omnibus sortibus conveniens, quod sortes non consulantur sine necessitate, quia aliter esset, Deum tentare.*

10 *Quinta conditio communis utrisque sortibus est, ne sortes adhibeantur in Sacris Electionibus.*

11 *Quid dicendum de electione Sacrâ S. Matthiæ ad Apostolatum? Ea fuit privilegiata electio, nec fuit sors propriè dicta.*

12 *Quomodò per Virgas sortes Hæbrei consulerint in electione Aaron? Et de aliis sortibus in lege veteri.*

13 *In sortibus divisoriis quinta conditio non habet locum, quoties agitur de onere imponendo, ex D. Aug. exemplum.*

14 *Quando sortes consultoriæ adhibendæ etiam in electionibus Sacris?*

1 ULTRA sortes divinatorias, de quibus infrà, dantur etiam sortes consultoriæ, & divisoriæ: D. Thom. 2. 2. *qu.* 95. *art.* 8. Picus Mirand. *lib.* 6. *prænot. cap.* 6. Martin del Rio *disq. Magic. lib.* 4. *cap.* 4. Suarez *de Relig. lib.* 2. *cap.* 12. Binsfeld. *in l.* 3. *C. de Malefic. qu.* 3. Sayrus *in Clau. Regia lib.* 4. *cap.* 5. *à num.* 14. Bonaccin. *in summ. circa primum decalog. præcept. disp.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 13. Raphael de la Torre *tom.* 2. *de vitiis opposit. relig. quæst.* 95. *art.* 8. *disp.* 2. Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 5. Del Bene *de officio S. Inquisit. par.* 2. *dub.* 225. *sect.* 1. *n.* 1. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 17. *n.* 1. Merbes. *in summ. Christian. par.* 1. 2. *qu.* 30. *pag.* 122. *in princip.* quarum illæ possunt aliquandò permitti, istæ semper permittuntur, ut docet Lup. *in Edicto, par.* 3. *lib.* 17. *dist.* 4. *art.* 1. *diff.* 1. & doctissimus Torreblanc. *de Magia, c.* 22. *num.* 20. qui tamen malè confundit sortes consultorias cum divisoriis.

2 Sunt Consultoriȩ, quibus occultæ veritatis manifestatio, aut quid revera, ut meliùs, sit faciendum, directio impetratur á Deo: Layman. *de vitiis oppositis virtuti Religionis, lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 3. *num.* 9. Torreblanca *Iuris spirit. d. cap.* 7. *num.* 41. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 17 *num.* 19. Graft. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. & 7. Sesse *decis.* 461. *nu.* 11. *vol.* 4. Quàpropter D. August. explicans illud psalmi: *In manibus tuis sortes meæ, epist.* 280. ait, *sors non est aliquid mali, sed res est in dubitatione humanâ, divinam indicans voluntatem.*

3 Divisoriȩ verò sunt, quȩ vel ob honestum ludum, vel ad litis compositionem cum consensu litigantium adhibentur: Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 21. §. 1. *num.* 3. Passerin. *in* 6. *decretal. cap. Accusatus,* §. *sanè, num.* 223. Moron. *resp.* 95. *num.* 119. Lauor. *elucub. can. tit.* 4. *cap.* 20. *num.* 22. Layman. *ubi suprà,* Troil. Malvet. *de sortib. par.* 3. *num.* 13. Torreblanc.

blanc. *cit.cap.*7. *num.*7. Del Bene *d. dub.* 225. *ſect.* 2. Piſtach. *de ſuperſtit. par.* 1. *cap.*17. *num.*5. Seſs. *deciſ.*461. *numer.* 9. *vol.*4. Nec ex ipſis principaliter expectatur directio, ſeù occultæ veritatis manifeſtatio, ſed earum finis eſt, ne quis doleat, ſi ſibi, vel non dignitas, vel aliquod onus, ſeù gravamen conferatur: Hinc Salomon dixit *proverb.* 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoquè diiudicat.*

Inter ſortes diviſorias connum eratur illa, quę vocatur Polytica, quâ Reipublicę dignitates, & officia inter Cives diſtribuuntur, introducta ab Athenienſibus, quorum in Areopago in urnam conjectis nominibus, Magiſtratus eligebantur; deindè ad Romanos tranſivit, apud quos Conſules, Proconſules, Quęſtores, & Prętores ſortiebantur: Otter. *de official. Reipub. cap.* 9. *num.* 1. *& ſeqq.* & ſignanter *num.*5.

4 Conditiones autem nonnullæ exiguntur, ut licitæ ſint hujuſmodi ſortes tàm Conſultoriæ, quàm diviſoriæ, qua-
5 rum prima eſt communis utriſquè, quod à Dæmone non expectetur eventus, imò nec à caſu, ut docet Piſtach. *de ſuperſtit. par.* 1. *cap.*17. *n.*10. Paſſerin. *in cap. Accuſatus*, §. *Sanè*, *num.* 323. *de Hæretic. in* 6. *& de elect. can. c.*18. *n.*6. Graff. *deciſ. par.* 1. *lib.*2. *cap.*4. *n.*2. 3. *&* 4. Seſſe *d. dec.* 461. *n.*11. *vol.*4. Hic enim, uti cæcus, non poteſt electionis eſſe principium. Quarè Tacitus *libr.* 1. *pag. mihi* 122. Principatum electivum præfert ſucceſſivo, in quo dominatur, qui ſorte naſcitur Princeps. Licet tamen Ethnicus ille hiſtoricus cæſpitaſſet, putans ſorte, & non divinâ Providentiâ Principes naſci.

Eſt igitur expectandus exitus à Deo, cum indubitatum ſit, ſortes mitti in ſinum, ſed à Domino temperari; ut habetur *in cap.* 16. *proverb. num.* 33. Ideò prudenter Italus Poeta, poſtquam dixiſſet

—— In piccol' Urna
Ponganſi i nomi, e ſia Giudice il caſo,
ſe corrigit, ſubjungens,
Anzi Giudice Dio, dalle cui voglie
Miniſtra, e Serva è la ſortuna, e il fato;

Nec quia per has ſortes agatur de re non valdè gravi, eſt credendum, quod minimè concurrat Deus: legimus enim apud Sacram Scripturam *in Ion. cap.* 1. ſortem à Deo miſſam fuiſſe ſuper Jonam, quando tractabatur de navicula ſalvandâ.

6 Secùnda pariter communis tam Conſultoriis, quàm diviſoriis ſortibus, eſt, quod non adhibeatur aliqua ſuperſtitio, aut Sacrę Scripturæ abuſus, ut ex D. Auguſt. ait Torreblanc. *de Magia ubi ſuprà, num.*24. De quâ re Anton. Eſcobar. *vol.*4. *theol. moralis, ſect.*2. *lib.*28. *cap.*30. *Problem.*111. Engel. *in jus can. lib.*5. *tit.*21. §. 1. *num.*7. Moron. *reſp.*95. *ſub num.* 122. Lavor. *elucub. can. tit.* 4. *cap.*20. *num.*11. Graff. *deciſ. par.* 1. *lib.*2. *cap.*4. *num.* 8. Et quamvis ipſe Auguſt. *ep.*119. non damnet, quod in ſortibus adhibeantur verba Sacræ Scripturę, damnat tamen, ſi ea verba ad negotia terrena convertantur: *Hi*, inquit, *qui de paginis Evangelicis ſortes legunt, & ſi optandum ſit, id potius faciant, quàm ad Dæmones conſulendos concurrant; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſecularia, & ad vitæ hujus vanitatem divina oracula velle convertere.*

7 Tertia identidem communis utriſque eſt, quod qui ſortiuntur, æquali jure nitantur: Piſtach. *de ſuperſtit. par.* 1. *cap.*17. *num.*5. *& num.* 9. Paſſerin. *de elect. can. cap.*18. *num.*6. Moron. *reſp.* 95. *num.*122. Ideò in electione S. Mathiæ ſcribit P. Natalis Alex. *diſſert.* 6. *ſuper ſæcul.*1. Sortes adhibitæ ſunt, quia ita pares erant ſanctitate, & meritis duo illi muneris Apoſtolici candidati, Barſabas Juſtus, & Mathias, ut vix, ac ne vix quidem humano judicio definiri poſſet, quis eſſet dignior: ubi enim humanæ prudentiæ judicium deficit, divina voluntas conſulenda eſt, & uni ejus
8 providentiæ omnia committenda: Rectè igitur conſulit Auguſt. *in lib. de doctr. Chriſtiana cap.* 18. ut ſi duo pauperes ęqualiter indigentes occurrant, ſorte eligatur, cui dandum ſit, quod dari cuique non poteſt: In ſortibus tamen diviſoriis non adeò rigorosè requiritur hæc conditio, cum aliquid debeat operari conſenſus. Quamobrem in ludis, in quibus ſortes ponuntur ad præmia diſtribuenda, quandoque qui minus erogat, plus lucratur, & nihilominus eos ludos, ſtante conſenſu partium, qui reſci-

solvitur in contractum, utique licitos firmat Torreblanc. *de Magiâ loco cit. num.*60. Videndus est Pistach. *de superstit.par.*1. *cap.* 17. *num.*11. ubi ostendit, quibus conditionibus sit licitus contractus ille, quem vocant *Lotto*.

Sic etiam in Navibus exonerandis, quoties agatur de periculo communis naufragii, ad quod evitandum oporteat aliquot projici in mare, licet tàm juvenes, quàm senes adsint, possunt sortibus committere, qui sint eiiciendi, & ætatis inæqualitatem supplet consensus, sicut & periculum communis jacturæ: Ità Layman. *ubi suprà*, Del Bene *d. dub.* 225. *sect.* 1. *num.* 17. Pistach. *d. cap.* 17. *num.*5. Absquè tamen hujusmodi conditione has sortes consulere, non erit superstitiosum.

9 Quarta, quæ pariter convenit omnibus sortibus, est, quod non consulantur, quando nulla adsit necessitas: Lup. *in edict. par.* 3. *libr.* 17. *dist.* 4. *artic.* 1. *diff.* 1. Pistach. *eod. cap.* 17. *num.* 19. Passerin. *in cap. Accusatus*, §. *sanè, num.* 323. & 325. *de Hæretic. in* 6. Lauor. *elucub.can. tit.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. Merbes. *in Summ. Christian. p.* 1. 2. *quæst.* 30. *pag.*122. Ratio est, quoniam alitèr tentaretur Deus: Etenim tentare Deum, quemadmodum rectè docet P. Natalis Alex. *ubi suprà*, est committere Deo, quod humanâ etiam prudentiâ peragi vult Deus.

Quinimò, quià dedecet ob meram curiositatem consulere Deum, requiritur aliqua causa, sivè ut dignior dignoscatur, ut in sortibus consultoriis; sivè ut dirimantur lites, & nemo offendatur, ut in sortibus divisoriis: Idcircò non concurrente hac conditione, qui sortes seu consultorias, seù divisorias consulit, licèt non incurrat superstitionis crimen, peccat tamen, quia Deum tentat, juxtà Anton. Escobar *vol.* 4. *theol. moralis, sect.* 2. *lib.*28. *cap.* 30. *probl.* 111. *num.* 578. Passerin. *in cap. Accusatus*, §. *sanè, num.* 325. *de hæretic. in* 6.

10 Quinta, quæ similiter utrisquè sortibus adaptatur, est, nè adhibeantur in electionibus sacris: Prohibentur enim ab Honorio III. *cap. Eccles. de Sortileg.* ubi scribens Capitulo Lucano, ait, multâ repræhēsione dignum esse, quod sors in electione Episcopi interveniat, subdens, se tamen eam electionem minimè irritare, at sortis usum in electionibus perpetuâ damnatione prohibere, ac latè tradunt Repetentes *in d. cap. Ecclesia*, atque Engel. *in jus can. lib.*5. *tit.*21. §.1. *sub n.* 4. Moron. *resp.* 95. *n.*121. Lavor. *elucub. can. tit.* 4. *cap.* 20. *n.* 33. Otter. *de officiali Reipub. cap.* 9. *n.* 7. Passerin. *de elect.can.cap.*18. *n.* 7. *& seqq.* Merbes. *ubi suprà*, & novissimè Rot. *in Albaracinen. Canonicatus* 10. *Maii* 1700. *cor. Reverendiss. Molines Decano*, ubi etiam extenditur, quod nec in paritate votorum per sortem electio terminari possit, quod etiam firmant Felin. *in cap. Capitulum*, *num.*8. *de rescript.* Escobar. *Theolog. moral. lib.* 28. *probl.*107. *num.*564. & 561. *vol.* 4. Tancred. *de relig. tract.* 2. *lib.*2. *disp.* 6. *nu.* 4. Leand. *oper. moral. tom.* 6. *tract.* 9. *disp.* 2. *qu.* 78. Electio verò ad Ecclesiasticum beneficium per sortes facta, quod non sit irrita, sed irritanda, firmant Escobar. *ubi suprà*, *cap.*30. *sect.* 2. *probl.* 110. Pistach. *de superstit par.* 1. *cap.* 17. *num.*12. & 18. Contrarium tamen dicit Lavor. *elucub.can.tit.*4. *cap.*20. *num.*40. Ideò hac Honorii decretali antiquatus est *Canon.*3. Concilii Bracaren. celebrati *an* 599. sub Rege Recaredo, quo Concilium concessit sortem in electione Episcoporum, quandò duo, vel tres Cleri suffragiis, populique votis designantur, ex quibus unus per sortem eligitur à Metropolitano, & Comprovincialibus Episcopis, præmisso jejunio, & Oratione.

11 Nec allegari debet exemplum Apostolorum Mathiam eligentium, tùm quia incertum est, eos reverà sortibus usos esse; imò S. Dyonisius Areop. *de cælesti Hierarchiâ, cap.* 3. cum aliis SS. Patribus apud Natal. Alex. tenuit, quod in electione Mathiæ non fuisset sors propriè dicta, sed signum aliquod de Cœlo delapsum, putà radius in caput Mathiæ, vel aliud simile: P. Natal. Alex. *in synopsi super primum sæculum, cap.* 2. *& ibid. in disc.* 6. De hac re Del Bene *in laudatâ dubit.*225. *sect.* 7. *num.* 10. & 12. Tùm quia fuit peculiare privilegium Mathiæ, ut immediatè per sortes à Deo eligeretur in Apostolum, quandò cæteri Apostolatum à Deo immediatè assequuti erant, pròut benè considerat idem Natalis Alex. *d. disc.* 6. Nec pri-

privilegia singulorum possunt legem facere communem, juxtà D. Hieronymum *super Ion.cap.*1. Tùm tandem, quia electus fuit Mathias antè Spiritus Sancti effusionem, quandò nondùm Evangelicæ lucis splendor apparuerat, sicut Angelicè ponderat D. Tho. apud Sixtum Senens. *Biblioth. lib.* 5. *annot.* 166. quarè post adventum Paracleti nunquàm Apostoli devenerunt ad sortes, ut ex Baron. ait Spond. *ann.* 34. *n.* 65. & de facto electio septem diaconorum, de quâ *in Actibus Apostolorum*, per suffragia peracta est: Ex quibus patet, rectè à Cabasut. *in Notitiâ Concil. pag.* 1. damnari Venerabilem Bedam, qui existimat, debuisse Discipulos per electionem procedere, quæ tutior, atque rationi, usibusque, & Canonibus insequentis Ecclesiæ conformis via est, atque in eo culpæ obnoxios fuisse, quatenùs omissâ elctione, rem tantam sortibus com-
12 misserint. Hinc facilè diluitur alia objectio, quæ ex pluribus Sacræ Scripturę locis insurgit, nempè *ex cap.* 17. *Num.* ubi dicitur, in Tabernaculo duodecim virgas, tamquàm sortes, positas fuisse ab Hæbreis, ut ex duodecim Tribubus unus eligeretur in Sacerdotem, cujus virga floreret, & floruit virga Aaron: Ex *Levit.* 16. de sorte, quæ jubebatur jacjenda, ut innoresceret quinam inter duos Hircos esset immolandus, & quinam in desertum ablegandus; ex 1. *Reg.* 10. ubi habetur, quod Samuel Dei jussu Saulem in Regem elegit per sortem; *ex Iosue* 7. testante, se sortes consuluisse ad agnoscendum occultum reum, quem reperit esse Acham; tandem *ex Luca*, qui narrat, sorte obtigisse, ut Zacharias Joannis Pater thura Deo intrà Sanctuarium succenderet: Tunc enim non illuxerat splendor, quo hodiè tota Ecclesia corruscat, vel aderat divinum præceptum consulendi sortes: Pistach. *de superstit.p.*1. *cap.*17.*num.*24.

Adde, quod electionem Pontificis numquàm sortibus commiserunt, nisi coacti; & apud ipsos Romanos Ethnicos proscriptum fuisse in electionibus sacris sortium usum, ut testatur Spondanus suprà laudatus *ibid. num.* 67. quà propter cum illi Gentiles uterentur lumine naturali, videntur sortes in hujusmodi electionibus, etiam jure naturæ interdictæ: Contrarium sentit Ant. Escobar. *vol.*4. *Theol. moral. sect.*2. *lib.*28. *cap.* 30. *probl.* 109.

13 Hæc tamen conditio in sortibus divisoriis non adeò rigorosè exigitur, quoties agitur de aliquo onere imponendo: Ideò August. apud P. Natal. Alex. *loco cit.* monet Honoratum, ut sortibus utatur ad explorandum, quem ex Sacerdotibus velit Deus permanere in Civitate, in quâ vel bellum fervet, vel pestis grassetur, ad fidelium solatium: Siquidem magis Deus in hujusmodi ambagibus consulendus est, quàm homines.

Imò nec in sortibus consultoriis exigitur dicta conditio; nam quando nullus, vel uterque ostendit titulum, & omninò sunt æquales probationes, nec patet quis ad judicium provocaverit, sorte dirimi ptest controversia etiam in electionibus Sacris, ut habetur ex Glos. *in cap. licet causam, de probat.* quam citat, & sequitur Torreblanc. *de Magia loco cit. num.* 40. *&* *juris spirit. lib.* 8. *cap.*7. *num.* 14. id quod hodiè frequenter in usu est apud Teutones: Contrarium tamen innuit Pistach. *d. cap.* 17. *num.* 12. latè de hac re Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *cap.*12. *n.* 12. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 21. Sanchez. *tom.* 1. *ad præcept. decalogi, lib.*2.*c.*38. *à n.*58. Troil. Malver. *de sortibus, par.*3. *à n.* 5. Del Bene *d. dub.* 225. *sect.* 3. Escobar. *vol.*4. *theol. moralis, sect.* 2. *lib.* 28. *cap.* 30. *probl.*108. Si tamen electiones Ecclesiasticæ fiant per sortes, non servatâ formâ assignatâ à *cap. quia propter, de elect.* non incurritur superstitionis crimen, sed aliquod Sacrilegii genus, ut benè advertit Anton Escobar. *in laudato cap.* 30. *probl.* 111. *n.* 578.

SUBSECTIO II.

An sortes Divinatoriæ sint licitæ.

SVMMARIVM.

1 *Sortes Divinitoriæ semper sunt illicitæ, & damnatæ, quia Deus voluit, futura nobis esse occulta.*
2 *In futuris occultandis elucescit divina ergà nos Clementia, & quarè?*
3 *Dedecet curiositas in indagandis futuris*

ris etiam medio licito, quantò magis ergò medio illicito?

4 *Sortes Divinatoriæ semper superstiosè consuluntur, ideòque omni jure prohibitæ sunt.*

5 *Quandò verificetur illud Sac. Scripturæ: Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur?*

6 *Nulla potest dari causa recurrendi ad sortes divinatorias: hujus rei multiplex ratio.*

1 SORTES divinatoriæ semper sunt illicitæ, ut docent Torreblanc. *de Magia, cap.* 22. *num.* 20. *& juris spirit. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 62. Del Bene *de offic. S. Inquisit. dub.* 225. *sect.* 8. *num.* 7. Campanil. *divers. jur. can. rubr.* 11. *cap.* 26. *num.* 95. *&* 96. Engel. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 21. §. 1. *num.* 7. Lavor. *elucubr. can. tit.* 4. *cap:* 20. *num.* 11. Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Pistach. *de superstit. cap.* 17. *n.* 22. Easdem sortes Leo IV. scribens ad Angliæ Episcopos apud Sixtum Senens *in sua Bibiotecha, lib.* 5. *annot.* 66. & apud Pistach. *ubi supra*, prorsus damnat.

Etenim si Deus voluit, futura esse occulta, temeraria dici debet curiositas, quâ illa investigare conamur: Hinc benè Pontifex Gregorius Magnus *epist.* 22. *lib.* 6. vellicans Gregoriam Imperatricis Cubiculariam, quæ cupiebat certa esse, an Deus suis peccatis pepercerat, sic scribit: *Quod verò dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quò ad usquè scribam, mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem, & inutilem postulasti: Difficilem, quia ego indignus sum, cui hæc revelatio fieri debeat; inutilem, quia secura de peccatis tuis fieri non debes*; eamquè monet, ut semper ploret, non ut quærat occulta noscere, quod etiam Horatium, licet Ethnicum, minimè latuit:

Tu nè quæsieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint, Leucone; nec Babilonios
—— Tentaris numeros.

2 Quinimò in hoc etiam elucescit summa ergà nos Dei bonitas, quod occulta, seu futura nobis non manifestet; nam si ipsa sunt mala, nolit, ut antè tempus cruciemur, quarè Cicero 2. *de divinat.* dicebat, nec homines probos amicis impendentes calamitates, quas effugere nequeant, prædicere. Et quandò vult Deus, ut emendemur, semper inspirationibus; quandoquè prodigiis nos monet: Si verò sunt bona, occultat, ut semper cum timore, & tremore operantes, meritum apud ipsum augeamus; nevè in horrendum superbiæ crimen incidamus: Adde, magnam esse temeritatem, velle occulta sibi à Deo revelari; undè D. Gregor. *ubi suprà*, fatetur, se tanti non esse, ut mereatur Dei revelationes.

3 Si igitur dedecet hujusmodi curiositas, licet medio non illicito, quid erit dicendum, si modus adhibeatur illicitus? Parentes nostri, ut eorum, quæ ignorabant, scientiam assequerentur, esu pomi interdicti totum genus humanum perdiderunt, nec tamen idololatrarunt. Quantò graviùs ergò divina Majestas læditur, si quod solius est Creatoris, Dæmoni tribuatur ad futura, seù occulta dignoscenda, ità ut S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, quem citat Sixtus V. *in Bulla adversùs Astrologos superiùs laudata*, affirmet, eum, qui sic interrogat, Christianam fidem, & baptismum prævaricasse.

4 Porrò sortes divinatoriæ, semper superstitiosè consuluntur, quia jam stabilitum est, quoties rebus confidimus vanis, saltem tacitè nos pactum inire cum Dæmone: At vanitas est maxima, velle à Deo scientiam assequi, quam ipse sibi soli reservavit: Vanitas est, certitudinem, quam nec ipsæ orationes possunt nobis promittere, ut dictum est, & quoties eam promitterent, essent superstitiosæ, sortibus attribuere: Vanitas tandem est, ipsammet cognitionem sic sperare, cum sortes sint res indifferentes, nec aptæ hujusmodi scientiam impartiri, quod patet ex supradictis, ideò tàm à jure Divino, quàm à Canonico improbantur: D. Tho. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 9. *in corpore*, & Sanchez *ad præcept. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 88.

5 Et quamvis habeamus ex sacrâ Scripturâ, quod sortes mittuntur in sinum, sed temperantur à Domino, id tamen veritatem sibi vindicat, quoties consuluntur sortes cum supradictis conditio-

ditionibus, quæ tantùm servari possunt in sortibus consultoriis, vel divisoriis, in quibus necessariò sors non potest esse fallax, quia sortientes æquo jure potiuntur: At in divinatoriis cadere potest sors jndicans falsum.

6 Præterea recurritur ad illas sortes cum causâ, sed ut ad has recurramus, nulla adest ratio; quippè futurorum, seù rerum occultarum cognitio ad nos minimè pertinet, sed tantùm ad Deum, qui solus omnia, & singula, quæcumque totius temporis decursu, & seculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, uti creator; & admirabili providentiâ disposuit, quamobrem Regius Propheta David ità cecinit: *Mille anni antè oculos tuos, sicut dies hesterna, quæ præterjit*: Hæc non modo humanæ mentis imbecilitas ignorat, sed nec Dæmones ipsi præsentire possunt, quemadmodum rectè dicit Sixtus V. *in dicta Bulla*: Adde in hujusmodi sortibus divinatoriis, quoties ipsæ consuluntur ad aliquid operandum contrà aliquem, præter malitiam superstitionis, reperiri quoque peccatum injustitiæ, ut benè advertit Pistach. *de superstit. cap. 17. n. 23. par. 1.*

SUBSECTIO III.

Quot modis exerceantur sortes divinatoriæ.

SUMMARIUM.

1 *Sortes Divinatoriæ, quæ apud Gentiles in veneratione extiterunt, evanuerunt quidem, sed earum reliquiæ usquè hodiè permanent penès mulierculas, &c.*

2 *Veteres arbitrantes, in carminibus Poetarum aliquid divinitatis latere, illa ad divinandum consulebant, & indè fortè orta origo ludi vocati,* indovina grillo.

3 *Describitur hujusmodi Ludus.*

4 *Rota tributa Venerabili Bedæ damnatur, ubi de Rota Onomanticorum remissivè.*

5 *Divinationi per carmina Poetarum successit hodiè mos temerè consulendi Sacram Scripturam ad divinandum. Ubi non damnandi, qui Sacram Scripturam consulunt ad fructum percipiendum, &c. Exemplum S. Francisci.*

6 *Missio sortis SS. ad eligendum Sanctum sorte tractum in patronum, caret omni superstitione: Usus istius extitit in familiâ Borgiæ.*

7 *Laudatur, & describitur usus, qui solet practicari in pervigilio noctis Epiphaniæ.*

8 *Quædam exempla sortium, quæ reprobantur.*

9 *Aeromantia apud Veteres quomodò fiebat, & quomodò apud Iudæos, qui ferè soli sunt, qui eam exerceant.*

10 *Necromantiæ rari sunt qui hodiè studeant, & quare?*

11 *Necromantiæ fundamentum est error Platonis de animarum divinitate.*

12 *Dæmon cur potiùs responsa det Necromantibus per cadavera, quàm immediatè per se ipsum?*

13 *Necromantia est Idololatria, quâ Defuncti invocantur, sed Dæmones apparent.*

14 *Casus miserabilis adolescentis suffocati à Dæmone ob lectos libros Necromanticos in Musæo Cornelii Agrippæ.*

15 *Sciomantia quomodò differat à Necramantiâ?*

16 *Hydromantia apud Veteres in pretio habita hodiè etiam in usu est, præcipuè apud Germanos, sicut & in Italiâ; & quomodò apud istos, & illos exerceatur?*

17 *An desponsatio Maris facta à Duce Venetiarum quotannis sapiat superstitionem Hydromantiæ.*

18 *Monomachia seu Duellum, quod ab Antiquis judicium Dei vocabatur, adhibebatur tanquàm judicium purgativum ad patefaciendam innocentiã, quo pacto inducit hæresis suspicionem, sed hodiè quo fine adhibeatur?*

19 *Abiit pariter in desuetudinem purgatio, quæ olim per ignem fiebat. Exempla ejus.*

20 *Abiit etiam in desuetudinem purgatio per aquam frigidam, & ferventem: hæc videbatur habere fundamentum in sacris Canonibus.*

21 *Catoptromantia quomodò hodiè exerceatur? Ubi de speculo Herculis, quo cernebantur Naves longè dissitæ.*

22 *Origo hujus divinationis Catoptromantiæ*

tiæ à Pytagorâ censetur prodiisse.

4 *Onichomantia extitit apud veteres: Quomodò hodiè exerceatur?*

4 *Adhuc hodiè exercetur Consciomantia per cribrum.*

5 *Clidomantia quomodò hodiè exerceatur?*

6 *Palomantia attributa Germanis à Tacito, hodiè est in usu ad invenienda Metalla, Thesauros, &c. & quomodò exerceatur tùm superstitiosè; tum absquè superstitione?*

QUAMVIS sortes divinatoriæ in veneratione apud Gentes extiterint, nihilominùs ipsâ Gentilitate extinctâ, earum usus minimè evanuit: Hodiè enim nil eis frequentius, ità ut non incongruum reputari debeat, si quot modis adhuc consulantur sortes, exponamus.

Et si nostris temporibus sortes, vel tesseræ non projiciantur, ut moris erat apud antiquos (de quâ re Torreblanc. *juris spiritualis*, *lib* 8. *cap*. 7. *num*. 74. Suaresius Episcopus Vasconen. *in lib*. cui titulus, *Prænestes antiquæ*, *cap*. 14. & eruditissimus à Turre *de inscriptione M. Aquilii*, *c*. 1. *à pag*. 4.) projiciuntur tamen fabæ à nonnullis Mulierculis ad divinandum, an Amasius eas diligat; ubi reperiatur; an alterius amore sit captus; & ad dignoscendam bonam, seù adversam fortunam, pròut quamdam fœminam, nomine Beatricem fecisse, testatur Torreblanc. *de Magiâ*, *num*. 17. nec à nigris fabis deceptam fuisse, quoniam eâdem die, quâ fabæ ab ipsâ consultæ, nigræ apparvere, in adulterio depræhensa, Cordubæ interfecta fuit.

Nec in totum recessit mos ille consulendi carmina apud veteres: Hi enim arbitrantes aliquid divinitatis in Poëtis latere quod jactitat Ovidius:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic sacer semina mentis habet.

Carmina nobilis alicujus Poetæ consulebant, quorum nonnulla selecta in pittaciis, seu schedulis describebant, ac in situlam conjiciebât, ex quâ sortes extrahebantur: Interdùm ipsa carmina in Tabellâ describebant, & jactu talorum, arbitrante aleâ, divinationem venabantur. Ab hujusmodi fortassè more originem traxit ludus, quo nostrates pueri bonam, vel malam sortem auspicantur à quodam libro, cui titulus est, *Divina Grillo*: *Grilli* enim nomine intelligunt exiguum instrumentum ex ferro, vel cupro in modum sagittæ formatum, & versatile, utpotè in æquilibrio collocatum super axem in centro circuli, in cujus peripheriâ multi numeri descripti sunt. Hæc sagitta talitro percussa, circumagitur aliquantisper, & posteà quiescens, tangit suâ cuspide numerum in prædictâ circuli peripheriâ, eo modo, quo solent Horologiorum indices horas monstrare: Hoc numero invento, consulunt libri capitulum, in quo de propositâ materiâ agitur, cujus titulo in fronte libri reperto, quærunt in latere sinistro ejusdem paginæ numerum supradictum, & è regione illius obvium eis fit carmen rei quæsitæ exitum declarans modis facetis, & ad risum provocandum accomodatis: Hujusmodi libellum Torreblanca adhuc Puer à Religioso quodam habuit, sed posteà nimis scrupulosè monitus à Genitore, combussit, quemadmodum ipse fatetur *de Magiâ*, *d.c*. 22. *num*. 35. Nimis (inquam) scrupulosè, ad tradita per Sanchez *in summa*, *lib*. 2. *cap*. 18. *num*. 20. Suarez *tom*. 1. *de relig. lib*. 2. *de superstitione*, *cap*. 10. *num*. 9. & *cap*. 13. *num*. 15. & Hurtad. *Resol. Moral. tract*. 5. *cap*. 6 *Resol. ultim. in fine*: Non me tamen latet à Pistachio *de Superstit. cap*. 16. *num*. 7. prorsùs damnari Rotam, quam malâ tribuunt venerabili Bedæ: sed tota malitia pendet à modo cõsulendi, scilicet an serio animo, an verò faceto, & non nisi ludendi causâ consulatur. De superstitiosâ Nomanticorum, sivè Onomanticorum Rotâ plura inquit Georg. Ragus, *de divinat. lib*. 2. *epist*. 4.

Aperiebant etiam temerè arreptum alicujus vatis librum, & quidquid primùm oculis se objiciebat, pro sorte id, & oraculi loco habebant. Hoc pacto Adrianus Cæsar Virgilianas sortes consulit, teste Ælio Spartiano *in ejus vita*.

5 Hic, inquam, mos in totum non evanuit, subrogato à temerariis in poëtarum locum sacri fœderis utroque testamento, prò ut notat Casaubon. *in*

Ælium Spartianum, loco citato, quem morem damnat Mour. *de incant. sect.* 2. *cap.*6.*n.*14.*&* Torreblanc. *de Magia*, *ubi suprà*, *n.* 32.

Non tamen hac superstitione notari debent illi, qui libros sacros non aperiunt, ut divinationem quærant, sed ut aliquem lectionis fructum percipiant: Pistach. *de superstit.par.*1.*cap.*17.*nu.* 21. Leander. *to.*6.*tract.*9.*disp.*2.*quæst.*89.*&* 90. undè idem Torreblanca *ibid. num.* 37. dicit, hoc quotidiè consuevisse facere ejus genetricem, sanctitate conspicuam, & anteà id ipsum fecisse Sanctum Franciscum, testatur Ecclesia Franciscana illis versiculis.

Crucis Sacrata lectio
Ter Francisco se præbuit,
Dum ter librum aperuit (librum Evangeliorum)
Pro virtutis inditio,

6 Similiter omni suspicione caret missio sortis sanctorum ad cognoscendum, quem ex ipsis, sorte tractâ, sibi in Patronum,& Advocatũ pro illo anno, aut Mense contingat suscipere: Leand. *oper. moral.tom.*6.*tract.*9.*disp.*2.*qu.*89. Super hac re adest libellus Mediolano impressus, qui inscribitur; *Origine dell'assortimento de Santi*, ubi præcipuè notatur, dictam inventionem traxisse ortum ex operibus Patris Drexellis Societatis Jesu, qui testatur olim hujusmodi sortium emissionem apud familiam Borgiam, & præcipuè, apud Franciscum hujus familiæ Gandiæ Ducem fuisse in

7 usu, cui congruit consuetudo,quæ inolevit in Patriâ meâ, & in alijs Italiæ civitatibus, ubi omnes ferè familiæ in pervigilio noctis Epiphaniæ Domini, bonam, ut aiunt, fortunam haurire solent, quod fit hoc modo: Præparantur tres crumenæ, aut pixides, in quarum primâ ponuntur nomina cujuscumque de familiâ in schedulis, seù pittaciis descripta; in secundâ nomina tot Sanctorum, quot sunt homines in eâdem familiâ; & in tertiâ tandem nomina tot munusculorum: Deinde accersitur aliquis puer innocens,à quo extrahitur è priori crumenâ, vel pixide, nomen unius de familiâ; deindè à secundâ,nomen unius Sancti; & à tertiâ, nomen unius Munusculi, & tres illæ Schedulæ traduntur homini illi, cujus nomen extractum fuit, & ipse reverenter recipit sanctum, qui sorte ipsi contigit in Protectorem eo anni curriculo, & munusculum in signum mutuæ charitatis. Eodem pariter ordine puer extractionem Schedularum prosequitur,quæ pari modo traduntur singillatim reliquis hominibus illius familiæ:

Hoc pacto rectè possunt
Auxilium ———
——*Per sacras quærere sortes*,
ut cecinit Ovid.

Et licèt videatur quoad Munusculorum distributionem fata tentari, nihilominus, cum hæ sortes reducantur ad divisorias, utique permissum est, ipsis consulere, quemadmodum de alio ludo suprà stabilivimus, nec exitus à fatis, quæ nos Catholici non admittimus, sed à merâ schedularum dispositione expectatur. Non ità dicendum

8 de sortibus convivalibus Heliogabali, quæ inscribebantur in cochlearibus, ipsisquè verè fata tentabantur, prout ait Salmasius *apud Ælium Spartiaum in Heliogab.*ità ut unus ex conuivis decem Camelos; alius decem muscas; unus decem libras plumbi sortiretur; ac omnis eventus à fortunâ,quam Ethnici venerabantur, attendebatur.

Sæpè etiam observavi in eâdem Epiphaniæ die, mulierculas olivarum folia in ignem projicere, ac quomodò prosiliant, & crepitent, dum uruntur, considerare: Hocque semper reliquiam esse existimavi superstitiosæ apud Ethnicos Pyromantiæ,de quâ Pater Gaspar Schott.*in Taumaturgo p.*4.*lib* 6.*Syntagm.* 1.*cap.*1.§.1.Julius Cæsar Bulenger.*lib.* 2. *de Divinat cap.*11. Conrad. Vvimpina *de Divinat. cap.* 2. Georgius Raguseus *de Divinat.lib.*2. *Epist.* 8.*pag.*458. & Torreblanc. *de Magia*, *ubi suprà cap.* 19. *in fin. & cap.*24. *num.* 18. ubi reperies, antiquitus lauros incendi, & signum erat infelicis ominis, si urebantur sinè crepitu, quarè dolens Propertius ait:

Et tacet extincto Laurus adusta foco.

9 Aeromantia verò, quæ apud Ethnicos maximè in pretio extitit, quæquè per tripodas perficiebatur, hodiè est penitùs extincta: Consueverant enim vas quoddam tribus innixum pedibus exi-

exiguo ventosę cryptę foramini objicere, & ex sonitu, quem emittebat vas illud vento è cryptâ erumpente agitatum, oracula, ac vaticinia desumebant, ut notat Philipp. Bonarot. *in eruditissimo libro*, cui titulus est: *Osservazioni istoriche sopra alcuni medaglioni antichi*, *pag*. 38. Alia tamen Aeromantię species penès eosdem in usu fuit, quę ex aere incantato per spectrorum occulta revelantium apparitionem fiebat, ad tradita per Pictor. *in epitom. de mag. cap*. 10. Bulenger *lib*. 2. *de Divinat. cap*. 12. & Torreblanc. *juris spirit. lib*. 8. *cap*. 16. hæcque hodiè non est penitùs extincta, ideò solent Judæi inscribere in parietibus circulum album cum illis verbis hæbraicè expressis, *Manè extra lilith*, *extra lilith*: Lilith enim apud illos est spectrum dæmoniacam, habens formam abortivi fætus, hoc vero excepto, quod habet alas. His autem verbis superstitiosè credunt impedire, ne ipsis noceat, vel eorum occulta revelans, vel eorum filios inficiens: sed si hodiè ab aliis, præterquàm à Judæis exercetur hæc Aeromantia ad divinandum, certè fit rarò: Tholosan. *Syntagm. lib*. 34. *cap*. 19. *num*. 5.

10 Sicut etiam rari sunt, qui Necromantiæ studeant; non quia nostra tempora hoc crimen horreant, sed quia potiùs ob corruptos seculi mores hujusmodi superstitionem non frequentant, ut liberiùs indulgere possint libidinibus. Nam Necromantes ipsi non consulunt Dæmones, quotiescumque Mulieribus commisceri gestiunt, ut eorum libri fatentur: Necromantiam autem vehementem generare suspicionem, tradunt Passerin. *in* 6. *Decretal. cap. Accusatus*, §. *sanè*, *num*. 210. *de Hæretic. Sess. decis*. *Aragon. vol*. 4. *decis*. 455. *numer*. 30. & *seqq*.

11 Hujusmodi ars divinatoria, quâ mortuorum animæ evocantur ad hoc, ut occulta, & futura revelent, ut ait P. Gaspar Schott. *loco cit. cap*. 2. §. 1. & antè eum D. August. *lib*. 10. *de Civit. Dei cap*. 9. & 10. & *lib*. 7. *cap*. 33. Petr. Leloycr. *lib*. 4. *spectrorum*, *cap*. 4. Barbos. *de potest. Episcop. par*. 3. *alleg*. 51. *cap*. 8. *num*. 129. Iul. Cæs. Bulenger. *lib*. 3. *divinat. cap*. 3. & alii apud Torreblanc. *Iuris spirit. lib*. 8. *cap*. 8. innititur Platonis errori, qui in hoc consistebat, quod animæ divinitatis essent participes; sed quia corporibus gravabantur, & reddebantur tamquàm sopitæ, ideò futura non agnoscebant; ob id tempore mortis, quo corporea vincula jàm laxantur, divinare inciperent: Torreblanc. *de Magiâ*, *cap*. 16. *à num*. 1. & post mortem Dæmones evaderent, atque ex iis lares, & lemures, seu larvæ; scilicet lares, si benè; lemures, si malè meruerint, ut putant Porphir. *lib. de abstinen. animal*. & Apul. *de Gen. Socr*.

12 At Dæmonis astu responsa redduntur potiùs mediantibus his cadaveribus, quæ ut somniant Necromantes, reviviscunt; quàm immediatè per semetipsum, ut faciliùs sequacibus suis imponat, inferni carcerem non esse perpetuum, & ut eis persuadeat, posse ab eo extrahi animas ex eo loco, & ex quocumque alio, in quo detineantur; cum ergò ipsi non non sit talis potestas, ut superius innuimus, & prout docet August. 10. *de Civ. Dei*, *cap*. 9. ubi subjungit: *Si rebus viventium interessent animæ*, *me pia mater nullâ nocte desereret*, *quæ me terrâ*, *marique secuta est*, *ut mecum viveret*; cum, inquam, ita sit, re-

13 ctè Tertullianus *lib. de anim. cap. fin*. dixit, Necromantiam esse Idololatriam, in quâ defuncti invocantur; sed Dæmones apparent, & sub personis ipsorum defunctorum delitescunt, fingentes se homines, id quod innuit Valesius *de Sacra philos. cap*. 33. & Louanii accidisse iussu Corn. Agrippæ, testatur P. del Rio *disq. Magic. lib*. 2. *q*. 29. Is commen-

14 salem habebat nimis curiosum, quarè cum aliquando aliò profectus fuisset Agrippa, vxori, quam posteà repudiavit, claves Musæi sui tradidit, additâ prohibitioee, ne quem ingredi sineret: Inconsulus iste Adolescens, opportunè, importunè non destitit Mulierculam deprecari, sibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit: Musæum ingressus, incidit in libellum coniurationum; legit: En illi pulsatio ad Januam, turbatur; sed pergit legere, pulsat iterum nescio quis, & nihil respondente rudi harum rerum Juvene, Dæmon ingreditur: quærit cur vocatus? quid fieri jubeat? isti metus vocem intercludit; fauces, Dęmon: sic

 miser

miser luit pœnam nefariæ curiositatis: redit intereà Domum Archimagus; videt exultantes super eum Dæmones; utitur solitis artibus; adsunt vocati; narrant rem, uti gesta fuit; ille homicidam cadaver interfecti ingredi, imperat, & per forum (ubi cæteri solebant studiosi frequentiùs convenire) aliquoties obambulare, tandemque Corpus deserere. Ambulavit ille ter, quatervè, tùm corpus concidit, difugiente eo, à quo regebatur. Creditum diù, hunc subitâ correptum morte concidisse, sed jndicia suffocationis initio rem suspectam fecère; posteà tempus omnia divulgavit, & Agrippa, quas pectore occuluerat hæreses, in Lotaringhiam profugus, cæpit evomere. Hoc pacto igitur cadaver à Necromantibus interrogatum respon-
15 det, ac futura prædicit; & quoties non interrogatur cadaver, sed solùm accersitur umbra, sub quâ delitescens Dęmon, profert responsa, tunc propriè non exercetur Necromantia, sed Sciomantia: utraquè tamen, licèt apud veteres plurimùm in usu fuerit, adeò ut sæpè Uates de ipsâ mentionem faciant, nunc rarò exercetur.

16 Non ita censendum est de Hydromantiâ, olim ab Andronico Imperatore Orientis (ut testatur Nicæta Choniates *Annal. lib.* 2.) & à Numa Pompilio sibi in pretio habitâ (quemadmodum refert August. *lib.* 7. *de civit. c.* 35.) Illa enim usquè adhuc frequens est. Quippè nedùm Germani recens natos Rheno fluvio quotidiè committunt, credentes, si spurii sint, eos absorberi; si legitimi, innoxios supernatare: verùm etiam sæpe sæpiùs in Italia consuluntur sortes per Phialam aquâ plenam, in quâ inspicit puer, vel Mulier seù virgo, seù gravida illa verba proferens, *Angelo Santo*, *Angelo bianco*, ut videre est apud Pistach. *de Superstit. par.* 1. *cap.* 22. *num.* 20. Sess. *decis.* 455. *num.* 7. *vol.* 4. & tunc loco responsi succedunt umbræ, quas videt, vel videre fingit, qui oculos in phialam direxit. Quæ Divinatio, uti superstitiosa, prorsùs damnata reperitur, ac heresis suspicionem inducit: Torreblan. *de Magia*, *d. cap.* 20. *nu.* 15. *&* *Iuris spiritualis*, *lib.* 8. *c.* 29. Passerin. *in cap. Accusatus* §. *sane*, *num.* 217. *&* 218. *de Hæretic. in* 6. & expresè sancitum fuit in Bulla Sixti V. contrà Astrologos *ibi*: *alii quoquè præstygiatores*. Hinc opportunè quæri potest, quid dicendum sit de Duce Venetiarum, qui singulis annis die Ascensionis Adriaticum desponsat projectâ in Pelago præciosâ gemmâ, an hoc ad superstitionem referri debeat? quod tamen non est dicendum, nec Hydromantiæ tribuendum, cum tantùm fiat in signum Dominationis, quam in Mare habet, ut explicant Sabellic. *decad.* 1. *lib.* 7. Villemont. *peregrination. lib.* 1. *cap.* 2[...] Palat. *de Domin. Mar. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* [...] Pac. *de Domin. Mar. Adriatic. cap.* 1. *per tot.* Graswinkel. *de mar. liber. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 100.

Aliæ etiam adsunt Divinatoriæ sortes, quas superstitiosa antiquitas cum vitę periculo, & cum membrorum læsione consulebat, & ob id ab Ævo nostro non receptæ, inter quas prima
18 fuit Monomachia, seù Duellum, seù Judiciũ purgativum nuncupetur, quod fuit omnium detestabilius, ex quo innocentiæ patefaciendæ prętextu ubiquè Terrarum sibi aditum aperuerat: Denominatum quoque fuit Judicium Dei, eo quia, cum naturaliter evenire non posset, quod ex Duellatoribus noxius innocenti succumberet, certò expectabatur Dei judicium, qui per victoriam innocentiam manifestaret; itaut qui vicerit, probasse intelligeretur; & [qui] non vicerit, defecisse in probatione, juxtà plenè cumulata per Cardin. de Turrecremat. *in cap. Monomachiam* 2. [...] 4. Passerin. *in* 6. *Decretal. cap. Accusatus* §. *sanè*, *num.* 328. *de Hæretic.* Covarruv. *lib.* 4. *Var. Resol. cap.* 23. Torreblanc. *Iur. spiritual. lib.* 9. *cap.* 12. Escobar. *Theol. moral. sect.* 2. *lib.* 28. *cap.* 3. *problem.* 10. *vol* 4. Del Rio *disq. magic. q.* 4. *sect.* 2. Carraff. *de Duell. tract.* 4. *sect.* 2. *qu.* 1.

Hujusmodi autem Duellum dubitari non potest, quod hæresis suspicionem inducat, quia in hoc Deus tentatur per actum illicitum ad patefaciendam veritatem, quod est majus crimen, quàm Idololatria, & est in multiplici specie mali, nempè Homicidii, Irreligionis, & Divinationis, ac perindè superstitiosum, ut notant Torreblanc. *Iur. spiritual. dict. lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 3. *& seqq.*

Esco-

Escobar *Theologia Moralis dict. sect.* 2. *lib.* 28. *problem.* 104. Pistach. *de superstit. cap.* 18. *nu.* 2. *&* 3. *lib.* 1. Caraffa *de Duell. tract.* 4. *q.* 2. *per tot.* & habetur per S. Thomam *in* 2. 2. *qu.* 5. *art.* 8. *num.* 30. & latius *ibidem* per Cajetanum, vbi hujusmodi *Duella*, Divinationes, Maleficia, & Sortilegia nuncupantur, & in consequens venit, quod cum hæc admixta secum habeant, qui illis uterentur, de Hæresi suspecti censendi essent: tametsi hodie Duellum adhibeatur absquè superstitione, vel ad vindicandum honorem, seù iniuriam puniendam; vel ad ostendendum robur, sicut olim fecerunt Joab, & Abner. *in cap.* 2. *à vers.* 14. *Reg.* vel etiam ad oblectamentum, ut fieri solet in torneamentis, seù hastiludiis, præcipuè in Patriâ meâ, ubi quotannis tempore bacchanalium ad singulare certamen homines in morem cataphractorum armati hastis validioribus concurrunt, licitè tamen vigore Pôtificiæ constitutionis: Cæterum quamvis duellantes excommunicentur, attamen per eum non incurritur suspicio hęresis, nec punitur à Sacrâ Inquisitione, quia, ut dixi, nulla superstitio intercedit.

19 Pariter in desuetudinem omninò abiit purgatio, quæ per ignem fiebat, quæquè tantùm viget apud Japones, penès quos præsumpti rei, ità purgantur, teste P. Aloysio Fraes *in Epist. anni* 1595.

Quis enim imitari vult Richardi II. Imperatoris Uxorem, adulterio insimulatam, de quâ Bajor. *lib.* 4. *Annal.* ut ad probandam innocentiam suam ferrum candentem manu attrectet? Quis Kunigundem, Henrici II. Vxorem, ut pedibus nudis super ignitum ferrum ambulet, prôut ipsam fecisse ad ostendendam innocentiam, testatur Fulgos. *lib.* 8. *miracul. cap.* 1.? Quis Emmam Angliæ Reginam, quæ pedibus nudis super ignitos vomeres ambulavit ad contestandam pudicitiam, teste Polyd. in sua *Anglor. hist. lib.* 8.? Plurima hujusmodi experimenti exempla habentur penes Del Rio *disq. Magic. lib.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 3. Cabasut. *in notitia Concil. pag.* 390. & Franciscum Jurettum *in annot. ad Ivonis Carnotens. ep.* 74.

20 Idem dicendum de purgatione per aquam sivè ferventem, sivè frigidam, cui tribuebatur contraria actio ad comprobandam innocentiam, ut frigida ureret; & fervens frigiditatem in membris, quibus tangebatur, induceret: Del Rio, *loco cit. sect.* 4. Hujusmodi, inquam, purgationes in desuetudinem abierunt, quamvis antiquitùs passim fuissent in usu; Imò etiam auctoritatem aliquando à Canonibus habuerunt, licet posteà proscriptæ fuissent: Si quidem Innocentius Tertius Episcopum deponit tàm ob ejus alia delicta, quàm ob ejus judicium, probationem indicens per ferrum candens: *cap. ex literis, de excess. prælat.* Et in Decreto Stephanus V. prohibet candentis ferri, & ferventis aquæ probationem, aut purgationem: Nicolaus verò *cap. consuluisti, & cap. Monomachiam.* 2. *qu.* 4. insuper S. Thom. 2. 2. *qu.* 95. *art.* 8. *ad* 3. illicita docet esse illa examina, per quę Deus tentatur ad miraculum operandum, idquè latè ostendit Passerin. *d. cap. Accusatus, nu.* 327. *de Hæretic. in* 6.

21 Cæterarum divinationum vestigia adhùc remanent. Habet enim his temporibus gens superstitiosa suam Catoptromantiam, dum prò phialâ, de quâ diximus suprà, utitur speculo. Hanc plurimùm fuisse in usu apud Veteres, testatur Torreblanc. *de Magia, libr.* 1. *cap.* 24. *nu.* 10. *& Iuris spiritualis, lib.* 8. *cap.* 27. ubi rectè ad hujusmodi artem reducit speculum ab Hercule antiquitùs in altâ Turri suspensum, in quo naves longè dissitæ, tamquàm ex proximo stantes, cernebantur: Quidquid dicat Raphael della Torre *tom.* 2. *de vitiis oppositis Relig. q.* 95. *art.* 3. *disput.* 3. putans, naturaliter Herculem vidisse eo in speculo Naves. Distantia enim, quæ erat tanta, ut oculus non posset eas cernere, comprobat superstitionē; nec per ipsum speculū tamquā per Teloscopiū, sed in ipso descriptæ videbantur: P. Kircher *lib.* 10. *lucis, & umbræ in cryptologia sua, c.* 1. Idcircò cautè legendus Daniel Schuuenter *in deliciis mathemat. par.* 6. *q.* 15. Sess. *decis.* 455. *n.* 15. *lib.* 4.

22 Originem hæc divinatio traxit à Pythagora, ut benè observat Casaubon. *in Ælium Spart. in Iuliano*: Consueverat enim Philosophus ille litteras humano sanguine, cujus percupidus est Dæmon, quemadmodùm legitur in

cap.

cap. nec mirum 26. *qu.* 5. super speculum exarare, ipsumquè lunæ opponebat, & sic divinabat; undè Tertullianus *de resurrect. carnis*, *cap.* 12. fortassè de his speculis loquens, ea appellat specula lunæ, quæ tamen cum dicat menstruum numerum atrire, videtur intellexisse de ipso lunæ orbe, in quo legebantur responsa ab iis, qui Thessalas Sagas consulebant vi carminis humano sanguine super speculum conscripti: Adhibebant quandoquè Puerum, qui præligatis oculis, & incantato vertice in ipsum speculum spectaret, nedùm ad divinandum, sed etiam ad præsidium in adversis petendum: In quo observa Dæmonis superbiam, quâ suam potestatem ostendere nititur, dum exigit puerum ad legendum responsa oculis præligatis, pròut videre est in Aristophano: Leloyer *lib.* 4. *spectrorum*. Cœl Rhodigin. *lib.* 9. *antiq. lect. cap.* 23. & Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 8. *cap.* 27.

23 Habet quoquè his temporibus gens improba Onichomantiam, quâ inunguntur oleo, seu sancto, seu benedicto, seu quocumque alio ungues, in quibus autumant apparere figuras futura indicantes: Torreblanc. *Iuris spiritualis d. lib.* 8. *cap.* 30. Hoc divinationis genus extitisse apud Ethnicos, testatur idem Torreblanc. *de Magia*, *cap.* 24. *num.* 17. ubi sub *num.* 16. addit, morem etiam fuisse ungendi volam manus impolluti pueri, vel fœminæ incorruptæ, quâ sic linitâ, solisquè radiis oppositâ, & quâdam submurmuratione præmissâ, responsa cernebantur.

24 Exercetur etiam hodiè Cosciomantia, ut apud Antiquos, undè adagium, *Cribro divinare*, de quo vide Manutium *in Adagiis*: Sumunt enim Cribrum, quod forcipi imponunt, illudque per funem, cui alligatur, duobus digitis tenent sublevatum, vertentes in gyrum, dum nomina furum proferuntur: quoties verò Cribrum tremiscit ad nomen alicujus, is delinquens habetur: Torreblanc. *de Magia*, *d. cap.* 24. *nu.* 30. *& Iuris spirit. lib.* 8. *cap.* 5. & ità Peucerius, Del Rio, & Bulenger. *lib.* 3. *de Divinat. c.* 31. apud Schottum *in Thaumat. p.* 4. *lib.* 6. *synt.* 1. *cap.* 2. §. 8. Covarr. *de falsa prophet. cap.* 6. Per hujusmodi gyrum cribri honoratur Dæmon, nam circuli signa sunt divinitatis, ut observat Pistach. *de superst. par.* 1. *cap.* 15. *num.* 2. Sess. *decis.* 455. *num.* 15. *&* 16. *lib.* 4.

25 Cui non absimilis est Clidomantia, de quâ Martin. del Rio *lib.* 4. *sect.* 4. *numer.* 12. Nam in eâ adhibetur clavis, quam tenet Virgo, Breviario, vel Sacræ Scripturæ codici alligatam, ac circumdatam chartâ, in quâ inscribitur nomen ejus, qui patrati criminis reus suspicatur, & si hic talis reverà sit, clavis, ut ajunt, movetur.

26 Eam verò divinationem, quam nuncupant Palomantiam, Germanis à Tacito *lib. de eorum moribus*, attributam, adhùc superstitiosi homines retinent: Siquidem hodiè sæpè ad invenienda metalla, thesaura, & aquas, ipsi utuntur virgis punicæ nucis, seù auellanæ characteribus inscriptis: Non me latet absquè ullo pacto Dæmonis uti nonnullos, pròut rectè faciunt, dictis virgis bifurcatis, & insimul connexis, quę naturali instinctu inclinantur in eam partem, ubi sunt condita metalla, sivè aquę; sed non adhibent characteres, & consequenter non dicuntur exercere Palomantiam; licet non desint, qui teneant, quod virtus conversionis coryli ad metalla non sit naturalis, ut per Kircherum *lib.* 3. *de Magnete*, *p.* 5. *cap.* 3. Forrerum *in viridario*, *disp. de Magnete*, *num.* 29. Ulyssem Aldrovandum *lib.* 11. *de metallis*, §. *metallorum inveniendorum ratio*, P. Bernardum Cęsium *lib.* 1. *de mineralibus*, *cap.* 7. *sect.* 4. & P. Schottum *in Thaumat. par.* 4. *lib.* 4. *synt.* 4. *cap.* 1.

Nè autem videamur integrum tractatum de tot divinationũ generibus apud Antiquos, quæ hodiè exercentur, texere, & ne simplices, ac ad malitiam paratos periculosè instruamus, hoc solum addimus, modò nedum exerceri superstitiones Ethnicorum, sed alias quoquè ipsis incognitas: Hac arte nititur Dęmon falsitatis parens persuadere, non sibi à Christo triumphante potestatem fuisse ademptam.

SE-

SECTIO V.

De vanæ observantiæ studentibus.

SUMMARIUM.

1 *Ex D. August. ad pacta cum Dæmonibus inita pertinent millia inanium observationum.*

2 *Dæmon sæpè miscet se hominum operibus superstitiosis, ipsis hominibus ignorantibus, quod maximè verificatur in mulierculis bona fide vana observantibus ad sanitatem.*

3 *Superstitiones sunt vel qualificatæ, seù hæreticales; vel simplices, seù non hæreticales: Reicitur divisio Torreblanca.*

4 *Superstitiones hæreticales quænam sint?*

5 *Superstitiones non hæreticales quænam sint?*

6 *Inquisitores procedunt adversùs superstitiones omnes, etiam non hæreticales ex Sixti V. dispositione.*

7 *Iurisdictio Inquisitoribus contrà superstitiones non hæreticales data est eis cumulativè cum Episcopis.*

8 *Discrimen inter superstitionem hæreticalem, & non hæreticalem.*

9 *Quatuor sunt species vanæ observantiæ & quænam sint?*

10 *Ubi actio non est peccaminosa lethaliter, nec est suspecta de hæresi.*

11 *Vana observatio hæreticalis inducit hæresis suspicionem: imò hæc horitur ex quolibet pacto expresso cum Dæmone. Ratio hujus.*

12 *Vana observatio non hæreticalis est tamen cum hæresis suspicione, licet levi.*

13 *Ignorantia probabilis, seu simplicitas excludens pravam intentionem, & à peccato mortali excusans, excusat etiã ab hæresis suspicione, & quare?*

14 *Non oritur suspicio ex vanis observantiis, per quas non incurritur peccatum mortale.*

1 DOCTISSIME Augustinus scribit, quod ad pacta cum Dæmonibus inita, pertinent millia inanium observationum, putà si membrum aliquod salierit; si coniunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit; si quis dum se calceat, sternutaverit; si vestis à soricibus rodatur, & plus timeatur suspicio mali futuri, quàm præsens damnum doleatur, quod etiam docuerunt Moura *de Incant. sect.* 2. *cap.* 14. *num.* 15. Bordon. *in trib. cap.*18 *num.*8. latè Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 9. *cap.* 5. Filiucc. *quæst. moral. tom* 2. *tract.*24. *cap.*6. *num.*136.

2 Quinimò P. Victoria *relect.* 12. *nu.* 28. *vers. respõdetur*, ait ex authoritate ipsius Augustini *lib.* 2. *super Genesim*, quod sæpè miscet se Dęmon hominum operibus superstitiosis, ipsis hominibus ignorantibus, & nolentibus. Quod comprobatur ex eo, quod præcipuè mulierculæ dum bonâ fide observant vana, vel ad sanitatem tuendam, vel ad alium finem, Dæmones assistant earum operationibus, ut persuadeant rebus confidere vanis in quo fœdus tacitum consistit, prout quoque habetur *in cap. non licet* 26. *quæst.*5.

3 Ut autem per sua principia dignoscatur, quando hæresis suspicio incurratur per vanas observationes, ne super hac re à veritatis tramite, potiùs ad unam, quàm ad alteram partem deflectamus, præmittendum est, quod superstitiones sunt, vel qualificatæ seù hæreticales; vel simplicis, seù non hæreticales, ut ex Alberghin. *in Man. cap.* 18. *sect.* 2. quod etiam docuerunt Paul. Grilland. *de sortileg. q.* 10. *à n.* 2. *& q* 11. *à n.*1. Eymeric. *in Director. Inquisit. par.*2.*q.*42. Navarr. *in Manual. cap.*11. *à num.*28. Jul. Clar. *lib.* 5. *Receptar.* §.*hæresis*, Farinacc. *tom.*1. *q.*20. *à num.* 29. Marta *de Iurisdict. part.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. adversùs quos Torreblanc. *de Magia lib.*3. *cap.*7. *num.*1. ait hujusmodi crimina trifariam esse distinguenda. Quædam enim, ut ait ille, sunt hæreticalia, ut invocare Dæmonem ad futura revelandum, vel ad suscitandum mortuos; quædam verò sunt hæretica, ut credere, posse à Dæmone vel futura revelari, vel mortuos suscitari; quædam tandem sunt non hæreticalia, ut petere à Dæmone, quod furta revelet. Verùm quia hæresis constituitur ex interno intellectus errore, malè ità distinguuntur à Torreblanca ipsa facta externa, & in hoc vellicandus est etiam

P.del

P. del Rio *disq. lib.* 5. *sect.* 15. distinguens superstitiones in hæreticas, & hæreticales: Etenim an superstitiones sint hæreticæ reverà, pendet (ut mox innuimus) ab intentione, ita ut possint esse vel tantùm suspicionis inductivæ, ut si sanâ mente sint factæ; vel veræ hæreticæ, si non sanâ mente; ob id promiscuè sumit propositiones hæreticales, & hæreticas Eymeric. *in director. par.* 2. *q.* 2. Rejectis igitur hujusmodi distinctionibus cum Gastald. *de Angel. tom.* 2, *q.* 4. *art.* 1. asseveranter dicimus, superstitionum non dari aliam distinctionem, nisi quod aut sint hæreticales, aut non hæreticales: Superstitiones hæreticales, sunt quæ sapiunt

4 hæresim; & è contrà non hæreticales sunt, quæ nullam sapiunt hæresim. Tunc verò dicuntur hæreticales, quando adest pactum expressum cum Dæmone: Sousa *lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 6. *&* 17. Bordon. *in sacr. Tribunal. judic. c.* 18. *numer.* 24. *&* 25. quando invocatur Dæmon ad ea, quę solùm Deo competunt: Sousa *ibid. num.* 7. Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 24. Farinac. *q.* 181. *num.* 5. & quando tribuitur Dæmoni aliquis, seu latriæ, seù Duliæ cultus: Eymer. *p.* 2. *direct. q.* 43. Carena *loco cit. num.* 16. Farinac. *ibid. num.* 67. Sousa *d. cap.* 57. *nnmer.* 5. Bordon. *d. cap.* 18 *num.* 25. Sesse *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 464. *num.* 15. pròut etiam, si adest abusus vel Sacramentorum, vel Sacramentalium: Farinacc. *loc. cit.* Sousa *ubi sup. num.* 9. Genuens. *cap.* 18. *num.* 11. Torreblanc. *de Magia, lib.* 3 *cap.* 7. *per tot.* Passerin. *in cap. Accusatus*, §. *sanè, numer.* 185. *de Hæretic. in* 6.

5 Non hæreticales verò dicuntur cæteræ vanæ observantiæ ad scienda futura, vel ex inspectione syderum, vel alio modo sinè expressâ Dæmonis invocatione: Sousa *loco cit. num.* 13. ac quæcumquè res spirituales, ut oratio, abstinentia, jejunium, adhibitæ ad effectum bonum cum quibusdam vanis circumstantiis: Bordon. *in Tribun. cap.* 28 *num.* 26 *in fine.* Undè vide, quod vanæ observantiæ sunt res indifferentes ad hoc, ut sint hæreticales, vel non hæreticales, ità ut, absolutè loquendo, minus rectè dixerit Torreblanc. *de Magia, lib* 3. *cap.* 7. *num.* 9. vanas observantias non esse hæreticales.

6 Quamvis autem hæc ità se habeant, nihilominus sanctissimus Pontifex Sixtus V. *in laudata bulla* vult, quod Inquisitores hæreticæ pravitatis ubiquè gentium deputati inquirant, & procedant adversùs quascumque superstitiones, etiamsi non sint hæreticales, quemadmodum (quidquid dicat P. del Bene *de offic. S. Inqu par.* 2. *dub.* 195. *sect.* 70. *nu.* 4.) testatur Moura *loco cit. sect.* 3. *cap.* 1. *num.* 7.

7 At quia anteà Episcopi jurisdictionem habebant contrà superstitiones nō hæreticales, non est eis adempta hujusmodi potestas, sed in odium vanæ gentis censetur Jurisdictio Inquisitoribus data cumulativè, & non privativè, sicut benè resolvit Moura *ibidem, num.* 5. Ideòquè est locus præventioni, quod etiam concedit Del Bene *de Offic. S. inquis. par.* 2. *dub.* 228. *sect.* 28. *num.* 11.

Quà propter malè opinatus est Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst. cap. ult. num.* 11. cui adstipulatur Del Bene, superstitiones scilicet simplices, & non qualificatas non posse cognosci à sacrâ Inquisitione. Etenim licèt de ipsis non cognoscant Inquisitores, quoties sint reverà simplices, quod summè raro accidit, pròut testatur idem Moura *ibidem n* 8. *in fine*, & adnotat Del Bene *de Offic. Inquis. par.* 2. *dub.* 195. *sect.* 70. *nu.* 4. possunt tamen de ipsis congoscere, quidquid dicat idem Moura *ibidem* Suarez opinioni se subscribens in illis superstitionibus nullo modo specificè hæresim sapientibus, quoniam antiquitus Inquisitores habebant Iurisdictionem restrictam in superstitione, quæ hæresim manifestè saperet: Hodiè verò per Bullam Sixti V. contrà Sacrilegos, Inquisitores possunt procedere contrà omnia genera superstionum, & sortilegia, in quibus, ut plurimum, semper est admixtum aliquid hæresis sapiens: Azor. *Instit. Moral. tom.* 1. *lib* 9. *cap.* 26. *qu.* 4. Del Bene *de Offic. Inquisit. p.* 2. *dub.* 195. *sect.* 71 *per tot.* Pistacch. *de superstit par.* 1. *cap* 3. *num.* 17. Sesse *decis.* 464. *num.* 8. *&* 18. *& decis.* 466. *num.* 445. *n.* 16. *&* 17. *lib.* 4.

8 Similiter præmittendum, hoc unicum discrimen intercedere inter superstitionem hæreticalem, & non hæreticalem

quod

quod illa suspicionem vehementem; hæc verò levem inducit, sicut anteà insinuavimus, & probat Bordon. *in Sacr. Trib. cap. 18. à num. 24. & seqq.* & præcipuè *num. 27.* Ideòque quamvis superstitionem ex eo dici hæreticalem, quià inducit suspicionem hæresis, doceat Saura *in voto Platonis, de proposit. hæretic. cap. 6. fol. 13. versic. propositio suspecta de hæresi*, & colligitur *ex cap. accusatus, §. ille verò, de hæret. in 6.* hoc non ità intelligendum est, ut superstitio, quæ non est hæreticalis, non inducat hæresis suspicionem. Veritati enim nititur hæc sententia, ad excludendum, quod propositio hæreticalis (de quâ ibi est sermo) continere debeat hæresim formalem, cum etiam possit eam non continere, sed tantummodo ejus suspicionem; non autem ad excludendum, quod quæ non est hæreticalis, non possit inducere suspicionem hæresis.

9 Pariter est præmittendum, quatuor esse species vanæ observantiæ, scilicet observationem Sanitatis, quâ quis tantùm verbis, vel signis, aut verbis, & signis insimul credit curare morbos; observationem Reliquiarum, & Orationum, quâ illas deferens se contrà aliquod malum tutum effici, firmitèr tenet; observantiam eventuum casualium, quo observator constanter divinatur tùm prospera, tùm adversa sibi futura; & tandem Artem Notoriam, de quâ inferiùs: Lupus *in Edict. p. 3. lib. 17. dist. 1. art. 2. diff. 3.* Less. *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 66.* Pistach. *de Superstit. part. 1. cap. 19. num. 4.* & Bordon. *in Trib. cap. 18. num. 2.* ubi addit, per observationem casuum eventualium peccatum tantummodò veniale committi: Torreblanc. *juris spirit. lib. 9. cap. 5.* latè Pistach. *de supestit. par. 1. cap. 23. num. 1.*

10 Sciendum est quoquè, actionem illam, quæ non censetur apta ad inducendam culpam lethalem, non esse pariter censendam aptam ad inducendam hæresis suspicionem: Del Benè *de Officio S. Inquisit. p. 1. dub. 12. n. 4.* Sousa *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 1. num. 2. 7. & 8.* nam id, per quod suspicatur, necesse est quod sit ejusdem generis, cuius est id, de quo suspicatur. Verùm per hæresim semper incurritur peccatum mortale.

11 Ex his infertur, quod vanæ observantiæ, si sunt hęreticales, inducunt hęresis suspicionem; imò quod ipsa oriatur ex quocumque pacto expresso: Hinc rectè Eymer. *in Direct. Inquisit. p. 2. quæst. 43. In aliis operibus Magicis, in quibus complementum operis ex virtute Dæmonis expectatur, in omnibus est apostasia à fide, propter pactum initum cum Dæmone, vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo, etiam si sacrificia sint.*

Ratio est, quia per pactum incurritur Idololatriæ crimen, ut dictum est, & licèt simplex inuocatio non semper exhibeat actum latriæ, quemadmodùm docet ex Augustino, Torreblanc. *de Magiâ, dict. cap. 7. num. 7.* nihilominùs unà cum pacto (ut moveat Dęmonem superbissimum) plerumquè adorationem involuit.

Adoratio enim superstitionem constituit hæreticalem, juxtà consilium Barbatiæ 55. *num. 2. lib. 1.* adversùs quod malè ratiocinatur Clar. *in §. hæresis, nu. 23. &* Rimin. Jun. *cons. 414. per tot.*

12 Infertur etiam, quod vanæ observantiæ non hæreticales minimè sint immunes à suspicione hæresis, quia ferè semper in ipsis intervenit pactum tacitum, ex quo insurgit suspicio hæresis, licèt levis; & ideò hæ superstitiones, quæ non manifestè sapiunt hæresim, juxtà distinctionem Farinac. *in tract. de hæresi, qu. 181. §. 1. nu 2.* & si non hæreticales vocentur, ut deducitur ex Eymer. *2. par. q. 42.* purgantur abjuratione de vehementi: Eymer *ibidem*.

13 Infertur paritèr, quod cum ignorantia probabilis, seù simplicitas, quæ pravam intentionem excludit, excuset etiã à lethali culpâ; sic pariter Mulierculas, vel idiotas vanis superstitionibus utentes, excusari à suspicione, & rationabiliter: Nam quamvis Dæmon se immisceat hujusmodi observantijs, non indè sequitur, eum adorari semper ob pactum tacitum: Etenim quandoquè concurrit, ut persuadeat hominibus, adhibendam esse fidem hujusmodi ineptiis, & consequenter non primariò ex superbiâ movetur, verùm ex odio in humanum genus, quod proindè cupit prævacari, & falli: Pistach. *de superst. p. 1. cap. 19. num. 4.*

14 Infertur tandem, non oriri suspicionem ex cæteris vanis observantiis, per quas non incurritur peccatum mortale, sed potiùs levitates, ac futiles eas esse, sicut qui illis utuntur ex levitate, vel joco, vel ignorantiâ, otiosos indagatores esse, testatur Hurtad. *Resol. Moral. tract. 5. cap. 4. Resol. 14. num. 106.* ex communi doctorum sententiâ: Tancred. *de Religione, tract. 2. lib. 2. qu. 4. disp. 3. n. 14.* Sanch. *in præcept. decalog. lib. 2. cap. 40. num. 13. in fine.*

His itaque præmissis, videamus, qui dici possint rerum inanium observatores.

Postquã enim demonstravimus, quęnam res vanæ inducant hæresis suspicionem, & quænam ab eâ excusent, superest, ut de earum rerum inanium, quæcumquè sint, observatoribus sermonem instituamus.

SUBSECTIO I.

Quinam sint vanis observantiis studentes.

SUMMARIUM.

1 *Vana observantia committitur non per modum consulendi, sed per modum considerandi.*

2 *Enumerantur vani observatores ad futura cognoscenda.*

3 *Definitur vana observantia, quæ Omen dicitur, quæque superstitiosa est, & cur?*

4 *Gedeonis observantia pro diligendis viris ad bellum, ex iis, qui aquas lambebant, quomodò non fuit vana?*

5 *Vanis observantiis nulla fides adhibenda: Exempla istarum in numeris sequentibus.*

8 *Vani observantes sunt, qui cavent in aliquo die, vel mense aliquid agere.*

9 *De superstitionibus, & vanis observantiis circà matrimonium non ineundum: ubi affertur Ferrariensium superstitio, & è contrà factum prudentissimum Philippi Secundi Regis Hispaniarum.*

10 *Vanæ observantiæ sunt de non adeundâ hæreditate in die Lunæ: De anno clymacterico: De mutando locum in ludo: De Sale, oleo, & vino super mensam cadentibus: De non accumbẽdo in mẽsâ, quandò sunt tresdecim: De occursu Monaci in venatione.*

12 *Dierum observatio quando sit licita, & necessaria?*

15 *In præfatis vanis observantiis, licet nulla adsit hæresis suspicio, imprudenter tamen eis fides adhibetur.*

16 *An excusentur à Vanâ observantiâ, qui somnia considerant? Affirmativè respondetur.*

17 *Somniorum causæ aliæ naturales, aliæ divinæ. Naturales, aliæ sunt animales, aliæ corporales.*

18 *Somnia proficiscentia à causis naturalibus animalibus an sint observanda?*

19 *Somnia proficiscentia à causis naturalibus an sint observanda?*

20 *Somnia provenientia à causis extrinsecis nullam merentur fidem circà futura.*

21 *Somniis provenientibus ex causis Divinis fides præstanda est.*

21 *De signis ad cognoscendum somnia à causis divinis provenire, remissivè.*

23 *Si ex signis non constet, somniorum causas esse divinas, observatores ipsorum vani sunt: ubi de pacto cum Dæmone in dictis somniis*

24 *Somniorum interpretes vani sunt.*

1 VANA Observantia, in quam cęspitant hodiè complures, propriè non committitur per modum consulendi, ut in sortilegiis; sed per modum considerandi, ità vt vana observantes dicantur, qui vel ad dignoscenda futura, vel ad sibi comparandum bonum inutilia considerant, ut habetur apud D. Thomam *in 2. 2. quæst. 96. art. 1.* ab omnibus communiter receptum, & sequutum: Sayr. *Clau. Reg. lib. 4. cap. 6. in princ.* Pistach. *de superstit. par. 1. cap. 19. num. 1.*

2 Quò ad futurorum cognitionem vani observatores quandoque motus, & situs syderum rimantur, quæ Divinatio dicitur Astrologia; quandoque vultus, aspectum, & lineamenta manuum, quarum observationum prima Physiognomia, secunda Chiromantia nuncupatur; quandoq; garritus avium, quæ superstitio dicitur Augurium; quan-

quandoquè earumdem avium volatus, quæ consideratio denominatur auspicium; ac aliquandò hominum voces, & actus observantur, hæcque divinatio Omen dicitur. Quò verò ad bona sibi comparanda dicuntur vana observantes, qui Artem Notoriam, seù Paulinam exercent, & qui ad sanitatem tuendam, & recuperandam media quædam adhibent superstitiosa.

Cum autem suprà particulariter declaraverimus, quęnam futura ex Astrologiâ, Physognomiâ, & Chiromantia desumi, & permitti possint, nunc operę pretium est descendere ad superstitiosas observantias, quas Omen complectitur, de quo disserendum remanet.

3 Omen autem est vana observantia, ex hominum vocibus, & actibus, ex quibus futuri eventus prosperi, seù adversi divinantur; Hęc sanè divinatio, apud omnes uti vana, inanis, & superstitiosa damnata reperitur: D. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 7. Turrecremat. *in cap. illud* 26. *quæst.* 2. *num.* 12. Escobar. *Theolog. moral. libr.* 28. *probl.* 99. *&* 101. *vol.* 4. Tancred. *de Religion. tract.* 2. *lib.* 2. *disp.* 3. *qu.* 1. *num.* 7. Torreblanc. *Iur. spiritualis lib.* 9. *cap.* 7. Pistach. *de superstit. cap.* 13. *nu.* 7. *par.* 1. Sesse *decis. Aragon.* 457. *num.* 3. *vol.* 4. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 11. Ac etiam in se continere videtur pactum cum Dæmone, dum verba, & actus simpliciter, & præter intentionem emissa, non sunt ex sui naturâ apti ad futura divinanda, & proindè eorum observationi firmiter adhærens, ac certam fidem adhibens, tacitum pactum cum Dæmone iniisse, dicendum est, juxta tradita per Lup. *de Sanct. Inquis. par.* 3. *lib.* 17. *distinct.* 5. *art.* 3. *diff.* 1. *&* 2. Bordon. *in Tribunal. cap.* 20. *qu.* 5. Farinacc. *de Hæres. quæst.* 181. *num.* 60. Binsfeld. *de malefic. notab.* 9. *circa finem, pag. mihi* 340.

4 Nec hujusmodi vana observantia approbata dici potest in Sacra Scriptura *in Iudic. cap.* 7. in personâ Gedeonis, qui pro viris eligendis idoneis observasse scribitur, qui lamberent aquas, sicut solent canes, & qui curvatis genibus biberent: Siquidem ea signa, ac omnia alia, quæ in sacris paginis habentur, expectabantur à Deo, ac divino impulsu vaticinata, ac præscita fuerunt, ut benè observat Pistach. *loco proximè citato*, Sess. *decis.* 457. *num.* 2. *in fine vol.* 4.

5 Nullo modo igitur hujusmodi vanis observantiis fides præstari debet, sicuti quoque, ethnicorū more, nimis dedecet ex sternutatione sumere augurium, scilicet ex matutinâ infaustum; undè superstitiosum esse dicitur, si quis redit ad Lectum, si dum calceamenta sumit, sternutaverit, pròut expressè habetur *in cap. illud* 26. *quæst.* 2. & dixerunt Sess. *decis.* 457. *num.* 3. *circa med.* Azor. *Inst. moral. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 15. Sayrus *Clavis Regia, lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. ubi refert doctrinam D. Augustini *lib.* 2. *de Doctrin. Christ. cap.* 20. his verbis: *Ad pacta cum Dæmonibus inita pertinent millia inanium observationum, putà si membrum aliquod salierit; si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit; limen calcare, cum ante Domum suam quis transit; redire ad lectum, si quis cum se calceat sternutaverit; redire ad Domum, si procedens offenderit; cum vestis à soricibus roditur, plus timere superstitiones mali futuri, quàm præsens malum dolere*: Sanchez *in præcept. decalog. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 14. *in fine*, Less. *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 65. *&* 66.

6 Pari modo dicendum erit de sternutatione meridianâ, quam faustam esse putabant Antiqui, ac de eâ intellexit Catullus:

Dexterâ sternuit approbatione,

& latè docent Plutarchi *de Deo Socrat.* Arist. *de Animal. histor. libr.* 1. Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. *& lib.* 28. *cap.* 2. Cœl. Rhodig. *Antiq. lection. lib.* 4. *cap.* 27. Buleng. *de Omine lib.* 4. *cap.* 3. Alex. ab Alexandro *Genial. lib.* 2. *cap.* 26. Torreblanc. *Iur. spiritualis, lib.* 9. *cap.* 8. *à num.* 33. ac alia auguria ex starnutamentis, quibus superstitiosa Antiquitas fidem adhibebat, expendit Ragus. *de Divinat. epistol.* 9. *lib.* 2.

7 Dedecet quoque ominosam credere pedis offensionem, de qua Tibull.

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in portâ signa dedisse pedem?

quam superstitionem non ignoramus damnari *in d. cap. illud 26. q. 2.* ubi habetur tanquàm superstitiosum illud, quo asseritur, oportere eum, qui procedens cæspitat, ad domum redire, & notarunt Moron. *Respons. Moral.* 95. *num.* 130. Filiucc. *Quæst. moral. tom.* 2. *tract.* 24. *cap.* 6. *sub n.* 157. Azor. *instit. Moral. par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 22. Less. *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *numer.* 65. Pistach. *de superstit. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 7. Engel. *in jus Can. lib.* 5. *tit.* 21. §. 2. *sub num.* 14. Similiter superstitiosum est, quod certò existimemus malum, nobis portendi ex corrigiæ abruptione: Moron. *Resp. Morali* 95. *num.* 130. Azor. *Instit. Moral. par.* 1. *cap.* 22. *lib.* 9. Lup. *de Sanct. Inquisit. par.* 3. *lib.* 17. *distin.* 5. *art.* 3. *difficult.* 1. *in fine*. Et ipsi etiam Ethnici has ineptias improbarunt, tanquàm vanas, & futilitatis plenas, undè expressè innuit Cicero *lib.* 1. *de Divination.* observandam non esse pedis offensionem; corrigiæ abruptionem; nec sternutamenta.

Sunt etiam vani observantes, qui se cavent in aliquo die, seu mense aliquid agere, putantes illum infaustum, & hujusmodi observatio reprobatur *in cap. non observetis* 36. *quæst.* 7. *& ibi* Card. de Turrecremat. & habetur *in epist. Nicolai Papæ I. ad Consulta Bulgarorum*, de quâ apud Bin. *in collect. Concil. tom.* 6 *pag.* 614. & proindè communiter superstitiosum dicitur esse, observare certos dies ad adeundam Hæreditatem, & ad iter peragendum, & similia, ut latè docent Moron. *Respons. moral.* 95. *nu.* 131. Campanil. *divers. jur. Can. rubr.* 11. *cap.* 26. *nu.* 99. Sess. *decis. Aragon.* 457. *vol.* 4. & quod si certa fides dictæ observationi præstetur, peccatum mortale sit, tenent Campanil. *d. cap.* 26. *nu.* 99. *in med.* Sanchez *in præcept. decalog. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 15. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 23. *num.* 2.

9 Laudandus igitur est sapientissimus Rex Philippus II. qui ut à fidelium animis averruncaret levitatem de non ineundo matrimonio die Martis, ipsâ die matrimonium contraxit, teste Torreblanc. *de Magiâ*, *cap.* 27. *num.* 24. in quo videtur major fuisse Alexandro Magno; nam hic, ut ait Plutarchus *in ejus vita*, cum esset coactus bellum indicere mense Junii, quem infaustum militibus Macedones existimabant, ut ab Augurio declinaret, nomen mutavit illius mensis.

Sed quid vetera perpendo? Hodiè videmus penès Ferrarienses, gentium, ità dixerim, superstitionis reliquiam: cum enim Ethnici mense Maji nuptias non inirent, quia tunc Remuriæ, quædam parentalia à Romulo ad placandam Remi animam instituta celebrabantur, Quarè Ouid.

Ritus erat veteris nocturna Lemuria sacri.
Inferius tacitis manibus illa dabant.
Nec vividæ tædis eadem, nec Virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causâ, si nos proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere vulgus ait.

Hujusmodi superstitio Ferrariæ adhuc viget, ità ut qui Civitatem eam colunt, tali mense matrimonium inire nolint, ac jactant, quotquot tunc temporis conjugio copulantur, citò deperire, ut refert Alexander Tassonius *in lib.* cui titulus, est *I pensieri*, *lib.* 8. *cap.* 2.

10 Hinc meritò apud Juristas habetur, quod si testator mandat hæredi, quod in die revolutionis Lunæ hæreditatem non adeat sub pœnâ privationis, talis voluntas tanquàm, superstitiosa non sit observanda, & hæres illam impunè spernere possit: Alvar. *specul. utriusq. jur. cap.* 60. §. *de sorte*.

11 Ità etiam dicendum est de illis, qui dies infaustos, nigrovè (ut ajunt) signandos lapillo, aut annos climactericos magni faciunt, quod nempè sint vana observantes, quoties eventus præter naturales pendere à sydерum influentiâ contendunt, inter quos videtur fuisse Tassonius *lib.* 2. *cap.* 13. ubi ait, Henricum III. & Cæsarem Dictatorem occisos, dum annum climactericum attigerant: Huic opinioni Ficinius *in lib. de vita cælitus comparanda*, adstipulatus est, sed scribens ad Politianum *lib.* 12. *epist.* hujus ineptiæ palinodiam decantavit: De hac re latè Jo: Langius *ep.* 35. Francisc. Valleriola *de locis commun. in append. ad lib.* 3. *cap.* 2. Joan. Huernius *in Prax. Medic. lib.* 3. *cap.* 9. Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 9. *cap.* 8. *à n.* 38. & Hurtadus *loco cit. resol.* 38.

12 Non me tamen latet, licitam esse, imò

imò necessariam dierum observationem, quotiescumque illa sit vel divina, ut observatio festorum in Dei, vel Sanctorum honorem; vel legalis, ut observatio feriarum, quas Princeps seu ratione messium, & vindemiarum, seu ratione alicujus emergentis indixit; vel naturalis respectu Medicorum, Agricolarum, Pastorum, & aliorum, ut videre est penès Binsfeld. *in confess. Malef. prælud. fin.* Petrum Cirvel. *lib.* 4. *Astrolog. cap.* 12. Tholosan. *in Synthagm. lib.* 34. *cap.* 14. Præter has observationes, quæcumque alia est prorsus vana, ac superstitiosa, quemadmodum docent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. & ibi Cajetanus, quem citat Hurtad. *d. Resol.* 38. Petr. Cirvel. *de superstit. part.* 3. *cap.* 6. Alcozer. *in summ. cap.* 14. Campanil. *diversor. jur. canon. rubr.* 11. *cap.* 26. *num.* 99. Martin. del Rio *Magic. disq. lib.* 2. *cap.* 5. *&* 6. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 14. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 23. *num.* 3. *& seqq.* Filiucc. *qu. moral. tom.* 2. *tract.* 24. *cap.* 6. *num.* 14.

13 Eâdem ratione notandi sunt tamquàm vana observantes, qui ad avertendam malam fortunam in ludo, mutant locum, ut rectè animadvertunt Alcozer. *de ludo, cap.* 2. *paulò post principium*, Pistacchius *par.* 1. *de superstit. cap.* 23. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *numer.* 21. Filiucc. *q. moral. tom.* 2. *tract.* 24. *cap.* 6. *num.* 141. *circa finem*, Moron. *Resp. moral.* 95. *num.* 163. An autem per hujusmodi mutationem incurratur læthalis culpa, distinguendum est; si enim sic mutantes firmiter credunt, se effectum assequuturos, utiquè mortaliter peccant; si autem non firmiter credunt, sed sperant, id evenire posse, venialiter tantummodo peccant, ut benè declarat Moron. *d. Resp.* 95. *num.* 163.

14 Levitatis ferè ejusdem notam incurrunt illi, qui observant, an sal, vel vinum, vel oleum super mensam cadat, de quibus Torreblanc. *de Magiâ, cap.* 26. *num.* 16. *& Iuris spirit. in d. cap.* 8. Similes quoque videntur illi, qui renuunt recumbere ad mensam, quando adsunt tresdecim convivæ, timentes, ne ex illis unus eo anno moriatur. Ejusdem pariter farinæ sunt, qui credunt Monachi occursum officere venationi, quam superstitionem suo tempore ait Holcot apud Mouram *de incant. sect.* 11. *cap.* 15. *num.* 4. fuisse usitatam, & testantur mihi nonnulli venatores, eam usquè adhuc non evanuisse.

15 Verùm hi omnes, licet nulla de hæresi suspicione involvantur: attamen ipsi non videntur prudenter agere, etiamsi certam hujusmodi ineptiis fidem non adhibeant, quidquid asserat Cajet. quem reprobant Torreblanc. de *Magiâ, par.* 1. *cap.* 26. *num.* 29. Del Rio *disquis. Magic. libr.* 3. *part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. quamvis alioquin summè venerer tantum virum, quem quodammodo Regio Prophetæ parem, & dignitate, & merito dicit Moura *loco cit. sect.* 2. *cap.* 18 *num.* 25.

16 Ab omni prorsùs vanâ observantiâ nonnulli excusant eos, qui somnia considerant. Testatur enim P. Menoch. *in suis stromatibus*, quemdam somniasse, se cæcum fieri, qui posteà expergefactus, se oculis orbatum reverà cognovit, id quod etiam accidisse Cornelio Ruffino, testatur Plinius *libr.* 7. *cap.* 50. Narrat quoquè Galenus apud Torreblanc. *de Magiâ, cap.* 25. *num.* 18. de quodam, qui cum somniasset alterum crus sibi factum lapideum, mox in eâ corporis parte paralyticus extitit: Alia innumera exempla referunt Cardanus *lib.* 4. *de somniis*, Metaphrastes *in vita S. Simeonis Sali, & in vita S. Abrahami*; Surius *tom.* 4. *in vita S. Frederici*, Joannes Monachus *lib.* 3. *vita D. Odonis, cap.* 9. B. Marcellinus *cap.* 1. *vita S. Suiberti*, Rupertus *in vita S. Heriberti, cap.* 26. Guigon. *in vita S. Hugonis Gratianopolitani*, Corradus *in vita Sancti Wolphilmi*, & Joannes Presbyter *in vita S. Basilii Episc. & mart.*

Hinc Homerus, & post eum, Virgilius latinorum Poetarum corriphæus, quædam admisit somnia vera, ubi cecinit:

Sunt geminæ somnji portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens Elephanto;
Sed falsa ad Cælum mittunt insomnia manes.

17 Et ratio est, quod inter somniorum causas

causas, de quibus eruditissimus Concivis meus Mazzonius *in defens. Danthis*, Pererius *lib. 2. Magiæ, q. 2.* P. Schottus *in Thaumat. par. 4. libr. 6. syntag. 2.* Torreblanca *Iuris spirit. lib. 8. cap. 6.* Hurtadus *ubi suprà, Resol. 56.* Javellus *in Epist. de Somno, & Vigilia*, & ante illos S. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 6.* qui desumpsit ex S. Gregorio *libr. 4. dialog. cap. 48. & lib. 8. Moral. cap. 13.* ex Isidoro *lib. 3. Sent. cap. 6.* & ex Nyssseno, *libr. de Opificio homin. cap. 14.* Pistach. *de superst. part. 1. cap. 12. num. 7.* quædam naturales sunt, quædam divinæ. Naturales bifariàm considerantur, scilicet, vel uti intrinsecę, vel uti extrinsecę: Ità Aristot. *de Anim. & de Divinat. per somn.* Hippocrates *lib. 6. Epidemiar. & de insomniis*, Galen. *lib. 1. de Præsag. ex somn. & lib. 3. de locis affect. cap. 4.* Argentarius *de Somno, & Vigilia, lib. 2.* Petrus Garzia *ad Galenum de locis affect. disp. 3. cap. 2. 3. & 4.* Torreblanca *Iuris spirit. dicto cap. 6. num. 16.* Hurtad. *d. resol. 56. num. 1155.* Verùm quoties sunt naturales, & intrinsecæ, subdistinguendum est. Vel ipsæ causæ intrinsecæ sunt animales,
18 vel corporales: Si animales, quia tunc somnia ab animæ passionibus proficiscuntur, minimè observanda sunt, ut post S. Thomam *loco cit.* docent Raphael de la Torre *tom. 2. de vitiis oppo sit. Relig. quæst. 46. artic. 6. disp. 1.* Basin. *de artibus mag. concl. 7.* & Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 8. cap. 6. num. 18.* Observari tamen possunt ea somnia, quatenus inclinationes indicant, quod eleganter innuit Petronius Arbiter illis versiculis:

Quidquid luce fuit, tenebris agit: Oppida vallo
Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes,
Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes profuso sanguine campos:
Qui causas orare solet, legesquè, forumque,
Et pavido cernit conclusum corde Tribunal:
Condit auarus opes, defossumque invenit aurum;
Servit amatori meretrix; dat adultera munus;
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.

lepidè etiam cecinit Claudianus:

Omnia, quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies;
Arator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit:
Iudicibus lites; aurigæ somnia, currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.

Hinc Hugo Victorinus dixit: somnium est, cum id, quod fatigaverit vigilantem, ingerit se dormienti.

19 Si verò causæ sint corporales, tunc utiquè observanda sunt somnia, tanquàm temperamentum indicantia, & sunt licita: Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 8. cap. 6. à numer. 23.* & Hurtadus *Resol. Moral. tract. 5. cap. 6. Resol. 156. num. 1162.* idcircò, apud Cassianum, & alios Magistros spirituales maxima cura fuit in observantiâ horum somniorum, ut medicinam spiritus adhiberent infirmo animo, non secus, ac medicus corporalis adhibet medicinam corpori ęgrotanti, quo casu observanda esse somnia, docent Pistach. *de Superst. par. 1. cap. 12. n. 13.* Sesse *decis. 458. per tot. vol. 4.* Moron. *Resp. Moral. 95. num. 109.* Leander *Oper. Moral. tom. 6. tract. 9. qu. 64.* & ob id somniorum distinctio quam assignat Aristoteles, à sapiente Theologo sperni non debet: Comitol. *respons. moral. lib. 4. cap. 4. in princ.* Cum igitur hæc somnia indicent temperamenta, idcircò illi, qui sanguine abundant, rosas puniceas, convivia, & omnia læta in somnijs vident; qui flegmam copiosiorem habent, balnea, navigationes, submersiones, onera gravia, tardam, & impeditam somniant fugam; qui malencholiâ loborant, fumos, tenebras, planctus, & omnia tristia; qui cholerâ dominantur, cędes, rixas, & omnia bellica, ut docent Moron. *resp. moral. 95. num. 106. & seqq.* Leander *d. tom. 6. qu. 65. Tract. 9.* Del Rio *disquis. Magic. lib. 4. qu. 6.*

Hinc somnia subtiliter, & curiosè observari ad morbos quoquè djudicandos, ac curandos, præcipit Hippocrates *in lib. de insomniis, & in lib. 6. Epidem.*, nec aliâ de causâ Galenus librum

brum scripsit *de præsagio ex somniis*.

20 Causæ verò extrinsecæ cum sint, vel aer ambiens, vel impressio, sivè influxus corporum Cælestium, consequenter somnia, quæ à talibus causis proveniunt circà futura, nullam merentur fidem, cum aer mutetur, & astrorum influxus ictu oculi, ut ità dicam, diversus fiat, quarè si quis propter humiditatē illius aeris, vel influxus somniavit, quod manè plueret, quia ea humiditas non permanet, nulla prorsùs tali somnio fides adhiberi potest: Leander *d. tract. 9. qu. 65. circa finem*.

21 Si somniis igitur quibusdam provenientibus, vt dictum est, ex causis naturalibus intrinsecis credendum est, tantò magis præstari debet fides illis, quorum causæ divinæ sunt, undè ait *Iob. cap. 33. Quandò homines dormiunt in lecto, tunc aperuit aures virorum, & erudiens eos, instituit disciplinam*: Quâpropter malè Plato *in convivio* ajebat, Deum numquàm loqui cum dormientibus, quam opinionem sequuti sunt Empedocles, Pythagoras, & Aristoteles *in libello de præsag. ex somniis*, eamque refutat S. Augustinus *lib. 8. de Civit. Dei cap. 20. & 21. & lib. 9.* vti contrariam sacræ scripturæ, in quâ dicit Deus *cap. 12. Num. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, per somnium loquar ad illum*; ut per Torreblanc. *Iuris spirit. dict. cap. 6. à num. 34.* Hurtad. *cit. Resol. 56. n. 1163.* & Pistach. *de superstit. par. 1. cap. 12. num. 2. & 8.*

22 Signa verò, quibus dignoscitur, somniorum causas esse divinas, sunt ferè eadem, ac illa, quibus Divinæ comprobantur revelationes, superiùs recensitæ: latè Pererius *de Magiâ, lib. 2. q. 2.* & Pistachius *d. cap. 12. num. 10.*

23 Confugiendum est itaque ad prædicta signa; nam si ex ipsis non constet, causas somniorum divinas esse, eorumdem observatores non sunt immunes à vanâ observantiâ, sicut etiam accidit, quandò causæ non sunt naturales intrinsecæ. Tunc enim dictis somnijs subrepere solet cum Dæmone pactum, ut videre est penès Hurtadum *loco cit. nu. 1154.* hocque esse potest antecedens, vel subsequens. Dicitur autem antecedens, quotiescumque illud antecedit, sivè expressum ad hoc ut Dæmon in somniis vera revelet; sivè tacitum, quod ineunt, ut mea fert opinio, qui sub cervicali laurum ponunt, vt vera somnient: Pistachius *de Superst. par. 1. cap. 12. numer. 19.* Leander *Oper. moral. tom. 6. tract. 9. quæst. 69.* Moron. *Respons. 95. num. 114.* Dicitur verò subsequens, quandò ad somniorum interpretationem adhibetur pactum sivè expressum, sivè tacitum; & postremum istud dicitur adesse, si credatur somniis, nihil de Deo, vel de causâ naturali intrinsecâ cogitando; nec ulla adsit ratio, quæ persuadeat, authorem somniorum esse ipsum Deum, aut naturalem causam intrinsecam: Ità ex eruditissimo Torreblanc. *de Magiâ, dict. cap. 25. à num. 45.*

24 Ex his omnibus vide, quàm superstitiosi sint in somiorum interpretationibus Artemidorus, & Cardanus, quorum ineptias, ne videamur cum ipsis insanire, omittimus: Vide etiam, quod dantur & somnia diabolica, quibus nulla fides adhibenda est, ut apud Torreblanc. *Iuris spirit. dict. cap. 6. à nu. 47.* Sess. *decis. 458. vol. 4.*

Modò restat, ut nonnulla attingamus de arte Notoriâ, Paulinâ, cæterisque vanis observantiis ad bona comparanda.

SUBSECTIO II.

De Arte Notoriâ, Paulinâ, cæterisquè vanis observantiis ad bona comparanda.

SUMMARIUM.

1 *Ars Notoria an sit prorsùs inefficax? Affirmativè, imò expressè damnatur.*

2 *Fabula est, quod Salomon fuerit artis Notoriæ Auctor: Ubi de Sapientiæ dono Salomoni concesso.*

3 *Superstitio artis notoriæ hæreticalis est: causa hujus.*

4 *Quidquid dicitur de arte Notoriâ, dici potest de arte Paulinâ, cujus Auctor fabulatur S. Paulus in Ecstasi raptus.*

5 *Ars Paulina extitit apud veteres, non tamen iisdem ritibus.*

6 *Dæmon docere valet scientias, & artes*

tes tàm externâ, quàm internâ locutione.

7 *De vanis observantiis in remediis adhibendis, remissivè.*

1 QUAMVIS Artem Notoriam non esse prorsùs inefficacem, existimet Holcot. *ad sap. lect.* 189. *fol.* 282. Eam tamen expresè damnat *S.Tho.2.2.qu.96. art.*1. ubi ait, hujusmodi artem non posse esse gratiam gratis datam, quia quælibet ex gratiis gratìs datis non datur quibuscumque, aut certâ observatione; sed secundùm arbitrium Spiritus Sancti dividentis singula, pròut vult. Eam quoque damnant D. August. *lib.*10. *de civit.Dei, cap.* 10. Passerin. *in 6. Decretal. cap. Accusatus* §. *sanè, num.*321.*&* 322.*de Hæretic.* Alex.de Arles *p.2.q. de sortileg.* Baptist. Segnius *lib. de vero Studio Christ. cap.*7. Cirvel. *de superstit p.*3. *cap.* 1. Pererius *lib.2.de Magiâ, cap.* 10. Martin. del Rio *Magic.disq. lib.*1. *cap.*4. *qu.*3. Suarez *de Relig.lib.2.cap.*15.*à num.* 4. Raphael de la Torre *tom.* 2. *de vitiis oppos.Relig. qu.* 96 *art.*1. *disp.*1.Malder. *de Virtut.Theolog.tract.*10.*cap.*7. *dub.* 10. Torreblanc. *Iuris spirit.lib.*11. *cap.*9. *nu.*18. Del Bene *de Offic.Inqu. par.2.dub.*228 *sect.*10. *num.*1. Bordon.*in Tribun.cap.*18.*num.*5. Pistach. *de superst.part.*1.*cap.*20. *num.*1. Salell. *de Offic. S.Inquisit. par.*1. *cap.* 14. *regul.*120.Sayr.*clau.reg.lib.*4.*cap.* 6. *n.*3. Merbesius in *Summ.Christian.part.*1.2.*q.* 31.*pag.*123.*col.*1. *in princip.*

2 Et licèt Salomon, quem hujus artis authorem fabulantur (omissâ quæstione, quomodò Salomon in somnis meruerit, & obtinuerit donum sapientiæ) unius noctis spatio sapientiam obtinuerit, ut habetur *in cap.3.lib.3.Regum*, non tamen propter hoc ars ista probatur; sed tantùm innuitur Dei omnipotentia in conferendis scientiis, pròut vult: Absit enim ut ab eo tradantur superstitiosis, qui certis jejuniis, & oratiunculis ab Ecclesiâ non approbatis, ac diebus quibusdam alligatis exercent hanc artem, & proindè, cum etiam nec ex vi naturæ sapientiâ assequi possumus, nisi diuturno animi exercitio, atque longo labore, rectè damnatam fuisse hujusmodi artem Parisiis *anno* 1320. testatur. Torreblanc. *de Magiâ, cap.*14.*num.*4. Sayrus *Clavis regia, lib.*4. *cap.*6.*num.*3.Moron. *respons.*95. *nu.*151. Salelles *de Offic. Inquisit. tom.*1. *cap.*14. *reg.*120.*per tot.* & signanter *num.* 218.

3 Quinimò hanc superstitionem puto hæreticalem, nam non solùm adhibentur verba Sacræ Scripturæ, nempè psalmi, verum etiam (horresco referens) sacrilegâ linguâ recitatur Sacrosanctus Hymnus, *Veni Sancte Spiritus*, ac ejus recitatione adoratur Dæmon, ut colligitur ex Moura *de Incant. sect.*2. *cap.*6.*num.*9.*propè finem*: Ideoquè hujusmodi vanam observantiam hæreticalem existimo, juxtà consilium Barbatiæ superiùs allegatum, sicut & talem esse Divinationem, quæ fit per phialam, ac ea verba, *Angelo Santo*, de quâ suprà, indubitatum est, quia sub illis verbis continetur Dæmonis adoratio, quemadmodùm declarat Sixtus V. in suâ Bullâ adversùs Astrologos.

4 Quidquid autem dicitur de Arte Notoriâ, dici potest de Arte Paulinâ, cujus Authorem aiunt fuisse D. Paulum
5 in ecstasi raptum: sed hujusmodi ars etiam apud Ethnicos extitit, quamvis non iisdem precibus, & oratiunculis, quibus hodiè utuntur superstitiosi. Tunc enim per quasdam observantias, dum dormiebant, instruebantur, cui rei alludere videtur Persius de se loquens:

Nec in bicipiti somniaui Parnasso,
Vt sic Poëta repentè prodirem:

6 Ex quibus inferri potest, quod Dæmon docere valeat scientias, & artes, tàm externâ locutione, dum formâ visibili apparet, & homini loquitur, pròut testatur D.Tho.2.2.*q.*46. *art.*1. quàm internâ, quemadmodum probat Del Rio *disq.Magic. lib.*2.*q.*24. Raphael de la Torre *de Vitiis, &c. tom.* 2.*qu.*90.*art.*2. *& qu.*96.*art.*1.Malderus *de Virtut.Theolog. tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 10.Torreblanc. *Iuris spirit. lib.*11. *cap.*9. *num.*8. & Pistach. *de Superst. par.*1. *cap.* 20.*num.*3.

7 Quò verò ad vanas observantias, quæ in remediis considerantur, ait Augustinus de *Doct. Christ.* pertinere ligaturas, & remedia à Medicorum quoquè disciplinâ improbata: sed quia suprà de Ensalmis, cererisque hujusmodi remediis nonnulla diximus, ad

ad ulteriora procedamus: Cõsulat quoque Lector Torreblanc. *de Magiâ, cap. 50. per tot.* Del Bene *de Offic. S. Inquis. p. 2. dub. 228. sect. 5. num. 15.* & Pistach. *de Superstit. part. 1. cap. 21. per tot.*

SECTIO VI.

De Maleficis.

SUMMARIUM.

1 *Tàm Malefici, quàm Magi sunt de hæresi suspecti: Differentia inter ipsos.*

2 *Malefici se dedicant Dæmoni, vel privatim, vel solemniter: Explicatur utrumque. Quidve sit dedicatio totalis, quid verò partialis?*

3 *Dæmon ad experiendum an maleficus sit sibi fidelis, Martinellum ei assignat, & quis sit iste?*

4 *Malefici semper incurrũt hæresis suspicionem.*

5 *Maleficos idololatriæ fæcem vocat Origenes, quorum peccatum vincit in gravitate omnia alia.*

6 *Datur Maleficium in quo nulla reperitur Dæmonis invocatio; & tale non inducit hæresis suspicionem.*

7 *Præter maleficium sapiens hæresim manifestam ob pactum expressum cum Dæmone, datur maleficium involuens pactum tantùm tacitum, adeòque de levi suspicionem inducens.*

1 IAM superiùs stabilivimus, Magos, qui Dæmonis ope utuntur, esse de hæresi suspectos: At nullum aliud discrimen reperitur inter illos, & maleficos, nisi quod isti Dæmonum ope ad aliis nocumentum inferendum; Magi verò ad propriam ostentationem utuntur, prout rectè observant Tolet. *lib. 4. cap. 16.* Lupus *in Edict. par. 3. lib. 2. dist. 1. art. 1. diff. 2.* & Pistachius *de superstit. par. 1. cap. 25. num. 1.* Dubio procul igitur inter hæresis suspectos numerantur Malefici.

Quinimò, nec etiam quandò mente retinent fidem, excusari ad Apostasiâ, docet Malleus Malef. *loco infrà citan. §. si quis*, eò quod fœdus cum morte, & pactum cum inferno paciscantur.

2 Malefici enim cujuscumquè generis, se dedicant Dæmoni, vel privatim, vel solemniter: Priuatim, idest non præsentibus aliis Maleficis, nequè apparente Dęmone in formâ humanâ: solemniter verò, è contrà: Lupus *in Edict. par. 3. lib. 20. dist. 1. art. 1. diff. 3.* ubi habetur, hujusmodi dedicationem duplicem esse, alteram totalem, cum totaliter fides abnegatur; alteram partialem, cum profitens ex pacto inito promittit tantùm, observare quædam, ut sextis feriis vesci carnibus, vel certa crimina in confessione celare: Cum itaquè hæc ità se habeant, malefici (id exigente Dæmone, qui intima cordis penetrare nequit) quandoque ore tantùm; quandoque corde, & ore simul fidem abnegant.

3 Hinc est, quod Dæmon solet experiri, an Malefici, sicut ore, ità corde promiserint, committens quibusdam annis determinatis cuidam Dæmoni inferiori ad hoc determinato, tamquàm Novitii Magistro, qui *Martinellus* dicitur, ut per illud tempus ex operibus, & conversatione mentem illius, qui hanc professionem aggressus est, exploret, & si agnoverit eum minimè stabilem in ejus obsequio, rem Dæmoni superiori referat, qui posteà Maleficum abiicit, & temporalibus afflictionibus exponere conatur, ut ex desperatione ejus animam lucretur: Ità lupus *loco cit.* ex authoritate Jacobi Sperenger. & latè habetur apud Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 11. cap. 13.* Ghirland. *de Sortileg. quæst. 7. num. 26.* Remig. *lib. dæmonol. cap. 1. & 5.* Binsfeld. *in confess. Malef. prælud. 6.* Malderum *de Virtute Theolog. tract. 10. cap. 8. dub. 1.* Martin. del Rio *disq. Magic. lib. 2. quæst. 4. & 16.* & Candidum Brognolum *in Alexicon. p. 2. disp. 3. cap. 1. sect. 3. Art. 2. tom. 1.*

Patet igitur, Maleficos semper incurrere hæresis suspicionem, quod etiã agnoverunt illi, qui dixerunt, Sortilegos in hæresis suspicionem incidere: Quippè Malefici appellantur quoquè Sortilegi, ut habetur ex Gastald. *de potest. Angelicâ, to. 2. dist. 6.* & ex Bullâ Innocen. VIII. ad Inquisitores Germaniæ, de quâ Binsfeld. *in calce operis de*

Maleficis, & *Mathematicis*, Sesse *decis.* 448.*per tot. vol*.4. Alph. de Castro *de Hæres. cap* 16.

5 Origenes verò nedùm suspectos de hæresi vocat Maleficos, sed ipsos etiam appellat apud Simanch. *De Catholic.Instit.tit.*21.*num.*6. Idololatriæ fęcem; & Malleus Malef. 1. *part.qu.*14.ex professo probat, peccata Maleficorum vincere in gravitate omnia alia aliorum peccatorum, & tenet Moura *de Incantat.sect.*3. *cap.*5.*num.*8.

6 Sed hac in re non est diutiùs immorandum, quia qui Maleficos excuset à suspicione hæresis, sanæ mentis est nemo: Potest tamen dari, quod quis alicui intendat nocere absquè ullâ tàm expressâ, quàm tacitâ Dæmonis invocatione, & de ejusmodi Maleficio intelligit *l.Verbum est* 40.*ff.de furtis*, & *c. cum voluntate,dist.*54.*de sent.excom.*Hoc casu certum est, quod nulla oritur hæresis suspicio.

7 Verùm præter Maleficium, in quo concurrat expressum cum Dęmone pactum, quod manifestè sapit hæresim, & de eo hucusquè diximus, dari etiam potest Maleficium, quod fiat per tacitam solummodo invocationem, ut si quis utatur vanis rebus, credens per ipsas posse alteri nocere, & hoc casu semper insurgit levis suspicio de hæresi, cum excludatur recta intentio, eò quod semper Maleficium sit peccatum mortale, utpotè importans nocumentum in personâ Maleficiatâ: Bordon. *in Tribun. cap.*19.*num.*3.nec in eo unquàm datur parvitas Materiæ, ut docent [illegible]ssius *lib.*2. *cap.*44. *dub.* 4. *num.* 26. Va[illegible]ntia *to.*3. *disp.*6. *q.* 12. *punct.*4. Sanchez *in summa,to.*1. *lib.*2.*cap.*38. *num.*18. Sesse *decis.*448.*vol.*4.

Verùm quoniam complures negant, reverà dari Maleficos, ac animosè asseverant, assignari non posse Maleficium, quod à Medicis causæ naturali non adscribatur, videamus, an dentur Maleficia.

SUBSECTIO I.

An dentur Maleficia.

SUMMARIUM.

1 *Quamvis raro succedant maleficia, de fide tamen est contrà Hæreticos eadari.*

2 *Exempla Historica probantia veritatem Catholicam.*

3 *Seneca, Aristoteles, & Avicenna cur negaverint maleficia?*

4 *Complures Medici numquàm fatentur dari maleficia, contrà quos militat Sacra Scriptura, necnon & ratio.*

5 *Infirmitas, & mors regulariter ex maleficio non provenit.*

1 QUAMVIS rarò succedant Maleficia, attamen non sunt, fide sic nos docente, prorsùs somnia, & imaginationes, quemadmodùm nonnulli hæretici putarunt antiquitus, teste Binsfeldio, *de confess.Malef.prælud.*1. *vers. ex dict.præludio infero*.

Præter Pontifices, Imperatores, Reges, Patres Orthodoxos, Theologos, Jurisperitos, Medicos quamplurimos, & Philosophos, quos omnes longâ serie recensent Torreblanc. *Juris. spirit. lib.*12.*cap.*1.*à num.*14.& Candidus Brognolus *in Alexicon.cap.*2.*sect.*2.*ab Art.*1. experientia satis convincit ipsos hæreticos. Narrat enim Elegantissimus Comprovincialis meus Hieronymus
2 Rubeus *in Celsum*, *lib.*1.*fol.*17.de Iuvene Romano, Cæsaris nomine, mirabilem historiam, cujus ipse oculatus testis extitit: Eam autem hùc recensere, omittimus, cum satis sit tanti Viri testimonium appellare: Testatur quoque Sprenger. *in Mall.p*,2.*q*.1.*c*.1. *de* Juvene qui cum afficeretur intensissimo dolore, ignorabat tamen penitùs, quâ corporis parte doleret; & dum ejurabatur evomit setas, crines, ossa, ligna, lapides, acus, cultros, & alia ferramenta.

3 Non tamen mirum, si Seneca *in natural.quæstion.* Aristot. *lib.*8.*Phys.*& *lib.*2.*Methaph.* Hippocrat. *lib.de sacro morbo*, & Avicenna *Fen.*1.*tract.*4. negarent hujusmodi maleficia: Inficiabantur enim

enim, dari Dæmones, quos etsi nonnulli admittebant, eorum tamen malitiam penitiùs non introspiciebant, quia nondum eis veritatis lumen illuxerat, prò ut benè advertit Torreblanc. *de Magiâ cap.40.nu.3.* P.Schottus *in Thaumaturgo, par.4.lib.5.syntagm.3.cap.2.*

4 Hoc summâ admiratione dignum est, quod complures Medici numquam fateantur hujusmodi maleficia, quandò eorum auctores dari, & experientiâ pateat, & catholicâ fide innotescat ex Sacrâ Scripturâ, quæ *in Iob.cap.2.* expressè dicit: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo à plantâ pedis vsquè ad verticem ejus,* & habetur *ex cap. Nec mirum 26.qu.5.* Nec deest ratio, nam, cum sanitas sit ex proportione humorum, vtiquè potest Dæmon ipsos alterare, vel per se, vel per causas naturales: Per se quidem, nam quandoquè inficit aerem, & sic pestem ingerit: *cap. sciendum 26.qu.4.* Ripa *de peste, qu.1.num.21.* (Vide tamen Cardin. Gastald. *de auvert. & proflig. peste, cap. 257.*) Cur ergò intùs non potest inficere humores? Per causas verò naturales, introducens venenatos succos, vel clavos, acus, & alia id genus, pròut Malefici exigunt, qui proindè in ipso maleficio ea parant, quæ à Dæmone intrâ corpus Maleficiati poni volunt.

Quamvis tamen, quæ hactenùs dicta sunt, itâ se habeant, nihilominùs infirmitas, & mors regulariter ex Maleficio non provenit, ut habetur *in Instructione impressâ apud Gastaldum de Angelis, to.2.dist.4.qu.1.art.1.fol.241.*

Ut verò dignoscamus, quandò infirmitates, ac alii effectus ex Maleficio proveniant, nonnulla ponderari possunt signa, de quibus proindè breviter tractare aggredior; sed priùs stabiliendum est, quænam sint, quæ à Maleficis effici possint, & quomodò eadem ab ipsis peragantur.

SUBSECTIO II.

Quid operari possint Malefici.

SUMMARIUM.

1 *Maleficorum potestas ad nocendum maxima, quippè, qui vel solo aspectu necant, Ratio naturalis redditur.*

2 *De fascino ab oculis proveniente:*

3 *Quomodò generetur carnalis amor per oculorum aspectum, ex quo Amasji non patiuntur separari ab invicem, Exempla Stratonicæ, & Amonis.*

4 *Maleficorum potestas ad nocendum, non tantùm ex obtutu, sed ex aliis etiam ab eis patratis, præcipuè exsugendo sanguinem puerorum.*

5 *Maleficæ exsugunt puerorum sanguinẽ, tùm propter odium in ipsos, tùm quia putant per dictum sanguinem juventam renovari; tum propter alia.*

6 *Maximè insudarunt Christiani Prædicatores apud Brasilieses ad eos avertendos à ferali consuetudine comedendi humana corpora.*

7 *Malefici icẽdia magna excitant, verba tantùm murmurantes: Exemplum Medeæ, quæ Regiam Corinthi incendit.*

8 *Alia damna breviter descripta per maleficos causata.*

9 *Malefici quomodò possint turbare phantasiam?*

10 *Malefici nequeunt voluntatem cogere: qui secus credit, est de hæresi suspectus.*

11 *Violentia causata à Malefico in parte sensitivâ elucescit, vel ex amore, vel ex odio, quod per maleficia causare possunt: Exemplum ex S.Hieronymo.*

12 *De Philtris, eorumque violentiâ.*

13 *Quomodò exhibeatur maleficium amatorium? Remissivè.*

14 *Malefici non solùm possunt amorem ingerere, sed ipsum destruere.*

15 *Malefici conficiunt maleficium ligaminis ne Maleficiati coire possint.*

16 *Quàm potenter malefici excitent odiũ inter Conjuges, & alios.*

1 MALEFICORUM potestas ad nocendum maxima est: quippè solo aspectu necant, sicut de quodam Sene testatur illis versiculis Vida, quem citant Del Rio *disq. Magic. lib. 3. q. 4. sect.1.* & Torreblanc. *Iuris spirit. lib.12. cap.1. à num.18.*

Ille truci (scelus) obtutu genus omne necabat
Reptilium; tenues animas, parvosque volantes.

Et quòcumquè aciem horribilem intendisset, ibi omnes
Cernere erat subito efflatos languescere flores.

Quod mirum videri minimè debet, quoniam & hoc naturaliter evenire posse, docet etiam Plutarchus *in sympos. cap. 7. Haud sanè* (ait ille) *ignoras, quod ex amicis, & familiaribus, & Parentibus nonnulli oculum fascinantem esse existimant, usquè adeò, ut mulieres non ostendant illis pueros, nec diutiùs ab hujusmodi hominibus inspectari sinant: quomodò ergò id mali videbitur ab invidiâ effici? quid porrò per Iovem dices de iis, qui dicuntur se ipsos fascinare? nam hoc quoquè audisti: sin autem, illa certè prorsus legisti.*

Euthelidæ fuerant pulchri per colla capilli;
Sed sibi dirus homo conspecto in fluminis undis
Invidit, turpisquè invasit protinus illum
Morbus, & invidiâ corrupta est gratia formæ.

Narrant enim, Euthelidem, cum sibi pulcher visus esset, propriâ specie captum, in morbum incidisse, atque habitum bonum unà cum pulchritudine perdidisse. Hinc Glossa *ad illa D. Pauli verba Gal. cap. 3. O insensati Galatæ, qui vos fascinavit*: dicit quod inveniuntur quidam homines habentes oculos adeò ardentes, ut solo aspectu alios inficiant, & præcipuè parvulos ratione facilioris impressionis ob carnis teneritudinem: Ab oculis enim fascinantis exeunt subtiliores spiritus, qui aerem propinquiorem inficiunt usquè ad determinatum spatium, & ipse aer intermedius inficit objectum præsens, non secùs ac mulieris menstruatæ obtutu specula infectionem contrahunt: Idcircò Lupus *loc. cit. lib. 19. dist. 7. ar-*
3 *tic. 2. diff. 1.* explicans Platonis opinionem in Timæo, notat, quod ex oculis Amasiorum exeunt quidam spiritus, hoc est vapores subtilissimi, è corde procedentes, qui ad alterius Amasii oculos provehuntur: ibiquè gressum non sistunt, sed ad intima cordis objecti amati penetrantes, suum ibi exequuntur munus, videlicet cor vulnerandi, & transfigendi, undè paulatim velint nolint, fateri coguntur isti Amasii, vel Amasiæ, se validissimâ cuspide, potentissimoque telo nimii amoris ergà objectum amatum omni ex parte vulneratos esse, illiusquè vi cor suum transverberatum in lacrymas dissolvi, quibus die, noctequè genas irrigant, fatenturquè, illud magis esse ubi amat, quàm ubi animat: undè non raró suspicantur, se ab Amasiâ suâ fascinatos fuisse, eò quod vix ad alia cogitationem suam dirigere possint. Quod si amantium unum ab altero separari contingat, illicò amore languent, & aliquandò ægrotant, ut fertur de Stratonicâ, cujus historiæ si quis fidem adhibere detrectet, infallibili sacræ Scripturæ testimonio persuadebitur. Habetur enim *in lib. 2. Reg.* Ammon nimio sororis suæ Tamar amore captum, quasi in ægritudinem incidisse.

4 Verùm enimverò Maleficorum potestas non tantùm elucescit ex eorum venefico obtutu, sed etiam ex aliis, quæ ab ipsis patrantur; nam puerorum sanguinem exsugunt, eorum præcipuè, qui sacrâ baptismatis undâ non sunt regenerati, & ut faciliùs voti compotes fiant, nocte volantes, eos aggrediuntur, quod nec ignoravit Ovid.

Nocte volant, puerosquè petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

5 Credunt enim maleficæ ætate provectæ, quod infantilis sanguis humidum radicale restauret, de quâ re latè disserit Marsilius Ficinus *lib. 2. de vitâ longâ, cap. 11.* quem refert Torreblanca, *Iuris spirit. lib. 12. cap. 8. num. 20.* Moventur quoquè hujusmodi læstrigones ad tantum scelus perpatrandum, vel quia corpuscula infantium decocta putant necessaria ad conficiendum famosum illud unguentum, sinè quo ad conventicula deferri posse negant; vel quia talia corpora ad prandium igni assa in deliciis suis accomodant; vel tandem propter odium in ipsos infantes, ut testantur illi, quos appellat laudatus Torreblanca *Iuris spirit. d. cap. 8. à n. 8.* Quod tamen moveantur potiùs à sensu gulæ in comedendis hujusmodi corpusculis, persuadent Maffejus *lib. 15. hist. Ind.*

Ind. pag. 360. & Molina *de justit. & jure, tractat.* 2. *disp.* 34. *pag.* 167. ubi ajunt, maximum fuisse Christianis Prædicatoribus laborem apud Brasilienses in cohibendâ hujus funesti, ac feralis cibi consuetudine, quo illi nullum palato gratius ædulium norant. Consule, si vis, Solorzanum *de jure Ind. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. præcipuè *à num.* 61. & Petrum Crinitum *de honestâ disciplinâ, lib.* 3. *cap.* 10. apud quem ità inquit D. Hieronymus de his Antropophagis; *Quid loquar de cæteris Nationibus, cum ipse adolescentulus in Galliâ viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & quum per sylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumquè reperiunt, Pastorum nates, & fœminarum papillas solent abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari.*

7 Incendia magna excitant; domos, ac Urbes comburunt, verba tantùm murmurantes, & nullo igne admoto, sed tantùm ope gladii, hastæ, scipionis, & cujuscumque rei caloris, vel ignis expertæ, ut testatur Martinus del Rio *disq. Magic. lib.* 3. *q.* 4. *sect.* 10. *in fine*, & Remigius *lib.* 2. *dæmonolat. cap.* 13. Undè Seneca narrans Regiæ Corinthi incendium, quod excitaverat Medea, cecinit.

Avidius per omnem Regiæ partem furit,
Ut jussus, ignis; jam Domus tota occidit:
Urbi timetur: unda flammas opprimit.
Et hoc in istâ clade mirandum accidit:
Alit unda flammas. ——

Vide Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 2. *cap.* 4. *per tot. & Iuris spirit. lib.* 12. *cap.* 18.

8 Abortum causant; sterilitatem inducunt; lac exsiccant, & difficilem reddunt partum, teste dicto Torreblanc. *ubi suprà.*

9 Sed non solùm possunt malefici Dæmone operante, tot malis nocere, verùm etiam turbare possunt phantasiam, sivè per somnia, sivè sanguinem, ac humores alterando; quo fit, ut licèt indubium sit, quod ait Augustinus *ser.* 107. illis verbis: *Latrare potest diabolus; sollicitare potest: mordere omninò non potest, nisi volentem: non enim cogendo; sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

10 Nihilominus, quià imperitiores nescientes distinguere superiorem animi partem ab inferiori, quæ tantùm alteratur à Malefico: P. Schottus *in Thaumat. pa.* 4. *lib.* 5. *synt.* 3. *cap.* 4. *versic. videamus ergo*, putant voluntatem cogi, quâ de causâ suspicionem hæresis vehementem incurrunt. Quinimò ni ignorantia eos excusaret, essent formaliter hæretici: (Consule Pistachium *de superstit. par.* 1. *cap.* 25. *num.* 2.)

11 Porrò tàm ingens violentia, quâ pars sensitiva commovetur, elucescit, vel ex amore, vel ex odio, quod causare queunt maleficia. Præter enim maleficium amatorium, de quo Seneca *epist.* 9. *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamēto, sinè herbâ, sinè alicujus venefico carmine: Si vis amari, ama;* datur aliud, quod superstitiosè exhibetur: Narrat proindè D. Hieronymus *in vita S. Hilar.* de quodam Juvene, qui virginem vehementer deperibat: Ut autem frui posset hujusmodi amore, Magicis artibus instructus, maleficium confecit, quod subter limen Domus Virginis sepeliit, & illicò insanivit amore puella: imò præ nimio ardore ergà Juvenem incitata, eum semper inclamabat, donec per Hilarionem curata fuit. In hujusmodi amoris insaniâ verificatur, quod cecinit Ovid. de Philtris.

Philtra nocent animis, vimquè furoris habent.

Quin Caligulam à Cæsonia uxore poculo amatorio exhibito prorsus insanisse, testatur Sueton. *in Calig. cap.* 50. quod mirum non est. Nulla enim sunt philtra, quæ naturaliter operando ad amorem commovere possint, nisi violenter irritando humores, ut docent Azor. *tom.* 1. *Inst. moral. lib.* 9. *cap.* 25. Tiraquel. *in ll. connub. glos.* 14. Eymeric. *in direct. inquisit. par.* 2. *qu.* 43. *n.* 8. Martin. del Rio *magic. disqu. lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 3. Torreblanc. *Iuris spirit: lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 7. quo fit, ut hujusmodi pocula soleant plerumque in mortem, vel dementiam adducere, id quod etiam agnoverunt Binsfeld *in l. eorum C. de malef. & mathem. quæst.* 2. *concl.* 1. *& seqq.* Farinac. *in pract. tit. de homicid. quæst.* 122. *& seqq. & de hæres. quæst.* 181. *num.* 82. August. Barbosa *de potest. Episcopi, alleg.* 51. *cas.* 8. *num.* 226. *part.* 3.

Quo-

13 Quomodò autem exhibeatur maleficium amatorium, latè Ghirland. *de sortileg. lib.* 2. *qu.* 3. *à num.* 23. *& quæst.* 5. *à num.* 2. Cæl. Calcagn. *de Magiâ amatoriâ, cap.* 2. Martin. del Rio *disqu. magic. lib.* 3. *qu.* 3. *part.* 1. Raphael. de la Torre, *tom.* 2. *de vitiis opposit. Relig. quæst.* 96. *art.* 1. *disp.* 2. Maiol. *tom.* 2. Canicul. *colloq.* 3. Pomponat. *de incant. cap.* 8. & alii; & quandònam hujusmodi maleficium sit hæreticale, Pistach. *de superst. p.* 1. *cap.* 25. *n.* 5. & Ricci *in prax. aur. resol.* 434.

14 Nec solùm possunt amorem ingerere malefici, verùm etiam ipsum destruere; nam Dæmonis ope phantasiam turbant, ita ut ipsi odiosum appareat objectum, quod anteà videbatur delectabile: Vide P. Henricum *de Sacramentis lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 2. Sotum *in* 4. *d.* 34. *num.* 3. & Codronchum *lib.* 3. *de morb. malef. cap.* 6. *&* 8. quarè Tibullus de Saga ità cecinit.

—— Hæc eadem se dixit amores
Cantibus, aut herbis solvere posse meos.
Et me lustravit tædis, & nocte serenâ
Concidit ad Magicos hostia pulla Deos.
Non ut totus abesset amor, sed mutuus esset
Orabam; nec te posse carere velim.

15 Conficiunt quoquè illud maleficium, quod ligaminis appellant, quo impediuntur maleficiati, ne coire possint: latè Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 12. *cap.* 11. Covarruias *de frigidis, & malef. quæst.* 2. Godelman. *de lamiis, fol.* 388. Andreas Cæsalpin. *de investigat. Dæmon. cap.* 10. *&* 11. Codronchus *de morb. venef. lib.* 3. *cap.* 5. *&* 6. Vvierus *lib.* 3. *de præstig. cap.* 18. Petr. Forest. *tom.* 1. *observat. lib.* 26. *observat.* 18. *& alii.*

16 Adeò grave quandòquè suscitant odium, nedùm inter coniuges, verùm etiam inter alios, ut vix queant sic maleficiati non gravissimè irritari, & excandescere, quoties eum vident, adversùs quem ingestum est odium, quâ ratione, permittente Deo, uerificatur illud de Dæmone:

Tu potes unanimes in prælia mittere fratres.

SUBSECTIO III.

Quonam pacto operentur Malefici.

SUMMARIUM.

1 *Assignantur tres modi, quibus malefici operantur: qui tamen omnes non convincunt maleficium.*

2 *Primus modus operandi per introsumptionem quomodo exerceatur? estque prior cæteris.*

3 *Malefici non ignorant venena, & herbas virulentas.*

4 *Malefici venena ut validiora sint carmina miscent.*

5 *Malefici quandòque operantur per introsumptionem absquè veneno.*

6 *Quomodò res solidæ alicui iniiciantur intrà corpus, ut ossa, saxa, &c.*

7 *Quomodò malefici operentur per iniunctionem?*

8 *Lamiæ grassantur tempore nocturno præcipuè in pueros.*

9 *Strygæ quomodò ope Dæmonis se in cubiculos intrudant januis clausis?*

10 *Datur realis Strygarum traslatio per Dæmones experientiâ comprobata.*

11 *Maleficia per applicationem quomodò fiant? ubi de maleficio per aspectum: Exempla hujusmodi maleficii.*

12 *Inter maleficia per applicationem sunt ea, quæ ponuntur in lecto maleficiandi, vel assuuntur Chlamidi, vel sub limine portarum absconduntur.*

13 *Item statuæ cereæ, quæ à maleficis acunculis punguntur, sunt signa maleficii per applicationem: Exemplum.*

14 *Malefici statuas cereas ad ignem admovent, vel thoro locant, ut amorem ingerant: ubi de alio modo maleficii amatorii.*

15 *Quot sint modi maleficii per applicationem?*

16 *Maleficium ligaminis, quo nihil hodiè frequentiùs, sex modis fit, qui explicantur.*

17 *Maleficium ligaminis in mulieribus, quod sterilitatis nuncupatur, quomodò fiat, & cur rarius contingat?*

18 *Maleficium istud sterilitatis plerumque operatur Dæmon, prohibendo, ne mulier semen emittat.*

De

19 *De maleficio ad exsiccandum lac mulierum.*

20 *De maleficio difficilis partus: quomodò fiat?*

22 *Maleficium abortus quomodò operetur Dæmon?*

22 *Quidquid fieri potest à causis naturalibus, patratur à Dæmone in maleficiis.*

1 TRIBUS modis operantur Malefici, scilicet per introsumptionem, per injunctionem, & per applicationẽ: Ghirlandus, *quæst.* 3. & 5. *de sortileg.* & post eum P. del Rio, *disqu. Magic. lib.* 3. *qu.* 4. *sect.* 2.

Primis duobus modis, licet malefici utantur Dæmonis ope, nihilominus quia operari possunt naturalibus rebus, ideòquè sic operantes, non probantur malefici, nisi resultet aliundè probatio.

Tettio verò modo, quià operarentur in distanti, quod naturali facultati non conceditur, ob id clarè dignoscuntur esse malefici.

2 Per introsumptionem dicuntur operari, quandò venena, vel per cibum, vel per potum latentèr in pulvere trita exhibent, juxtà Ghirland. *d. qu.* 3. *n.* 29.

Hæcquè maleficia, quæ fiunt per naturalia venena, quibuscumquè aliis esse pejora, firmat Lupus *in edict. lib.* 20. *dist.* 1. *art.* 4. Siquidem in cœteris impeditur Dæmonis insultus spiritualibus armis: (vide Binsfeldium *in comp. de malef. & Mathem. lib.* 4. *qu.* 1.) at ad impediendum, ne venena noceant, requiritur ea gratia specialis, quâ præditi fuerunt Christi discipuli, dum fuit illis dictum: *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

3 Nil igitur mirum, quod malefici non ignorent venena, ac herbas virulentas, sicut de Medea testatur Tibull.

Illa tenere malas Medea dicitur herbas.

Et de se quidam apud Claudian.

—— Nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potentes
Herbarum; quidquid lethali gramine pollens
Caucasus, & Scythæ vernant in gramine rupes,
Quas legit Medea ferox, & callida Circes.

4 Quinimò, ut eò magis validiora sint venena, ipsis carmina, atquè incantationes à Dæmone præscriptas malefici miscere consueverunt, quod innuit Virgil.

Miscenturque herbis, & non innoxia verba

Et expressius Ovid.

Protinus horrendis infamia pabula succis
Conterit, & triticis Necateia carmina miscet.

5 Quandoquè etiam porrigunt in cibo, vel potu res naturales minimè venenatas, ut sint signa pacti latentis, quibus nocent, operante Dæmone, sicut ex jis, quæ inferiùs dicenda sunt de maleficio per applicationem, patebit.

Hinc, quamvis multa sint pharmaca, quæ vim habent naturalem turbandi humores, irritandi Semen, & excale faciendi corpus, quibusquè conficiunt malefici philtra, ut videre est apud Torreblanc. *de magiâ*, *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 10. nihilominus sæpè sæpius utuntur rebus innoxiis, & præcipuè Deo consecratis, ipisquè Dæmon easdem vires tribuit, quibus pollent naturalia philtra, & alias quoquè longè majores.

Hac ratione quibuscumque rebus maleficia fieri possunt per introsumptionem, undè ad detegendum maleficos valdè juvat, hæc pharmaca considerare, eorumque rimari qualitates.

6 Quomodò autem res solidæ magnæ, ac variæ, cujusmodi sunt spinæ, ossa, saxa, acus, cultri alicui injiciantur intrà corpus à Dæmone, vide penès Del Rio *lib.* 3. *Magic. disq. part.* 1. *quæst.* 4. *sect.* 6. & P. Schottum *loco cit. cap.* 6. §. 3. ubi ridet Helmontii opinionem.

7 Per injunctionem verò operantur quoties unguentis venenatis corpora dormientium deliniunt, quæ somni durante calore, carnes per poros penetrant, quemadmodùm ait Ghirland. *loco cit. Maleficiandum* (sunt ejus verba) *sivè masculus sit, sivè fæmina, dormientem suis liquoribus, aquis, oleis, aut pinguedine, sivè aliis similibus unctionibus, plura, & diversa venena continentibus inungunt, quandòquè fæmora, quandòquè autem ventrem, aut caput, guttur, pectus, costas, seù aliam partem corporis personæ maleficiandæ: quæ sic dormiens nihil sentit, & est tanta vis, & potentia illius unctionis, quod paulatim durante calo-*

calore ipsius dormientis ingreditur intùs carnes, & vadit ad penetralia cordis & viscerum maleficiati; undè paulò post causantur ingentes dolores in corpore ejus, cum primùm scilicet maleficium, vel factura (ut dicunt) tangit intestina maleficiati, illinc succedunt maximi ululatus, & lamentationes tàm crebræ.

8 Hac de causâ grassantur Lamiæ tempore nocturno, & dormientes lædunt, & tanta est immanitas, quâ debacchantur, ut non solùm unguentis venenatis officiant, sed etiam omnibus modis, quos nancisci queant nocendi tàm pueris, quàm adultis: Pueris quidem, quos vel rapiunt, & nè eorum ululatu detegantur, alliciunt, ostendentes ipsis mammas suas instar earum, de quibus Jeremias: *Nudaverunt Lamiæ mammas suas*; vel præfocant culcitrâ injectâ, & deindè sanguinem exsugunt: Adultis verò, ipsos dormientes ità comprimendo, ut suffocari videantur.

9 Nec mirum, si Stryges ad committenda hujusmodi maleficia, se in cubiculos, etiam clausis januis, vel per rimas angustas in formâ animalium intrudant; nam quamvis Dæmon decipiat quandoquè Sagas per mentis excessum, ità ut ipsæ, dum hujusmodi somno corripiuntur, ea scelera patrare sibi videantur, quæ interim Dæmon sub aliquâ animalis formâ peragit, persuadens Lamiis, ipsas id fecisse, quod reverà nonnisi somniarunt, prout benè advertit Spina *tract. de Strygib. cap.* 19. nonnumquam tamen ipse Dæmon illas corporaliter devehit, & præcedens latenter aperit, & claudit januas, per quas eas intromittit, ipsis tamen imponens, easdem sub formâ animalculorum ingressas fuisse: Spina *ibidem cap.* 32. *& seqq.*

10 Quamobrem realem hujusmodi Strygimagarum translationem dari fatendum est, ut superiùs stabilivimus, & prout latè probat Torreblanc. *Juris spirit. lib.* 4. *cap.* 3. idquè etiam experientiâ teste comprobatur; nam divino quodam judicio à Dæmone relictæ Stryges, quæ sic ferebantur, in campestribus locis nudæ repertæ sunt, itaut ad Patriam pedibus redire coactæ sint, ut refert idem Spina *ibidem, cap.* 17. *cum seqq.* Ideoquè Lamiæ conficiunt, ut notat Binsfeld. *in l. multi C. de malefic. & Mathemat.* ex puerorum corpusculis decoctis famosum illud unguentum, sinè quo ad conventicula deferri posse negant, & ob id magis in infantes grassantur.

11 Tandem per applicationem sæpènumero conficiuntur maleficia: Tunc operatur Dæmon in maleficiatum virtute pacti, & maleficus imperat tantummodò quibusdam determinatis signis.

Porrò inter hujusmodi signa quandòquè est ipse solus aspectus, juxtà Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 47. Nam nefarii, inquit ille, solent cum Dæmone pacisci, ut quos lividè, vel iracundè aspexerint, jis ille perniciem inferat, quod Virgilius ignorans, ait:

Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.

Ponit Torreblanca aspectum in genere signi, & non in genere causæ fascinationis, putans potestatem videndi, potentiam passivam esse, quæ per introsumptionem objectum repræsentat, ut quoquè credidit P. del Rio *disquis. Magic. lib.* 3. *q.* 4. *sect.* 1. & post eum, P. Schottus *in Thaum. p.* 1. *lib.* 2. *prælus.* 4. *prop.* 2. Sed quoquo modo fiat visio (licet fieri per emissionem indicet radiorum reflexio à speculo) non tamen infertur non emitti ab oculis quosdam venenatos vapores, qui exhalant, quandoquè etiam à toto corpore, ut de illâ puellâ narrat Albert. Magn. *lib.* 25. *animal. cap.* 2. quæ veneno alebatur, & alios sudore, tactu, & halitu viros, qui cum eâ cubabant, interimebat, de quâ re Villamontius *lib.* 1. *itinerarii, cap.* 33. & Antonius Theuetus *lib.* 7. *Cosmog. cap.* 13. Imò testatur Ludou. Barthema *lib.* 1. *Indic. cap.* 2. de Cambajæ Rege, qui in infantiâ nutritus veneno, habuit halitum ità lethalem, ut muscas volantes necaret, aliosquè tactu, etiam ipso non advertente, interficeret. Hic autem quemcumquè odio habebat, ipsum intuebatur, ac solo aspectu occidebat. Sed de hac re nonnulla superiùs.

12 In genere signi ponuntur quoque ea maleficia, quæ sub formâ quâdam composita chlamydi assuunt malefici, aut in lecto ipsius maleficiati abscondunt, vel sub portarum limine, quibusdam ver-

verbis insusurratis collocant. Quandoquè tali maleficio deliniunt ipsarum portarum coronides, vel vestes maleficiandi, ut videre est apud Ghirand. *loco cit. Sortilegia* (inquit) *sub quapiam forma composita chlamydi assuunt, vel in lecto abscondunt ipsius maleficiandi, seù in aliquo loco subterraneo, foveâ factâ, aut sub limine ostii, super quo destruendus sit transiturus*: Consule, si lubet, Torreblanc. *de Magiâ, lib.2. cap. 39. num. 13.* ubi addit, posse effectum tribui etiam efficaciæ veneni, & Averroem intoxicasse Avicennam, ponendo venenum super folia libri; sed mihi videtur, venena non posse naturaliter esse adeò efficacia, ut vult Torreblanca, quando recondita in ollis sub portæ limine positis, virtutem nocendi in distanti exercent.

13 Sunt etiam signa, Imagines, seù statuæ cereæ, quas malefici acunculis pungunt, ac quoscumquè designant, Dæmon offendit, ut testantur Boethus *lib. 3. rerum Scoticarum*, Mejerus *lib.16.* Cresper. *lib. de odio Satanæ, discurs. 10.* ubi addit, quamdam Magam hoc pacto Avinioni sustulisse Pontificem Maximum, & Vicecomes *part. 1. complementi artis Exorcistæ, doctr. 5.* quidquid dicat Card. Vuierus *libr. 15. de var. rer. cap.88.* Quarè benè Ovid.

Devovit absentes, simulàcraquè cerea fixit;
Et miserum tenues in jecur urget acus.

14 Ad ignem quoquè hujusmodi statuas, seu ex cerâ, seù ex argillâ compactas admovent, & hoc modo ji, quos volunt, amore ardent, & uruntur, ut videre est apud Ghirland. *quæst.5. nu. 3.* (Vide etiam Joann. Salib. *lib.1.cap.11.*) id quod innuit Poeta:

Limus, ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Uno, eodemquè igne ut sit nostro daphnis amore.

Et rursùs illis versiculis:

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores
Necte Amarylli nodos, & Veneris, dic, vincula necto,

vel eas statuas, seù effigies thoro locant, ut fecisse Didonem Æneæ testatur Virgil. *in æneid. 4.*

Datur etiam aliquis modus Maleficii amatorii, quo simulacrum Amasii verbis susurratis, funibus circumdatur: (Vide, si vis, Torreblanc. *de Magiâ, lib.2. cap.47. num.33.*)

15 Sed nè nimiùm prolixi videamur super hac Maleficiorum materiâ, quam latè versant Suarez *de Relig. tom.1. lib.2. de Superstit. cap. 17. & 18.* Vela *de Episcop. 1. p. à num.80.* Sanchez *lib.7. de matrim. disp.94. & seqq. & in summa, lib.1. cap.41.* Mattheu *de re crimin. controv.67.* & alii, sciendum, quod tot sunt modi conficiendi Maleficia per applicationem, quot Dæmon signa præscribere potest, & consequenter erunt innumeri, ad quos dignoscendos, an sint superstitiosi, sufficit, regulas superiùs expositas ponderare.

Nec imperceptibile videtur, quomodò operari valeat Dæmon virtute applicationis, tàm quòad supradicta, quàm quò ad cætera Maleficia: Etenim quòad supradicta, aspectum Malefici veneno inficit, vel ipsemet agit in maleficiatum ad mentem malefici, quod identidem dicendum est de cæteris imaginibus, cæterisque involucris, ac tricis, quibus Malefici vi pacti Dæmoni præscribunt, quid operari debeat: Quò ad cætera verò diversimodè operatur.

16 Quamobrem quò ad Maleficium ligaminis, quo hodiè nullum frequentius dicit P. del Rio *disq. Magic. lib. 3. q.4. sect.8.* & post eum, P.Schottus *in Taumat. p.4. lib.5. syntag.3. cap. 5. §.8.* Sex modis agere solet, ut docet Torreblanc. *de Magiâ, lib. 2. cap. 51.* Septem autem dicit P. del Rio *loco cit.* sed hi septem in illis sex continentur: latè idem Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 12. cap. 11. à num.12.*

Primò scilicèt obturando venas, ne decidat semen: secundò impediendo spiritus vitales, ne transeant ad membrum generationis, in quibus est virtus motiva: Joann. Major. *in 4. dist. 34. art. 3.* Jacob Sperenger. *in Mall. p. 2. quæst.1. cap.6. & quæst.2. cap. 2.* Torreblanc. *Iuris spirit. d. cap. 11. numer. 13.* Tertiò flacidam reddendo virgam in ipso coeundi actu: Sotus, & Paludan. *in sent. 4. dist. 34.* Sylvester *in summâ, verbo Maleficium*, Abulens. *in Matth. cap.19. quæst.90.* Torreblanc. *juris spirit.*

Cc

rit. cap. 11. *num.* 14. undè Ovidius.

Quid vetat, & nervos Magicas torpere per artes?

& Petronius: *Forsitan rediret hoc corpus ad vires, & resipiscerent partes veneficio (credo) sopitæ.* Quartò Viri genitalia retrahendo, vel adimendo, ut de Maleficâ, quæ in avium nidulis virilia juveni, cui adimerat, ostentavit, ut dicit idem Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 2. *cap.* 51. *& juris spirit. d. cap.* 11. *num.* 15. (Vide quoque Sperenger. *in Mall. part.* 1. *quæst.* 9. *& part.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 7. Wierum *de præstig. cap.* 18. & P. del Rio *loco cit.*) Quintò impediendo corpora, nè mutuò appropinquentur, vel phantasmata in medium ponendo, ut contingit juveni, quem Dæmon fefellit, adeò ut vice uxoris, Lamias amplecteretur: Majol. *tom.* 2. *colloqu.* 3. Torreblanc. *juris spirit. d. cap.* 11. *num.* 17. Sextò alteri in alterum odium ingerendo, vel phantasiæ turbatione, ità ut etiam pulchræ, omninò videantur fœdę; vel morbi immissione, sicut narratur de Medeâ, quæ injecto pharmaco fecit, ut omnes fæminæ Lemni graviter ore olerent, ut ex Myrtillo *lib.* 1. *rerum Lesbicarum*, ait Natalis Comes *in mythol. lib.* 6. *cap.* 7.

17 Non dissimili modo in mulieres Maleficium ligaminis exercetur, ut concipere nequeant, quâ propter sterilitatis maleficium dici consuevit: Hoc utiquè fieri posse, probat idem Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 2. *cap.* 51. *& juris spirit. lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 27. De hac re etiam Sperenger. *in Mall. p.* 1. *q.* 8. Nider. in *Formicar. cap.* 5. Annanias *de naturâ Dæmon. lib.* 4. Petrus Garzia *ad Galen. de locis affect. disp.* 74. Joann. Schenkius, *tom.* 2. *observat.* 117. *lib.* 4. licet rariùs contingat, quàm ligamen virorum, fortasè quia plures sunt Maleficæ, quàm malefici; & majoribus luxuriæ, atque invidiæ stimulis agitantur, undè nolunt alias frui viris, quibus ipsæ frui non potuerunt.

18 Verùm plerumquè maleficium istud sterilitatis operatur Dæmon, prohibendo, nè mulier emittat semen, vel ipsum nimiâ frigiditate, seù caliditate, seù aliâ qualitate excessivâ adeò alterando, ut desinat esse prolificum; vel impediendo, ne recipiat virile semen, vel incæptum concubitum destruendo.

19 Quòad maleficium ad lac exsiccandum, Dæmon latenter vel lactis materiam arcet; vel vias impedit, per quas lac ad mammas descendit, quod ab ipso fieri potest, sivè lac sit à chylo, ut autumant Neoterici, sivè à sanguine ab utero ad mammas demisso, ut advertit Andr. Cæsalpinus *de investigat. Dæmon. cap.* 10. vel clanculùm lac subducit, ipsum emulgens, de quo queritur vates:

Et pecori succus, & lac subducitur agnis.

Imò Balduinus Ronseus *Medicæ venationis, epist.* 50. docet, à maleficis utres consui ad Anatis similitudinem, & eis uti ad emulgendum lac è vaccis alienis. (Vide eumdem Cęsalpinum *ibid. cap.* 12. Ghirland. *de Sortileg. q.* 10. Sperenger. *in Mall. p.* 2. *q.* 1. *cap.* 6. *&* 14. Comensem *de Strigibus post Lucernam inquisit. num.* 14. & Torreblanc. *juris spirit. lib.* 12. *cap.* 17.)

20 Quò ad Maleficium difficilis partus, Dęmon aliquando suffocat puerum in utero existentem, vel ipsum revolvit, vel os vulvæ restringit, ut videre est apud eumdem Torreblanc. *de Magiâ, lib. cit. cap.* 45. *& juris spirit. lib.* 12. *cap.* 15. & apud alios, quos citat laudatus Torreblanca.

21 Quò ad Maleficium Abortus, de quo Joannes Nider *libr. ult. Formicarii*, & Torreblanca *juris spirit. lib.* 12. *cap.* 16. operatur Dęmon, solvens ligamina, quibus fętus in utero substinetur, vel ipsum necans.

22 Tandem quòad cętera Maleficia, quidquid fieri potest à causis naturalibus, Dęmon patrat, vel ipsis utens; vel propriâ virtute operans internè, & sic intùs affert venena; movet phantasiam: suscitat species; impedit, nè calor, vel alia interna qualitas agat, sicut prohibuit, ne flamma exureret Julii capillos, de quâ Virgilius dixit:

Lambere flamma comas, & circùm tempora pasci.

& si prohibere nequit directè, arte utitur, adhibitis causis naturalibus, quę omnia parùm debemus admirari, considerantes, quod Dęmones sunt invisibiles insidiatores in omnem nocendi occasionem intenti; suntquè potentes, & adeò periti, ut quamcumquè prudentiam hominum facillimè superent, ad

quem

quem meritò dicitur
Tibi nomina mille, mille nocendi artes.

SUBSECTIO IV.

De signis, quibus dignoscantur Malefici.

SUMMARIUM.

1 *Signa manifestantia Maleficos quænam sint?*
2 *Cauthela pro Iudicibus in actu carcerandi suspectos de maleficio.*
3 *Iudices non debent esse faciles ad credendum, aliqua reperta esse apta ad maleficium.*
4 *Iudex debet benè advertere qualitatem repertorum, antequàm ipsa judicet apta ad maleficium, & quarè?*
5 *Dæmon semper intentus ad nocendum supponit in lectis, &c. signa maleficiorum, sicut in actu exorcismi supponit acus, clavos, &c. quæ impossibile est, reperiri in obsesso.*
6 *Assignatur maximum maleficii signum, & quid in eo notandum sit.*
7 *Falsum est, quod Nicolaus Papa dispensaverit uti maleficio ad liberandum Episcopum maleficiatum; ratio hujus.*
8 *Non possumus petere, ut solvatur à malefico maleficium, nec etiam per Iudicem, modis illicitis.*
9 *Morborum qualitates quando arguant suspicionem maleficii?*
10 *Quædam signa magis propria maleficiorum, ut sunt ablationes membrorum à cadaveribus in patibulo suspensis; minæ malefici; invocationes, & collocutiones cum Dæmone, &c.*
11 *De stygmatibus, quibus Dæmon suos signat: Cur, quando, quo loco signet?*
12 *Ad cognoscenda hæc stygmata duo sunt notanda.*
13 *Stygmata non inducunt fortissimam suspicionem ad condemnationem, nec ad torturam.*
14 *Alia maleficorum signa præter prædicta.*
15 *Non probatur quis maleficus ex eo quod à Dæmone nominetur.*

1 SIGNA, quibus manifestantur Malefici, sunt ipsa maleficia; morborum, quibus maleficiati cruciantur, qualitates; ac in ipsis Lamiis stygmata quædam: De his omnibus latè Christoph. Crusius *de indiciis delict. par. 2. cap. 32.*

Quoties enim maleficia sunt statuæ, imagines, resque naturales, quibus maleficiantur per applicationem, clarum est, eos, qui ipsis utuntur, maleficos esse.

2 Hinc est, quod in actu carcerationis eorum, qui sunt suspecti de Maleficio, ipsemet Judex, vel ejus idoneus Vicarius, per Notarium, & testes, qui non sint prætensi Maleficiati attinentes, vel familiares, quiquè intervenire nō debent, diligenter perquirere debet, juxtà Instructionem impressam apud Gastald. *de Angelis, tom. 2. dist. 4. q. 1. art. 1. fol. 242.*

Si autem reperiatur liber, seù scriptura, aut aliud signum continens maleficium, urgens est indicium etiam ad torturā, quod ille, penès quem repertum est, sit maleficus: Genuensis *in prax. cap. 18. num. 13.* Carena *par. 3. tit. 12. n. 177.* quos citat, & sequitur *Bordon. in Tribunal. cap. 19. num. 16.* Item si inveniatur vas plenum membris humanis, rebus sacris, imaginibus, hostiis, &c. Bordon. *ibid.* Christoph. Crusius *d. cap. 32. num. 4.*

3 Monentur tamen *in dictâ Instructione*, ne sint faciles Judices ad firmiter credendum, aliqua reperta, veluti oleū in vasculis, pinguedinem, pulveres, & similia, esse apta ad maleficium: In hoc enim deferendum est peritis ad dignoscendum, an ad alium finem inservire possint.

Multoties evenit (sunt verba dictæ Instructionis) quod familiares prætensi maleficiati credentes Maleficium, perquirunt intùs anaclinterium, cervical, & pulvillos lecti ipsius infirmi; & cum inveniant involucra, quæ videntur ad Maleficium aptata, illa deferunt ad Judicem, qui super hoc maximum facit fundamentum ad effectum probandi Maleficium, & in hoc debet esse multùm vigilans, & circumspectus Judex: facilè enim evenire potest, ut illa à familiaribus infirmi supposita fuerint, ut sic faciliùs Judex inducatur ad credendum Maleficium, & ad procedendum

contrà aliquam personam.

4 Præterea Iudex benè advertere debet qualitatem repertorum in hujusmodi lectis: Cum enim anaclinteria, & alia præfata conficiantur ex plumâ, aut lanâ, & quotidiè intermisceantur & involuantur, dum lectus prosternitur, facilè evenire potest, ut spatio alicujus temporis fiant quædam involucra, quæ videantur præseferre suspicionem maleficii, & tamen naturaliter contingere possunt: ultrà quod in actu hujusmodi confectionis anaclinteriorum, & aliorum prædictorum ex incuriâ Magistri illa fabricantis, aliqua intermisceri potuerunt, ex quibus hujusmodi involucra ex se confecta fuerint.

Et ideò si perquirerentur singulorum lecti, præcipuè ex plumâ confecti, de facili in aliquibus similia involucra reperirentur.

Nec etiam est mirum, quod in hujusmodi lectis, quandoquè reperiantur acus; nam ubi sunt mulieres, acus ubiquè abbundant, & facilè est, quod per accidens spatio alicujus temporis multæ acus in prædictis Mobilibus introcludantur.

5 Nequè forsan ab re est considerare, Dæmonem aliquando talia supponere potuisse per se absquè participatione, & assensu alicujus, ut indè credatur Maleficium commissum, & propter hoc aliqua persona indebitè damnum patiatur, quemadmodum videmus in actu Exorcismi nonnullorum obsessorum, qui videntur evomere acus, clavos, & diversa involucra, quorum aliqua impossibile est, obsessos in Corpore habere, pròut non habent, sed Dæmon in illo actu talia supponit ad os obsessi, ut credatur fortè obsessum esse Maleficiatum, & aliquis indebitè molestetur. Semper enim Dæmon intentus est ad nocendum generi humano: Christoph. Crusius *de indiciis delict. par. 2. cap. 32. num. 13.* Narrat Author fide dignus, quod cum semel cuidam Cauponario deesset crumena rubri coloris, nummis plena, consuluit Necromantem, ut furem detegeret. Hic in secreto conclavi, confecto, de more, circulo, recepit à Dæmone hoc malignum responsum (audiente Cauponario apposite, inscio Necromante, sub cortinâ delitescente:) *Sus comedit domestica; tu autem dicito: Conjugem ejus, ut cum Sacerdote Amasio eam abligurieret, clàm sustulisse.*

6 Maximum tunc esse signum puto, quoties si dirumpatur, quod creditur ad maleficium spectare, sanetur æger. An autem hoc liceat, consule Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 96. & in summâ lib. 2. c. 41.* Pistachium *de Superstit. par. 1. cap. 25. num. 15.* Cajetanum *tom. 2. Opusc. tract. 12. cap. 44. dub. 6. num. 36.* Sotum *4. dist. 34. qu. unic. art. 3.* & Merbes. *in Sum. Christian. par. 1. 2. qu. 32.* affirmativè sentientes.

Sed advertendum, quod non omne Maleficium ità componitur, ut ipso soluto, sinè ullâ superstitione, sanetur infirmus: Tali enim casu, si tantummodò dirumpatur, quod reverà spectat ad Maleficium, non obtinetur Sanitas, & ideò Gastald. *de Angel. to. 2. dist. 7. art. 3.*
7 *quæst. 3. num. 7.* ait, Nicolaum V. Papam cum quodam Episcopo Maleficiato, cui, ut sanaretur, necesse erat uti maleficio, dispensasse, ut illo uteretur.

At hæc historia Apochrypha est, quidquid deblateret Crusius *de Indiciis delict. eod. cap. 32. num. 72.* cum non liceat Pontifici hujusmodi dispensationem concedere, ob quemcumquè bonum finem, ut docet Sanchez *lib. 7. de imped. Matrim. disp. 95. num. 1.* Ratio est, quia auxilium petere à Dæmone, est intrinsecè malum: D. Tho. *4. dist. 34. qu. unic. art. 3. ad 3.*

8 Hinc non possumus petere, ut solvatur Maleficium, nec etiam per Judicem, nisi quando licitè solvi possit, sicut firmat Alberghin. *in Man. c. 18. sect. 3. §. 7. n. 5.* Malè igitur Remigius *lib. 3. dæmonol. cap. 3.* putat, licere vi, & verberibus extorquere à malefico maleficij solutionem; quia sic cogens, assensum præstat malitiæ malefici, vt docet Torreblanca *Iuris spirit. lib. 12. cap. 25. n. 34.* Malè etiam putat Petrus Aureolus *in sent. 2. dist. 34. qu. 2.* licitum esse, petere à Malefico parato, ut maleficium maleficio tollat, quam opinionem tuetur Nider *in Formicar. cap. 3.* exemplo Meretricis paratæ ad peccandum: Peccat enim, & qui orat paratum, & qui cogit invitum, ut peccet: latè

Torre-

Torreblanc. *loco cit.* Sanchez *in Summa lib. 2. cap. 41. & de Matrim. lib. 7. disput.* 95. Diana *tom. 8. tract. 2. resol. 6. & 7.* Pistachius *de Superstit. p. 1. cap.* 25. Anton. Escobar. *vol. 4. Theol. moralis, sect. 2. cap. 30. lib. 28. Probl. 127. usq. ad Probl.* 131. Sesse *decis.* 448. *num.* 19. *in fine, vol.* 4. Salelles *de Offic. Inquisit. tom. 1. c. 14. reg.* 124. *num.* 314. & quoties dubitetur, an licitè solvi possit, præmittenda est ex lege charitatis admonitio, nè illicitè solvatur; hocquè pacto licitè peti potest, quoties promittat modo licito se uti velle; nam tunc cedit præsumptio, quæ semper est contrà Maleficum.

9 Morborum verò qualitates suspicionem Maleficii inducunt, quandò ipsis morbis causæ naturales contrariæ non proficiunt; vel quandò eorum progressus dissimiles sunt à cæteris morbis naturalibus, pròut docet Torreblanc. *de Magiâ, lib. 2. cap. 40. num. 19. &* 20. & suadent ea, quæ dicit Pistachius *de Superstit. par. 1. cap. 25. nu.* 14.

10 Sed quæ magis propriè videntur signa Maleficorum (nam cætera sunt tantùm indirectè, & quatenus maleficia indicant) sunt ablationes membrorum à cadaveribus in patibulo suspensis: Torreblanc. *de magiâ, lib. 2. cap. 36.* Carena *par. 2. tit. 12. num.* 196. & Bordon. *ibidem*; invocationes, seù pacta expressa cum Dæmone; & eò magis cum eodem collocutiones, circumstantibus audientibus, & non videntibus: Crusius *ubi suprà, num.* 7. Bordon. *loc. cit.* ubi addit quoquè, inter hujusmodi signa esse connumerandam crebram Dæmonis invocationem in alterius damnum.

Inducunt pariter suspicionem, aliquem esse Maleficum, minæ, quibus ipse alicui comminatur malum, si deindè illud sequatur: Crusius *dict. cap. 32. nu.* 2. seù recollectio venenorum, eorumquè porrectio animalibus, quæ posteà intereant ex illâ potione; Bonac. *disp. 3. de legibus, qu. 5. punct. final.*

Sunt pariter signa, ex quibus aliquis censeri possit maleficus, si quis se offerat paratum ad docendum alios hujusmodi artem; si quis solo tactu interficiat suum inimicum; vel ei aliquem gravem morbum infligat: Repentinus enim hic effectus causam præternaturalem innuit, quia naturalia paulatim agunt: si quis truculento sit aspectu, & insuper natus ex parentibus, quorum ambo, vel alter fuisset Maleficus: Ità ex Fabro Carena, Eymerico, Del Rio, ait Bordon. *loco cit.*

11 Similiter Maleficorum indicia videntur esse ipsa stygmata: Crusius *loco cit. num.* 40. quibus Dæmon suos signat, teste Moura *sect. 2. cap. 6. num.* 4. quod etiam firmat Candidus Brognolus *in Alexicon. tom. 1. par. 2. cap. 1. disp. 3. sect. 3. n.* 524. §. 2.

Cum autem in animam nequeat imprimere characteres, conatur aliquo modo imitari Iesum Christum, qui D. Franciscum stygmatizavit, necnon etiam D. Catharinam Senensem, de quâ tamen olim ambigebatur propter bullam Sixti IV. diversimodè intellectam, quousquè permissum fuit à Pio V. ut ipsius Imago cum stygmatibus pingeretur, quod videre est apud Mouram *ubi suprà, per plures numeros*; hinc est, quod Dæmon in solemni professione pacti, quando maleficos rebaptizat, ac confirmat, pro charactere ipsis stygmata inurit, vel in fæmore sinistro, ut de Magetâ sagâ, scribit Remigius apud Torreblanc. *de Magiâ, lib. 2. cap. 7. à nu.* 10. seù in humero sinistro, ut de Rayarone fæminâ, tradit Carondas *lib. de Antichrist. n.* 1. vel in aliis locis, ut apud Candidum Brognolum *loco cit. nu.* 525. §. 3. Ait enim Joannes Georg. Cœdelmanus *de Magis, &c. lib. 3. cap. 3. num.* 26. nonnullos Magos loco adeò abscondito stygmatizatos esse, ut difficillimè cognosci possit; additquè, quosdam à Diabolo sub palpebrarum alterâ (& tunc ipsi erectâ, & apertâ fronte non aspiciunt inquisitorem: Crusius, de quo suprà, *cap. 32. num.* 41.) quosdam in uno ex labiis; quosdam in podice obsignatos: Quinimò ex Doenæo subjungit, non omnes signari, sed tantùm illos, quos Dæmon metuit pactum suum deserturos: Ut autem dignoscantur hæc stygmata, duo non ignorari oportet.

12 Alterum, quod hæc stygmata sensu carent, itàut si acus figatur ad ossa usq; ubi adest signum, nec sanguis effluit, nec dolet Maleficus, quemadmodum docet Berlichius *Concl. pract. lib. 4. concl. 4. num.* 154. Crusius *eod. cap. 32. nu.* 40.

Alterum, quod horum stygmatum variæ sunt figuræ; nam aliquæ sunt instar vestigij leporis; aliquæ ad similitudinem manus Bufonis, Lacerti, aut Catelli nigri, pròut videre est penes dictum Torreblanc. *de Magiâ, ibidem, & Iuris spirit. lib.11. cap.13. num.27.*& antè eum, Candidum Brognolum *loco cit. num.*526. §.4. Crusium, *ubi suprà.*

13 Advertit tamen Cœdelmanus *loc.cit. num.*28. hujusmodi stygmata non inducere fortissimam suspicionem, sufficientem cum aliis ad condemnationem, sicut etiam tenuit Bodinus; nec inducere judicium ad torturam, credidit Berlich. *loco cit. num.* 153. Imò putat, nullam oriri ex illis suspicionem, cum ex accidenti id fieri possit.

Ego verò Cœldemani, & Berlichii sententiæ aquiescerem, quoties non adessent alia indicia; sed si adsint, nec levia sint, tunc non leve ex talibus signis desumi argumentum, quod sint Malefici, existimo.

14 Prætèr supradicta Maleficorum indicia, assignari possunt alia, ut quoties qui suspicantur Malefici, utantur rebus, vel orationibus superstitiosis ad nocendum; & quandò res non naturaliter operentur, vel orationes sint superstitiosæ, elucescit ex his, quæ in suâ Sede diximus.

15 Pro coronide addendum est, non probari Maleficum eum esse, qui nominatur à Dæmone in obsessis, quandò ab exorcistis, pròut sæpe fieri solet, interrogatur, quomodò ingressus sit Corpus, & quis sit Maleficus, qualevè Maleficium: Non meretur enim fidem pater mendacii: Crusius *de Indiciis delict. cap.*32. *num.*10. licet, ut magis certum reddat exorcistam, quandoquè indiciet aliquem, qui à nonnullis Maleficus reputatur, & contrà quem stat mala fama; vel nominet aliquem obsesso infensum, licet fortassè nemo maleficium confecerit: Cui enim dubium est, ut habetur *in superiùs laudatâ Instructione*, quod sinè Maleficio, ex permissione Dei, possit Dæmon vexare corpus alicujus?

SECTIO VII.

De iis, qui superfluum, vel falsum cultum Deo exhibent.

SUMMARIUM.

1 *Superstitiosi sunt, qui superfluum cultum, vel falsum Deo exhibent.*

2 *Simplex cultus superfluus non inducit hæresis suspicionem.*

3 *Abstinentes ab opere servili in die Sabbathi in Virginis Mariæ honorem, non sunt de hæresi suspecti, quamvis hujusmodi videatur reliquia Ethnicæ superstitionis.*

4 *Beatissimæ Virgini tribuitur cultus Mediatricis, absquè ullo præjudicio tituli* Mediatoris, *quod soli Deo competit.*

5 *Iejunantes die Paschatis, & die Dominicâ cur, & quandò de hæresi suspecti?*

6 *Superstitio ob cultum cum falsitate in ordine ad rem significatam, quando dicatur esse suspecta de hæresi?*

7 *In superstitiosis ob falsum cultum fallitur intellectus; ac ab eis imitantur facta Hæbreorum, vel Hæreticorum, quæ manifestam hæresim sapiunt.*

8 *Vtentibus superstitionibus ob superfluum, vel falsum cultum, Dæmon plerumque se immiscet, & quare?*

1 PRAETER superstitiosos, de quibus hactenùs disseruimus, dantur etiam alii, qui tales censeri debent: Hi sunt, qui cultum superfluum, vel falsum Deo vero præstant, juxtà distinctionem superiùs allatam.

Quotiès enim in modo exhibendi Deo cultum excedantur debiti limites, superstitionem incurri, agnoscit Cicero, malè in hoc repræhensus à Lactantio *lib.*4. *instit. cap.*28. & docuit Suarez *de Relig. lib.*2. *cap.*1. *&* 2. & ut videri est apud. Mart. de Arlez. *de Superstit. num.*3. Joann. Malder. *de Virtut. Theolog. tract.*10. *cap.*7. Torreblanc. *Iuris spirit. lib.*9. *cap.*1. *num.*7. & Pistachium *de superstit. par.*1. *cap.*2. *num.*1.

Idem dicendum, quandò vero Deo falsus exhibetur cultus, ut si ipsi Vitulus sacrificetur; vel in ejus honorem filii

filii circumcidantur, seù Sabbatha sanctificentur, quemadmodum ait Magnus Mediolanensis Antistes *in psal.* 180.

Siquidem vtriquè convenit superstitionis definitio, quam nobis tradit Agell. *noct. Attic: lib.* 10. quod scilicet sit importuna, vel inanis Religio.

2 Non tamen utraquè harum superstitionum inducit suspicionem hæresis: Quippè simplex cultus superfluus, qui scilicèt, nec inserviat ad Dei gloriam, nec ad spiritus devotionem excitandam, nec ad illecebras carnis domandas, si semotus sit à quocumquè sacramentorum abusu, vel à Dæmonis adoratione, seù pacto, vel ab omni facto hæreticali, nullam inducit hæresis suspicionem; quarè Gerson. 2. *par. tract. de absolut. Sacram. Alphabeto* 33. *lit. L.* P. del Bene *de Offic. S. Inquisit. p.* 2. *dub.* 228. *sect.* 11. *n.* 10. aiunt, quasdam orationes factas in certo numero, pondere, & mensurâ liberari etiam à superstitione mortiferâ, licet non desint esse in se superstitiosæ: latè Pistachius *de superstit. par.* 1. *cap.* 2. *n.* 6.

3 Non erunt ergò de hæresi suspecti, qui abstinent die Sabbathi in honorem Beatæ Virginis ab aliquo opere servili, ut suendi, vel nendi, de quibus P. del Bene *de Offic. Inquis. part.* 2. *dub.* 219. *sect.* 1. *num.* 14.

Quamvis hujusmodi videatur reliquia Ethnicæ superstionis, quam memorat Tassonius in *libello*, cui titulus, *Pensieri diversi, lib.* 8. *cap.* 2. ubi testatur, Mense Majo Junonis Sacerdotissam, nec manus sibi abluere consuevisse.

Non adest enim in hoc cultu aliquod pactum cum Dæmone, nec intersunt facta hæreticalia; & licèt intellectus ejus, qui talem cultum exhibet, decipiatur; hic tamen error non est tanti, ut inducat hæresis suspicionem; imò nec sufficiens est, ut incurratur lethalis culpa, propter operis levitatem, & proter operantis simplicitatem; eò magis, quia hic cultus non opponitur nec ritibus Ecclesiæ, nec peculiari dispositioni S. Sedis. Quin si nos abstineremus die Sabbathi ab omnibus operibus servilibus in honorem Beatissimæ Deiparę, maximâ quidem laude digni reputaremur, quia inter modos excellentiores honorandi Deum, connumeratur honor, qui exhibetur Sanctissimæ Virgini, quam ipse elegit in Matrem sui unigeniti Filii, & cui ipsemet Filius subditus esse voluit; undè benè, & sapienter

4 Sanctus Bernardus eidem Beatissimæ Virgini titulum Mediatricis tribuit, absquè ullo præjudicio tituli Mediatoris, quod tantùm Divino ejus Filio competit, ut videre est *in Sermone in signum magnum, ubi ait, Age gratias ei, qui talem sibi Mediatricem benignissimâ miseratione providit, in quâ nihil possit esse suspectum.*

5 Quid autem dicendum sit de illis, qui die Paschatis jejunium servant, an sint de hæresi suspecti credendi? & utiquè, cum certum sit, quod Manichæorum Hæresis asserebat, in die Dominico jejunium necessarium fuisse in contemptum Resurrectionis Christi, & ideò Ecclesia ad talem errorem dirimendum, jejunium tali tempore prohibuit, ut docent Baron. *annal. Eccles. ann.* 57. *circà finem*, D. Hieronym. *in Epist.* 28. *ad Lucinium*: cum autem quis, ut ait Origines *homil.* 10. *in levit.* non observantiâ superstitiosâ, sed virtute continentię jejunat, certè libertas Christiana est per omne tempus jejunandi, & hoc idē declarans D. Hieronymus *loco citato*, ait, utinam omni tempore jejunare possimus, quod in actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse, legimus; nec tamen Manichæi Hæreseos accusandi sunt, & observant Escobar. *Theolog. moral. lib.* 28. *cap.* 30. *probl.* 96. *per tot. sect.* 2. *tom.* 4. Del Bene *de offic. Inquis. part.* 2. *dub.* 219. *uum.* 3. Moron. *resp.* 95. *num.* 78.

6 Superstitio verò ob cultum falsum, cujus falsitas sivè sit cum ordine ad rem significatam, à quâ discordet cultus significatio, putà si quis colat Deum per Agni Paschalis cæremoniam, per quam ex divinâ institutione significabatur passio Christi futura; sivè hæc falsitas sit ex parte colentis, ut si quis cum Sacerdos non sit, sacrificium offerat, inducit suspicionem hæresis: Moron. *resp.* 95. *num.* 74. ideoquè contrà tales superstitiosos procedunt tantummodo Inquisitores, quemadmodum docet P. Del Bene *de Offic. S. Inquisit. par.* 2. *dub.* 219. *sect.* 2. *num.* 8.

Falli-

7 Fallitur enim intellectus in re gravi, ac ab his superstitiosis exercentur Hæbreorum, vel Hæreticorum facta; & proindè sunt denunciandi, eò quod dicantur ritibus ab Ecclesiâ Catholicâ alienis adhærere: Lupus *in Edict. par.* 2. *lib.* 14. *dist.* 5. *art.* 5. *diff.* 1. Imò huiusmodi rituum imitatio manifestè sapit hæresim, cum includat facta hæreticalia.

8 Adde, quod plerumquè, pròut etiam evenit in superstitionibus ob cultum seperfluum, quoties ipsis utamur, tamquàm ensalmis, Dæmon se miscet, ut hujusmodi superstitiosi, non solùm per apostasiam à Fide, verùm etiam per rerũ Sacrarum abusum Sacrilegii vitium incurrant, sicquè, ut ipse Creator plus offendatur, & ut majori opportunitate plures decepti, corruant in hujusmodi superstitionem, videntes, sacris rebus hæc pacta commendari: Ità Angelicus Doctor *part.* 2. *qu.* 1. *art.* 4. quod nos quoquè suprà tetigimus; & probatur exemplo eorum, qui ad impetrandam à Deo ultionem alicujus inimici, canunt genibus flexis, per determinatos dies, *Psalm.* 108. Colitur enim Deus hoc modo per ea, quibus ipse offenditur, tùm ob superstitionem deprecantis, tùm ob finem, qui charitati adversatur ergà proximum: disertè Pistach. *de superstit. part.* 1. *cap.* 2. *à n.* 9.

9 Et quamvis omnes, quecumque sint, superstitiones vitari debeant, nihilominus hic nonnullas delibare, quæ sunt expresè damnatæ, incongruum non erit.

SUBSECTIO UNIC.

De superstitionibus ob superfluum, vel falsum cultum expresè damnatis.

SUMMARIUM.

1 *Superstitiones ob falsum, vel indebitum cultum tripliciter considerantur.*

2 *Damnantur omnes, qui in Missarum celebratione aliquid addunt, præter ritum in Missali præscriptum, & qui Missarum, & Candelarum numerum considerant.*

3 *Triginta Missæ S. Gregorii malè à Moura, & aliis reprobantur, & quo sensu admitti possint?*

4 *Reprobandæ sunt Missæ S. Amatoris, & S. Augustini.*

5 *Declara.*

6 *De revelatione factâ S. Vincentio Ferrerio circà confessionem factâ à Sorore suâ Diabolo, existimato Sacerdoti, an sit vera, & quid de dicta confessione dicendum sit?*

7 *Damnanda est gestatio reliquiarum, vel Evangelii S. Ioannis, vel alicujus versiculi Psalmistæ, adjunctis vanis observationibus.*

8 *An sint damnandæ aureæ Tabellæ, quæ in votum appenduntur, Imagines, Vexilla, &c? negativè,* & n. 10.

9 *Aureæ tabellæ votivæ, &c. videntur sapere Gentilitatis reliquias.*

11 *Sectanus declaratus.*

12 *Superstitiones, quarum cultus discordat à Deo, damnatæ sunt, & quâ ratione?*

13 *Concilium Eliberinum quarè decreverit, cereos per diem in Cæmeterio non esse accendendos?*

14 *Ablegatâ superstitione gentilitatis, in exequiis Catholici usi sunt cereis: Exempla.*

15 *Superstitiones, quarum cultus discordat à Deo, damnantur, etiamsi non involvant ritus Iudæorum, nec Hæreticorum.*

16 *Inter divina officia, turpia non sunt cantanda.*

17 *Antiquitùs inter Missarum solemnia exhibebatur pax per mutua oscula: Declara.*

18 *Cultus Deo exhibitus, etiam recto corde, dedecet in jis, quæ habent annexam irreverentiam.*

19 *Choreæ, quæ fiebant in Ecclesiâ Hispalensi in festivitate Corporis Christi, fuerunt proscriptæ.*

20 *Sacra Rituũ Congregatio permisit, ut in Civitate Alatrina celebretur Commemoratio S. Sixti cum Missâ, processionibus, & Saltationibus.*

21 *Idem decretum edidit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium ad permittendas nundinas, saltationes, obluctationes, &c. in die, quâ solemniter celebratur festum alicujus Sancti.*

22 *Saltationes seù Choreæ ex sui genere, & naturâ non sunt malæ, nisi ratione alicujus extrinseca circumstantia.*

23 *Choreæ non dicuntur opera servilia cum*

sed ad liberalem artem spectant, cum sint operationes corporis ad animi exultationem.

24 *Prohibitio ducendi Choreas diebus festivis damnatur ab aliquibus tantū rigorosis, praecipuè in locis, ubi rustici, & vulgares homines abundant: ratio.*

25 *Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis testamento statuit, ut in suo Episcopatu diebus singulis Dominicis fierent Choreæ.*

26 *Choreæ, quæ ducuntur in locis publicis in honorem Sancti, cujus festum celebratur, laudantur tanquam meritoriæ.*

27 *In Sacra Scriptura laudantur Choreæ, & quanam?*

28 *Antiquissimus est mos ducendi Choreas in honorem SS. ad eorum festivitates celebrandas.*

29 *Mos ducendi Choreas in festivitatibus laudatur, & comprobatur; & hujus ratio.*

30 *Quas Choreas prohibuit Concilium Toletanum tertium.*

31 *Improbantur Saltationes, si fiant in vigiliis Festorum, ac in Ecclesiis.*

32 *Mala, quæ in Choreis ordinariè interveniunt occasionativè: Sed non ob id improbandæ Choreæ.*

33 *Saltationes in viis, & locis publicis, honestæ sunt, & pudicæ. Nec inconvenientibus obnoxiæ, imò quandoque ad pietatem promovere videntur.*

34 *Davidis saltatio ante Arcam.*

35 *Choreæ, saltationes, & similia æstimanda sunt secundum ritus Nationum.*

36 *Commensationes, & convivia, quibus Christifideles in celebrandis festivitatibus se exhilarant, olim approbata fuerunt, & hodiè permittuntur quibusdam conditionibus.*

37 *An stante consuetudine propter lætitiam Festi, Choreæ peragi valeant etiam temporibus vetitis?*

38 *Imagines non possunt sculpi, vel pingi alio habitu, quàm in Ecclesia sculpi, vel pingi consueverant: Nec alio habitu, quàm Religionis, in quâ professi sunt.*

39 *Nequit exponi Imago in Ecclesia, antequàm ab Episcopo examinetur.*

40 *Damnantur qui vestibus prophanis sacras Imagines ornant, & sunt denuntiandi.*

41 *Concilium Eliberinum prohibuit pingi sacras Imagines, ne Gentilibus ludibrio essent.*

42 *Hujusmodi prophanatio non timebatur in insignibus in Ecclesia appensis, & cur?*

43 *Vetatur in Iure Civili pingi, vel sculpi, Imaginem Salvatoris in silice humi &c.*

44 *Quid dicendum de iis, qui Moysis faciem cornutam pingunt?*

45 *Non sunt de superstitione suspecti qui sacras Imagines cum laureolis pingunt, non obstante quod laurea corona esset in usu apud Gentiles.*

46 *Milites Christiani ad tollendam omnem superstitionem laureas coronas gestabant nomine Christi insignitas. Ubi de milite quodam Christiano, qui impudenter recusavit gestare lauream tempore Severi Imperatoris, quem cū defendisset Tertullianus in indignationē Cleri Romani incidit.*

47 *Cultus publicus Sanctorum veteris Testamenti approbatus, cum Ecclesia, ipsos invocet in Lytaniis; Et sequenti numero alia traduntur de hujusmodi cultu.*

48 *Damnata superstitio ex parte colentis est publicare falsas, & apocriphas Indulgentias, quod delictum ab Inquisitoribus punitur.*

49 *De Indulgentiis revocatis per Pium V.*

50 *Sacrilega superstitio ostendendi falsas pro veris reliquiis: Hæc grassabatur in Africa tempore S. Augustini, Donatistis promoventibus.*

51 *Superstitio imponendi peculiaria nomina Angelis: Sicque reprobantur nomina Angelorum moventium Cælos, quia sunt nomina Cabalistarum.*

52 *Sunt suspecti de hæresi publicantes alia nomina Angelorum præter tria in Scriptura Sacra.*

53 *Reprobatur Cornelius à Lapide testans B. Amadeo revelata fuisse nomina septem Angelorum.*

54 *An admittendus Angelus Uriel?*

55 *Ad superstionem falsi cultus reducitur publicatio Miraculorum, & revelationum: Ubi de duobus nuperis æruscatoribus.*

56 *Revelationes an sint signa Sanctitatis?*
57 *Gesta, miracula, & revelationes servorum Dei quomodò possint describi, ne pereant?*
58 *Hujusmodi gesta, &c. descripta nullam facerent fidem in ordine ad beatificationem, nisi adesset examen, & approbatio Ordinarii.*
59 *Nunquã licet Imagines quorumcumq; hominum pingere cum laureolis, aut alio signo Sanctitatis.*
60 *Quid dicendum de Tabellis, & votis ad illorum Sepulchra? Quidve de lapidibus, & cereis?*
61 *Nõ licet dare attributa Sanctitatis eis, qui ab Ecclesia non sunt approbati.*

1 SUPERSTITIONES ob superfluum, vel falsum cultum damnatæ, ut aliquo ordine exponantur à nobis, sub triplici respectu veniunt considerandæ, scilicet quatenus superfluum contineant cultum; quatenus earum cultus discordet à Deo, ad quem ordinantur; & quatenus sint falsæ ex parte colentis.

2 Quò ad superstitiones superfluum cultum continentes, ex diplomate Pij V. damnantur omnes, qui in Missarum celebratione aliquid addunt, præter ritum in Missali præscriptum: Prohibetur etiam, uti superstitiosus, certus numerus missarum, & candelarum in illius celebratione in Concilio Tridentino *de celebrat. missæ, sess.* 22. ideòque

3 triginta Missæ, quas dicunt D. Gregorii, reprobantur à Moura *de incant. sect.* 2. *cap.* 8. *à num.* 29. à Torreblanc. *de magiâ, lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 14 à Sanchez *in præcept. decalog. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 40. & 41. à Tancred. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *dub.* 8. *n.* 17. *vers. addit etiam*, à P. del Bene *de offic. S. Inqu. part.* 2. *dub.* 228. *sect.* 13. *in fine*, ab Anton. Escobar. *vol.* 4. *theol. moral. sect.* 2. *lib.* 28. *cap.* 30. *probl.* 121. ab Hurtad. *tract. var. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 1180. à Pac. Jordan. *lucub.*

4 *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 481. Reprobantur etiam ab eodẽ Moura *ubi supra* Missæ S. Amatoris, ac severiùs missæ S. Augustini: At triginta Missæ S. Gregorii, quod non sint reprobandæ, docet Pax. Jordan. *lucub. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 483. Declara-

5 tur tamen, intelligi de triginta missis illis, quæ in honorem Sancti Gregorii celebrari consueverunt, semotâ circumstantiâ, nè certò illi numero ità innitatur, quasi eo aut diminuto, aut aucto, ejus valor amittatur, ut benè notat Gavant. *in thesaur. Sac. Rituũ, par.* 1. *tit.* 5. *in fine* ex resolutione Cõgregationis Sacrorum Rituum, quem refert, & sequitur Pax. Jordan. *ubi suprà*, Homobon. *de exã. Eccles. par.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *quæst.* 127. Barbos. *de offic. & potest Parochi, part.* 1. *cap.* 11. *nu.* 30. Hujusmodi enim cessante circumstantiâ non habet locum prohibitio Sacri Concilii Tridentini *in sess.* 22. de evitando in celebratione missæ certum numerum Missarum, & candelarum uti superstitiosum.

6 In hoc quoquè videtur non assentiendum eidem Mouræ, ubi *sub numer.* 101. veretur de veritate revelationis D. Vincentii Ferrerii, quâ apparuit ejus soror, asserens se liberatam ob missarum quadraginta septem celebrationem à pœnis purgatorii, quas luebat, quia de peccato carnali confessa erat Diabolo, putans eum esse Confessarium: si enim, ait Moura, habuit solam attritionem, absolutio Diabolica non potuit ei conferre gratiam, nec eam reddere de attritâ contritam, cum non fuerit verum Sacramentum; si verò contritionem, ea sufficiebat.

Non videtur, inquam, assentiendum, quia in his casibus Christus Dominus tamquam Summus Sacerdos, & præcipuus, ac primarius Minister, qui nusquam deest in necessariis, defectum illius Sacramenti supplet eo modo, qui infinitæ ejus in nos charitati magis congruit: Ità ex D. Tho. *art.* 8. *in resp. ad* 2. & Gammachæo *ad q.* 64. *cap.* 5. qui loquitur juxtà Alexandri Alensis, Durandi, & Gabrielis sententiam. Nihilominùs rectè opinatur Moura, ut videre est infrà *in cap.* 3. *sect.* 5.

7 Damnatur quoque, teste eodem Torreblanc. *de Magiâ loco cit. nu.* 18. gestatio Reliquiarum, vel Evangelii S. Joannis, vel alicujus versiculi psalmorum, adjunctis quibusdam vanis observantiis, sicut & damnantur orationes quæcumque aliæ, in quibus additum sit aliquid vanum (de quibus satis suprà) ad sanitatem obtinendam, vel assequendam.

8 Videntur etiam ad hujusmodi superstitionem referendæ illę aureæ, vel argenteæ Tabellæ, quæ in votum appendun-

duntur; Imagines, vel vexilla; arma, vestes, catenæ, atquè compedes, quæ in Templis suspenduntur, de quibus dissertè scripsit Thomasin. *de Donar. seu Tabell. votivâ, in toto tract.* & præcipuè *cap.7.* & has fuisse in usu apud Gentiles, qui illas prò re aliquâ assequendâ vovebant, & rem ipsam, cujus compotes facti erant, repræsentantes in templis suspendere solebant, asserit Cardin. Baron. *annal. tom.1. ad annum 57. pag. mihi* 481. De hac re etiam Torreblanca *Iuris spirit. lib.9. cap.2.*

9 Videntur, inquam, superstitiosæ: Deus quippè, ut scribit Seneca *ep. 16.* non movetur nec auro, argentoquè suspenso; nec stipe in gazophilacium injectâ: sed piâ, & rectâ voluntate, quod eleganter innuit Sectanus *sat.16.*

Mentibus humanis, vestroquè Altaria corde
Instaurare juvat, fulvo potiora metallo.

Eò magis, quia hic cultus gentilitatem superstitiosam redolet, cum habeamus, omissis aliis, apud Tibullum,

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi,
Picta docent Templis multa Tabella tuis.

10 Sed quidquid dicat Seneca, hic cultus inservit ad Dei gloriam, & ad ipsum, utì omnium Dominum, & Authorem, manifestandum, nam, ut observat Card. Baron. *annal. ann.58. tom. 1. pag.* 529. hujusmodi Tabulæ fiunt ab illis, qui à Sanctis beneficia cum fuerint assequuti, vota reddentes, mediantibus eorum imaginibus, ea patefaciunt, & proindè nequit dici superstitiosus; quarè rectè Arioli consuluerunt Philisteis *Reg. 1. cap. 6. Facietisquè similitudines Anorum vestrorum, & similitudines murium, qui moliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam*; & rectè illa de Holoferne triumphatrix conopæum, quod ipsa substulerat de cubili ipsius, obtulit in votum, seù anathema, ut legitur in *Iudith. cap. fin.*

11 Nec laudatus Satyricus hunc cultum damnare voluit; sed tantùm eorum avaritiam, qui dum viverent, vesanâ auri cupidine occupabantur, & posteà in extremis tantummodò tabulis animæ suæ consulebant: Exclamat proindè Sectanus, poeticâ tamen exageratione:

—— Miseri quantum falluntur avari,
Marmore quæ Pario fabricatis Templa; cruorem,
Et lacrymas redolent, venis quem pauper apertis,
Expressitquè olim madido Provincia vultu:
Hinc est, quod sacræ feriuntur fulmine Turres;
Et sua flammigero sordent delubra Tonanti.

12 Quòad superstitiones verò, quatenùs eorum cultus discordet à Deo, ad quem ordinantur, damnatæ sunt ab omnibus: Ob id ritus tàm Ethnicorum, quàm Iudæorum, & Hæreticorum, si à Catholicis serventur, suspicionem hæresis semper inducunt, pròut aliàs diximus: Qui enim servant hujusmodi ritus, præsumuntur infecti iisdem erroribus, quibus involvuntur, qui dictos ritus præscribunt: Hinc est, quod cum Ethnici priscis temporibus crederent, mortuorum animas tùm cibis, tùm lucernis indigere, quibus famem, & tenebras depellerent, ut videre est apud Plutarchum *in vitâ Romuli*, apud Homer. *in lib.11. Odysseæ*, apud Virgilium *Æneid.6.* apud Tertullianum *de resurr. car. cap.1. & de testim. anim. cap.4.* & apud Epiphanium *in Ancorano*, *cap.* 87. id-
13 circò Concilium Eliberinum *can.* 34. decrevit, cereos per diem in Cæmeterio non accendi: Inquietandi enim (subjungitur *in eo canone*) Sanctorum
14 spiritus non sunt. Postquàm verò fatiscente Gentilitate, liberum caput extulit Christi Religio, tùm demùm fideles procul ablegato metu, vel suspicione approbandi, seu imitandi prophanos Gentilium ritus, cereis accensis Christianorum exequias prosequuti sunt: Pistach. *de Superstit. par.1. cap. 4. num.36.* Scribit namquè Hieronymus, ad funus Sanctæ Paulæ ingentem fuisse concursum Clericorum, & Monachorum, cereos ardentes deferentium: Gregorius etiam Nicænus *in vitâ Macrinæ Sororis*, commemorat Clericos, qui ei justa persolvebant, funus comitantes, cereos accensos præ manibus hubuisse, & probat Cabasutius *in notitia Concil. cap.7. vers. Canon. Eliberinus 34.*

15 Damnantur etiam hujusmodi superstitiones, licèt nec Judæorum, nec Hæreticorum ritibus involvantur: Pistach. *de superstit. par.1. cap.2. num.5.* Ideòque

Trid. Concil. *Sess.24. de servandis, & vitandis in celebr. Missæ*, prohibet,
16 nè inter Divina officia voce, vel organis turpia cantentur, nevè turpes soni proferantur, quos malè ad cultum superfluum reducit P. del Bene *loco cit. sect.3.*

Hic enim cultus discordat ab eo, cui tribuitur, qui purissimus est Agnus; ob id rectè vocatur à Cajetano *in summa, verbo organorum usus*, crimen superstitionis Sacrilegæ: (Videatur Pignatell. *tom.3. consult.41.*) Imò dedecent quæcumquè alia, in quibus, dum Deo, etiamsi recto fine, exhibetur cultus, sit peccandi periculum.

17 Quamobrem, licèt antiquitùs pacem dari consuevebat per mutua oscula, ut patet ex Justino Martyre *Apol.* 2. ex Dionysio *Eccles. Hierarch. c.4.* ex Cyrillo Hierosolimytano *Catheg. Mystag.* 5. ex Chrysost. *homil. 30. in 2. Cor.* 13. & ex Augustino *Serm.* 83. Attamen id non fiebat inter diversos sexus, cum certum sit, fæminas in Ecclesiâ fuisse muro intermedio à viris sejunctas: Si-
18 militer ea omnia dedecent, quæ aliquā irreverentiam redolent, & hac de causâ Laodicæni Patres Agapas intrà Ecclesiam fieri vetarunt, atquè Ambrosio hujusmodi convictus impensè displicuere, ut testatur Augustinus *lib. 3. Confess. cap. 2.*

19 His etiam temporibus ob eamdem rationem Sac. Congregatio Rituum 21. *Ianuarii*, 1690. decrevit, Episcopum Hispalensem non debere Choreas permittere, quæ in festivitate Sanctissimi Corporis Christi fiebant in Ecclesiâ Cathedrali à mulieribus, & viris personatis, pileis coopertis, antè Sanctissimum Sacramentum: Sunt enim hujusmodi choreæ à Dæmone excogitatę; inflammant ad libidinem; nec proindè ad Deum referri possunt, ut inquit Merbes. *in summâ Christianâ, p.2. 2. qu.* 86. Ut tamen gratiam ab eruditis ineam, hic subnectere duxi elegantissimā super hac materiâ dissertationem exaratam ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Marcello Severolo, cujus felix ingenium, profunda Juris utriusque cognitio, ac summa, & exquisita tàm sacræ, quàm prophanæ eruditionis notitia ævum nostrum illustrant.

Alatrina Celebrationis Festi S. Sixti.
Si, ut aliàs S. Augustinus *in Psalm.* 30. scripserat, *Vincere consuetudinem dura est pugna*, certè nedùm difficillima, sed prorsùs insubsistens dijudicanda est luctatio, quam suscepit Reverendissimus Episcopus Alatrinus cum suo obsequentissimo Populo, curando eidem impedire celebrationem Festi S. Sixti cum Saltationibus, & aliis lætitiæ signis, quibus semper fuit solitus idem Festum solemniter peragere, cum nedum id ex vetustissimo more apud ipsum sit receptum, sed etiam usquè ab anno 1607. à Sacr. Congr. Rituum speciali decreto à sanct. mem. Paulo V. confirmato, gratiosè, & benigniter in-
20 dultum his verbis -- *Sacra Rituum Congregatio censuit indulgendum, ut in Civitate Alatrinâ Commemoratio S. Sixti, juxtà antiquam consuetudinem, tanquàm de festo votivo, celebretur feriâ quartâ immediatè post Pascha cum Missâ, Processionibus, & cum solitis Festis, & saltationibus, dummodò una tantùm Missa solemnis de ipso Sancto celebretur cum commemoratione de feriâ quartâ Paschæ, & cæteræ Missæ, & Officia tàm in Cathedrali, quàm in omnibus aliis dictæ Civitatis Ecclesiis sint de feriâ quartâ, & Octavâ Paschæ, & dummodò Choreæ, & Saltationes sint honestæ, & non fiant antè Ecclesiam, & Sanctissimus Dominus Noster, auditâ Congregationis sententiâ, annuit, ac indultum, & gratiam prædictam confirmavit die* 17. *Februarii* 1607 cujus meminit Barbos. *in Summ. Apostolic. decision. in verbo Festa propria, sivè collect.356.num.28.* Et quod magis est, hujusmodi decretum fuit in similibus
21 casibus prò regulâ traditum à Sacrâ Congregatione Episcoporum, & Regularium, & signanter de anno 1614. [pariter ex approbatione ejusdem Summi Pontificis, rescribendo Episcopo Anagnino -- *Essendosi fatta distinta relatione alla Santità di Nostro Signore del parere di questi Illustrissimi miei Signori intorno à doi decreti Sinodali publicati da V.S. in materia della Fiera, Lotte, Corse de' Palii, & altre Feste, che si sogliono fare costì nel giorno di S. Magno Protettore di cotesta Città, la Santità Sua, comendando la pietà di V.S. hà ordinato, che se le scriva, che in materia delle Fie-*

re,

re, e Mercati, faccia in ogni maniera osservare la Bolla della Sa. mem. di Pio V. & il decreto di questa Sagra Congregatione: Quanto alle Lotte, Pallii, & altre feste, ordina la medesima Santità sua, che si osservi il decreto della Congregatione de Riti fatto ad instanza della Città di Alatri, mentre però queste cose non si faccino inanzi alla Chiesa, ne meno nell'hora de' Divini Officii. Potrà dunque V.S. così eseguire, e Nostro Signore, &c. Di Roma 9. Agosto 1614. -- ut refert Michael Iustinian. in suis Constitut. lib. 1. tit. 9. §. 12. fol. 97. cum quibus consonant etiam aliæ resolutiones ejusdem Sac. Congregationis relatæ per Nicol. in Floscul. verb. Festum, num. 17.

22 Eòque magis, cum prudentèr, & summo jure id videatur indultum: Nam quòad Saltationes, seù Choreas, est certum, quod istæ ex sui genere, & naturâ non sunt malæ, sed sunt actus adiaphori, seù indifferentes, nullamque per se labem continentes; nec proindè ullo jure damnatæ, indistinctèque prohibitæ, nisi ratione alicujus qualitatis extrinsecùs adherentis, malæ reddantur, ut quia fiant in Ecclesiis, & locis Sacris; aut à Personis, quibus id licere non videtur, utpotè à Clericis, & Monacis; vel tempore non permisso, nempè tempore Jejuniorum, vel dum celebrantur divina; aut modo inhonesto, & turpi; vel ad malum finem, itaut his sepositis, nedum sint licitæ, sed etiam in virtutis ratione positæ, ut cum S. Thom. in cap. 4. Isaiæ circà fin. versic. Deindè quæritur, de ludis Chorealibus, firmant Summistæ omnes, & signanter Silvester, Cajetan. Bartholom. Fum. in Summ. Armill. verb. Chorea, Alens in 4. lib. sententiar. distinct. 16. Navarr. in Manual. cap. 13. num. 15. Filliuc. quæst. moral. tract. 30. cap. 10. num. 222. & 224. Azor. Institut. moral. par. 3. lib. 3. cap. 26. Nevizan. in Sylu. Nuptial. par. 4. à nu. 73. vers. Sed prædictis non obstat, ad num. 76. Modisius in §. Plebiscitum, sub num. 1. & num. 5. versic. Conclude ergo, Instit. de jur. natural. gent. & civil. Ægid. de Iurib. & privileg. honestat. art. 1. nu. 2. Sanchez de Matrimon. lib. 9. disput. 46. num. 16. & Consil. sivè Opusc. moral. lib. 1. cap. 8. dub. 24. num. 22. Trullench. in expos. Decalog. lib. 6. cap. 1. dub. 12. num. 22. Tamburin. pariter in Decalog. lib. 7. cap. 8. §. 7. num. 1. & 3. Bonaccin. de matrim. quæst. 4. punct. 9. propos. 3. num. 24. Steph. Cost. in Tract. de Lud. artic. 1. §. 2. de Lud. licit. in versic. Redeo ad rem nostram, num. 26. Zanet. de foro conscien. num. 150. Constant. Roger. in tract. de Summ. bon. tit. Eutropeliæ extrema veriora, &c. num. 35. Chochier. de Legat. cap. 31. Kloc. de Ærar. lib. 2. cap. 10. num. 9. & ibi Adden. Ripa de Noctur. tempor. cap. 38. num. 2. & 12. Carpzou. Iurisprudent. Ecclesiast. sivè Consistorial. lib. 2. tit. 8. defin. 157. num. 6. & seqq. Lopez in Instruct. Conscient. par. 2. cap. 31. vers. 3. conclus. 3. Homobon. de Examin. Eccles. tom. 3. tract. 13. cap. 2. in resol. 5. quæst. fol. mihi 15. col. 2. in fin. & fol. 16. col. 1. in princ. & tract. 15. cap. 8. quæst. 28. in resolut. 5. quæst. fol. mihi 367. Daniel de Nobilib. disput. 30. num. 71. & disput. 36. per tot. Castropal. Oper. Moral. tract. 30. disp. 3. punct. 7. §. 2. num. 14. Gibalin. de Univers. rer. human. negociat. tom. 2. lib. 4. cap. 9. artic. 5. num. 33. Bened. Pereyra in Elucidar. Sacr. Theol. & Jur. utriusquè lib. 2. Elucidar. 24. sub n. 1514. vers. Choreæ, D. Raynald. observat. Criminal. lib. 3. cap. 24. §. 11. num. 5. & 6. & anteà Ricciul. de Person. quæ in stat. reprob. versant. lib. 7. cap. 1. num. 7. ubi in §. Cæterum in fin. ait, quod id in facti contingentiâ approbauit Sacra Congregatio die 8. Maii 1583. & alii innumeri, quos consultò omittimus, cum pro omnibus satis sit S. Francisc. Sales. in Introduct. ad Vit. devot. cap. 33.

23 Adeòut nec etiam dicantur opera servilia, cum non spectent ad aliquam artem mechanicam, nec in opus materiale transeant ad utilitatē proprii corporis, vel alieni, sed sint cooperationes Corporis ad exultationem, & gaudium animi, & sic tanquàm ad liberalem actionem pertinentes, neque etiam in diebus Festis sint prohibendæ, nisi aliundè trahant earum malitiam, ut præter Gajetan. Silvest. Filliuc. Modisium, Homobon. Daniel. de Nobilib. in loc. mox allegat., benè tradunt Suarez de Religion. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 4. & seqq. Reginald. in Prax. for. pænitent. lib. 19. sub num. 37. Conrad. respons. 165. par. 2. Bassæus in flor. Theolog. Moral. verb. impudicitia, num. 28. Dian. resol. moral. par. 4. tract. 4. resolut. 222. ver-

versic. Notandum est, Pasqualig. *decis. moral.* 151. Leander *qu. moral. part. 3. tract. 1. disp. 4. quæst.* 38. Et antea Menoch. *de Arbitr. Iudic. lib. 2. cas. 69. sub num.* 51. *vers. Quod verò*, adnotaverat, usum hunc
24 ducendi Choreas in diebus Festis probasse Archiepiscopos Mediolanenses, ac aliarum Ecclesiarum Antistites: Imò Homobon. *dict. Tract.* 15. *cap.* 8. *qu.* 28. *in resolut.* 5. *qu. in princ.* damnat, tamquàm rigorosum, Edictum cujusdam Episcopi, qui simpliciter, & absolutè Choreas in diebus Festis sub interdicti censuris prohibuerat, quæ etiam refert Daniel de Nobilib. *ubi suprà*, & signanter *dict. disput.* 36. *nu.* 11. *&* 17. & novissimè Reverendiss. D. Episcopus Verulanus *ad statut. Fauentin. ad lib. 7. rubr. 2. num.* 37. *et* 38.

Præsertim in locis, & pagis, vbi abundat Rusticorum, & Vulgarium hominum numerus, quia nisi illi Festis diebus occuparentur Choreis, vacarent otio malorum omnium origini, & malis machinationibus perturbativis Reipublicæ, & sic nonnisi imprudenter ab eis arcerentur, ut adnotant Gajetan. Summ. Armill. Filiucc. Azorrius, Moditius, Homobon. Daniel. de Nobilib. Pereyra, & plerique alii *in loc. sup. allegat.* ac ipsis addendus Jodoc. Lorichius *in Thesaur. utriusq; Theolog. tom. 1. verb. Chorea, num. 1. versic. Secundò permittuntur*, vbi plus addens, dicit in diebus Festis indistinctè locis omnibus esse permittendas post Divina officia, ne quid reliquâ parte diei agant, quod deterius sit, nescientes melioribus operibus vacare, aut non commodè valen-
25 tes. Undè ad id respiciendo Alphosum Tostatum, non minùs doctinâ, & eruditione, quàm pietate celeberrimum Episcopum Abulensem, testamento statuisse, vt tàm in Civitate illâ, quàm in Oppidis, & pagis ejusdem Diœcesis diebus singulis Dominicis fierent Choreæ, & tripudium publicum, ad quod omnes Juvenes utriusq; sexus confluerent, fundatis ad hunc effectum annuis redditibus, refert Caramuel., factum comprobans, atque commendans, *to. 1. Theolog. Regular. part. 8. sivè. Comment. in Regul. Fratr. & Soror. Tertii Ordinis S. Francisci in domib. propr. habitant. cap. 4. num. 2069. &* 2070. *fol.* 737.

26 Ut propterea multò minùs sint improbandę, & damnandæ Choreæ, seu Saltationes, quæ in casu nostro ducuntur in viis, & locis publicis, sacris peractis, quævè pręcisè fiunt in honorem Sancti Sixti, & ut votivâ deuotione illius festivitas majori cum lætitiâ, & animi alacritate celebretur, cum imò sint potiùs approbandæ, & laudandæ tanquàm Deo gratæ, & meritoriæ, ut punctualiter differit Paul. Maria Quart. *de Processiõn. sect. 3. punct. 3. circumstant. quæst. 6. fol. mihi* 71. & faciunt adnotata per Perez de Lara *de Anniversar. & Cappellan. lib. 1. cap. 24. nu. 9. & seqq.* Lagunez *de Fructib. part. 1. c. 34. §. unic. num. 39. &* 98. Gibalin. *de Univer. rer. human. negociacion. sup. allegat. tom. 2. lib. 4. c. 6. artic. 5. nu. 34. §. Dicendum, in fine, versic. Nam alioquin, & in Divinam Laudem*, Caramuel. *in loc. pariter mox alleg. sub d. num.* 2070.

27 Sic enim in Sacris paginis laudantur filiæ Sion, quæ in solemnitatem Domini Choros ducebant; Judith. *cap.* 22. Item laudantur ii, qui de captivitate Babiloniæ revertebantur cum Cantoribus, & Cantatricibus Choreas ducentes ad animum redeuntium exhilarandum: Esdr. *cap. 1. vers.* 65. Prout etiam laudantur Judæi, qui lætabundi laudes Deo, & grates cum Choreis Puellarum canentium, & saltantium tribuebant, ut post transitum Maris Rubri fecère omnes Mulieres, Mariam Sororem Moysis cum tympanis, & Choreis sequentes: Exod. *cap.* 15. Item Rex David, qui coram vniverso Popolo antè Arcam Dei cum cytharis, lyris, & similibus instrumentis saltavit: *Lib. 2. Reg. cap.* [illegible] Quinimò ipsemet Deus jussit *in Levitic.* 13. vt quotannis celebraretur festum Tabernaculorum Sacro tripudio, & saltaretur coram Domino, *& in Psalm.* 150. has laudationes in Choreis cum tympanis, cymbalis, cytharis, aliisque instrumentis coram Domino fieri præcipiuntur, frequenterquè in aliis locis Sacræ Scripturæ: Quod certè si non licitè, imò, & laudabiliter non fuisset factum, minimè in Sacris paginis fuisset permissum, & multò minus laudatum, ut scitè animadvertit Lagunez *in loc. sup. alleg. num.* 97.

28 Sic pariter in honorem Sanctorum, & ad

& ad eorum Festivitates celebrandas antiquissimus fuerat mos, sive ad eorum Sepulcra, sivè alibi, ad eorum Natalem cohonestandum, Choreas ducere, ut adnotant Joannes Ferrand. *disquis. Reliquiar. lib. 2. cap. 1. §. Verbulum de Choreis, fol. mihi* 410. Martin. Ayala *de tradition. tit. de venerat. Reliquiar. Sepulcr. & Basilic. Sanctor. fol.* 109. *à tergo*, Joannes Baptista Casalius *de Veter. Sacr. Christianorum ritib. in notabilib. post fin. oper. fol.* 426. *litt. B. siuè in addition. ad cap. 60. pag.* 241. *litt. A. in fin.*, & patet ex S. Ioanne Chrisostomo *homil.* 47. *in Sanctum Iulianum*, dum dicit: *Saltantium Virorum Chori die crastino* (scilicet à D. Juliani Martyris festiva luce) *suburbium occupabant*. Item ex S. Basil. *homil. in S. Barlaam* scribente: *Nos tripudiis divinitus inspirantes circa sepulcra Martyrum Choreas ducimus*. Item ex Gregor. Nyssen. *in Oration. de Vita Sancti Gregorii Thaumaturg.* quatenus refert, Sanctum illum Virum Christianis permisisse, *ut in memoriam Sanctorum Martyrum se exhilararent, & oblectarentur atq; in lætitiâ effunderentur*; Necnon ex pluribus S. Paulini carminibus, & signanter ex *Carmin. 3. in Natal.* S. Felicis dum dicit: *Ferte Deo pueri laudem, persolvite vota: Et pariter castis date carmina festa Choreis*, & ex pluribus Prudentii hymnis, & signanter ex *hymn. 9.* quo celebrat Domini Nostri Iesu Christi mysteria, dicentis: *Da Puer plectrum Choreis*. Vndè Theodor. Balsamon, Vetus antiquorum Canonum commentator, in *Schol. ad Canon. 20. Synodi Gangrensis*, in quo anathemati subjiciuntur ii, qui arrogantiâ vtentes, & Martyrum consecrationes abhorrebant, & Sacra, quæ in eis celebrantur, & eornm memorias accusabant, dicit: *Quæque in solemnibus Martyrum Festis fiunt cantica, Choreæ, & Populi confluxus, quoniam in Dei fiunt honorem, non reprobantur*, Quod itidem si non licitum, minimè fuisset permissum, & à Sanctis Patribus laudatum.

29 Idque nedum, quia cum *tripudia, & Choreæ ex sese res sint adhiaphoræ, & in optimum finem converti possint, nihil est, quod possit obstare, quin ad Sacrorum Divorum reliquias, natalesque cohonestandos usurpentur*, ut totidem verbis benè subdit Ferrand. *in loc. sup. alleg. sub dicto §. Verbulum, de Choreis, in fin.* sed etiam quia *facit hujusmodi celebritas ad Religionis magnificentiam, & ad sanctitatem æstimandam*, vt post Card. Baron. inquit Casal. *pariter in loc. sup. allegat. vers. Facit etiam*. Undè S. Gregorius Nazianzenus *orat. 4. advers. Iulian.* ad eas ducendas in honorem Sanctorum Fideles quodammodo hortari videtur, scribens: *Quid si etiam te, ut lætæ celebritatis, & festorum amantem saltare oportet, saltato quidem, sed non inhonestè illius aggrediaris saltationem, quæ Baptistæ necem attulit: Verum Davidis ob Arcæ requiem, quæ qnidem Deo gratam incessionem agilitate præditam, & versatilem misticè designari existimo*, quæ verba expendens Elias Cretens. *in Comment.* inquit: *Hanc autem allegorico sensu exponens incessionis Deo gratæ agilitatem, & volubilitatem significare censet: atque hoc ipsis intelligendum præbet, minimè abiiciendam, atque improbandam in Festis, ac Divinis celebritatibus animi diffusionem, & modilatam agitationem, corpore videlicet animæ affectum comitante, atque ob Dei gloriam, & Servorum ipsius honores, & celebritates tanquam exultante, & tripudiante*.

30 Nec prædictis adversari poterit, si fortè obiiciatur Canon. 23. Concilii Toletani III. relati per Gratianum *in Can. Irreligiosa 2. de Consecrat. dist.* 3. quo dicitur, quod *Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit, ut Populi, qui debent ad Divina Officia attendere, Saltationibus, & turpibus invigilent canticis, non solum sibi nocentes, sed & Religiosorum Officiis perstrepentes*. Nam omisso, quod istud fuerat decretum Concilii Provincialis, ad abusus suæ Provinciæ dumtaxat repellendos editum, animadvertendum, quod inibi fuerat sancitum: *Quod Ballimathiæ, & turpia cantica prohibenda sunt à Sanctorum solemniis*, ut legere est in titulo ejusdem Canonis in ipso Concilio, hoc est Ballimathiæ, seu Saltationes, quæ ad rithmum inhonestarum cantationum, turpiumque iocorum fiebant, sive Ballimathiæ, ut habet alia Editio, hoc est superstitiosæ divinationes, quæ per saltationes fiebant, ut explicant Joann. Dart. *Commentar. in Decret. Gratian. ad 3. part. distinct.*

3. de

3. *de Consecrat.* §. *Ne verò illis solemnitatibus, inter ejusdem Oper. Canonic. fol.490. col. 2. litt. B. & seqq.* Carol. Du-Fresne, sivè Du-Cange *in Glossar. med. infim. latinitat. to.1. fol.442. in verb. Ballimathia*, & Jo: Jacob. Hofman. *in continuat. Lexic. univers. to.3. verbo Bal-*
31 *limanthica*. Et quod magis est, ex quo hujusmodi Saltationes fiebant in Vigiliis Sanctorum, ut colligitur ex illis verbis ejusdem Canonis -- *Et turpibus invigilant Canticis* -- hoc est, dum juxtà morem illorum temporum, in Vigiliis festivorum dierum masculi, & fœminæ cum luminaribus convenie bant in Ecclesiis, ibique pernoctabant, eàque occasione multa turpia, & inconvenientia, & præsertim inhonestæ, & lascivæ saltationes fiebant, istisque Divinis Officiis molestia inferebatur, ut liquet ex illis verbis ejusdem Canonis -- *Sed, & Religiosorum officiis perstrepentes* -- quemadmodum explicat Cardin. Turrecrem. *in dict. Canon. Irreligiosa, in Decret. Gratian.* Quod sanè nihil potest habere commune cum simplicibus, & honestis Saltationibus, seu Choreis, quæ nullas habent circumstantias sivè temporis, sive loci, sivè personarum, sive modi, ex quibus malæ reddantur, & præcipuè cum illis, quæ in honorem Sanctorum, & ad eorum Festos dies cum majori lætitiâ, & gaudio celebrandos, ducuntur, ut rem prosequendo, dictumque Canonem explicãdo, fusè disserit. P. Jul. Mazzarin. *in suis sermonib. super verb Domin. in Monte to.2 sermon.108. litt. O. fol.93. & 94.* Cum imò potiùs istæ saltationes sint laudandæ, & admirandæ, eodẽ planè modo, quo apud Romanos, *cum in Divino Cultu adhiberentur, non dedecori erant, sed admirationi* teste Salian. *Annal. tom. 3. ad ann.2990. num.38.* Olim etenim, nulla ferè apud Gentes sacra, in quibus non saltaretur, ut adnotant Lorin. *in Psalm. 149. vers.3 pag.1208.* Rodigin *antiq. lection. lib.5. c.3.* Vossius *de quatuor artib. popular. cap.4. num. 37. & de scient. Mathemat. cap.21. nu.9.* Bulenger. *de licit. & vetit. Magiâ, lib.1. cap.6. fol.461. litt. B.* Et quidem etiam ad honorem veri Numinis, ut observat Lacerd. *in comm. ad Virgil. lib.4. Æneid. in not. ad vers. 145. nu.5. in fin.*

Prout nec obesse poterit animadversio facta à Reverendissimo Episcopo Verulano in suâ Relatione, & ab iis omnibus, qui nimis rigorosâ propriæ opinionis sententiâ, licet nullo jure fulcitâ, Choreas omnes indistinctè damnandas esse volunt, quod nempè in Choreis adsit quædam confusa commixtio virorum, & mulierum, quæ ut plurimùm solet esse occasio malorum, & incitamentum libidinis. Etenim, ultrà quod eidem satis responderi posset ex his, quæ tradit Cardin Cajetan. *super alleg. in Summ. verb. Chorea, sub n. 3.* dicens -- *Ex periculo verò provocationis ad libidinem unusquisquè seipsum mensuret, & videat, si exponit se periculo. Ego ex genere actus periculum non cognosco: Quoniam actus Choreæ non est libidinis, sed lætitiæ. Et propterea, si ex qualitate personæ, periculum alicui imminet, provideat sibi, sicut debet cavere sibi ab aspectu mulieris; si ex aspectu sibi cognoscit imminere periculum. Ex actibus deindè levitatis, qui quandoque ibi immiscentur, dum aliquis intorquet digitos mulieris, cum quâ Choream ducit, non ampliùs, quàm veniale peccatum incurritur. Et simile est judicium de multis vanæ lætitiæ actibus, & verbis, si contingit Choreis immisceri. Ex pravâ autem intentione putà, ad incestum, aut adulterium provocandi, et similiter ex impudicitiis, non solùm Choreas, sed Eleemosynas, & Ecclesiastica Officia constat esse peccata mortalia. Conclude ergò Choreas non esse ex se malas, licet sæpè offerant peccata venialia vanitatis* -- cujus dictum commendant, & sequuntur Bartholom. Fum. *in summ. Armill. verb. Chorea, num.1. in fin.* Modisius *in dicto* §. *Plebiscitum, Instit. de jur. natural. Gent. & Civil. dubit.201. sub num.1.* §. *Quoad juris divini, circà fin. vers. Ex periculo verò*, Gibalin. *de univers. rer. humanar. negociat. dict. lib.4. cap.9. artic.5. in fin.* ubi illud refert, tanquam prudens monitum: Nec non ex eo, quod eidem addendo subdit Mazzarin. *dict. sermon.108. eadem litt. O. circà fin. fol.94.* quod nempè licèt talis confusa coactio possit respectu alicujus magis, quam alterius aliquando esse occasio mali, adhuc tamen nequit dici illicita, alias enim opus esset impedire res omnes, quibus datur occa-

occasio, quod Populus utriusque sexus in unum conveniant, ut sunt Mercatus, Nundinæ, Nuptiæ, Principum ingressus, Tabernæ, Naves, & similia, imò & Stationes, Processiones, Conciones, Divina Officia, cæterique sacri Conventus, quæ sicuti esset incongruum ex præfato motivo damnare, ità & Choreas.

32 Cessat penitùs in nostrâ facti specie, tùm quia Saltationes, de quibus agitur, fiunt in viis, et locis publicis, *in loco autem publico, nonnisi pudicè, & honestè saltatur*, ut animadvertit Caramuel. *in sup. alleg. Theolog. Regul. to. 1. par. 8. num. 2070. §. Respondeo*; Tùm quia non alio animo fiunt, ut etiam superiùs animadvertimus, & Reverendissimus Episcopus Verulanus ingenuè fatetur in suâ Relatione, nisi ut Festivitas Sancti Sixti lætiùs, & jucundiùs celebretur, & à pluribus saltatur ad satisfaciendum voto de re hac facto; Quo attento nullatenùs de prætensis inconvenientibus videtur timendum, tàm ex quo *est honesta saltatio, quâ tripudiat animus, & corpus bonis operibus eleuatur*, quemadmodum scripserat Sanct. Ambros. *lib. 6. in Lucam capit. 7.* & ex quo, *Corporis saltatio in honorem Dei laudabilis habetur*, ut idem S. Doctor addit *serm. 7. in Psalm. 118.* quàm ex quo tali casu similia tripudia, & publicę saltationes *ad pietatem conducunt, & devotionem promovere videntur*, ut subdit Caramuel. *in loc. proxim. allegat. sub §. Mos iam iste.* Ut propterea objectæ animadversioni mirificè adaptari valeant verba Sancti Augustini *lib. 3. de Doctrin. Christian. cap. 12.* quibus dicit, quod *in omnibus ejuscemodi rebus, non ex earum rerum naturâ, quibus vtimur, sed ex causâ utendi, & modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum, quod facimus*; quemadmodum in simili ejisdem utitur Gibalin. *de usur. lib. 1. cap. 9. artic. 5. n. 89.*

Additâ potissimum circumstantiâ ab eodem Reverendissimo Episcopo Verulano, ingenuè pariter de more confessatâ, quod nempè ii omnes, qui hujus Festivitatis occasione saltant, peractis Choreis, vnà cum Festi Ducibus, *col Governatore, e Magistrato, e con l'assistenza di Monsig. Vescovo vanno in processione, che si fà con gran concorso, e divotione, verso un hora di notte, nell a quale si porta il Legno della Santissima Croce, e si và cantando da huomini, e donne sacre lodi*, ut sunt verba ejusdem Relationis, quo attento, haud de prętensis periculis videtur esse timendum, dum apparet ex corporis agitatione illâ, animum ad bona opera elevari; sed potiùs piè esse credendum, quod Deus per intercessionem Sancti Sixti Martyris sui, eadem evenire non sit permis-
33 surus, quemadmodum in Processione illâ, in quâ David vnà cum vniverso Populo saltaverat antè ipsius Arcam, quamvis longissimo itinere, per difficiles, arduasque vias, & per altos, præruptosque montes fuisset ducta, non permiserat, quod *neque hymnos canentibus, neque Choreas ducentibus lassitudo fuerit suborta, dùm ad Templum pervenirent*, ut refert *Ioseph. Antiquit. Iudaic. lib. 8. cap. 2.* & quemadmodum de lętitię actibus, & conviviis ad Sepulcrum Sancti Martyris Iuliani ad illius Festum cohonestandum, fieri solitis, tradit *Sanctus Joannes Chrysostom. sup. laudat. homil. 47. in Eum*, dicens: *At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps; hic soluto conventu, licet juxtà Martyrium sub ficu, vel vite diversanti etiam corpori recreationem indulgere, & condemnatione conscientiam liberare. Martyr enim è propinquo spectatus, & cum sit vicinus, ipsique mensæ adstet, voluptatem in peccatum effundi non sinit: sed tanquam Pædagogus, aut Pater optimus oculis fidei conspectus, risum comprimit, indecoras voluptates circumcidit, lascivos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licèt evadere.*

Et quod omnem adimit dubitationē, est, quod istę Saltationes, & Choreæ fiunt in casu nostro ex antiquissimo more, cum eis celebrandi Festum Sancti Sixti, vt etiam agnoverunt Sacra Congregatio Rituum, & San. mem. Paulus V. usquè ab anno 1607. quo attento nullus remanet locus, ex quo illę reprehensioni subjacere debeant, cum hęc omnia sint ęstimanda secundùm
34 ritus in vnaquaque gente receptos, ut scitè admonet Martin. Scoockius *exercit. variar. exercit. 33. sub num. 4. vers. quæ omnia cum æstimari debeant, fol. mihi 326.*

326. *in postrem. edition.* subdens, quod ob id mirari sibi sępè subijt, quam ob causam graves, & judiciosi quoque Theologi ad hęc non attenderint, qui indiscriminatim omnium populorum notarunt saltationes, ad comprobationem adducens id, quod Cornelius Nepos Scriptor Elegantissimus in Præfatione Vitarum Illustrium Virorum à se editarum, scripserat adversus eos, qui suę *scripturæ genus leve, & non satis dignum Summorum Virorum personis essent judicaturi, &c. Quis Musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari saltasse eum, commodè, scienterque cantasse?* dicens: *sed hi erunt ferè, qui expertes litterarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod moribus conveniat putabunt. Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta, atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari, non admirabuntur, nos in Græcorum virtutibus exponendis mores eorum secutos*, addendo etiam idem ScoocKius, quod hanc ob causam in publicis solemnitatibus antiqui quoq; Patres permiserunt Christianis Saltationes moderatas, & honestas, post quàm *anteced. num.* 3. jam notaverat, quod si quid in sacris paginis scriptum, aut à Sanctis Patribus editum, quod Choreis videatur adversari, id non de quibuscumque saltationibus, sed de lascivis, & immodestis, quęve animo, & corpori effœminando serviunt, dumtaxat esse improbatum, ut patet ex vocibus, & phrasibus, quibus improbantur; nusquam verò sermo est de Saltationibus honestis, & moderatis, quę causâ animi recreandi, & exhilarandi in publicis lętitiis, & Festivitatibus alicujus Sancti celebrandis, maximè juxtà mores patrios, habentur. Nec sine ratione, cum, vbi est mos eas ducendi, nedùm licitę dijudicentur, sed etiam in Sacris Festivitatibus adhibitę, religiosę, & devotę habeantur, ut signanter apud Hispanos, de quibus *Perez de Lara, Lagunez, Gibalin, & Caramuel super alleg.* ac ipsis addendus, & quidem ut solus videatur esse idoneus testis S. Thom. de Villanou. *sermon.* 1. *in Fest. Corp. Christi* & apud Lusitanos, de quibus Ægid. *de jurib. & priuileg. honestat. articul.* 1. *num.* 2. & P. Claud. Francisc. Manestrier. *des Ballets anciens, & modernes, fol.* 98. *in fin. & fol.* 99. *cum seqq.* ubi, *fol.* 101. valdè ad rem recenset verba Octavii Accoramboni quondam Episcopi Forosemproniensis, & Collectoris Spoliorum Ecclesiasticorum in illo Regno, tempore quo per Paulum V. fuerat inter Sanctorum numerum publicâ Canonizatione relatus S. Carolus Borromeus, qui tempore Pii IV. fuerat illius Regi in Vrbe protector, dum peculiari Relatione describendo solemnem festivitatem eâ de re in Civitate Vlixiponensi factam, & inter cætera numerosam Processionem pompæ, & lætitiæ actibus plenam, cum retulisset, eâdem pluribus Saltationibus, & Choreis fuisse consociatam, ne id moris Regionis insciis esset admirationis, subdiderat: *Nè dia fastidio a' nostri d'Italia, massime a' Romani, il sentire, che nelle Processioni de' Santi, e di tanta divotione, come fù questa, si meschiassero e balli, e danze, perche in Portogallo non parrebbe loro, massime a' Populari, che fossero Processioni nobili, e gravi, senza simiglianti attioni di giubilo, e di allegrezza.* Quapropter easdem Choreas, & Saltationes, quæ juxtà patrios mores, & consuetudines locorum in sacris solemnitatibus fiunt, ad Ecclesiasticam Cœremoniam, sacrumque Ritum esse referendas, nuper lato, eruditoque calamo probavit *Don Adrian. de Elossu Magister Cæremoniar. Eccles. Hispalens. in peculiari opusculo*, primùm Hispali sermone hispanico, mox Romæ linguâ Italicâ edito, inscripto: *Consulta Ecclesiastica sopra l'uso delle Danze, che si pratticano nella Procesione del Corpus Domini.*

Quæ omnia dicenda sunt procedere etiam quòad alios actus lætitiæ prò eodem festo jucundiùs, & splendidiùs celebrando exerceri solitos, & signanter ille, quo, *Nella mattina del Lunedì, secondo giorno di Pasqua, li Festaroli vnitamente col Governatore, e Magistrato vanno nella Procesione che si fà dalli Canonici, e Capitolo dalla Catedrale, fino al Convento de' Padri Capuccini, portando Procesionalmente vn Braccio, & un Piede di S. Sisto, e terminata la Procesione li Festaroli convitano li loro Parenti & Amici, & ancora il Governatore, Sindico,*

dico, e Magistrato, e finito il pranzo, si danno dalli Festaroli medesimi li rinfreschi chiamati le Bevute, consistenti in Ciambelle, Mostaccioli, Confetture, e simili in Bacili, e Vino con Sottocoppe avanti la propria Casa in publica strada con porre ordinatamente à sedere da una parte gl'Huomini, e dall'altra le Donne, quali tutti sono Parenti, & Amici invitati dalli sopra Contestabili, in modo tale, che ricevuta da uno la bevuta, si seguita successivamente dagl'altri divisi in due squadre, cioè in una quelli della Città Vetera, e nell'altra quelli delle Piagge, ricevendo reciprocamente le beuute, e quando vanno à tale effetto le dette squadre per la Città, in una assiste il Governatore, precedendo con esso li Festaroli, e seguitando doppo le Donne, e nell' altra assiste lo Sindico col Magistrato con lo stesso ordine, ut sunt verba præfatæ Relationis Reverendissimi Episcopi Verulani.

35 Nihil enim in re hac valet considerari absurdum, & incongruum, ex quibus ista non licitè fieri, obiici possit: Cum similes commessationes, & convivia, quibus Christi fideles in celebrandis Sanctorum festivitatibus, se exhilarant, oblectantur, atque in lætitiam effunduntur, nedùm olim ab Ecclesiæ Patribus tolerata, imò, & ad Religionis magnificentiam, & ad Sanctitatem æstimandam conducere djudicata, ut præter ea, quæ scripserat S. *Ioannes Chrisostom. in supr. laudat. Orat.* 47. *in S. Iulianum*, patet ex *Theodoret. Therapet. sive Gracar. affect. Curat. serm.* 8. *S. Gregor. lib.* 9. *Epistol.* 71. *ad Mellitum*, & aliis cumulatis *per Ferrand. in alleg. disquis. Reliquiar. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *§. Temperatissimas olim, fol.* 408. *& seq. & Casal. in dictis Notabilib. ad tract. de Veterib. sac. Christian. ritib. fol.* 426. *lit. B.* Sed & recenter permissa, atque indulta, & præsertim ab hac Sacra Congregatione in Civitatibus Alatrinæ finitimis, ut in Civitate Anagninâ decernendo *sub die* 12. *Septembris* 1614. quod Convivia per Confratres ejusdem Sodalitatis in suis Festis fieri solita, conniventer tolerari possint, modò non feriâ sextâ Parasceves, nec cum redditibus loci Pii, nec intrà, aut propè Ecclesiam fiant, & in Civitate Verulanâ indulgẽdo *sub die* 10. *Ianuarii* 1606., quod si eadem secundùm consuetudinem fiant antè Ecclesiam, sint toleranda, dummodò tempore convictus omninò claudantur ejusdem Ecclesiæ januæ, ut referunt Jacob. Pignatell. *Consult. Canonic.* 17. *num.* 5. *tom.* 3. *&* Nicol. *in Floscul. verb. Convivium, num.* 2.

36 Nec prò absurdo adduci valet, quod cum præfata poculorum præstatio, & dulciorum distributio nequeat terminari eâdem die Lunæ, cum ab omnibus festi Ducibus, sive Dominis sint faciendæ, qui sunt tresdecim, nempè unus prò singulo Civitatis vico, opus sit illa continuare die Martis sequentis etiam de manè, & sic ob id tertiâ die festivâ Paschatis intermittatur Sacra Concio, pròut etiam eâdem de causâ intermittitur dictâ die Lunæ secundâ Paschatis; nam ultrà quod vacatio ista Concionis in illis diebus potissimùm evenit, ex quo Prædicator est impeditus ad se parandum pro habendâ Oratione panegiricâ sequenti feriâ quartâ, in quâ celebratur festum S. Sixti; animadvertendum, quod cum id sit consuetum ab antiquissimo tempore, quo similibus lætitiæ actibus celebratur dictum festum Sancti Sixti, minimè uti incongruum dijudicari valet, cum stante consuetudine propter lætitiam festi præcipui, similia peragi valeant, etiam temporibus aliàs vetitis, ut tradit *Silvestr. in Summ. sup. alleg. verbo Chorea sub n.* 2. *vers. vel ubi esset consuetum*. Maximè cum talia nequeant dici, quod propriè causent omissionẽ Sacrorum Concionum, cum de eis habendis dicto tempore nullum adsit præceptum, sed præceptum solum sit tempore jejunii Quadragesimalis, ut patet ex cumulatis *per Barbos. in Collectan. ad Sacr. Concil. Trident. sess.* 24. *de Reformat. cap.* 4. *num.* 14.

Atque proindè minimè consentanea videtur sententia Reverendissimi Episcopi Verulani, qua consulit, numerum eorumdem festi Ducum, sivè Dominorum, posse minui, illosque ad solos quatuor reduci, tàm pro præfato prætenso absurdo evitando, quàm ut Festum minori tumultu celebretur, & Cives à sumptibus liberentur, dum quamplures ob munus sibi demandatum adimplendum æri alieno subijciuntur, cum aliàs illud exercere cogantur, ne pœnis priv

vationis vocis activæ, & passivæ in publicis negociis expediendis, quæ sunt recusantibus impositæ, subjiciantur: Dùm respectu omissionis Concionum, nullum adesse absurdum, jam est ostensum, & respectu aliorum ab ipso assertorum, innititur falso supposito à Festo invidis sibi facto; cum non coacta, sed spontanea sit susceptio præfati muneris, nullique pœnæ supposita, & aliàs numerus Festi Ducum sit providenter, & seriosè ad evitandam æmulationem institutus, ex quo totidem sunt Civitatis vici, & sic illum minuere, esset nimis molestum, & scandalosum, ut in simili benè ponderat Nevizan. *in Sylv. Nuptial. par. 4. sub num. 73. §. Primò, quia à tanto tempore, fol. mihi* 479. Nec sine ratione, cum nedum tolerabilia sint, quæ vetus consuetudo comprobat, ut scripserat Papyrius Justus *l. Imperatores 13. §. 1. in fin. ff. de pollicitationibus*: Sed imò ex quo ea, *quæ in suo statu, eodemq; manent, & si deteriora sint, tamen utiliora sunt his, quæ per innovationem meliora inducuntur*, ut admonet Dionys. Halicarnass. *lib. 52. Historiar. Et quia ipsa quoque mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, ut inquit S. *Augustin. epist.* 128. *cap.* 5. cum quo consonat Sanctus Gregor. relatus *in can.* 15. *cap.* 25. *quæst.* 2. cum aliis latè deductis per Gonzal. *in cap. cum consuetudinis 9. nu. 3. de consuetudin. &* Capon. *discept. forens.* 85. *num.* 11. *& seqq. tom.* 2. Hactenus Vir ille doctissimus.

37 Et eâdem ratione Urbanus Octavus, prout testatur Pistachius *de superstit. par. 1. cap. 3. num.* 32. peculiari diplomate vetat, ne sculpantur, vel pingantur Sacræ Imagines alio habitu, quàm in Catholicâ, & Apostolicâ Ecclesiâ ab antiquo tempore sculpi, vel pingi consueverunt; nec etiam habitu particulari alicujus Religionis, quam professi non fuerint, ne, quæ oculis fidelium subjiciuntur, falsa, inordinata, & insolita appareant; sed ut devotionem excitent: Pistach. *ubi suprà*, Romaguer. *ad Synodal. Gerunden. lib. 3. tit. 20. cap. 3.* Lezana *Summ. qq. regular. par. 2. verbo Sancto-*
38 *rum conclus. num.* 14. Hinc est, quod nequit exponi publicè in Ecclesiâ aliqua Imago sinè licentiâ Episcopi, qui priùs debet eam Imaginem diligenter considerare, ut advertit Pignatell. *consult.* 186. *tom.* 9.

39 Tantò magis damnandi sunt, qui utuntur vestibus prophanis, & lascivis in ornatu Sacrarum Imaginum: Alberghin. *in manual. qualificat. cap. 29. nu.* 3. Molanus *in tract. de Imaginibus 1. par. per tot.* Pignatell. *consult.* 186. *tom.* 9. Hinc meritò fuit punitus quidam temerarius Pictor inopinatâ, ac subitâ dexteræ manus arriditate, quia Christum Jovis habitu pingere ausus fuit, prout S. Genadius Patriarcha eidem prædixit: Rectè proindè docet Transm. *de denunciat. quæst. 4. cap. 8. num.* 9. Pictorem, vel sculptorem, qui vel pingeret, vel sculperet; aut pictas, seu sculptas retineret Imagines, quarum habitus, seù forma, vel contemptum, vel irrisionem, vel obscænitatem præseferrent, esse revelandos; & ratio est, ut ego existimo, quia si verba impudentia, obscæna, & derisoria quis protulerit in Sanctos, evadit suspectus; quid ergò dicendum de iis, qui ipsos vestibus impudentibus, lascivis, & irridendis induant? siquidem (inquit Horatius.)

Segniùs irritant animos dimissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Accedit, quod hoc pacto nedùm exprimitur, lascivos, & inhonestos fuisse ipsos, quorum Imagines sunt; sed etiam datur ansa Novatoribus irridendi Imaginum cultum, ut benè advertit Alberghin. *in Manual. Inquisit. cap. 29. n.* 4.

40 Hujusmodi autem inhonestis ornatibus, & picturis præbere ansam Novatoribus irridendi sacras Imagines, quanta sit iniquitas, patet ex eo quod ad impediendum, ne ipsæ imagines essent alicujus ludibrio, fuit quandoque vetitum id, quod ex se laudabile erat, & religionis plenum: Canon enim [illegible] Concilii Eliberini, quem alioquin [illegible] picatur Baronius ab Iconoclastis [illegible] fectum, ideò prohibuit parietibus [illegible] pingi imagines sacras, ne genti[illegible] ludibrio essent, ut exponit Albas[illegible] *in d. can.* 36. sequutus Paulut[illegible] *prud. sacr. lib. 7. n. 4. tom.* 2. qui di[illegible] Canonem etiam supposititium pu[illegible]

41 Quod sanè periculum (inquit Casutius *ubi suprà, pag.* 21.) haud ità timebatur in imaginibus, quæ in Ecclesiis appen-

appendebantur, aut alioquin mobiles collocabantur, eò quia ipsæ subduci, & aliò transferri, persecutionis exurgente procellâ possent: simili ex causâ *in l. unica, C. nemini licere signum Salvato-*
42 *ris &c.* prohibetur signum Salvatoris in silice humi sculpi, aut pingi, ne videlicet conculcetur, aut conspuatur ab iis, qui in locum sacrum conveniunt: Quod item sanxit Quinisexta Synodus *can. 73.* cum hac ratione, ne incidentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuriâ afficiatur.

Rectè igitur docent Transmiera *de denunciat. q. 4. cap. 8. num. 9.* & Alberghin. *loco citato, n. 3.* quod Sanctorum Imagines dictis modis vestientes, mereantur graviter puniri in S. Officio.

43 Ad hujusmodi superstitionem referri quoque videtur, quod à nobis communiter fit, qui pingimus Moysen cornua habentem, ex eo quod interpretetur D. Hieron. cornutam fuisse ejus faciem, cum hæbraica veritas, quam meliùs Septuaginta exposuerunt, narret, radiantem extitisse Moysis faciei cutem: & proindè Hæbrei nobis irridentes, putant, quod Moysen credamus Dæmonem: Ità Augustinus Chisanensis Episcopi apud Sixtum Senensem *bibl. lib. 5. annot.* 116. Nescio tamen, an Senensis huic opinioni adstipuletur, nam eam affert, nec confutat, ex quo arguitur potius eidem assentire; sed quod reverà non assentiatur, innui potest ex hoc, quod ipse Senensis *ibidem annot.* 117. debile vocat argumentum, quo Rufinus probavit, Hieronymum pedibus ivisse in sententiam Origenis dicentis, quod Christus, tàm pro hominibus, quàm pro Angelis mortem subjerit: Illud autem argumentum desumptum fuit ex eo, quia Hieronymus verba Origenis sine nomine authoris in Commentariis inseruerit, nullâ appositâ eorumdem verborum confutatione.

Possit etiam dici, nullam necessariam fuisse confutationem, quando tota Ecclesia non reprobat hunc modum pingendi Moysen; nec ipsum colimus sub tali formâ, quia Dæmonem eum fuisse credamus.

44 Non incurrunt quoquè hanc superstitionem, qui Sanctorum Imagines cũ laureolis pingentes, videntur idololatrarum in morem ipsos Sanctos decorare ornatu gentilitatis, ab Idolis contaminato.

Quamvis enim antiquitùs laurea corona fuisset signum victoriæ, proindèquè arma, naves, fasces, ac milites triumphantes coronabantur; & licet hujusmodi corona texeretur lauro, quia dicata erat Apollini, & hoc pacto contaminata fuerit oraculorum superstitione; nihilominùs milites Christiani antiquitùs semper laureâ coronâ decorati sunt, cum omnia, testante Apostolo, munda sint mundis: idcircò Spondanus *in epitom. ad ann. 337. n. 6.* postquàm laudavit Constantinum, qui exhorrens quæcumque sciret ex Gentilium superstitionis officinâ manare, pro laureâ usus est aureâ coronâ; attamen non damnat posteriores Imperatores, qui interdùm laureis in numismatibus apparent coronati.

45 Successivis verò temporibus milites Christani, ad tollendùm omnem superstitionem, laureas coronas gestabant nomine Christi insignitas, teste Baronio *ad ann. 351.*

Imò quidam miles Christianus tempore Pij Severi recusavit sua tempora hujusmodi laureâ redimire: Verùm hoc factum Romana improbavit Ecclesia, ut referunt historici illius temporis, quià peccatum contrà fidem non erat, coronam illam deferre, & ex hujusmodi militis scrupulo timebatur nova in Christianos persecutio. Imò Clerici Romanæ Ecclesiæ Tertulianum probris exceperunt, qui librum ediderat titulo *de Coronâ Militis* ad defensam illius, quæ res in causâ fuit, ut Tertulianus exasparatus ad castra Montanistarum transierit.

Cæterùm, quæ fuit commendabilis pietas illis temporibus, minimè persuadere debet, gentilitate extinctâ, his ornatibus Sanctorum Imagines non esse decorandas.

Non incurrunt igitur ullam superstitionem, qui ad Sanctorum gloriam ipsos sic ornanant, & hoc patet ex eâdem ratione, quâ nobis licet, Vota, & Tabellas in Templis suspendere, de quibus suprà fuit dictum.

46 Sic etiam ab omni superstitione eximuntur, qui cultum publicum Sanctis vete-

veteris testamenti tribuunt, pròut eruditissimè probavit Illustrissimus, ac Reverendissimus Prosper Bottinus Mirensis Archiepiscopus, cujus doctrina maximi est ponderis, *in suis animadversionibus super dubio, an permitti possit cultus publicus Sancto Iob*.

Siquidem cum cultus publicus sit præcipuus effectus canonizationis, debetur consequenter illis Sanctis, quos Deus in Sacris scripturis canonizavit: Lezana *consult.* 3. *à n.* 100. *ad fin.* & Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 39. quod agnoscit Ecclesia ipsos invocans in commendatione animæ morientium, & illo Cantico Ambrosii, ibi: *Te Prophetarum laudabilis numerus*; ac in Litaniis, ibi: *omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ*: Imò cum in suâ gloriosâ Transfiguratione Moysen, & Eliam adhibuisset, eisquè gloriæ venturæ specimen ostendisset, Petrus dixit: *faciamus hìc tria tabernacula*, quæ postea, teste Beda, ædificata fuere, scilicet tres Ecclesiæ; ac ipsi Discipuli viderunt Moysen, & Eliam Christi gloriæ participes, & in majestate; undè patet, quod voluit Deus facto, & Petrus verbo his Sanctis veteris testamenti quod exhiberetur publicus cultus, quidquid dicat Matta *de canonizat. Sanctor. par.* 4. *capit.* 3. *n.* 13. *& seqq.*

47 Accedit, quod hujusmodi cultus habet stimulos quosdam acerrimos, quibus incitamur ad Sanctorum, quos colimus, virtutes imitandas, ut ait Gregor XIII. *in constitut. super approbat. Martyrolog. Rom.* quarè ob hanc rationem miratur Rainaud. *tom.* 15. *heteroclit. spiritual. punct.* 5. *nu.* 9. *in fin. pag.* 285. cur Ecclesia non celebrasset Sanctorum veteris Testamenti festivitates, eo modo, quo illas Sanctorum novi Testamenti? Verùm in Ecclesiâ tàm Grecâ, quàm Latinâ Sanctis veteris Testamenti, posterioribus temporibus, exhibita fuit publica veneratio, ut patet ex templis in eorum honorem consecratis: Guyett. *de fest. propr. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 8. & Pignatell. *loco cit.* & hodiè in Civitate Venetiarum adest Templum S. Job cum Monasterio ordinis Minorum [illegible] *de canoniz. Sanctor.* [illegible] *cap.* 3. *num.* 15. Imò cum [illegible] adfuisset, Templum ejusdem S. Job quemdam fratrem, qui curavit, ut destrueretur, leprâ statim affectum, diùquè excruciatum occubuisse, testatur *in dictis eruditissimis animadversionibus* Laudatus Bottinus: Antiquitùs tamen in Ecclesiâ Latinâ his Sanctis non exhibebatur publicus cultus, ut ex Cæsario Heisterburiensi, & Nicolao Serario, testatur Pignattel *loc. cit.* quia forsan videbatur incongruum, cum gaudio recolere transitum, qui gaudii non fuit, ut inquit D. Bernardus *ep.* 98. sed potiùs miseriâ plenus, propter descensum ad Inferos: Turrecrem. *in can. pronunciand. n.* 15. *de consecr. dist.* 15.

48 Hæc ratio tamen confutatur à laudato viro *in eisdem animadversionibus*, tùm quia, quamvis quidam ex antiquis Patribus, & Theologis senserint, animas justorum usquè ad diem judicii non videre Dominum (contrarium nunc est de fide) Sanctis tamen debitum cultum non negarunt; tùm quia Machabæi, quorum idem fuit descensus, obtinuerunt hunc cultum; tùm quia, licet fuerit quædam miseria, non posse statim divinâ visione frui, nihilominùs eorum descensus in sinum Abrahæ non adeò fuit miserabilis; nam ibi non cruciabantur: Imò si Infantes, qui sinè baptismo pereunt, nec sunt Sancti, attamen quodam gaudio recreantur ob cognitionem, quâ sciunt, actuale peccatum ab ipsis nō fuisse commissum, ut decantat Eminentiss. Sfondratus *in Nodo prædestinationis, circa finem primi* §. quid dicendum de gaudio interno eorum, qui sciebant, se tàm sanctè vixisse? Tùm tandem, quia Ecclesia veneratur inter Sanctos Paschalium Diaconum, quem D. Gregorius narrat *in suis Dialogis, lib.* 4. *cap.* 4. non recto tramite ad Cœlum evolasse, sed per quosdam dies purgatorii pœnas expertum fuisse, quia adhæserat Schismati Laurentii Antipapæ contrà Simachum verum summum Pontificem.

48 Forsitan cultum non adhibuit Ecclesia Sanctis Veteris Testamenti, ut fateretur, omnem Sanctitatem in quibuscumquè à Christo effluxisse? Si igitur celebrasset eorum festivitates, effectum concessisset antè causam, quod non est dicendum de Sanctis Innocentibus,

Joa-

Joachimo, Simeone, aliisque Christo præmortuis, qui nexum habuerunt cum Christo, quarè non ad vetus, sed ad novum Testamentum spectant, ut notat Pignatell. *loco cit.* Sed & hujusmodi ratio validissimè reprobatur *in dictis animadversionibus*.

49 Igitur causam, quarè Ecclesia Latina non exibuerit hunc cultum Sanctis veteris Testamenti, eam fuisse existimo, quia noluit temporibus cæcitati Gentilium vicinioribus, præbere periculum Idololatriæ per approbationē cæremoniarum Judæorum, quæ velut umbra tunc transibant; ac eâ de causâ fortassè non exprimuntur in canone Missæ nomina Patriarcharum, vel Prophetarū: Licet enim (inquit Pignattellus *loco superius laudato*) ii in Christum crediderint, eumdemquè spiritualiter manducaverint, alium tamen offerendi ritum habuerunt, qui Christum in carne venturum prænunciaret: Hoc autem periculum cessat hodiè; ideoquè in Urbe colitur id Ecclesiâ S. Jacobi, vulgò nuncupatâ *Scossa Cavalli*, Lapis, super quo Abraham Filium Isaac imolandum collocavit, quem à S. Helenâ transmissum, & in dictâ Ecclesiâ mirabiliter custoditum testatur Gaspar Alvarus *in tract.* cui titulus, *Roma in ogni stato, pa.* 2. *pag.* 133. *vers. nel terzo Altare*: Similiter in Basilicâ Lateranensi sub Arâ maximâ asservatur Virga Aaron, quæ fronduerat, & Virga Moysis, quæ silicem percussit, & fluxerunt aquæ, quemadmodū ait Cardinal. Rasponus *de eâdem Basil. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 47. sic in Ecclesiâ S. Susannæ publicæ venerationi exponuntur Reliquiæ S. Micheæ Prophetæ, ut refert Panciroł. *in libro*, cui titulus, *Tesori nascosti, in Indice Reliquiarum, litt. M.* & apud Carmelitas veneratur Elia, ejus etiam officium celebratur, super cujus ritu latè scripsit Lezana *consult. moral.* 3. *per tot.*

50 Tandem quò ad superstitiones falsas ex parte colentis, damnantur, qui quæstus gratiâ, indulgentias, quæ jam declaratæ sint vel falsæ, vel apochryphæ, imprimunt, seù publicant: nam hujusmodi delictum est valdè Christi-fidelibus perniciosum; ideoquè ab Inquisitoribus cumulativè respectu ad Ordinarium punitur.

Sunt verò falsæ, vel apochryphæ, quæ à summis Pontificibus non fuerunt concessæ; vel si concessæ, posteà fuerunt revocatæ.

Quænam verò fuerint revocatæ patet ex Bullâ Pii V. *& si Dominici gregis* 30. *in ordine*: Post quam Bullam Pontifices in suis Indulgentiarum confirmationibus, adhibent semper clausulam, *quatenus revocatæ non sint*, nec concedunt ultrà formulas præscriptas ab Urbano VIII. Alexandri VII. jussu impressas.

51 Verùm quia sæpènumero à Viris etiam alioquin summè dignis, audivi, quibusdam rebus indulgentias tribui, veniunt proindè advertendi, ferè omnes indulgentias esse revocatas à Pio V. Lavor. *de Indulgent. p.* 2 *cap.* 13. *num.* 6. *& seqq.* nec concedi ultrà præscriptas formulas superiùs insinuatas, ideòque Ordinarii cautè approbent, & permittant publicare Indulgentias, imò tenentur tenorem earumdem Inquisitoribus communicare, ut concorditer videant, an sint veræ, vel falsæ: Hoc tamen non intelligitur de Indulgentiis plenariis, quæ conceduntur per Breve Apostolicum alicui Ecclesiæ, vel Cappellæ occasione solemnitatum.

52 Ad has superstitiones falsas ex parte colentis refertur etiam, quod improbi quæstuantes quandoquè faciunt, ostendendo falsas pro veris reliquias, quæ sacrilega iniquitas per Africam grassabatur tempore S. Augustini, Donatistis promoventibus: De tali abusu loquuti sunt Hostiens. & Joann. Andr. *in cap.* 2. *de reliq. & venerat. Sanctor.* Cajetanus *in summa, verbo superstitio, num.* 2. Navar. *in cap.* 17. *num.* 169. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. *&* 18. Fagundez *in decal. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 3. & Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 3.

Cum ergò isti, quod est in honorem Dei, vertant in ejus contumeliam, ut ait Bertrand. *cons.* 285. *vol.* 3. *par.* 2. *num.* 6. rectè ab Inquisitoribus puniuntur.

53 Spectat etiam ad hoc superstitionis genus illud, quo imponuntur peculiaria nomina Angelis, ut ipsi adorentur: Torreblanc. *de Magiâ, loco cit.* latè Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 6. *Resol.* 71. præcipuè *sub num.* 1678. Candidus

didus Brognolus *in Alexicon*, *tom.* 1. *disp.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *art.* 2. §. 3. *num.* 758.

Non enim assentior Joanni Ludovico della Cerda *de excell. Cælest. spirit. cap.* 5. ubi conatur ostendere cum Suario *in cap.* 12. *Tobiæ*, & Salmerone *to.* 3. *tr.* 3. alia nomina Angelorum præter tria, Michael, Gabriel, & Raphael, fuisse apud Catholicos in veneratione: Semper enim in sacrâ paginâ Angeli interrogati de proprio nomine, illud abnegantes occultarunt, ut probat laudatus Hurtad. *ubi suprà, num.* 1675. Idcircò nec assentior Philoni *de antiquit. Bib.* dicenti, nomen Angeli, qui apparuit Matri Sampsonis, fuisse Phadel; nec apud me fidem meretur Fernelius *lib.* 1. *de abditis rerum causis*, asserens, primi Parentis custodem Angelum dictum esse Raziel; Abrahæ, Zachiel; Isac, Riphael; Jacobi, Peltel.

54 Tandem minimè mihi persuadet Lupus *in edict. par.* 3. *lib.* 18. *dist.* 2. *art.* 2. *diff.* 4. sequens authoritatem Josephi Rosacci *in Theatro Cæli, & Terræ*, ubi explicat, quinam Angeli moveant Cælos, illis verbis.

Lunæ, *Angelus Gauriel*;
Mercurij, *Angelus Michael*;
Veneris, *Angelus Anael*;
Solis, *Angelus Raphael*;
Martis, *Angelus Samael*;
Iovis, *Angelus Saliel*;
Saturni, *Angelus Caphiel*.

55 Sunt enim hæc omnia Cabalistarum commenta, juxtà Cornel. à Lapide *in cap.* 32. *Genesis*, & Cardinal. Albitium *de Incostant. in fide*, *cap.* 40. *n.* 154. quod nec negat impius Maresius *in Colleg. Theol. loc.* 5. *n.* 36. *in fine*; & sub his nominibus latet Dęmon, qui invocari optat: Imò habemus sub nominibus Angelorum particularium Aldebertum invocasse Dæmonem, quarè damnatus fuit in Concil. Romano sub Zaccharia Pontifice *anno* 745. celebrato, & tradunt Baronius *ad ann.* 745. *num.* 36. Gastald. *de Angelis tom.* 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 27. & Hurtadus *loco proximè allegat.*

56 Hæc ratio placuit quoque eidem Thomæ Hurtado *dict. resol.* 71. *n.* 1678. ubi etiam addit, suspectum esse de hæresi, qui dicit, posse publicari nomina bonorum Angelorum, præter illa tria in Sacrâ Scripturâ enumerata, præcipuè si ad publicam venerationem exponantur, à quo non dissentiunt Carena *tit.* 12. §. 9. *num.* 55. & Alberghin. *in Man.*, *cap.* 18. *sect.* 3. §. 3. *num.* 3. *vers. superstitio etiam hæreticalis*, damnantes uti hęreticaliter suspectos, qui brevia collo appensa gestant cum nominibus Angelorum incognitis.

57 Miror igitur, Cornelium à Lapide *in* 1. *Apocal. vers.* 4. quem etiam citat Pistachius *de Superstit. par.* 1. *cap.* 22. *n.* 19. testari B. Amadęo revelata fuisse septem præcipuorum Angelorum, qui adstant coràm Deo, nomina, quibus (quod magis mirum est) Panormi Ecclesia dicata est: Illę enim revelationes non fuerunt ab Ecclesiâ approbatę, teste Albitio *ubi suprà*, *nu.* 157. ideoquè nulli momenti sunt, ut notat Araux. *in fine tract. de Angelis*, Hurtad. *dicta Resol.* 71. loquens quoàd publicum cultum: Granadus tamen *in* 1. *part. to.* 3. *de Angelis tract.* 16. *disp.* 2. *num.* 3. apud Pistachium *ubi suprà*, dicit hujusmodi nomina reperiri Romę in quodam Altari S. Mariæ Angelorum; sed hodiè, ut ipse vidi, ibi reperiuntur quidem septem Angelorum effigies; at eorum nomina abrasa fuisse, cernitur, & testatur Eminentissimus Albitius *de Inconst. in fide cap.* 40. *num.* 156.

58 Advertendum tamen est, quod in canone Missę Æthiopum nominatur Angelus Vriel, quem etiam veneratus est Henricus Imperator in Templo Basiliensi: Habetur etiam mentio hujusmodi Angeli Vrielis *in lib.* 4. *Esdræ*, & licèt dictus liber non sit ab Ecclesiâ canonizatus, est tamen maximæ auctoritatis, vt videre est penès Hurtad. *loc. cit. num.* 1781. Prętereà complures Sancti admittunt eumdem Angelum Vriel, scilicet Ambrosius *lib.* 5. *de fide ad Gratian. cap.* 2. Isidor. *lib.* 7. *origin. cap.* 5. & Bonaventura, *in centiloqu. part.* 3. *sect.* 18. Imò Sybilla Ærithræa nominat Angelum Eromiel; Angelum Uriel; Angelum Saniel; & Angelum Azael. Habemus quoque, Deum revelasse B. Joanni de la Cruz nomen ejus Angeli Custo-

Custodis, dicens, vocari Laurielem, & tandem addit Hurtad. *ubi suprà*, non esse statim reputandum nomen dæmonis illud, quod quis alicui Angelo tribuit: Sed cautè in hac re procedendum est, nam novitas est semper suspecta, quarè sapienter Hieronym. *ad Pammachium, & Oceanum -- Cur post* 400. *annos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Usquè ad banc diem sinè istâ doctrinâ mundus Christianus fuit.*

59 Inter has superstitiones numerari etiam possunt miracula, & relevationes, quæ evulgantur, vel ad affectandam Sanctitatem, vel ad emugendas crumenas: Pistach. *de Superst. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 4. Exemplum his propemodùm diebus vidimus in illis duobus Religiosis, qui per totam Urbem, ac totum Catholicum orbem, Divi Gaetani apparitiones jactitabant: Sed tandem vidimus quoquè utrumquè Romæ in S. Officij carceribus mancipatum, ac postquàm eorum alter de hæresi formali; alter, cui dicebantur factæ apparitiones, de vehementi abjuraverit, ille perpetuò; hic ad septennium carcere damnatus, dignas pęnas ambo luerunt, ac imagines, quibus pictæ erant eædem apparitiones, correctionem subierunt, ex quo innuitur, quod, quamvis revelationes non
60 sint signa Sanctitatis, nam factę fuerunt etiam Sybillis, & plerisque aliis, ut superiùs diximus: Et proindè putat Pignatell. *tom* 1. *consult.* 236. quod pingi possint eorum, qui non sunt canonizati, imagines cum revelationibus; nihilominùs spectanda est, atque attendenda mens, & intentio incolarum, an scilicèt penès ipsos hujusmodi revelationes sint signa Sanctitatis, ut ponderat idem Pignatell. *ubi suprà*: Eo magis advertendum est, an in dictis revelationibus intervenerint apparitiones, & quęnam personę fuerint, quibus dicuntur factæ.

Quinimò ex decreto Vrbani VIII. edito *die* 13. *Martij* 1625. ut videre est apud Pistachium *de Superstit. part.* 1. *cap.* 6. *& sub num.* 19. nec eorum, quos credimus Sanctè vixisse, facta publicare possumus in ipsorum vitis describendis, tamquàm miraculosa; nec narrare revelationes, quas credimus eos habuisse; nec miracula, & gratias, ipsorum intercessione acceptas. (Vide etiam Transm. *de denunciat. qu.* 4. *cap.* 8. *num.* 8.

61 Ne autem virorum præclara gesta, ac revelationes delitescant, quâpropter Petrus Cluniacensis graviter dolebat, quod quæ in dies eveniunt, & prodesse legentibus possunt, dispereant deficientibus illis, qui ad ea conscribenda animum intendant, idem Summus Pontifex Urbanus, cujus declarationem expendit Matta *de Canonizat. part.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. *& pluribus seqq.* posteà permisit, narrari facta, quæ Sanctitatem operantis comprobarent, ut moris semper fuit Ecclesiæ, tàm in veteri Testamento, quàm in novo, quemadmodùm advertit Baldell. *de Dei adorat. & orat. lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 13. illudquè permisit fieri etiam sinè ullo Ordinarij examine, & approbatione, cum protestatione tamen in principio, & calce librorum, quod omnis fides sit penes authorem, quæ Protestationis forma traditur à Pistachio *de Superst. part.* 1. *cap.* 6. *nu.* 20. sed in Sacrâ Rituum Congregatione, quoties ageretur de beatificando viro, cujus miracula, & gesta absquè examine, & approbatione Ordinarii descripta sunt, tunc hujusmodi narratio nullam fidem faceret, etiamsi ob longum temporis spatium ex dictâ miraculorum descriptione oriretur fama Sanctitatis, utpotè proveniens ab erroneâ causâ: Rota *decis.* 158. *n.* 14. *par.* 10. *Rec.* ex auctoritate Bart. *in l. de minore* §. *plurium*, *n.* 18. *ff. de quæst.* Aym. *cons.* 366. *num.* 45. Roland. *cons.* 30. *num.* 48. *lib.* 1. Alexander. *cons.* 173. *nu.* 11. *lib.* 6. & Cyriac. *controuers.* 150. *nu.* 47. secus si adesset examen Ordinarii, ac ejus approbatio; vel si complures narrarent eadem, dummodò ex eodem fonte notitiam hujusmodi non habuissent: Numquàm verò ex ipso Vrbani
62 decreto licet Imagines quorumcumq; virorum pingere cum laureolis, vel alio sanctitatis signo, donec, & quousquè non fuerint ab Ecclesiâ in Sanctorum Cathalogum recensiti, quod intelligendum est tàm in locis publicis, quàm in privatis: Pistach. *dict. cap.* 6. *num.* 13. Matta *de Canonizat. par.* 1. *cap.* 3 *nu.* 23.

63 Ad eorumdem tamen sepulchra minimè vetitum est, deferre tabellarum vel Imaginum oblationes in testimo-

nium gratiæ acceptæ: Transm. *de denunc. qu.4. cap.8. num.* 18. Pistachius *laudato cap.6. num.* 10. & P. del Bene *dub.* 234. *sect.2. petit.* 12. *num.* 5. debent nihilominùs amoveri, & deindè recipi attestationes eorum, qui tabellas ipsas, vel imagines detulerunt, & aliorum quoquè, quos facti conscios esse pateat, ac omnia ad Ordinarios referri, quæ in secreto seorsim ab Ecclesiâ custodiatur, *ut si quando* (sunt verba ipsius Pontificis *in Brevi Cælestis Hierusalem*, *edito die* 5. *Iulii* 1634.) *Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis, qualescumquè probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ*, & notarunt Matta *de Canoniz. Sanctorum. par.* 5. *cap.* 2. *num.* 5. 11. *& plurib. seqq.* Castellin. *de Canonizat. cap.* 2. *num.* 48. *&* 57.

Non idem dicendum de Votis publicis, qualia sunt, quæ offeruntur nomine alicujus Civitatis, vel Loci: Pignatell. *tom.* 1. *Consult.* 209. nec de Lampadibus, ac cereis accensis, quæ non solùm denotant lucem æternam, quæ mortuorum animabus affulget, sed etiã ex usu totius Ecclesiæ præseferunt cultum publicum, undè accendi non possunt, nisi sanctis, & antè Reliquias Sanctorum, quemadmodùm benè ait Baldell. *ubi suprà*.

64 Nec licet, attributa sãctitatis assignari viris, qui ab Ecclesiâ non sint uti sancti approbati: Pistachius *dict. cap.* 6. *n.* 11. Verùm Pignatell. *to.* 1. *consult.* 79. *& consult.* 501. ait, cultu privato Sanctos credi, & appellari posse, qui nondùm fuerunt canonizati, ipsosquè invocari, etiam aliis audientibus, & docent Bellarm. *lib.* 1. *de Sanctis, cap.* 10. Molfesius *cons.* 45. *n.* 64. *& consult.* 55. *n.* 20. ac alii, quos citat Pistachius *ubi suprà, cap.* 6. *num.* 1. Item in eorum memoriam nos posse jejunare, ac in ipsorum natali die à servilibus abstinere, idquè etiam aliis scientibus. Hæc autem omnia fieri non possunt in honorem amici alicujus defuncti, qui sanctè minimè vixit, & tantò magis improbandus est Spondanus, qui *to.* 3. *pag. mihi* 1523. venerandâ sanctitatis attributa contaminat, primos vocans Lutheri martyres eos, qui primùm propter hanc impiam sectam passi sunt.

CAPUT III.

De iis, qui Sacramentis abutuntur.

SUMMARIUM.

1 *Abutentes Sacramentis sunt de hæresi suspecti.*

2 *Sacrilegii enormitas etiam ab Ethnicis detestata.*

3 *Atrocitas sceleris in Sacramentorum abusu.*

4 *Hæresis suspicio inducta ex abusu Sacramentorum, levis non est, quocumq; modo consideretur.*

5 *Ludovicus Correa rejicitur, putans, ex concupiscentiâ excusari Sacramentis abutentes.*

6 *Sacramentorum abusus hæresis inducit suspicionem, quia hæretici, vel despiciunt omnia Sacramenta, vel nonnullis abutuntur.*

7 *Non quilibet Sacramentorum abusus inducit hæresis suspicionem, & qualis abusus inducat?*

8 *Quomodò poterit cognosci, quod Sacramentorum abusus habeat fundamentum in hæresi.*

9 *Ex qualitate personæ abutentis judicatur etiam de abusu Sacramentum an inducat hæresis suspicionem?*

10 *Quamvis non omnis Sacramentorum abusus inducat hæresis suspicionem aliquis tamen abusus Sacramentorum eam inducere potest in quolibet Sacramento.*

11 *Quod modis abusus in Sacramentis possit contingere?*

1 BENIGNITAS, quâ leges excusare solent delinquentes à suspicione erroris, quandò scelus ob vehementiam obiecti adeò enorme non sit, ut justè censeatur deterrere potuisse ab illius patratione mentem benè dispositam in fide, zelo domus Dei accenditur contrà sacrilegos, undè necessariò sequitur, abutentes Sacramentis, de hæresi esse suspectos, pròut quoquè docent Lucerna Inquisit. *vers. Sacram. abusus*, Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *in princ.* Salell. *lib.* 5. *c.* 5. *Regul.* 394. *n.* 386. *tom.* 3. Pasqualig. *quæst. moral. canon.* 99. *fol.* 213. Panimoll. *decis.* 63. *numer.* 29.

nam

nam debuerat ipsos deterrere sacrilegii
2 enormitas, etiam ab Ethnicis cognita, undè Horatius:

Nec vincet ratio hoc tantumdem, ut peccet idemquè
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divum Sacra legerit.

Imò Alex. Magnus, teste Diodoro Siculo *lib.* 17. *in* 9. *anno*, in Olympicis ludis per præconem significare fecit omnibus exulantibus, præter sacrilegos, reditum in Patriam sibi concedi; & Domitianus, ut narrat Svetonius *in ejus vitâ, cap.* 8. jussit, monumentum à quodam ex suis libertis paratum lapidibus, Templo Jovis Capitolini destinatis, penitùs destrui, ossaquè, & reliquias in mare proiici.

3 Quid igitur erit dicendum de atrocitate abusus sacramenti, in quo non res falsis Diis consecratæ violantur, sed ipse Christus, è cujus latere Sacramenta fluxerunt? Ideoquè summi Pontifices in suis constitutionibus, quibus submittunt Sacramentorum abusus Inquisitoribus, habent eam clausulam: *Nos in animum inducere nequeuntes, quod ille benè sentiat de fide, qui malè utitur Sacramentis.*

4 Nec levis est suspicio, quam incurrunt: Si enim Sacramentis abutantur ad maleficia, seu ad incantationes, eo casu vehementer suspectos esse, suprà diximus, & probat Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 14. ubi hæreticalia vocat ea omnia, in quibus fit Sacramentorum abusus.

Si verò abutantur ad explendam impudicitiam, aliamque passionem, tunc etiam abutentes non excusantur à suspicione vehementi, quæ oritur à jure, attentis suprà dictis constitutionū verbis: Hurtad *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 11. *Resol.* 3. Ricci *in prax. Aur. Resol.* 434. *to.* 1. Præterquā quod tanta criminis atrocitas, de quâ suprà, parit suspicionem theologicam, juxtà eumdem Hurtad. *ubi suprà, cap.* 1. *Resol.* 1. §. 1. *in fine.*

5 Fallitur ergò Ludovicus Correa, quem sub nomine Præceptoris allegat Moura *sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. putans ex concupiscentiâ excusari abutentes. Quamvis enim, qui fornicationis, vel usuræ, vel furti crimina patrat, quæ & ex errore intellectus committi possunt, non incurrat hæresis suspicionem, attamen horum criminum gravitas non tanti est, ut potiùs ex errore intellectus præsumantur commissa, quam ex aliâ causâ. Eò magis, quia etiam in gravissimis delictis, vulgaribus tamen, stat præsumptio mentis non hæreticæ prò peccatoribus, sumpta à communiter accidentibus: Quod dici nequit de atrocibus non vulgaribus, ut rectè ratiocinatur idem Moura *ibidem, nu.* 24.

Nec implicant illa duo inter se, scilicet, quod finis proximus obtineri possit absque errore intellectus, & quod crimen grave ratione suæ enormitatis inducat suspicionem, commissum fuisse & propter delectationem, & quia credebatur licitum.

6 Alia addi potest ratio, quarè Sacramentorum abusus hæresis suspicionem inducat, & est, quia hæretici, sivè despiciunt omnia, vel nonnulla Sacramenta, sivè ipsis abutuntur.

At quoties videmus hæreticorum facta, suspicari possumus hæreticorum errores, cum animus lateat, ut docet P. Soto *in relect. de Propositione hæreticâ*, cujus sententiam adversùs Castrum, Mouram, & Paramum, tuetur Hurtad. *dict.* §. 1. *num.* 6. & quamvis hujusmodi opinio secundùm sensum, quem eidem opinioni Castr. & alij malè tribuunt, non sit magni ponderis, quoniam eadem peccata, quæ ab hæreticis perpatrantur, etiam Catholici sinè ullâ hæresis suspicione committant; attamen si uniatur cum superiori ratione ex criminis atrocitate desumptâ, satis, superquè sufficiens erit ad persuadendum.

7 Hoc tamen non adeò strictè sumendum, ità ut quilibet Sacramentorum abusus reputetur capax ad inducendam hæresis suspicionem: Etenim non quælibet criminis atrocitas sufficit ad hunc finem, quarè prudenter ait Transm. *de Denunciat. q.* 4. *cap.* 9. in hac materiâ oservandum esse, an quis celebret, ministret, aut recipiat aliquod Sacramentum ad finem obtinendi medio Sacramento rem, aut effectum aliquem illicitum; hic enim abusus involueret suspicionem hæresis, qualis esse solet in sortilegiis, in quibus Sacramenta, aut sacramentalia admiscentur. Abusus au-

tem ille, quem generalem dicere possumus, utpotè si quis neglecto obice irregularitatis, vel alicujus censuræ; vel non jejunus; vel lethalis peccati sibi conscius, celebret Sacerdos; vel Sacram Eucharistiam sumat laicus, per se non involuit hæresis suspicionem.

Verùm si in Sacramentorum abusu non reperiatur hujusmodi atrocitas, potest tamen ex illo oriri suspicio, quoties fundamentum habeat in hæresi, prout requiritur ad hunc effectum, non verò tantummodò in illicito usu: Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *num.* 20. quod etiam innuit Lupus *in Edictum, par.* 2. *lib.* 14. *dist.* 6. *art.* 3. *diff.* 1. *in fine*.

8 Ut autem dignoscatur, an habeat fundamentum in hæresi, inspiciendum est, an sufficientia concurrant argumenta, quod abutens credat, sibi licitum esse abuti: Qui enim (ait Hurtadus *loco cit.* §. 2. *num.* 16.) committit simplicem fornicationem, & immediatè post, sinè præviâ confessione, cum possit, vadit ad communicandum, est quidem suspectus de hæresi, & subjacet Inquisitoribus: Imò respectu cujuscumque delicti hæc credulitas inducit hæresis suspicionem: Transm. *de Denunciat. qu.* 4. *cap.* 9. *num.* 1. Sed hujusmodi credulitas debet apparere, cum non præsumatur, nec ex hoc, quod abutens imitetur facta, quæ ab hæreticis sint permissa, desumi potest, ipsum fuisse in tali credulitate: Transmiera *loco cit. num.* 3. ubi tamen ait, contrarium esse tenendum, quotiescumque abusus, in quem incurritur, magis communiter ab hæreticis laudaretur, & probaretur, & de eo plures essent speciales hæreses.

9 Inspiciendum est etiam, quinam sit, qui abutitur, quarè narrat Transm. *ibid. num.* 35. de se, cum esset Fiscalis in Vallisoletana Inquisitione, & denunciati fuissent duodecim Lusitani in nundinis (sunt ejus verba) euntes, quod antèquam comederent, semper manus lavabant, adjunctis alijs adminiculis, præcipuè, quod ex Judæorum stirpe originem traxissent; capti omnes tandem confessi sunt, lotionem illam manuum confecisse in observantiam Judaicarum cęremoniarum, & omnes reconciliati fuerunt, ex quibus unus Gonzalo Lopez nomine, pertinax in errore per multum tempus extitit.

Sunt etiam aliæ regulæ, de quibus suprà in præliminaribus, & infrà, quæ & militant quò ad delicta, ut dignoscatur, an inducant hæresis suspicionem.

10 Quamvis porrò quilibet Sacramentorum abusus non inducat hęresis suspicionem, aliquis tamen cujuscumquè Sacramenti abusus eam inducere potest, sivè intelligatur de Sacramento Baptismi, sicut apparet ex Gloss. *in verb. sapiunt, de hæret. in* 6. *super cap. accusatus* §. *sanè*; sivè sermo sit de Sacramento Confirmationis, quemadmodum videre est apud Sayr. *de censur. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 27. sivè loquamur de Sacramento Eucharistiæ de quo testatur Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *num.* 11. Carena *par.* 2. *tit.* 11. §. 1. *num.* 3. Hurtad. *loco cit. cap.* 2. *Resol.* 6. Ricc. *in prax. Aur. tom.* 1. *Resol.* 433. *pag.* 194. *col.* 2. sivè intelligamus de Sacramento Pœnitentiæ, ut constat ex Baldell. *de fide, & infidelit. lib.* 8. *disp.* 60. *num.* 21. ex Fermosin. *in* 3. *par. qu. prò S. Officio, qu.* 4. *num.* 20. & ex Hurtad. *ubi suprà, Resol.* 3. sivè de Sacramento Extremæ unctionis, prout liquet ex regulâ generali Gloss. *in cap. accusatus* §. *sanè*, *vers. saperent*, *de hæret. in* 6. sivè tandem de Sacramentis Ordinis, & Matrimonij, sicut clarum est ex dictâ regulâ, & ex Hurtad. *loco cit. Resol.* 4. & 5.

11 Ut autem differamus de quolibet Sacramentorum abusu, observandum est, ipsum committi posse, vel in conficiendo; vel in offerendo; vel in conferendo; vel in suscipiendo; vel tandem in omittendo: Igitur de his singulis abutendi modis est agendum.

SECTIO I.

De abusu Sacramentorum in conficiendo.

SUMMARIUM.

1 *Septem modis contingere potest abusus Sacramentorum in conficiendo.*

2 *Abusus in conficiendo in quibusnam Sacramentis committi possit?*

IN

1 IN conficiendo Sacramentum committitur abusus, si conficiatur,
Primò, sine potestate;
Secundò, non debitâ materiâ;
Tertiò, non debitâ formâ;
Quartò, non debito loco;
Quintò, non debito tempore;
Sextò, non debitis ceremoniis,
Septimò, non debitis dispositionibus.

2 Quoniam verò Sacramentorum quædam dicuntur conferri, ut sunt Baptisma, Confirmatio, Extrema Unctio, & Ordo; quædam autem confici, ut Eucharistia, Pœnitentia, & Matrimonium; Abusus, de quibus nunc sermo instituitur, cum in conficiendo committantur, ad hæc tria Sacramenta referuntur; ideòque exposcit ordo, ut primùm de abusu, qui oritur ex defectu potestatis in conficiendo Sacramento Eucharistiæ, differamus.

SUBSECTIO I.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ex defectu potestatis.

SUMMARIUM.

1 *Hæretici sacrificandi potestatem fæminis faciunt.*

2 *Lutherus potestatem tribuit omnibus Laicis Eucharistiam conficiendi.*

3 *Qui non Sacerdos celebrare Missam præsumit, est de hæresi suspectus.*

4 *Ampliatur, etiamsi solùm attentet Missam celebrare: Contrarium tenent alii.*

5 *Hæreticorum error, quod sacrarum vestium usus sit communis etiam laicis.*

6 *Qui sacras vestes assumit ad Missæ celebrationem, non est vehementer de hæresi suspectus.*

7 *Qui non Sacerdos celebrans elevat hostiam, facit, ut fideles in crimen Idololatriæ ignoranter incurrant.*

8 *Idipsum dicendum de Sacerdote celebrante, & non consecrante.*

9 *Non excusantur prædicti, quamvis fideles adorantes committant tantùm Idololatriam materialem.*

10 *Inserviens Celebranti non Sacerdoti, si sciat non esse Sacerdotem, est ipse quoquè suspectus.*

11 *Ioannis Moschi historia de non Sacerdote celebrante, qui à Deo visus fuit approbari, est suspecta.*

12 *Non Sacerdos audiens Confessiones abutitur sacramento pœnitentiæ, & est vehementer de hæresi suspectus, & quarè?*

13 *Audientes Confessiones Sacramentales, absquè Sacerdotio, sunt puniendi, et si essent mente læsi; idipsum de iis, qui per jocum audirent, si penitens seriò confiteretur.*

14 *Prædicti adhùc sunt suspecti, licet absolutionem non impertiantur.*

15 *Thesaurus contrarium asserit, sed reiicitur.*

16 *Tria requiruntur ad legum validitatem: Primò, quod condantur; Secundò, quod promulgentur; Tertiò, quod moribus utentium approbentur.*

17 *Non est suspectus de hæresi audiens confessionem, quæ vel consolationis gratiâ, vel humilitatis causâ fieri solent, dummodò non absolvat.*

18 *Laicus in articulo mortis absolvens excommunicatum, non est de hæresi suspectus.*

19 *Mos olim viguit confitendi laicis, ubi allegatur auctoritas D. Thomæ ad rem.*

20 *Historia ad probandum morem prædictum.*

21 *Confessio olim facta non fuit laicis, veluti Ministris pœnitentiæ sacramenti.*

22 *Sacerdos audiens Confessiones, sinè jurisdictione, non incurrit hæresis suspicionem.*

23 *Non tantùm validè, sed etiam aliquandò licitè Sacerdos audit Confessiones sine jurisdictione.*

24 *Sacerdos quilibet in locis infidelium audit confessiones ex declaratione Sac. Congr. Supremæ Inquisitionis.*

25 *Regulares audientes Confessionem in aliâ Diœcesi ab eâ, in quâ fuerunt approbati, sunt suspecti de hæresi: Ratio hujus.*

26 *Idipsum dicendum de regularibus præsumentibus habere potestatem absolvendi à reservatis.*

27 *Polygamia inducens hæresis suspicionem, non est Polygamia successiva, sed simultanea.*

28 In

28 *In Oriente olim Trigamia ex consuetudine matrimonium irritabat.*

1 ANTIQUITUS Montanistæ sacrificandi potestatem fecerunt Quintillæ, & Priscillæ, teste Augustino *lib. de hæresibus, ad quod vult Deus, hæresi* 27. quem errorem etiam Marcitis Irenæus *adversùs hæreses, lib.* 3. *cap.* 9. & Collyrdianis Epiphanius *hæresi* 79. adscripserunt: Hos sequuti sunt Waldenses, qui cuilibet laico, modò vir esset frugi, hujusmodi facultatem concesserunt, ut scribit Rainerus *in libro contrà Vvaldenses, cap.* 5. Tandem Lutherus, cæteros
2 impietate superans, asseruit, non modò pijs laicis (ut Vualdenses docuerunt) sed etiam impiis inesse potestatem Eucharistiam conficiendi, ut patet ex ejus *lib. de captivitate Babyl. c. de Ordine*: *Quicumquè*, inquit, *se Christianum esse cognoverit, fatebitur omnes nos esse æquales Sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo, & Sacramento quocumque habere potestatem*, ac ratione in articulis à Leone X. damnatis *art.* 13. reddens, ait: *Qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet; ubi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas, & libertas*: In quem errorem invehit Cardinalis Bellarminus *contr. tom.* 3 *de Sacram. lib.* 1. *ca.* 24. *& seq.* & post eum Torreblanca, quem sæpè sępius appellauimus, *Iuris spirit. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 33. & increpat Pasqualig. *de Sacrif. Novæ legis, tract.* 1. *qu.* 135. *à num.* 2.

3 Erit igitur suspectus de hæresi, qui non sacerdos Missam celebrare præsumat, prout infert Gregor. XIII. in Bullâ, quæ incipit: *Officii nostri*; & erit suspectus de hæreticorum tunc temporis erroribus: Carena *par.* 2. *tit.* 11. §. 1. *n.* 3. Alberghin. *in Man. cap.* 25. Carthar. *decis. Archiepis. Mediolan.* 13. *n.* 10. *&* 11. Ital. *de Immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *n.* 135. vbi, quod etiam verus reputatur hæreticus: Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *n.* 13. ubi probat esse vehementer suspectum, Eminentissimus Albitius *in libello*, cui titulus est, *Risposta all' Historia della Sacra Inquisitione, pag.* 138. latè Limborch *in histor. Inquisit. lib.* 3. *c.* 16. Scortia *de Sacrificio missæ, lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 10. Zypeus *in jur. Pontific. lib.* 5. *tit. de Cleric. non ordinan. celebr.* & alii, quos citat, & sequitur P. del Bene *de Officio S. Inquis. par.* 2. *dub.* 210. Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 1. Salell. *de Mater. Tribun. lib.* 1. *Reg.* 126. *nu.* 18. Mar. Ital. *de Immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *num.* 135. Leo *Thesaur. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 57. *&* 58. Pac. Jord. *lucubr. to.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 5. *&* 6.

4 Hujusmodi propositio procedit etiā si solummodò attentet, idest, si eat ad Ecclesiam, ac vestibus Sacerdotalibus se induat, animo celebrandi, licet posteà pœnitens, vel impeditus non inchoet: Carena *par.* 2. *tit.* 5. §. 11. *num.* 60.

Contrarium tamen tuentur nonnulli, & sunt Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 32. Del Bene *de offic.* S. *Inquisit. par.* 2. *dubit.* 210. *num.* 7. & alii apud Salell. *de mater. Tribunal. lib.* 1. *cap.* 15. *reg.* 125. quibus ipse aliquo modo adstipulatur, dicens, non ex vi ipsarum constitutionum Pontificiarum eum, qui hujusmodi vestibus induit, subdi Officio S. Inquisitionis; sed ob præsumptionem
5 erroris, qui inter hæreticos nostri temporis vigent circà dictas vestes, quod scilicet usus earum sit communis quibuscumquè tàm laicis, quàm Ecclesiasticis: Ita Salelles:

Hæc hæreticorum pravitas fuit antiquitùs à Diaboli malitiâ excogitata, vt homines laici ad dedecus, & confusionem Christi Dei nostri, & Ecclesiæ ipsius, ac Sacerdotalis dignitatis, sacris amictu, & stolis induerent: P. Bin. *tom.* 6. *pag.* 818. *& seqq.* quod nefas in Ecclesiâ Dei permitti non poterat, & proindè fuit expressè damnatū, ut habetur *ex actis octavæ Synodus Constantinopolitan.* 4. *act.* 9. Advertit proindè Bordon. *loco cit. n.* 15. *in fine*, quod is, qui sumit sa-
6 cras vestes ad missæ celebrationē destinatas, subdatur Inquisitoribus, & sit de heresi suspectus, nō tamen vehementer, propter scilicet eamdem rationem, quâ efficitur suspectus uxoratus, qui sponsalia contrahit, idest propter dispositionem ad actualem Sacramenti abusum.

Quid igitur erit dicendum, si inchoet, licet non perficiat? Idem prorsùs: Sa-
7 lell. *loco cit. num.* 11. At quid, si elevet hostiam? Tunc enim quantum in se est, proponendo panem, vel vinum adorandum Christi-fidelibus, tamquàm verum Chri-

Christi Domini Corpus, et Sanguinem, efficit, ut ipsi ignoranter incurrant in Idololatriæ crimen, sicut ipse per actus extrinsecos, et per externa Religionis signa idololatrat, ut patet ex constit. Clem. VIII. et tradit P. Salell. *in dictâ Reg. & lib. 5. cap. 5. Reg. 394.* undè hoc casu eum puto effici vehementer suspectum.

Et quamvis proferat verba consecrationis, nihilominùs cum careat potestate consecrandi, semper ad crimen Idololatriæ reducitur ejus malitia: Sousa *in Opusc. de sollicitat. tract. 1. cap. 9. num. 19. & in Aphorism. lib. 1. c. 32. n. 6. & 7.* Carena *tit. 11. §. 3. num. 15. vers. in has autem*; sicut è converso, si non proferat verba, hujusmodi suspicionem non evitat, quòd intelligi debet tàm
8 de Laico, quàm de sacerdote: Etenim non Sacerdos celebrans, & Sacerdos fictè celebrans in hoc æquiparantur: Bordon. *loco cit. num. 13.* Idcircò missæ siccæ usus respectu veri Sacerdotis improbatur, ex latè deductis apud Pasqualig. *de Sacrific. nov. leg. qu. 234. per tot.*, nisi celebret in loco privato ad edilcendas cæremonias Ecclesiasticas, ut moris est, præcipuè illis in locis, in quibus Sacerdotes instruuntur: Thomas Hurtad. *tom. 1. resol. moral. tract. 2. c. 7. n. 312.* Diana *tom. 2. tract. 1. resol. 128. & 144.* Ant. August. *2. part. lib. 24. part. poster. tit. 19* Lantmeter. *lib. 2. de vetere Cleric. cap. 84.* Durant. *lib. 2. de ritibus Eccles. c. 4.* & Navarr. *in miscell. de oratione, miscell. 88.* En igitur in quam syrtem Luthæri error impingat, ità ut ab ipso permittatur Idololatriæ crimen.

9 Adversùs tamen ea, quæ diximus, insurgit non levis objectio: Etenim præcipua ratio, quare hujusmodi abusus inducat hæresis suspicionem, videtur esse, quia Idololatriam in adstantibus causet: Sousa *ubi suprà, nu. 7.* At hi cum tantummodò materialiter idololatrent, consequenter minimè peccant, quoniam, si nõ est certum certitudine fidei, consecrationem esse peractam, & Christum adesse, ut inquit Lorca *disp. 10. num. 15. & 17.* & antè eum, D. Thom. *2. 2. q. 1. art. 3. ad 4.* quem sequitur Corduba *lib. 1. qu. 17. initio §. tertium dictum, sub §. 1.* est tamen certum certitudine humanâ, quæ sufficiens est regula voluntatis: Quæ quidem doctrina huic nititur rationi, quia sivè objectum sit falsum, sivè verum re ipsâ, satis est, ut appareat verum, undè nulla conditio requiritur: Ità qui reddit debitum conjungale mulieri, quam suam uxorem notitiâ humanâ existimat, licet reverà ea non sit, & nullâ prorsus conditione reddat, ritè agit. Virtutes enim morales non attingunt infallibiliter verum materialiter, sed verum practicum, ut bonum, quod apparenti veritate fulcitur: Imò juxtà Card. de Lugo *de incarnat. disp. 37. sect. 4. num. 46.* ad tollendum Idololatriæ crimen, sufficit conditio implicita, seù virtualis legittimæ peractæ consecrationis, ità ut ex eo, quod adstantes adorent, quia credunt, & si scirent hostiam non esse consecratam, non adorarent, dicantur immunes ab omni Idololatriæ suspicione: Hoc tamen non obstante, qui sic celebrat, ipse idololatrat; & ex se, quantum potest, operatur, ut cæteri idololatrent, cultumquè vero Christi Corpori debitum, tùm per se, tùm per alios, quos decipit, hostiæ non consecratæ tribuit.

Præter quam quod hujusmodi abusus habet fundamentum in errore, qui magis defenditur ab hæreticis, utpotè Ecclesiasticam hyerarchiam impugnantibus, quam rationem ponderat quoquè Salelles, præcipuè *in laudat. reg. 394. sub n. 374.* Idcircò hujusmodi celebratio ingerit hæresis suspicionem, ut novissimè ait quoquè ex Pignatell. Pascuccius *in suo compendio, de missæ Sacrificio, pag. 49. col. 1. §. celebrans,* ubi posteà
10 *sub §. inserviens*, addit, inservientem celebranti non Sacerdoti, quem scit esse talem, posse torqueri super intentione; cogi ad abjurandum de vehementi; damnari ad triremes per quinquennium; ac suspendi perpetuò à munere inserviendi missæ.

11 Nec censeri debet, Deo quondã non displicuisse, ut qui non erant Sacerdotio insigniti, consecrassent, ex eo quod Joannes Moschus *in Prato spirituali, cap. 25.* referat, Monachum Laicum panes quosdam prolatis verbis evangelicis consecrasse, eamquè consecrationem ratam ab Angelo denunciatam fuisse

fuisse; non ità, inquam, censeri debet, nam, ut benè respondet Iuvenin. *de Sacramentis, pag.* 421. *col.* 2. multa, quæ in Joannis Moschi spiritale Pratum irrepserunt, dubiæ sunt fidei, præterquam quod, quæ miraculosè fiunt, in regulam trahi non debent; quamobrem admisso etiam ejusmodi facto, non sequitur, ex institutione divinâ esse penès alios, Sacerdotali charactere non insignitos, potestatem consecrandi.

12 Dicitur etiam committi abusus in conficiendo sinè potestate, quando quis non Sacerdos audit confessiones Sacramentales: Bordon. *in Tribun. c.* 22. *num.* 12. ubi firmat, eum esse vehementer suspectum: Salelles, P. del Bene, & Limborck. *locis superiùs citatis*.

Quippè extant constitutiones Apostolicæ, de quibus Salelles *d. cap.* 15. *Reg.* 225. *&* 126. & nos infrà, juridicam hanc suspicionem inducentes: Præterea comprobatur talis suspicio theologicè, nam habet hujusmodi abusus fundamentum in hæresi, cum videatur sic abutens credere id, quod Calvin. *lib.* 4. *instit. cap.* 19. tuebatur, nempè hoc Sacramentum esse Romanæ Ecclesiæ nostræ commentum, mendacium, & imposturam; ità ut, quemadmodum ipse asserebat, qui confessiones Sacramentales audiret, uteretur hujusmodi Sacramento, veluti imposturâ, ad secreta cordis exploranda.

Videtur etiam sentire cum Luthero, qui de clavibus evomit hanc blasphemiam: *Cessent hominum mendacia; claves sunt totius Ecclesiæ, & cujuslibet membri ejus, tàm jure, quàm usu, & omnibus modis*: Præterea solum Sacerdotem esse ministrum Pœnitentiæ, contrà errores Joannis Wicleff definivit Concilium Constantiense, ut notat Merbes. *in summ. Christian. dissert.* 4. *q.* 29.

13 Justissima est igitur severitas S. Tribunalis adversùs hos impios, qui non Sacerdotes audiunt Confessiones Sacramentales; quinimò Bordon. *ibidem*, Mar. Ital. *de immunit. d. cap.* 5. §. 6. *n.* 136. dicunt, puniendos esse, licèt mente læsi reperiantur.

Nec ex eo, quod per jocum audiantur confessiones, à suspicione qui audiunt, eximuntur. Quamvis enim, si tàm confessionem audiens, quàm confitens, lusoriè id agant, modò non adsit Sacramenti contemptus, & neuter originem trahat à natione infectâ hæresi Lutheranâ, pròut advertit Transmiera *de denunciat. qu.* 4. *cap.* 5. *circà finem*, nulla oriatur suspicio; attamen si confessionem audiens jocosè se gerat, confitens verò, putans eum esse reverà confessarium, seriò agat, tunc utiquè respectu jocantis oritur hæresis suspicio: Transm. *loco cit.* ùbi ait, eum esse denunciandum: Ratio est, quia actus ille externus seriò agentis inducit suspicionem, quod qui se confessarium simulat, vel putet, se idoneum esse Ministrum; vel cum spretu ministret Sacramentum.

14 Similiter, non quia absolutionem non impertiantur, qui non Sacerdotes audiunt confessiones, liberantur à tali suspicione: Freyta *de confess. sollicit. qu.* 18. *num.* 36. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 33. *num.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 11. licèt obscurè, Salelles *citatâ Reg.* 226. *num.* 20. & alii, quidquid dicant Sanctarellus *de hæresi*, *cap.* 42. *dub. unic. n.* 5. & Acunna *de confess. sollicit. q.* 13. *num.* 14. quos etiam respuit Salelles *ubi suprà*. Quare Urbanus VIII. taliter abutentes statuit, puniendos esse ab Inquisitoribus: Quin ordinariâ pœnâ plectendos declaravit in Congregatio-

15 ne S. Officii: Undè cautè legendus Thesaurus *de pœnis Eccles. part.* 2. *c.* 1. *verb. absolutio Sacramentalis*, asserens, hujusmodi declarationem non afficere, utpotè promulgatione carentem, & rigorem verborum legis scriptæ excedentem: Quoniam emanavit hujusmodi declaratio sub *die* 9. *Februarii* 1640. quandò anteà lex scripta, hoc est Bulla ipsius Urbani VIII. 79. *Apostolatus*, aderat ità præscribens: *Qui imposterùm ad Sacrum Presbyteratus ordinem non promotus, Missam celebrare, aut Confessionem Sacramentalem audire præsumpserit, &c.* nec afficit, quod constitutiones Pauli IV. & Gregorii XIII. *Officii nostri* 21. ut ponderat Thesaurus, loquantur de audiente, & absolvente, ac, ut ipsi Thesauro videtur, rationabiliter, quia sic ministrantes decipiunt, & damnum grave inferunt fidelibus, ex eo quod absolvant; quæquè ratio expressa fuit in Bullâ Clementis VIII. incipien. *Et si alias*, & proindè id, quod

ipse

ipse Clemens VIII. repetit simpliciter in pœnis adversùs hujusmodi audientes per illa verba, *hisce delinquentibus*, videatur intelligendum etiam quòad absolventes.

Nec paritèr obstat, quod Urbani VIII. Constitutio inhæreat præcedentibus Constitutionibus, ut ibi asseritur, itàut debeat intelligi, quod hæc procedat contrà eos, qui etiam absolvunt: Nec tandem suffragatur id, quod Thesaurus subjungit, scilicet legem pœnalem in dubio strictè interpretandam esse, & consequenter, quod de actu consumato intelligatur.

Hæc inquam, non obstant, nam prò præsumptione, seù interpretatione non est opus, rationes comminisci, quando lex est clara, & per se loquitur: Imò etiam admisso, quod Constitutio Urbani VIII. esset obscura, attamen ab ipso enucleata fuit, ex quâ declaratione non equidem aliquid aliud inductum est, sed tantùm detectum, quod priùs latebat: Fagn. *in cap. quoniam, num.* 15. *de Constitution.* Panormit. Decius, Felin. *in cap. final. eod. tit.* Solorzan. *de Iure Indiarum, tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 16. Anguian. *de legib. controvers.* 5. Molin. *lib.* 2. *de Primogenit. cap.* 10. *numer.* 67. Azor. *lib.* 5. *institut. moral. cap.* 16. *qu.* 13. Vela *dissert.* 2. *num. fin. & dissert.* 8. *n.* 44. Riccius, *par.* 7. *collectan.* 2619. Salas *de legibus, q.* 97. *sect.* 7. *pag.* 558. *& seqq.* Salgad. *par.* 2. *à num.* 15. *de Retent. Bullar.*

16 Et quamvis tria requirantur ad legum validitatem, primò, ut condantur; secundò, ut promulgentur, sicuti præter alios firmant Ciriac. *controvers.* 210. Diana *tom.* 6. *tract.* 1. *Resol.* 10. *& seqq. & Resol.* 65. Fermosin. *in rubr. de constitut. quæst.* 7. & 8. & Fagnan. *ubi suprà, num.* 42. Tertiò, ut moribus utentium approbentur: Mancin. *de jure sacro, dissert.* 1. *cap.* 4. Salgad. *ubi suprà, sect.* 3. Vela *dissert.* 36. *num.* 20. Carlev. *tit.* 1. *de judic. disp.* 2. *num.* 591. Diana, *loco cit. Resol.* 49. 55. 59. *&* 63. ità ut, quod si ex his unum deficiat, non sit lex: Fagnan. *ibidem*, ac per consequens, cum desit declarationi Urbani VIII. promulgatio, ipsa non videtur posse vim legis obtinere: hoc tamen respectu declarationis falsum est; nam lex declarata, ab initio promulgata fuit; undè solemnitas publicationis semel adhibita in principali dispositione, non est ulteriùs repetenda in illius declaratione, pròut benè docet Fagnan. *ibidem*, & ratio, quam affert ipse *loco cit. num.* 45. ea videtur esse, quia leges futuris negotiis tantummodò formam præscribunt, ut quoque adnotant Riccius *par.* 6. *collect.* 2135. Salgad. *par.* 2. *de protect. cap.* 1. *à num.* 241. *& par.* 3. *cap.* 9. *à num.* 86. Barbos. *cap.* 13. *de constitut.* Jul. Capon. *tom.* 2. *discept.* 80. & alii; idcircò novæ Constitutiones publicari debent, ut intelligant omnes, se à tempore publicationis, vel post duos menses, teneri ad illarum observantiam: Hæc autem ratio cessat in propriâ constitutionis declaratione, quæ non incipit obligare ex eo tempore, quo fit, sed trahitur etiam ad præterita.

Nec suffragatur ignorantia hujusmodi declarationis, quià ipsa Constitutio, ità est intelligenda, pròut posteà fuit exposita; quarè Sixtus Quintus non excusavit à pœnâ suspensionis Episcopum, qui ignorans declarationem Congregationis, dispensavit cum bigamo ad primam tonsuram, & beneficia simplicia: Si enim adest quid obscurius in dispositione, consulatur Sancta Sedes, quemadmodum ait Fagnanus *eodem loco, num.* 49.

17 Non tamèn præsumitur suspectus de hæresi, qui audit confessionem, quæ, vel cõsolationis causâ, vel humilitatis fieri solet, dummodò confessarius nõ impertiatur absolutionem: Lupus *in edict. Inquis. p.* 1. *lib.* 3. *dist.* 1. *art.* 2. *diff.* 2. *& art.* 3. *diff.* 1. *vers. alterum est*, Salell. *de mater. Tribun. lib.* 1. *cap.* 15. *reg.* 126. *numer.* 23. ubi addit ex Bonacina, non de hujusmodi confessione intelligenda esse illa verba Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; quidquid alii in contrarium dicant.

18 Pariter nec esset suspectus laicus, qui in articulo mortis absolveret excommunicatum ab excommunicatione: Marchin. *de bello Divino, par.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. ubi vide, quod hæc opinio, tamquàm probabilis, nedùm absquè hæresis suspicione, verùm etiam absquè peccato sequenda est, quia ista absolutio

nocere nequit, sed valdè prodesse morituro, ut in loco Sacro sepeliri, atque suffragiis Ecclesiæ gaudere possit; imò Charitas Christiana postulat, ut datâ probabilitate hujus sententiæ, ille in tanto periculo non deseratur: Sanchez *in select. disp. de Sacram. disp.* 11. *nu.* 13. *vers. cum ergò*: Idem testatur P. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 133. *& part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 77. *& tract.* 9. *resol.* 7. in quâ dicit, quod ritè ageret, qui non promotus, audiret confessiones ad effectum impertiendi Indulgentias, atquè ideò absolvendo priùs à censuris, ut illas moriturus lucrari possit: Hoc enim casu, ut ego existimo, absolvens fungeretur potiùs officio Judicis fori externi, quàm Confessarii, & proindè requireretur, quod à superiore jurisdictionem habuerit, aliàs non percipio, quomodò absolvere posset, eò quod absolutionem impertiri est jurisdictionis actus, & absolvere potest, qui jurisdictionem habet, licèt Presbyter non sit, cum excommunicatio non requirat ordinem sacrum; ac excommunicandi potestas ad jurisdictionem contentiosam pertinet in foro pœnitentiali: Covaruu. *in cap. Alma mater, de excomm. & absol.* §. 11. *num.* 10. Alter. *de censur. tom.* 1. *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 2. Barbos. *in cap. transmissam* 15. *num.* 5. *de election.*

19 Non me tamen latet, viguisse morem confitendi laicis, ubi urgeret necessitas, non solùm quarto sæculo, ut patet ex Augustino *in epist. ad Fortunatum, & in libro de verâ, & falsâ Pœnitentiâ*; Verùm etiam XI. sæculo, ut videre est apud Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem, *in libello de celanda confess.* Imò & XIII. sæculo, sicut arguitur ex Magistro Sentent. *libr.* 4. *dist.* 17. ex Alberto Magno *in* 4. *dist.* 17. *art.* 58. & ex S. Raymundo *lib.* 3. *de pœnit. & remiss.* §. 20. Undè D. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. ità scribit: *Dicendum, quod sicut Baptismus est Sacramentum, ità & Pœnitentia: Baptismus autem, qui est Sacramentum necessitatis, habet duplicem Ministrum: unum, cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem; alium, cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur: Ità etiam Minister Pœnitentiæ, cui confessio facienda ex officio, est Sacerdos: sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.*

20 Insuper hujusmodi praxis confitendi laicis, quandò necessitas urgebat, probatur à Juvenin. *tom.* 2. *pag.* 618. *col.* 2. ex historiâ Gallicâ Joannis Jonvillii: Exercitu enim S. Ludovici Francorum Regis à Saracenis profligato, cum cæteri mortem sibi imminere arbitrarentur, apud Sacerdotes, aut laicos promiscuè peccata deponebant. Mihi, inquit Jonvillius, adgeniculatus est Guido de Belino Magister Equitum Regni Cypri, & peccata sua confessus est, eiquè, juxtà potestatem meam, absolutionem dedi: Jonvillius autem fuit laicus, utpotè Campaniæ Seneschallus.

21 Sed non indè sequitur, laicum fuisse unquàm confessionis Ministrum, nam confessio, quam laici illis temporibus excipiebant, nullam vim obtinebat ex opere operato, sed ex opere operantis, seù ex fide ipsorum laicorum, à quibus fiebat confessio; ac proindè per modum suffragii ob humilitatem, quâ pœnitentes confitebantur, ut ait idem Juvenin. *ubi suprà*: Minister autem extraordinarius confessionis, de quo loquitur D. Thomas, intelligi potest de laico habẽte jurisdictionem absolvendi à censuris, eo modo, quo superiùs explicavimus.

22 Sacerdos verò, qui audit confessiones, sinè jurisdictione, vel quia eã nunquàm sortitus sit; vel quia eam amplius non habeat, non incurrit hanc suspicionem: Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *n.* 19. quamvis eadem causa, præjudicii scilicet, Christifidelibus videatur adesse: Ratio, ob quam non incurrat, est, quoniam hic abusus non habet fundamentum in hæresi: Bordon. *ibidem*, nec de iis, qui Sacerdotes sunt, loquuntur Constitutiones Urbani VIII. superiùs laudatæ, Greg. XIII. Sixti V. & Clem. VIII. *& si alias*, ut firmat P. del Bene *de offic. S. Inquis. par.* 2. *dub.* 210. *num.* 12. Nec videtur adesse ratio præjudicii, quia, juxtà commune Summistarum proloquium, error communis, & titulus coloratus tribuunt jurisdictionem; quod ultrà morales Theologos, innuere videtur jus civile *in l. Barbatius ff. de offic. Præsid.*

23 Idcircò hujusmodi Confessarii validè quandoquè absolvunt; imò non tantùm validè, sed etiam licitè absolutio-

tionem impertiuntur, exceptis illis duobus casibus, quorum alter est, quandò potestate carent, nec cognoscunt probabiliter, superiorem tacitè annuere: Diana *par.3. tract.4. resol.78.* & cæteri Doctores, alter quandò nulla adest necessitas; Sacerdos enim præsumens tacitam licentiam ex aliquo præsenti signo, benè audit confessiones Sacramentales: imò si approbatus fuerit ad annum, elapso anno, potest audire confessiones, quoties Episcopus, & Vicarius absint, petens interim prorogationem per litteras, ut docet Bordon. *resol. moral. tom. 2. resol. 7. num. 7.*

24 Ità dicendum, quoties adsit necessitas, quæ dicitur adesse, tùm respectu articuli mortis, in quo quilibet Sacerdos, juxtà omnium Theologorum sententiam, potest Confessarii implere munus, ut apud Hurtad. *Resol. moral. tract. 5. cap. 6. Resol. 67. & 68.* ubi latè; tùm respectu locorum Infidelium, in quibus quilibet Sacerdos audire potest Confessionem; quarè *anno* 1630. *die* 25. *Iulii* fuit habita Sacra Universalis Inquisitionis Congregatio coram Urbano VIII. & dubio proposito, ut apud Peyrinum *to. 3. de privil. cap. 4. num. 33. & 44.* Utrùm Sacerdotes captivi apud Tunetum, nullibi approbati, validè absolvant, responderunt Patres unanimiter, talem Sacramentorum administrationem usque adhuc exercitam esse substinendam, licèt decreverint imposterum esse providendum per summum Pontificem: In illis ergò locis, ubi non est provisum, Sacerdos poterit absquè potestate confessiones Sacramentales audire.

25 Quamvis igitur Sacerdos sinè jurisdictione confessionem audiens non efficiatur de hæresi suspectus, nihilominùs crederem, non esse immunes à tali suspicione Regulares Ordinum Mendicātiū, qui postquàm sunt approbati ab aliquo Ordinario pro audiendis Confessionibus sæcularium, præsumant haberi pro approbatis extrà Diæcesim præfati Ordinarij, cum id minimè liceat ex Decreto Sacr. Congregationis Universalis Inquisitionis *die* 30. *Ianuarii* 1659. relat. à Pascuccio ex Pignatello *in suo compen. pag. 196. col. 1 p. 1.* & advertit Merbes. *in Summ. Christian. dissert. 4. qu. 33.* Quemadmodum enim, qui profert propositionem jam damnatam, utpotè saluti animarum perniciosam, fit suspectus, quod malè sentiat, vt patebit; ità pariter, qui tenet hujusmodi propositionem, atquè ulteriùs operatur, evadit suspectus, ex quâ ratione, licèt in alijs terminis, ad idem firmandum moventur Medina *in summa, lib. 1. cap. 4. §. 1.* & Lopez *in Instruct. Confessar par. 1. cap. 27. §. condemnamus quoquè*, & rectè, si vera esset eorum argumenti minor propositio, quam falsam esse, patet ex Coriolano *tract. de casibus reservat. par. 1. sect. 3. art. 9. num. 3.*

26 Quod diximus de Regularibus Ordinum Mendicantium, dicendum est de quibusvis Regularibus, qui præsumant habere potestatem absolvendi à casibus reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ista ipsis indulta non fuerit, cum hæc opinio fuerit in eâdem Congregatione, tamquàm falsa, & authoritati Episcopi, ac Sedi Apostolicæ injuriosa, prorsùs proscripta, ac damnata, ut videre est penes Pascuccium *ibidem*.

Inter alios Sacramentorum abusus ob defectum potestatis in conficiendo, connumeratur Polygamia.

27 Sed animadvertendum, nos non loqui de eâ Polygamiâ, quæ dicitur successiua, in quam irrepserunt dogmata Montanistarum, quibus subscripsit Tertullianus, & Novatianorum, contrà quos omnes, etiam quædam Orientales Ecclesiæ, quarto ineunte sæculo, steterunt, asserentes hujusmodi Polygamiam jure divino non esse irritam, nec illicitam, quamvis eam Ecclesiastico jure illicitam existimaverint: Lantmet. *lib. 2. de vetere Clerico, cap.* 101. Mancin. *de jure sacro, dissert. 10. cap. 12.* Albaspinens. *in canon. 7. Concil. Neocæs. & cap. 1. Concil. Laodicens.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 81. & seqq.* Diana *tom. 9. tract. 2. resolut. 344.* Covarr. *de Matrim. cap. 3. § 9.* & Erasm. Ungepaver *in comm. super Decretal. lib. 4. tit. 21. à num. 2.*

28 Imò illis temporibus Orientales, esse ex consuetudine irritam Trigamiam, crediderunt, quibus, post S. Basilium, consentit D. Gregorius Nazianzenus *Orat. 37.* illis verbis: *Primum Conjugium*

gium lex est; secundum, venia, & indulgentia; tertium, iniquitas: Qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est.

Non, inquam, loquimur de hac Polygamiâ, sed de illâ, quæ simultanea nuncupatur, in quam tripliciter incurritur, vel si vivente vxore Matrimonium cum aliâ contrahatur; vel si Clericus in sacris, aut Religiosus post professionem matrimonium ineat, vel si uxoratus contrà voluntatem vxoris, ordines suscipiat, aut Religionem ingrediatur, ut videre est latè penes Transinieram *de Polygam. qu. 3. & 4.* Idcircò de hujusmodi Polygamis singillatim sermonem habebimus.

§. I.

De Polygamis, qui vivente primâ Vxore, aliam ducunt.

SVMMARIVM.

1 *Qui vivente primâ vxore aliam ducit, est verè Polygamus, abutens Sacramento Matrimonii, & de hæresi suspectus Ratio, & num. 5.*

2 *Est etiam sic suspectus, qui contrahit tantùm sponsalia, dummodò coram Parocho, & testibus contrahat.*

3 *Non est de hæresi suspectus, qui sponsalia contrahit cum expresso pacto non ineundi Matrimonium, nisi post mortem Coniugis.*

4 *Discrimen inter contrahentem sponsalia, & contrahentem Matrimonium vivente primâ Vxore.*

6 *Socratis Historia de Valentiniano Imperatore, quod legem promulgaverit, unicuique licere duas Vxores ducere, falsa est.*

7 *Lutherus Polygamiam admisit sequutus ad Anabaptistis.*

8 *Malè Arnisæus Lutherum ab hoc errore tuetur.*

9 *Motivum explendæ libidinis non eximit Polygamos ab hæresis suspicione.*

10 *Ad convincendam hæresis suspicionem in Polygamis, multæ circumstantiæ concurrunt.*

11 *Suspicio Hæresis in Polygamis cur non sit censenda levis?*

12 *Quò atrociùs est crimen, eò gravior hæresis suspicio: Polygamia autem atrocissimum crimen.*

13 *Polygamiam non esse juri naturæ adversam, videtur comprobari ex ejus usu apud Germanos, Romanos, Scotos, Persas, Turcas, Iudæosque.*

14 *Polygamia est contra jus naturæ, quod multis probatur.*

15 *Deus dispensavit cum Iudæis ad plures Vxores habendas; & cur?*

16 *Dupliciter aliquid opponitur juri naturæ, strictè, & largè: In iis, quæ juri naturæ largè opponuntur, potest Deus dispensare.*

17 *Polygamia contrà Arnisæum non opponitur primario fini Matrimonii, scilicet prolis gignendæ.*

18 *Polygamia fuit in usu apud Nationes Gentium ob naturam corruptam, non ob permissionem juris naturæ.*

19 *Adrianus Pontifex non dispensavit cum Carolo Magno in Polygamiâ, sed primum Caroli Matrimonium cum Muliere Longobardâ solvit.*

20 *Iudicare de validitate Matrimonii, pertinet ad Ecclesiasticum judicium, contrà Hæreticos, quibus favent Launoius, & Spondanus.*

21 *Petri de Soto Opinio in contrarium non est attendenda, quia scipsit antè Concil. Trid. in quo fuit dicta propositio stabilita.*

22 *Leges Civiles de Matrimoniis dirimendis sunt à jure Canonico correptæ.*

23 *Prætendens Matrimonium nullum, si transit ad secunda vota, non excusatur à levi suspicione hæresis; secus verò, si habet pro se Opinionem probabilem, etiamsi lata esset sententia pro validitate primi Matrimonii.*

24 *Transmiera cum aliis DD. tenet, eo tantùm casu non incurri hæresis suspicionem, quando est certitudo moralis de nullitate primi Matrimonii quod ampliatur sub num. 25.*

26 *Primum Matrimonium declaratum validum per Iudicis sententiam, non irritat secundas Nuptias.*

27 *Qui cum certitudine morali invaliditatis primi Matrimonii transit ad secundum, debet probare, se egisse cum tali certitudine.*

28 *Dubius de Vitâ Conjugis, si transit ad secunda vota, hæresis suspicionem incurrit, etiamsi per quinquennium expectaverit.*

29 *Contrahens per Procuratorem secundas nuptias,*

nuptias, vivente primâ Uxore, adhuc est suspectus de hæresi.

30 *Procurator in tali casu, est magis suspectus, quàm principalis, & cur?*

31 *Mater consulens filiam ducere alium virum, incurrit hæresis suspicionem.*

32 *Parochus conscius prioris Matrimonii, si secúdo assistat, est suspectus de hæresi: Ità pariter est suspectus, qui profert falsos testes ad probandam prioris uxoris mortem, & num. 33.*

34 *Quid dicendum, si contrahatur cum impotente?*

35 *Quid dicendum de Matrimonio ad castè vivendum?*

36 *An si nulliter contrahatur Matrimonium in dicto casu, oriatur hæresis suspicio?*

37 *An qui fictè contrahit secundum Matrimonium, durante primo, sit suspectus de hæresi?*

38 *Fidelis, relictâ Uxore infideli nolente ad fidem converti, non est polygamus, si aliam ducat Uxorem.*

39 *In primitivâ Ecclesiâ si conjux infidelis volebat degere cum fideli, absquè Creatoris injuriâ, Matrimonium erat insolubile, & cur?*

40 *An Indi conversi ad fidem sint polygami, si relictâ priori Uxore infideli, transeant ad secunda vota?*

1 QUò ad primam speciem polygamię, quæ dicitur vera, certum est, quod, qui vivente Uxore aliã ducit, abutitur Sacramento Matrimonij, & fit suspectus de hæresi, ut præ cæteris latè docent Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. tom. 2. ad cap. Nuper 4. de Bigam. ordinand. quæst. 4. pag. 373.* Castropal. *oper. moral. to. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 16.* §. 8. Thomas Hurtad. *resol. moral. to. 1. tract. 5. cap. 2. resol. 4.* Intrigl. *sing. 79. n. 139.* Limborch. *in histor. Inquisit. lib. 3. cap. 15.* Transmiera *de Polygamiâ, lib. 2. quæst. 1.* ubi latè examinat, an Polygamus sit vehementer, vel leviter suspectus, & *qu. 2. & 3.* De Just. *de dispensat. matrimonial. lib. 2. cap. 9. num. 30. & 31.* Leo *Thesaur. fori Eccles. part. 3. cap. 6. num. 36.* & nos in *Præliminaribus*.

2 Quinimò, nec evitat suspicionem, qui tantùm contrahit sponsalia; nam videtur esse in eo dispositio ad actualem Sacramenti abusum, pròut reprobatis Aloysio Riccio *in praxi, resolut. 373.* & Sousa *lib. 1. cap. 35. num. 6.* firmant Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. d. tom. 2. quæst. 4. num. 68. & 69.* Farinacc. *de delictis carnis, qu. 140. par. 1. num. 24. & 30.* Albertin. *de agnoscend. qu. 23. à num. 49.* Bordon. *in Tribunal. cap. 22. num. 74.* Hurtad. *dict. Resol. 4.* & Transmiera *de Polygamiâ, lib. 2. qu. 4.*

Intellige tamen cum Transmiera *dicto lib. 2 qu. 1. nu. 14.* si hujusmodi sponsalia fiant coram Parocho, & testibus, & coram eodem Parocho, ijsdemque testibus subsequatur copula; Nam hoc pacto tantummodò post Concilium Tridentinum hujusmodi sponsalia transeunt in matrimonium: Sed advertendum, quod hoc verum est, si intelligamus de eâ suspicione, quam parit actualis Polygamia; Verùm si agatur de aliâ suspicione, minori scilicet, erit de hæresi suspectus, qui sponsalia
3 contrahit eo modo, quo hodiè contrahuntur, dummodò talia sponsalia non contrahat cum expresso pacto matrimonium non jneundi, nisi post mortem Coniugis: hoc enim pactum comprobat, quod non sit in eo, qui sponsalia contrahit, dispositio ad actualem Sacramenti abusum, nec timeri potest consumatio illius actus; qui attentatur, quo casu ea levis suspicio, quæ oritur propter sponsalia, destruitur propter istud pactum: Fermosin. *de Offic. & Sacris Eccles. ubi suprà, numer. 71. & 72.* Bordon. *loco cit. numer. 74. in fine*. Hinc igitur co-
4 gnosci potest discrimen, quod vertitur inter sponsaliorum, & matrimonii contractum: Qui enim absquè præfato pacto contrahit sponsalia, quæ, ut diximus, se habent tanquam dispositionem ad actualem Sacramenti abusum, incurrit suspicionem levem. At qui contrahit Matrimoniũ, vivente primâ uxore, incidit in suspicionem vehementem, quia hic contractus importat actualem abusum Sacramenti: Bordon. *cap. 22. num. 74. in fine*, Fermosin. *loco proximè citato, nu. 43. & pluribus seqq.*

5 Nec mirum, si hic abusus tantam ingerat hæresis suspicionem, cum fundamentum habeat in hæresi: Etenim non defuere hæreticorum errores, quorum participes suspicari possimus polygamos,

gamos, ut advertit Fermosin. *de offic. & Sacr. Eccles. tom.2. ad cap. Nuper 4. de Bigam. non ordinand. qu.4. num 61.*

6 Narrat etiam Socrates *lib.4. hist. cap. 26.* quod Valentinianus Imperator amore cujusdam Justinæ captus, cum eam vellet in Vxorem ducere, retentâ priori, intemperantiam suam colore aliquo tegens, legem promulgavit, ut liceret vnicuique duas simul Vxores habere, sed cum nullus auctor Valentiniano coætaneus meminerit hujus legis, quamvis cætera, quæ ad Valentinianum pertinebant, in historiis ab Auctoribus tunc temporis narrata fuerint; & cum Damasus, qui tunc Ecclesiæ Catholicæ præerat, nec compulerit, nec hortatus fuerit illum Imperatorem, ut relictâ Justinâ, uni Severæ adhæreret; Imò cum nullus Catholicus, nullusvè Episcopus hujusmodi legi se opposuerit, falsitatis evincitur Socrates à Cardinali Baronio *anno 370. in fine*, à Coninck. *de Sacramentis, disp. 26. dub. 1. num. 1.* à Transmiera *de Poligamiâ, cap. 6. num. 41.* & à Juvenin *de Sacramentis, tom.2. pag. 955. col. 1.*

7 At non est opus, ut falsas comminiscamur historias ad demonstrandum, non defuisse hæreticorũ errores prò Polygamiâ: Eam enim impudenter admisit Lutherus *in proposit. de bigamiâ Episcoporum, propos. 65. & 66. & in explicatione Geneseos, cap. 16.* ubi ex professo docet, Christianis licere exemplo Abrahæ plures simul uxores habere: hoc enim inquit illud non esse nobis, nec præceptum, nec prohibitum, quæ Lutheri sententia ab Anabaptistis sequuta fuit: Cardin. Bellarm. *Contr. tom.3. lib.5. cap.10.* De Just. *de dispensat. lib.2. cap.9. num.8.*

8 Non me tamen latet, existimari Calumniam Bellarmini, aliorumquè ab Arnisæo *de Iur. connub. cap.4. Sect.2. n. 28.* quod imponatur hujusmodi error Luthero; sed Lutheri verba non adeò obscura sunt, ut Delio Natatore indigeant, cum apertè effutierit. *si non vult Berta, veniat Catharina &c.* Nec dedecuit, hujusmodi hæresiarcham nactum fuisse suæ sententiæ auctorem eum, quem maledictum appellat Tertullianus *in lib. de exhort. cast.* ubi inquit: *Numerus Conjugii à Maledicto viro incipit: Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit:* Plura affert quoquè Juvenin *loco superiùs laudato, pag. 955. col. 2.* quibus convinci possunt, qui nituntur, à Luthero hujusmodi infamiam depellere; Sed etiam ex ipsius Sectatoribus non deest, qui affirmat à Luthero Polygamiam fuisse permissam, & demandatam; imò Polygamiæ Patronum Lutherum appellavit damnatus auctor Theophil. Aletheus, *in tract. Poligamia Triumphatrix, thes. 43. num. 2. & thes. 87. num. 6.*

9 Ad excludendam verò hæresis suspicionem ab hujusmodi Polygamiâ, videtur dici posse, quod iste secundus contractus provenit ex libidine, & ideò sic contrahentem utiquè libidinosum, non autem hæreticum comprobet; hinc, quia teste Seneca,

Totum per orbem maximum est exortum malum
Luxuries, pestis blanda ——

Ethnicos novi Orbis jam ad fidem amplectendam benè dispositos, nil retinet, nisi polygamiæ abusus, propter scilicet eorum libidinem, sicut firmat Clemens Tosi, *in opere*, cui titulus: *Il Gentilesimo confutato, disc. 1. à pag. 354.* & habetur etiam *in libello* cum titulo: *Defense des nouveaux Chretiens, & des missionaires, pag. 159.* undè patet, Polygamos moveri magis ab iniquitate, quàm ab aversione fidei Catholicæ.

10 At hujusmodi excusatio non impedit, quominùs per polygamiam incurratur hæresis suspicio: Cõcurrunt enim plures circumstantiæ, videlicet, eversio primarij finis sacramenti; imitatio morum hæreticorum; recessus à ritibus Ecclesiæ, quâ syndrome abusus Sacramenti matrimonii inducit hæresis suspicionem: Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. de quo suprà, à num. 36. vsquè ad 54.* Transm. *de Polygm. lib.3. qu.2. n.61. & 62.* Moura *de Incant. sect.3. cap.3. num. 8. & 10.* & Pascuccius *loco superius dicto*. Adsunt etiam Constitutiones Pontificiæ, & Sacræ Congregationis decreta, de quibus apud Hurtad. *in dictâ resol. 4. n. 32.* & novissimè dixit De Just. *de dispens. Ma-*

11 *trim. dict. lib.2. cap.9. num.8.* imò si tot concurrant ad suspicionem inducendam, ipsa non erit existimanda levis, ut credit Suarez *in prælim.* à nobis refutatus, & vt malè sentit Marc. Ital. *de Immu-*

Immunit. lib. 1. cap. 5. §. 6. n. 121. & 126. qui tamen *num.* 24. temperans suam sententiam, ait, eam procedere tantummodò, quando præsumatur ex amoris, vel lucri cupiditate peccasse Polygamus, & consequenter quod non habeat locum, si non sit optimæ indolis, vel si admonitus, non dimittat secundam uxorem.

12 Adde etiam, quod eò gravior est hæresis suspicio, quò atrociùs crimen, & quantò levior vehementia objecti: sed polygamia atrocissimum est crimen, & levis ad eam propensio, cum sit contrà naturam, & sic minùs delectabilis, ut benè advertit Moura *loc. cit.* Hinc est, quod nec à Syris, apud quos tamen viget lex Repudii, nuptię, conjuge superstite, permittuntur, ut novissimè testatur Naironus *Evoplia par. 2. pag.* 154. id quod ei longus cum iisdem Syris comprobavit usus, & si, ut ipse ait, Melchitę, & Cophti recentiores Gręcorum Ritus, erroresque secuti, facilè has permittant nuptias, quâ de re repræhensi fuerunt in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 2.

13 Videtur tamen durum, quod hujusmodi crimen Juri naturæ adversetur: Siquidem non adeò frequens fuisset penes eos, qui naturali dictamine regulabantur, quam rationem ponderauit quoque Arnisæus *de Jur. Connub. dict. cap. 4. sect.* 3. & nihilominùs videmus, Polygamiam in usu extitisse apud Gentes Germanas nobiliores, teste Tacito, & Cęsare *de bell. Gall. lib. 1. in fin.* de Ariovisto; apud Romanos, quibus peculiari lege permissum erat, plures habere uxores, pròut narrat Suet. *in Cæs. cap.* 52. & Dion. *lib.* 44. apud Scotas, sicut firmat Buchanan. (Auctor tamen damnatus) *lib. 4. hist. Scot.* ubi ait, Euenum Regem plusquàm centum vxores aluisse; apud Persas, referente Cedreno, Cambadem Persarum Regem omnibus subditis vxorum communionem indulsisse, & etiam apud alias Gentes Polygamiam fuisse, ex pluribus testantur Arnisęus, *de jur. connubio cap. 4. sect. 3. num.* 1. Transmiera *de Polygamiâ, qu. 9. cap.* 1. latè Tiraquell. *de ll. connub. l. 7. num. 20. & seqq.* de Just. *de Dispensat. lib. 2. cap. 9. num.* 8. Nunc pariter viget penes Turcas, qui, ut scribit Hieronymus Dandinus *in suo Itinerario ad montem Libanum*, tot uxores ducunt, quot alere possunt; & Mercatores, qui in frequentandis nundinis varias Urbes circumire solent, in quâlibet ipsarum peculiarem vxorem habent.

Quinimò ipsos Judæos sinè peccato plures duxisse uxores pro comperto est, & nullibi in veteri testamento apparet à Deo prohibitum, ne plures ducerentur uxores, quarè excusatur Abraham cum cæteris, eò quod nulla aderat super hoc prohibitio; ideòque ille poterat explere libidinem nō vetitam, quod videtur innuisse August. *lib. 16. de Civitate Dei, cap.* 38. ubi: *Qui tunc mos erat, peccatum non erat*; undè malè ait Christen. *de causis matrimon. dissert. 2. qu.* 1. polygamiam nunquā in foro conscientiæ licitam fuisse.

Cum ergò nulla tunc adesset prohibitio, & Polygamiæ consuetudinem licitam fuisse, asserat Augustinus, fatendū est, quod esset consona legibus naturæ; aliàs nec ignorantia potuisset Judæis suffragari, ne peccarent, quemadmodum etiam dixit idem Arnisæus *de Iur. connubior. sect. 3. num. 3. d. cap.* 4. Durandus *in 4. sent. dist. 31. q.* 1. Alphonsus Episcopus Abulensis *in cap. 19. Matthæi, qu.* 30. qui addunt, Patriarchis, & Judæis opus non fuisse diuinâ dispensatione, ut licitè plura simul inirent matrimonia; nec peccasse quondam Gentiles, qui pluribus simul mulieribus nubebant, nec his etiam temporibus ii, qui idem factitantes, invincibili Evangelicæ legis ignorantiâ laborant.

Ad hæc, indubitatum est, Pontifįces non posse dispensare in iis, quæ sunt contrà naturam, & tamen cum Carolo Magno dispensasse, dicitur Adrianus primus Pontifex, ut vivente Uxore Longobardâ aliam Svevam duceret, de quâ re *infrà* dicemus.

14 His tamen non obstantibus, dico, Polygamiam esse contrà Ius naturale, ut docent Lupus *in Concil. to. 5. dissert. de quibusd. Pam. loc. cap. 3. §. Adducto ex libris, pag.* 352. De Just. *de Dispensat. lib. 2. cap. 9. num.* 5. Dicastillo. *de Matrim. disp. 2. n. 131. & 532.* & Christen. *de causis matrim. dissert. 2. qu.* 1. Excepto enim primario Matrimonii fine, reliquis aliis adver-

adversatur: Siquidem opponitur filiorum educationi, tùm quia non suppetunt opes ad tot liberos alendos; tùm quia ad tot instruendos nimia cura exigitur; tùm etiam quia Parentum amor ob filiorum multiplicitatem divisus frigescit, quarè Claudianus:

—— *Connubia mille*
Non illis generis nexus, non pignora Curæ,
Sed numero languet pietas.

Opponitur etiam amicitiæ conjugali: Quomodò enim esset individua vitæ societas inter conjuges, si maritus se quodammodò divideret in duos, ut duabus uxoribus satisfaceret; aut vxor in duas mulieres, ut duabus maritis eodē tempore inserviret? Anton. Fab. *in Iurisprudent. tit.9. de nuptiis, princ. 2. Illatio* 20. Adde, quod amicitia nō patitur rivales, ut advertunt Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 49. & Christen. *dicta quæst.* 1. Eam ob rem rectè cecinit Seneca:

Nec regna socium ferre, nec tædā sciunt.

Et, omissis exemplis, quæ recensita sunt ab Arnisæo *in dicto cap.*4. & Tosi *loco cit.* audiamus Clytemnestrem apud Senec. *in Agamenone.*

Flamma medullas, & cor urunt æmulum;
Mixtus dolori subiicit stimulos timor;
Invidia pulsat pectus: hinc animum jugo
Premit cupido turpis, & vinci vetat;
Et inter istas mentis obsessæ faces
Fessus quidem, & dejectus, & pesundatus
Pudor rebellat. ——

Hìc etiam aptari potest sententia D. Athan. *qu.*97. *ad Antiochum*: *Verùm etiam vnica mulier data viro, & ipsi, & mundo insidiata est; quid futurum cum mundo, si ab initio uni homini fecisset Deus duas Vxores?*

Opponitur tandem remedio concupiscentiæ, nam libido nimio usu minùs satiatur, & inclinatio ad impuritatem augetur, quod comprobat exemplum Messalinæ, quæ lassata quidem, nondum satiata recessit: nec satisfieri potest tot fœminarum impudicitiæ; undè licet hæc pluralitas inserviret in remedium concupiscentiæ virorum, non inserviret in remedium concupiscentiæ uxorum: Transmiera *de Polygamiâ, q.* 6. *num:* 18. Dicastill. *de matrim. d. disput.* 2. *sub num.*532.

15 Judæis verò dispensavit Deus; quod satis evidenter probant Gloss. *in cap. gaudemus, de divortiis,* Transmiera *de Polygamiâ, q.*8. *cap.* 2. cum aliis ibi congestis, Merbes. *in Summ. Christian. dissert.*7. *quæst.*77. Juvenin *de Sacramentis tom.*2. *pag.*263. *circà medium*, cum auctoritate Innocentii III. dicentis *in cap. Gaudemus*: *Nulli unquam licuit, simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum, per quam Patriarchæ, & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab Adulterio excusantur*: Hoc itē antè Juvenin, de quo suprà, Lupus *de Concil. loco citato.* De Just. *de Dispensat. d. cap.*9. *num.* 3. Dicastill. *de matrim. disp* 2. *num.*532. & latè etiam probat Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. cap.*2. ubi summâ cum doctrinâ, ut ejus est moris, interpretatur Sanctos Patres: Et opportuit ità dispensare ad prolis procreationem Orbi nascenti necessariam, & ut multiplicaretur numerus Deum verum colentium, cum eo tempore pauci forent: Lup. *in edict. par.* 2. *lib.*14. *dist.*6. *art.*2. *diff.*3. Imò hujusmodi dispensatio facta fuit non tantùm Judæis, sed etiam Gentilibus, quâ in re contrariam sententiam, levi tamen fundamento, probare nititur Estius, ut latè tradit Transmiera *de Polygamiâ*, *q.* 9. *cap.* 2.

16 Nec dicatur, Deum non dispensare in jure naturali, nam duplici modo dicitur aliquid opponi juri naturæ, pròut docent Alex. Alensis 3. *part. quæst.* 35. Pelbartus *in Rosario Theologiæ, par.* 3. *verb. luxuriæ*, Coninck apud Transmieram *de Polygamiâ, q.*8. *cap.* 3. *n.* 55. Lupus *loco cit.* scilicet strictè, ut mentiri; & largè, ut occidere reum: in his autem, quæ opponuntur largè, dispensare potest Deus: uxorum verò pluralitas largè est contrà legem naturæ, eò quia non opponatur primario fini matrimonii, scilicet prolis gignendæ, quemadmodum docet Grysaldus apud Lupum, *ubi suprà*, & Merbes. *in Summ. Christian. dissert.*7. *q.*77. Arnisæus tamen *de jure connub. cap.*4. *sect.*3. *num.* 8. cum vellet asserere, concubinatum non fuisse illicitum, dixit, Deum non dispensasse super Polygamiâ, quæ, juxtà ejus senten-
17 tentiam, opponitur fini primario matrimonii: Dubium enim, inquit ille, non est, quin sæpiùs procreaturæ sint feminæ, si singulæ copulentur singulis, quam si plu-

si plures coniungantur uni, nam virtus Viri est à naturâ ad certum terminum contracta; idcircò quò pluribus cogitur satisfacere, citiùs evanescit.

Si ità res se haberet, profectò Deus nunquàm dispensare valuisset, ùt probat Abbas Tosi *loco cit*.

Sed fallitur Arnisæus, & cum illo Pontius *lib*.7. *cap*. 49. *de matrim*. nec dissentit Transmiera *de Polygamiâ*, *q*. 6. *num*.12. quia post conceptum fætum, iterati congressus, quibus gravidarentur aliæ fæminæ, cum eâ, quæ jam prægnans est, non conferunt ad generationem; & frustrà, ut dici solet, arvum, jam consitum, aratur: undè Imperatrix illa Mæcha apud Svetonium interrogata, quomodò filios Imperatori similes ederet, cum copiam sui corporis tot viris faceret? Respondit, numquàm nisi navi plena, se vectorê admittere, & è converso laudatur à Trebellio Pollione Zenobia, cujus ea dicitur fuisse castitas, ut nè virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus; nam, inquit, cum semel concubuisset, expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset; sin minùs, iterùm potestatem quærendis liberis dabat, & tali elogio decoratur apud Spartianum Pescennius.

18 Levis verò ponderis est argumentum, quod desumi potest à Gentium libidine, apud quas in usu extitit Polygamia, ob scilicet corruptam hominum naturam, undè tot obscæna de Heliogabolo, Caligula, cæterisquè Imperatoribus narrantur, itàut penès Gentes minùs barbaras emanarunt Constitutiones; quæ jubebant, ut unus vir unius uxoris connubio esset contentus, ex quo infert Christianus Vigilis *in dissert. de Polygamiâ*, Polygamiam esse contrà jus naturale.

19 Postremò ad id, quod dicebatur de dispensatione Pontificis cum Carolo Magno, respondetur, solutum fuisse primum matrimonium, & rectè, quidquid dicat Arnisæus *ubi suprà*. Quoties enim primum matrimonium ab Ecclesiâ declaratur nullum per transitum ad secunda vota, non inciditur in Polygamiam, cujus dispensatio concedi nequit à Pontifice, ut latè probat Transmiera *de Polygamiâ*, *q*.11. *cap*.2. De Just. *de dispensat. d. lib*. 2. *cap*. 9. *num*.4. Dicastil. *de matrimon. disp*. 2. *dub*. 42. *num*. 503.

20 Ecclesiæ quippè est judicare de invaliditate primi matrimonii, pròut demonstrat Bellarm. *de Matrim. lib*.1. *cap*. 17. adversus impium Kemnitium, & pròut definitur à Sac. Concil Trid. *sess*. 24. illis verbis: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non pertinere ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit*. Imò hujusmodi definitio, quia pertinet ad dogma, in Galliâ quoquè recepta est, ut apud Cabasutium *in Notitiâ Concil. pag. mihi* 508. Quamobrem hic obiter sugillandus est Spondanus, qui ad *ann*. 1634. *num*. 9. & *ad ann*.1635. *num*.9. approbat, quod Principes Seculares jus habeant constituendi impedimenta dirimentia Sacramentum matrimonii Christianorum; id, quod etiam probare conatur Launojus *in tract. Parisiis impress. de Regiâ in matrimonium potestate*. Nec excusari possunt Spondanus, & alii, ex eo quod Matrimonium tamquàm contractus Civilis judicari possit à Laicis; tamquàm verò Sacramentum, à solis Ecclesiasticis, cum hæc divisio, seù distinctio in matrimonio Christianorum non sit realis, sed ficta per intellectum: Nunquàm enim invenitur in re contractus legitimus Matrimonii inter baptizatos, quin sit Sacramentum; nam Christus in baptizatis elevavit immediatè hujusmodi contractum ad finem supernaturalem, & & ad gratiam producendam.

21 Nec audiendi sunt, qui autumant, quod Petrus de Soto tueatur Sententiam à Spondano allatam, ipsequè interfuisset Concil. Trid. Siquidem mortuus est, antequàm hoc decretum fieret, & evulgaretur; ideoquè scripsit antequàm Sancta Synodus conderet, & promulgaret sanctionem: Cardinalis Paleottus *epist*. 15. & ipse Petrus Polanus *lib*.8. *hist*. undè non mirum, si à communi DD. sensu in hoc discrepet.

22 Hinc leges Civiles concernentes decreta de matrimoniis Christianorum dirimendis, à jure Canonico, & à Pontificio correctæ sunt; & quamvis sæpè loquantur hæ leges, non de Matrimonii substantiâ, sed de quibusdam ejus accidentibus, ipsis tamen legibus Pontifices derogarunt, sibiquè solis hanc facultatem reservarunt: Ità omnes communiter tenent, ut apud Felin. *in cap*.

.quæ in Ecclesiam, *de Constitution. nu.* 18. De Just. *de Dispensat. lib.2.cap.1. nu.25.* Dicastill. *de matrim. tract.* 10. *disput.* 7. *num.* 16. *& seqq.* Jo. Pontius *lib. 6. de matrim. cap.1. & 2.*

23 Si ergò ab Ecclesiâ matrimonium non erit declaratum irritum, per transitum ad alias nuptias utiquè oritur hæresis suspicio, licet prætendat Coniux, qui transit ad secundas nuptias, fuisse invalidum primum matrimonium: Si enim non habet pro se opinionem probabilem, dubio procul inducitur hujusmodi suspicio, quæ tamen erit levis; si verò probabile fundamentum haberet, etiam si ageretur coram Judice de nullitate matrimonii, & lata esset sententia pro validitate prioris, non induceretur suspicio de hæresi: Ratio est, quia attentâ opinionis suæ probabilitate, nequit dici, quod malè sentiat de Sacra-
24 mento matrimonii: Transmiera autem *de Polygamiâ, lib. 2. quæst. 5. numer. 39.* sequens sententiam Sousæ *in Aphorism. lib.1. cap. 35. num.* 10. Antonii Gomez *ad l. Tauri* 80. *num.*31. Farinaccii *de delicto carn. quæst.* 140. *par.* 2. *num.* 42. & Augustini Barbosæ *in Collectan. super decret. lib.1. tit.* 3. *num.* 6. eo casu tantummodò putat non incurri hæresis suspicionem, quo quis cum certitudine morali, quod sit nullum primum matrimonium, convolat ad secundum, antequàm mota sit lis circà prædicti matrimonii nullitatem: Verùm quoties mota sit lis, eâque pendente, coniux transit ad secunda vota, ob ejus temeritatem puniendus est ab Ordinario, ut ait idem Transmiera, & rectè, nam sicut ex text. *cap. in præsentia, de sponsalib.* redditur inhabilis coniux ad matrimonium contrahendum, donec certum nuncium habuerit de morte prioris coniugis; itá ex identitate rationis inhabilis erit, antequàm sit certus de invaliditate prioris matrimonii: Quæ autem requirantur ad mortem probandam, latè habentur apud De Just. *de Dispensat. lib.2.cap.11. per tot.*

25 Quinimò incurrit etiam hæresis suspicionem, si posteà Judex declaret primum Matrimonium validum esse: Siquidem (quemadmodum perpendit laudatus Transmiera *ubi suprà, q. 7. n. 19.*) cum ipse temerè transeat ad secundum Matrimonium; quod de facto nullum declaratur, primo stante; videtur ideò tàm facile transire ad secundum, quia nimirùm malè sentiat in materiâ Sacramenti. Verùm hoc venit intelligendum respectu illius coniugis, qui transit ad secunda vota pendente lite, cum solâ probabilitate credendi nullum primum Matrimonium: Si enim ipse certò sciat, invalidas esse priores nuptias, nullam incurrit hæresis suspicionem, nisi quò ad forum externum, eò quia, remoto scandalo, prudenter agit. Sed in utroque casu superveniente Judicis sententiâ, quæ nullum declaret secundum Ma-
26 trimonium, quia scilicet validū statuat primum, non ob id irritantur secundæ nuptiæ, quidquid dicat Basilius Pontius *de matrim.* quē reprobat P. Aversa *de Sacram. matrim. q. 14. de impedimento ligaminis, sect.3. num.6. vers. hoc tamen acceptandum non est*, & latè Trasmiera *in d. qu.* 7. Nullum enim reperitur decretum Ecclesiæ, neque specialiter, neque generaliter irritans hoc secundum Matrimoniū tali pacto contractum: Contrarium potiùs habetur *in cap. cum in Apostolica, de sponsal.* & ibi Abbas Panormitanus, & alii interpretes, ubi quod hoc secundum Matrimonium substineatur: Est etiam ani-
27 madvertendum, quod qui cum certitudine morali (pròut in casu, quo loquitur Transmiera suprà) putat irritum primum matrimonium, vel primam uxorem occubuisse, & transit ad secunda vota, ad hoc nè incurrat hæresis suspicionem, debet constare, quod cum tali certitudine egisset: Aliter, quia tunc publicè constaret de duplici matrimonio, non autem de nullitate prioris, subderetur Inquisitoribus: Bordon. *in Tribun. cap.22. num. 68.* Imò
28 nisi priùs probatâ vel prioris Matrimoni nullitate, vel prioris uxoris morte, juxtà formulam, de quâ Bordon. *tom. 3. resol. 106. qu. 35.* qui ad secunda vota transierit, non dicitur bonâ fide egisse, & proindè in foro externo erit suspectus, ut apud Bordon. de quo *suprà, loco citato*; & hoc amplia, quamvis coniux dubitans de alterius vitâ, eum absentem expectaverit per quadriennium, vel per quinquennium: Non est enim attendendum, quid disponat

jus

Jus Civile, sed quid statuant Canones, ut superiùs probavimus, & prout rectè advertit Transmiera *in laudatâ quæst.* 5. *à num.* 1.

29 Similiter transitus ad secundas nuptias, vivente uxore, inducit hæresis suspicionem, licet contrahat per Procuratorem, cum sint vera Sacramenta taliter contracta: Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 11. *q.* 2. *num.* 20. Molina *de ritu nuptiarum, lib.* 5. *comparat.* 25. *à num.* 24. tàm antè Concilium Tridentinum, quàm post, ut latè probat Transmiera *ubi suprà qu.* 13. qui sub *num.* 19. firmat, incurri hæresis suspicionem ab eo, qui ità convolat ad secundas nuptias:

30 Imò ipse Procurator, sciens suum principalem habere legittimam uxorem, efficitur suspectus de hæresi, & plusquàm ipse Principalis: Fermosin *de offic. & sacr. Eccl. to.* 2. *ad cap. Nuper de Bigam. non ordinand. q.* 4. *n.* 79. Transmiera *loco cit. qu.* 13. *in fine*: optimâ ratione, quia principalis vel ob luxuriam, vel ob avaritiam respectu Dotis moveri potest, At hujusmodi motiva non militant in Procuratore, nisi magno pretio allectus, vel ingenti timore adductus ageret, quo casu tamen aderit levis suspicio: Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 2. *resol.* 5. *num.* 43.

31 ubi ait, quod mater câdem pœnâ fuit punita ac filia, cui consilium dedit, ut secundo nuberet vivente primo. Imò majori (addit Muora) pœnâ erat digna, eò quòd consilians, pejus sentit de Matrimonio, quàm contrahens, quia iste potest induci luxuriâ, at ille errore intellectus, quo malè sentit de matrimonio: Eum sequitur Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. loco proximè cit. num.* 78. *&* 79.

32 Ità dicendum de Parocho, qui conscius prioris matrimonii assisteret secundo: Bordon. *loc. cit.* Item inducit

33 hujusmodi suspicionem secundum Matrimonium respectu ejus, qui proferat falsos testes ad probandam prioris uxoris mortem, de quâ certò non constat: Nam quamvis non dicatur constare de actuali Polygamiâ, tamen sic contrahens quò ad se consumat crimen, & abutitur Sacramento Matrimonii, ac tales testes puniuntur ab Inquisitore: Fermosin. *loco allegato, num.* 80.

34 Hùc etiam pertinet exquireret, an sit suspectus de hæresi, qui scienter, durante primo matrimonio, secundum contrahit cum impotente? Tractat hanc quæstionem sæpè laudatus Transmiera *in d. lib.* 2. *q.* 8. eamque negativè resoluit *sub num.* 21. Est enim hujusmodi matrimonium prorsùs nullum, sivè contractum sit in ordine ad copulam, quo casu omnes conveniunt; sivè contractum sit ad castè vivendum, juxtà Sanchez. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 97.

35 Et quamvis Augustinus Barbosa *in cap. consultationi, de frig. & malef.* Basilius Pontius *lib.* 7. *de impedimento impotentiæ, cap.* 56. *num.* 1. Paludan. *in* 4. *distinct.* 34. *q.* 2. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 22. §. 3. Vera Crux *in suo speculo coniug.* 1. *part. art.* 38. & Petrus Sotus *sect.* 5. *de Contin. à cap.* 74. contendant, hujusmodi matrimonium ad castè vivendum contractum esse validum, nihilominùs probabile est etiam, imò probabilius, quod nullum sit: Datâ igitur probabili nullitate matrimonii, per transitum ad illud, durante primo matrimonio, nō incurritur hæresis suspicio, nisi prò foro externo, nam tunc externè præsumitur, qui ità contrahit, consentire in abusum Sacramenti, licet nullum esse internè credat: Nec ex eo, quod non sit suspectus de hæresi coniux, qui, contracto matrimonio cum impotente, postquàm illud nullum declaratum sit, convolat ad secunda vota, infertur idem de eo, qui, durante primo matrimonio validè inito, transit ad secundum cum impotente: nam in hoc posteriori casu semper externè præsumitur contrahens consentire in abusum Sacramenti.

36 Maximè, quia nullitas matrimonii ex inhabilitate contrahentium nil operatur ad effectum non incidendi in suspicionem hæresis per transitum ad illud, durante primo matrimonio, ut latè probat Transmiera *in d. lib.* 2. *q.* 9. nam ubi lex, ut in nostro casu, non effectum, sed factum perpendit, ità infligitur pœna ex actu nullo, ac ex actu valido; & quamvis ad hoc, ut oriatur suspicio hæresis ex matrimonio nullo propter contrahentium inhabilitatem, requiri videatur consensus conficiendi Sacramentum; idcircò nullitas ea, quæ ex defectu consensus insurgit, nullam

inducere videatur hæresis suspicionem, & propterea, cum is, qui contrahit matrimonium cum impotente, non consentiat in illud ratione copulæ, sed tantummodò ad castè vivendũ, ejus matrimonium transit in merum contractum civilem, illicitum tamẽ propter scandalum, stante primo matrimonio: Transmiera *d.qu.*8. attamen dum habemus factum externum, dumque non liquet, qualisnam fuerit consensus internus, sic contrahens minimè excusari potest à suspicione hæresis, præcipuè quia hodiè in matrimonio separare physicè non possumus contractum à Sacramento.

37 Aliam quæstionem excitat prædictus Transmiera *ubi suprà, qu.*10. an scilicet sit suspectus de hæresi, qui fictè contrahit secundum matrimonium, durante primo, quoties de hujusmodi fictione constet, & negativè respondet: Deficit enim consensus, ideòque ex tali contractu nulla oritur suspicio, quemadmodùm ratiocinatur idem Transmiera.

38 Similiter non erit Polygamia, si infidelis relictâ cum infidelitate etiam uxore, quæ nolit ad fidem converti, aliam ducat uxorem, ut probabiliter tenet Layman. *part.* 2. *cap.* 3. *de matrim.* id quod etiam firmat Transmiera *de Polygamiâ, lib.* 1. *quæst.* 14. ubi tamen dicit, perpendi debere, an iste secundus contractus proveniat ex errore apud Infideles permittente Polygamiam.

39 Verùm in primitivâ Ecclesiâ usquè ad annum sexcentesimum, juxtà Sanchez *lib.*7.*disp.*73.*num.*12. & Transmieram *ubi suprà, num.*4. quoties infidelis conjux vellet sinè Creatoris contumeliâ cum conjuge degere, matrimonium insolubile erat, hocque de consilio Apostoli 1. *Corinth.* 7. At his nostris temporibus Ecclesia non permittit hujusmodi cohabitationem, si alter nolit ad fidem Catholicam converti: Nec mirum, quia fervor primorum temporum, quo potuerant Conjuges conversi in fide permanere sinè creatoris contumeliâ, non adhuc durat, ideòquè rectè Ecclesia variavit; nec de ejus potestate ambigendum, quiâ humana præcepta juxtà temporum exigentiam ab ipsâ alterari possunt: *Cap. non debet, de consang. & affin.* Quantò igitur magis potuerit variari hoc non præceptum, sed consilium? Ità Clemens Tosi *in suo Gentilesimo confutato, vol.*2.*disc.* 3. ubi malè putat, opinionem DD. quos allegat Verricell *de Apostolic. Mission. qu.* 177.*nu.*3. fuisse huic contrariam, quam amplectitur posteà idem Verricell. *num.*4.

40 Sed quid dicendum de Indis, quoties relictâ uxore infideli, & ad veram fidem conversi, transeunt ad secunda vota? Est enim apud eos nova illa Ecclesia, cui divina Providentia quidquid ad seminandam fidem tempore nascentis Ecclesiæ disposuit, largâ manu clargitur. Putat Transmiera *loco cit. qu.*14. eos esse Polygamos, & proindè puniendos à Sanctâ Inquisitione: Imò quilibet infidelis ad fidem Catholicam conversus, ne incurrat crimen Polygamiæ per transitum ad secundas nuptias, oportet, ut moneat primam Uxorem infidelem, se promptum esse ad illam recipiendam, si velit ad fidem catholicam converti: Transmierâ *ubi suprà, quæst.* 16. *nu.*22. *lib.*1. dummodò talis monitio commodè præstari possit: Ratio est, quia matrimonium, quamvis in infidelitate contractum, quò ad jus divinum, & naturale est verum matrimonium, ideoquè injustè nequit rescindi: Verùm absq; hujusmodi monitione iniustè quidem rescinderetur.

Injustè etiam rescinditur matrimonium, seu id fiat sterilitatis causâ, ut liquet *ex ep.*1.*lib.*5. *B.Pii V.* seù, quia conjux adulterium commiserit; nam tunc licita est Thori separatio, non autem vinculi matrimonialis fractio, ut post Concil. Florent. docent Alfons. à Castro *de legis pœn. pot est. lib.*2.*cap* 4.*pag.* 152. Augustin. *de emendat. Gratiani, lib.*2. *dial.*3.*pag.*370.*circa finem*, Joann. Nevizanus *Sylu. Nupt. lib.* 1.*n.*140.*pag.*112.

§. II.

De Polygamis similitudinariis.

SUMMARIUM.

1 *Idem dicendum de Polygamiâ similitudinariâ, sicut de verâ in ordine ad hæresis suspicionem.*

2 *Sacerdotibus, & levitis Veteris testamenti*

menti cur permitteretur uxor?.

3 In primordiis nascentis Ecclesiæ non fuit permissa polygamia similitudinaria contra Card. Lauream.

4 In primitivâ Ecclesiâ uxorati admissi sunt ad Ordines sacros ob penuriam Sacerdotum.

5 Paphnutii instantia de Uxoratis tollerandis in Ecclesiâ Orientali convincitur falsitatis.

6 Historia S. Malchi relata à S. Hieronymo non probat pro Polygamiâ similitudinariâ, quia conjugium illius fuit nullum.

6 S. Basilius increpat Sacerdotem, qui dimissâ uxore, eam posteà reasumpsit.

8 Exemplum Ursini Sacerdotis relatum à S. Gregorio, de uxore à Sacerdote relictâ, fugiendâ.

9 Nuptiæ an fuerint olim Subdiaconis prohibitæ?

10 Subdiaconus obligatus est ad continentiam, ab eo tamen tempore, quando ordo subdiaconatus fuit inter sacros declaratus.

11 Subdiaconi hodiè si uxorem ducerent, essent de hæresi suspecti, tanquàm Polygami similitudinarii.

12 Sponsalia sola à subdiaconis contracta inducunt hæresis suspicionem, licet levem.

13 Prædicta intelliguntur non solùm de ordinatis in Ecclesiâ Latinâ, sed etiam in Ecclesiâ Græcâ.

14 Polygamia similitudinaria defenditur à Luthero, & damnatur à Concilio Trident.

15 Obligatio ad continentiam in Sacris Ministris ratione, & auctoritate inducta.

16 Religiosi professi, etiamsi non sint in Sacris, si matrimonium contrahant, sunt de hæresi suspecti.

17 Papa potest dispensare cum Sacerdotibus ad matrimonium contrahendum.

18 Potest item dispensare cum Religiosis voto solemni obstrictis: Exempla.

19 Causa ad dispensandum cum Sacerdotibus, & Religiosis, ut matrimonium contrahant, debet respicere bonum publicum, quod exemplis declaratur

20 Ad dispensandum cum Sacerdotibus, ut Matrimonium contrahant, cur causa requiratur, cum cælibatus sit annexus Sacerdotio tantùm de jure Ecclesiastico?

21 Ad prædictam dispensationem non sufficit utilitas privata, vel periculum incontinentiæ.

22 Ad præfatam dispensationem in Religiosis requiritur causa, quæ sit sufficiens ad irritandum votum, quod est de jure Divino.

23 Pontifex quando urget legitima causa, non dispensat cum Religioso, qui voto solemni ligatur; sed declarat, tunc non tenere votum, & sic concilientur oppositæ sententiæ Moralistarum, & Canonistarum.

24 An Summus Pontifex possit soluere subditos à voto fidelitatis ergà Principem in causâ fidei.

25 Qui per vim, & metum Ordines susceperunt, Poligamiam non incurrunt (sivè vis fuerit absoluta, sivè conditionalis) si matrimonium contrahant.

26 Irrita est religiosa professio per vim, & metum emissa.

27 Qui professionem emisit antè legitimam ætatem, si post longum tempus vitæ religiosæ comperit ætatis defectum, potest sibi liberum statum vindicare.

28 Latâ sententiâ super nullitate professionis, potest religiosus inire Matrimonium, si non sit in sacris Ordinibus.

1 QUo ad secundam speciem Polygamiæ, quæ dicitur similitudinaria, de ipsâ verificatur quidquid dictum est de Polygamiâ verâ: Adest enim idem affectus ad duplex matrimonium in Sacerdote, qui postquàm matrimonium contraxit cum Christo, ad alias nuptias transiit, ut benè ponderat Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 83. nu. 5.* & quamvis Sacerdo-
2 tibus, & Levitis veteris Testamenti permitteretur uxor, hoc tamen evenisse testatur Pelbartus *in Rosario Theolog. par. 3. verb. Luxuria*, quia nemo poterat esse sacerdos, vel Levita, nisi esset de Tribu Levi. Undè si ipsis vetitum fuisset connubium, defuisset quoquè brevi tempore Tribus illa. Hodiè igitur cum non habeamus hujusmodi restrictionem, rectè prohibetur hæc
3 polygamia similitudinaria: Imò nec in primordiis Ecclesiæ nascentis permissa fuit,

fuit, ut demonstrat sæpè laudatus Transmiera *de Poligamiâ, lib. 2. qu. 17. à num.* 14. quidquid asserat Eminentiss. Brancatus de Laurea *disp. 9. art. 9* §. 3. *de Sacramento Ordinis*. Infallibilis enim S. Romanæ Ecclesiæ traditio vetat, ne Sacerdotes Diaconi matrimonio copulentur, ut habetur in Concil. Romano sub Stephano Papa III. *anno* 769. Quid autem est traditio, nisi lex non scripta super Apostolorum vel usu, vel dogmate firmata: Hinc, si usus copulæ in prædictis ordinatis irrepsit, cælibatum restaurare conata est Ecclesia, ut patet ex Concil. Eleberitano celebrato *anno* 769. *can.* 33. & ex Innoc. 1. *ep.* 3 *cap.* 1. Fa-

4 teor tamen, ob penuriam Sacerdotum, Ecclesiam ad ordines admisisse uxoratos, ut innuitur *in lib. 6. constit. Apostol. cap.* 17. *in dist.* 28. *cap. Diacon.* & in Concil. Gangensi *cap.* 4. quamobrem Epiphanius *hær.* 59 *contrà Catharos, lib. 2. tom.* 1. inquit: *At dices mihi, omninò in quibusdam locis adhuc liberos gignere Præsbyteros, & Diaconos, & Hyppodiaconos; at hoc non est juxtà hominum mentes, quæ per tempus elanguet, & propter multitudinem, cum non inveniretur ministerium.* Plura de hac re videri possunt penes Joann. Nevizan. *in Sylu. nupt. lib.* 1. *pag.* 110.

5 Nec ignoramus ad comprobandum, semper extitisse in Ecclesiâ Orientali hujusmodi Polygamiam, à nonnullis adduci Paphnutii instantiam, cujus meminere Socrates *hist. lib.* 1. *cap.* 18. & Sozomenus *hist. lib.* 1. *cap.* 22. Audiamus ipsum Socratem, à quo plurima sinè ullo delectu hausit Sozomenus: *Verùm,* inquit, *de unâ re à Paphnutio gestâ hactenus: alteram etiam narrabo ejus consilio confectam, quæ & Ecclesiæ utilitati, & omnibus, qui Sacris sunt initiati, ornamento esse possit. Visum erat Episcopis, legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum uxoribus, quas, cum erant laici, in Matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum, de hac re consilium inire; in medio eorum consensu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est: non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: honorabile esse Conjugium inter omnes, & torum immaculatum: videndum, nè nimis exequisitâ præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent: Omnes enim non posse ferre tàm austeram disciplinam, tàmquè ab omni animi perturbatione vacuam: nequè à singulorum uxoribus fortassè eam castimoniæ normam posse servari. Viri autem cum uxore legittimâ concubitum, castimoniam appellavit, illudquè satis esse, ut qui in Clerum antè adscripti erant, quàm duxissent uxorem, hi secundùm veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptiis se abstinerent; non tamen quemquam ab illâ, quam jàm pridem, cum laicus erat, uxorem duxisset, sejungi debere: Istam in Episcoporum conventu orationem habuit Paphnutius, cum ipse non modo nuptias expertus nō esset, sed etiam verè dixerim, Mulierem non aliquandò attigisset. Nam à puero in Monasterio se ipsum severo vitæ, disciplinæquè genere totum dediderat; qui quidem propter singularem castimoniam præ ceteris planè in magnâ famæ celebritate vixit. Itaq; cū totus Episcoporū Presbyterorum, & Diaconorum conventus verbis Paphnutii assensisset, controversia de hoc exorta penitùs sedata est, potestasquè permissa cuiquè pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi.* Hoc identidem habetur apud Cassiodorum *in historiâ tripartitâ, lib. 2. cap.* 14. & Nicephorum *lib.* 8. *cap.* 19. Non ignoramus, inquam, hujusmodi instantiam Paphnutio adscriptam, sed nec ignoramus, eam vel à Socrate confictam fuisse, vel potiùs â Græcis posteriùs insequutis schismaticis, & continentiæ clericali adversarijs illic insertam, & suppositam, aut saltem, ut inquit Cabasutius *ubi suprà*, si quid habet veri, nullam fuisse illius habitam à Sacro Concilio rationē.

6 Majorem difficultatem, quam Paphnutii instantia, ingerunt nuptiæ S. Malchi. Hic enim, ut refert D. Hieronymus *in ejus vitâ*, postquàm per multos annos Monachus fuerat, uxorem duxit, cum eâ vsquè ad finem vitæ permansit: sed cum Bellarmino *lib. unic. de Matrim. cap.* 21. advertendum est, nullum conjugium intervenisse inter S. Malchum, & eam fęminam; nam ille coactus finxit, se uxorem ducere; quod patet ex eo quia ipsa virum habebat viventem, quandò à Domino suo nubere Malcho cogebatur. Nusquàm igitur licuit

euit hæc Polygamia, quamobrem cæteris omissis, Basilius *epist.* 17. *inter
7 posterius additas*, Sacerdotem septuagenarium, qui dimissam in suâ ordinatione Conjugem, in suas iterùm ædes receperat, acriter objurgat, & mandat, ut Presbyteram suam in Monialium Monasterium dimittat, & ei Canonem Nicænum proponit, quem ab eo violatum cõqueritur: Sic Gregorius Magnus
8 *lib.*4. *Dial.c.*11. de Ursino Sacerdote refert: *Hic ex tempore ordinationis suæ Presbyteram suam, ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propiùs accedere, nunquàm sinebat*; Et subindè memorat, quod cum venerabilis hic Senex quadragesimo suæ ordinationis anno, ultimâ ægritudine decũbens, vix extremos spiritus traheret, ejusquè Presbytera incerta, an expirasset, aurem naribus ejus admovisset ad explorandũ, recollectis viribus, in has erupit voces: *Discede Mulier, adhuc igniculus vivit; amove paleam*.

9 Sed quid dicendum de subdiaconorum olim nuptiis? Baronius *Anno Christi* 324. *num.*128. ostendere nititur, nuptias fuisse subdiaconis prohibitas à S. Sylvestro Papa in Conc. Romano primo: Verùm meritò observat Dominicus Macrus *in suo Hiærolexico, verbo subdiaconus*, si dicta Constitutio emanavit, eam non semper, nec ubiquè observatam fuisse, nam Castitatis observantia post illa tempora subdiaconis fuit remissa, prout colligitur ex Concil Cartag. 2. *de anno* 390. celebrato, vbi *primo can.* præscribitur continentia Presbyteris, & Diaconis; sed de Subdiaconis nihil dicitur, quod observat Nat. Alex. *in hist.* 4. *sæculi, part.* 1. *c.*4. *art.*8. tùm etiam ex Tolet. 5. celebrato *anno* 57.

10 Quod si censeremus, subdiaconum obligatum tantùm ad continentiam fuisse, quando ordo subdiaconatus inter sacros declaratus est, tunc id fuisset in fine tantùm sæculi Duodecimi, quando Innocent. III. expresit, subdiaconum in Episcopum posse liberè elegi, sicut & Sacerdotem, & Diaconum; & inter Sacros Ordines ipsum coaptavit, ut notat Thomasinus *de novâ, & veteri Ecclesiæ disciplinâ, to.*1. *lib.*2. *cap.*33 *num.*3. Ziegler. *de Diacon. & Diaconiss. vet. Eccles. cap.*14. *num.*27. Petr. de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imper. lib.*8. *c.*13. *circà finem*, Martene *de Antiqu. Eccles. ritib. lib.*1. *cap.*8. *num.*6. *tom.*2.

11 Cum ergò hodiè absquè ullâ hæsitatione subdiaconi æquè ac Diaconi, & Sacerdotes ad continentiam, & castitatem teneantur, ideò si vxorem ducerent, essent Polygami similitudinarii; & cum hodiernis temporibus ferè omnes Hæretici monachorum vota, ac Sacerdotum cælibatum improbent, contrà eos oriretur vehemens hæresis suspicio, sicut firmant Cantera *qu. crim. cap.*1. *de hæret. nu.*71. Transmiera *de Polyg. lib.*2 *qu.*17. *num.*16. 17. & 18. Zecchin. *de casibus Episcopis reservat. tit. de hæret. denunc. num.*1. *antè finem fol.* 121. Bordon. *loco cit. n.*64. Peyrin. *de privil. Regular. tom.*2. *const.*9. *Pauli V.* §. 2. *n.*20. Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *cap.* 6. *nu.*35. Hieronym. Rodrig. *resol.*93. & ex ipsis Hurtad. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 2. *Resol.*5. Sperell. *decis.* 111. *num.*83. De Just. *de dispensat. lib.*2. *cap.*13. *num.*7. & *seqq.* idquè, sivè palàm, sivè clàm matrimonium Sacerdotes, Diaconi, & subdiaconi contraharent: Farinaccius *de hæresi quæst.*183. *num.*73. Trasmiera *de Polygam. lib.*2. *qu.*17. *num.*21. Sperell. *dict. decis.* 111. *num.* 83. Imò ipsa sola
12 sponsalia ab ipsis cõtracta suspicionem inducunt, licet levem, quia important tantummodò dispositionem ad actualem Sacramenti abusum, prout in aliis terminis suprà insinuavimus, & firmant in his terminis Bordon. *loc. cit. num.*56. & Hurtad. *d. Resol.*5. *num.*41. ubi addit, personam sic contrahentem reddi suspectam respectu suæ Regionis, aut originariæ, aut habitatæ, quod vitio illius regionis sit infecta, juxtà Sesse *tom.*4. *decis.*452. *num.*4. proindequè esse vehementer suspectum sacerdotẽ sponsalia contrahentem, si fuerit ex provinciâ infectâ hæresi Lutheranâ, aut in eâ per multum temporis moratus fuerit.

13 Hæc omnia intellige, non solùm quò ad ordinatos in Ecclesiâ Latinâ, sed etiam quò ad eos, qui ordines in Ecclesiâ Grecâ susceperunt: Nam hi, quàvis possint permanere in Matrimonio antè ordinum susceptionem inito, neque-

nequeunt tamen posteà nuptias contrahere: Azor.*lib.*13.*Instit Moral.cap.*12. *q*.4.*&* 5.Sanchez *lib.*7.*de Impedim. disp.* 28.*num.*3. Transmiera *de Polyg. lib.*2.*qu.* 17.*num.*15.Arcud. *de Concordiâ Ecclesia Orientalis, & Occidentalis circà Sacramentum Matrimonii,lib.*7.*cap.*40.*per tot.* De Just. *de dispensat. dict.lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 13.

14 Est namquè ista Polygamiæ species, quocumquè modo sequatur, juxtà propositionem à Sac.Conc.Trid.de *Sacram. Matrim.can.* 9.*sess.*24.damnatam vti hæreticâ, quam heterodoxi tunc temporis tenuerunt, & præcipuè Lutherus, qui in *serm. de Matrim.* ità blasphemavit: *Duo De viginti causas in suo jure effinxit Papa, quibus omnibus matrimonium, vel dissipet, vel impediat, quas tamen ferè omnes reiicio, & condemno.*

Leonardus quoquè Schirtomerus *in suo speculo politico, qu.*17. conatur hujusmodi impiam propositionem tueri cum illis stultis argumentis, quibus utuntur cæteri hæretici, adversùs quos validissimè scripserunt Catholici eruditi, quorum rationes brevitatis studio omittentes, sat est, si dicamus, quod cum amor ergà vxorem, & liberos reputetur omnium intensissimus, ideò occupat animum ad res temporales, quæ uxori, & liberis inserviunt, & consequenter avertit ipsum, nedùm à studijs, verùm etiam à cultu, quem Deus magis exigit à sibi consecratis, quàm ab alijs; idcircò Sacerdotes, & Religiosi validissimam necessitatem habuere, se perpetuò castitatis vinculo obstringendi.

15 Attentâ igitur tali obligatione, quam ratio convenientissima induxit; quam suprema Apostolica authoritas stabilivit; quamque quisquis suorum actuum arbiter sibi constituit, supradicta propositio, vti hæretica, erat, pròut fuit, damnanda à Sanctâ Synodo.

Si quis igitur in Sacris ordinibus constitutus uxorem ducat, præsumitur errores hereticorum sequi, ut benè ponderat Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 40. *rubr. de matrim.num.*10. & facto impugnat illum S.Synodus Tridentinæ Canonem, & proindè fit suspectus: Bordon. *ubi suprà.*

16 Nec oritur hæc suscipio tantummodò quò ad Sacerdotes, si matrimonium contrahant; verùm etiam quò ad Religiosos, qui professionem emiserunt, licet in Sacris non sint constituti: Hi enim voto solemni se Deo obstringunt, ideòquè inter eos numerantur etiam Religiosi Societatis Jesu, qui vota biennij emiserunt: Transmiera *de Polyg. lib.*2. *quæst.*17. *n.*22 *vers. & Iure Iesuitæ, & num.*24. Hurtad. *in sæpè citatâ Resol.*5. *num.*39.& Bordon. *ibidem.*

Hoc tamen nec quò ad Sacerdotes, nec quò ad Religiosos est intelligendum, quoties nuptias celebrarent, cum Pontificis dispensatione.

17 Non enim ambigendum, quod Papa possit dispensare cum Sacerdotibus, quia Cælibatus est ordini Sacro annexus, non de Jure Divino, sed solùm de Jure Ecclesiastico, & proindè hujusmodi potestas in Pontifice residet: Barbos. *de potest.Episc. allegat.*15. *num.*3. *&* 20. Transmier.*de Polygam.dict.lib.*2. *qu.*17. *num.*30. De Iust. *de Dispensation. lib.*2. *cap.* 13.*num.*15. Rot. *decis.*560. *n.*10. *& decis.*561.*num.*11.*part.*1.*diversor.*

18 Imò non tantùm potest dispensare quò ad Sacerdotes, sed etiam quò ad Religiosos, non obstante voto solemni, quidquid dicant Moralistæ; atquè hæc est hodiè communis Theologorum, ac Canonistarum opinio, quam etiam tacitè approbavit Ecclesia Romana, dum super hoc dispensavit cum multis Religiosis, pròut cum Ramiro Rege Aragonum, ut relictâ Religione, & Episcopatu, acciperet uxorem, & Regnum; cum Constantiâ filiâ Rogerij Regis, quæ cum esset Sanctimonialis, nupsit Henrico IV.& cum fratre Cardinalis Joyosæ, Gallo Sacerdote Professo, & Provinciali Ordinis Capucinorum; & innumera alia exempla afferunt Transmiera *citatâ qu.*17. *à num.*31. De Iust.*de Dispensat.dict.lib.*2.*cap.*13.*num.*17. Fagnan. *in cap.cum ad Monasterium, de statu Monachorum, num.*66. Garcia *de Benefic. par.*7.*cap.*10.*num.*43. *&* 45.

19 Causa verò, ut Papa dispenset, seu, ut magis propriè loquar, declaret, ad cælibatum non teneri Sacerdotem; vel in Religioso votum non obligare, ejus arbitrio remittitur, an sit justa, & debet respicere bonum publicum: Sanchez *de Matrim.lib.*8.*de dispens.disp.*8.*num.*2. *&* 3. ubi cum Azorio redarguit opinionem

nem Abbatis, Bellettus *disquisit. Cleric. par.* 1. *de disciplin. Cleric.* §. 9. qui specificat hanc causam: *si aliquis Rex infidelis vellet amplecti Fidem Catholicam cum toto suo Regno, dummodò posset Monialem ducere in uxorem*; Hostien. *in cap. ad Monasterium*, ubi ait, justissimam esse causam, si tota Christianitas, vel aliqua ejus pars esset in periculo; Archidiac. *in cap. sunt quidam, n.* 5. asserens, causam hujusmodi esse justam, quoties agatur prò magno bello sopiendo, seù prò vitandâ strage animarum, seù prò cultu Dei ampliando, ut quoquè apud Menoch. *de arbit. Iudic. lib.* 2. *Cent.* 5. *cas.* 421. *n.* 10. 11. & 12. & Transmier. *ubi suprà*.

20 Ratio autem, propter quam hujusmodi causæ ad dispensationem concedendam respectu Sacerdotis requirantur, est, quia licet Cælibatus sit annexus ordini Sacro de Iure tantummodò Ecclesiastico, nihilominus maxima est decentia hujus cælibatus in Sacerdotio, non solùm ab Hebræis cognita, quâpropter Abel, Enoch, Melchisedech, Elias, Eliseus, Jeremias, Daniel, & alii fuerunt virgines; sed etiam ab ipsis Ethnicis, apud quos Sacerdotes per antonomasiam casti vocabantur, ut apud Virgilium *Æneid.* 6. & apud Ovid. dicentem:

— *Qui cæsus ab arbore purâ*
Casta Sacerdotum tempora fronde tegit.

Cum ergò talis sit huiusmodi decentia deducta à sacrâ scripturâ; á Gentilibus non ignoratâ; à Christo pręceptâ, quemadmodum opinatur, præter alios, Torreblanca *Iuris spirit. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. & *num.* 29. & à SS. Patribus approbatâ, ad dispensandum super sacerdotum castitate requiritur causa, quæ compenset tantum bonum, quantum est illud, quod procedit à Clericorum continentiâ; Undè non sufficit utilitas
21 privata, vel periculum incontinentię, ut statutum commune tùm antiquum, tùm recens abrogetur: Sâchez *ubi suprà, n.* 2. præterquam quod sequeretur, ut se exponerent Clerici periculo peccandi ad effectum obtinendi dispensationem, si ipsum periculum esset sufficiens: Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *nu.* 3. ubi ait, quod valeret tamen matrimonium tali causâ affectatâ contractum.

22 Quoties verò consideramus Religiosos, qui habent votũ solemne, tunc existimamus, quod cũ votũ sit de Jure divino (quarè Psalmista: *Vovete, & reddite Domino Deo*) Pontificem nec posse dispensare, nisi adsit talis causa, quæ per se sufficiens sit ad ipsum votum irritandum, ut si agatur de majori bono: S. Bonavent. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 4. *artic.* 4. *Conclus.* 1. S. Antonin. *par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. *penult. in principio*, & Sylvester *verb. Votum* 4. *quæst* 3. *vers. Testium*. Votum enim debet esse de meliori bono, cum in quolibet voto intelligendum sit, nisi aliter Deo placeat; & credendum est, Deo aliud placere, quoties in majorem utilitatem cedat, si contrà votum fiat: Ità Innoc. *in cap. cum ad Mosterium, de stat. Monachorum*.

Meliori igitur bono cessâte cessat ipsum votũ; nec frangere votum intelligitur, qui se Dei dispositioni committit, & qui magis ejus beneplacitum facit: Idem Innoc. *ubi suprà*, quem *ibidem* sequuntur communiter Canonistæ: Imò si talis casus eveniret, quo agnosceretur impletio juramenti esse majori bono impedimentum, non solùm liceret ei, qui juravit, verùm etiam teneretur, non implere juramentum: Alfons. à Castro *de potest. legis pœn. lib.* 1. *cap.* 5. *pag. mihi* 48. Idem dicendum videtur de voto.

Ratio autem, cur requiratur dispensatio, est, quia Sedi Apostolicæ reservatur judicium, & potestas declarandi, an cum hac circumstantiâ substineatur Votum: Alfons. à Castro *ubi suprà*.

23 Tali pacto posset forsan conciliari opinio Moralistarum, cum sententiâ Canonistarum circà hanc potestatem dispensandi in Pontifice, dicendo, potiùs Pontificem declarare non tenere votum, quàm dispensare; id, quod etiam agnoscit Transmiera *de Polygamiâ, quæst.* 11. *nu.* 4. & reverà in iis, quæ concernunt vel jus Divinum, vel jus naturale, propriè loquendo, Ponttfex declarat: D. Thom. *quodlibet.* 4. *artic.* 3. Sotus *dist.* 18. *art.* 5. *ad* 2. *qu.* 1. & *lib.* 1. *de just. qu.* 7. *art.* 3. *ad tertium*, Valencia 12. *disp.* 7. *qu.* 4. *punct.* 6. & 22. *disp.* 10. *qu.* 3. *punct.* 4. Barbosa *rub. ff. soluto matrimonio* 2. *p. n.* 104. Covarr. *in decretal.* 2. *p. c.* 6. §. 9. quos allegat, & sequitur Fermosinus *ad textum in cap.* 1. *de summâ Trinitate q.* 1. *num.* 35. quarè ait Fagnan. *ubi suprà, num.* 74. ex authoritate Joannis

Andreæ, quod quando Ecclesia dispensat in voto, non dispensat in præcepto Juris naturalis, vel Divini; sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere; sicut etiam dispensare contrà legem humanam non est tollere legem, sed ordinare ex causâ, nè liget eo casu, quo dispensatur: At dispensare eo casu, quem non potuit circumspicere deliberatio humana, est potiùs declarare, quod voluntas ad eum casum non se extenderat, pròut videre est apud Covaruv. *in cap. 2. à num. 17. de testam. & in cap. Quamvis p. 1. §. 3. à num. 9. de pact. in 6.* Sayr. *in clavi Reg. lib. 6. cap. 11.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 6. de Voto, libr. 6.* Sanchez *lib. 4. summ. cap. 24. & seqq.* Diana *tom. 8. tract. 4. Resol. 69. & sequentibus, & to. 4. tract. 3. Resol. 14. & sequentibus*, Dorleanus *in Tacit. lib. 1. Annal. fol. 154.* Navarr. *tom. 3. in manual. Confessor. cap. 12. à num. 63.*

24 Hoc modo videtur, quod remaneat soluta etiam illa maxima quæstio, quam agitat P. Natalis *in sua hist.* & quam tractant complures alij, an scilicet resideat penès Pontificē facultas solvendi subditos à voto fidelitatis ergà Principem in causâ fidei, cum illud votum sit de Jure Divino: Ex quo elucescit, quàm à vero aberret Spondanus *in to. 3. suæ Continuationis histor. pag. 475. & 476.* ubi auferre videtur potestatem etiam indirectam summis Pontificibus, quam habent in Principum sæcularium Regna ad dirigendos in viam æternam errantes, ut definierunt duo Concilia generalia legittima, scilicet Lateranense Magnum sub Innocentio Tertio, & Lugdunense sub Innocentio Quarto, ut consideranti patebit: Sed de hac re satis luculenter *in secundâ parte*.

25 Item non incurrunt Polygamiam, si matrimonium contrahant, qui per vim, & metum Ordines susceperunt, vel religionem ingressi fuerunt, sivè hujusmodi metus, vel vis fuerit absoluta, quo casu nec reciperetur Character, ut ex *cap. Majores, de Baptism.* De Just. *ubi supra, dict. lib. 2. cap. 13. num. 31.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. cap. 29. n. 1.* Tancred. *de Matrim. lib. 7. disp. 29.* Guttierez *de Matrim. cap. 90. n. 17.* Rota *decis. 560 par. 1. divers.* siuè fuerit conditionalis, vel causativa, quę tamen sufficeret, ut imprimeretur Character: Rota *ibidem, n. 2. & 3.*

Castitas enim, seù Virginitas cum pendeat à libertate, suaderi potest, non autem præcipi, undè Apostolus *ad Corinth. cap. 7. De Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium do*, quod etiam innuitur *in cap. integritas 32. qu. 1.* Quapropter voluntas, quæ se obstringit ad illam servandam, debet esse non solùm simplex, verùm etiam libera, & spontanea; idcircò Rota *in decis. 561. part. 1. divers.* dixit, eum, qui tali vi coactus receperit subdiaconatum, nullâ indigere dispensatione, & recessit à decisis *in superiùs allatâ decis. 560.* & communiter admittitur, posse matrimonium contrahere, ut cæteris omissis, dixerunt De Justis *loco sæpè citato, num. 34.* cum ibi allegatis; Tancred. *de Matrim. dict. lib. 7. disp. 29. per tot.* Avendan. *de metu, lib. 2. cap. 16. nnm. 101.* Gonzalez *in regul. 8. Cancellar. §. 31. num. 38. & 39.* Guttierez *de Matrim. cap. 90. sub num. 16.*

26 Ex his liquet pariter, irritam reddi professionem, vi, & metu emissam, ut latè præ aliis de hac re Bordon. *de Profession. c. 19.* Rota *coram Greg. XV. decis. 491. num. 1.* Qui metus adeò durat, quamdiù durat subjectio incutienti timorem, ex congestis per De Just. *de Dispensat. lib. 2. cap. 12. num. 61. & 62.*

27 Imò adeò verum est, requiri voluntatem liberam tùm ad castitatem, tùm ad professionem, ut si contingat, Religiosum, vel Monialem solemni voto profiteri, ac in Religione diù permanere, existimantem se tempore professionis constitutam esse in eâ ætate ad id requisitam, si posteà compererit, nulliter vovisse ob ætatis defectum, poterit liberum sibi statum vindicare, eò quod pręsumatur, defuisse voluntatem ratihabitionis, cum voluntas nostra nō feratur in incognitū, iuxtà ea, quæ tradit De Justis *de Dispensat. loco proximè citato, n. 62. 63. & seqq.* & magistraliter firmavit Rota *in Mediolan. Nullitatis Professionis, Veneris 3. Martii 1690.* quæ decisio impressa est apud Pignatell. *consult. tom. 9. post consult. 173.*

28 Annullatâ autem professione, Religiosus, qui non est in Sacris ordinibus constitus

stitutus, non cogitur castitatem servare, & potest inire Matrimonium: Barbos. *in cap.* 1.*de his, qui vel vi, & Metu,n.*2. *&* 3.Tancred. *de Matrim. lib.*7. *cap.* 29. *num.*5.*&* 6.

Oportet tamen, ut præcedat Judicium Ecclesiæ, & lata sit sententia super nullitate Professionis, alioquin, tamquàm temerarius, si contraheret, esset puniendus ad Text.*in cap.*1 *&* 2.*de matrim.contract. contrà interdict.Eccles.* Barbos. *in dicto cap.*1.*num* 4.

Sed advertendum, quod post purgationem metus, Religiosus tenetur ad votum castitatis, quod militat etiam in promoto ad ordines Sacros: Rota *coram Penia,decis.*1285. *nu.*5. *& in Recentior.decis.*40. *&* 343. *par.*6. Barbos. *vot. decisiu.vot.*77.*per tot.tom.*2.

§ III.

De Polygamis, qui contrà voluntatem Uxoris Ordines suscipiunt, vel Religionem ingrediuntur.

SUMMARIUM.

1 *Qui contrà uxoris voluntatem, vel ordines suscipit, vel religionem ingreditur, est Polygamus similitudinarius, & de hæresi suspectus: Ratio.*

2 *Bordoni sententia in contrarium respuitur.*

3 *Affertur, & solvitur Bordoni instantia.*

4 *Potest uxoratus absquè peccato, & absquè heresis suspicione transire ad ordines sacros, vel ad religionem cum consensu conjugis: Hæcque in tali casu ad quid teneatur?*

5 *Uxor præbens consensum prædictum, si sit juvenis, cogenda an sit monasterium ingredi?*

6 *Matrimonium si sit tantùm ratum, & non consummatum, unus coniux altero invito potest resilire, & Religionem ingredi.*

7 *Conceditur bimestre ad deliberandum, an velit conjux, adhuc non consummato matrimonio, Religionem ingredi.*

8 *Elapso prædicto bimestri, si conjux non deliberet profiteri, cogitur redire, & quibus mediis.*

9 *Si deliberet, expectatur annus probationis, ac tempus aptũ ad profitendũ.*

10 *Matrimonium nondùm consummatum solemni voto dirimitur.*

11 *Absquè consensu alterius conjugis non potest alter ad Sacros ordines promoveri, etiamsi adhuc non sit consummatum matrimonium: Ratio.*

12 *Monasticæ vitæ repugnat matrimonium ex sui naturâ; Ordini verò, ex solo decreto Ecclesiæ.*

13 *Altero conjuge adulerante potest alter ordines suscipere, absquè ullo consensu.*

14 *Si vir ad ordines promoveretur absquè uxoris innocentis consensu, reciperet tamen characterem; sed cogeretur redire.*

15 *Petrus de Corbario Antipapa per sententiam sui Ordinarii jussus ad uxorem redire, à quà absquè licentiâ recesserat.*

1 NUNC remanet tertia species Polygamiæ, quæ pariter dicitur similitudinaria, in quâ versantur illi, qui contrà uxoris voluntatem Ordines suscipiunt, vel Religionem ingrediuntur: Etenim tales ab hæresis suspicione non sunt judicandi immunes, ut testantur Transmiera *de Poligamiâ, lib.*3. *qu.* 13.*num.*31.Carena *par.*2.*tit.*17.*num.*12. Simanc.*de Catholic.Instit.*40.*tit* 40.*n.*14. & Farinacc.*de Hæreticis qu.*183.*nu.*74.

Nam seù Matrimonium antecedat, seù subsequatur Ordines, fit semper & matrimonio, & ordini injuria: Simanchas *de Catholic.Instit.tit.*40.*de Matrim. num.* 14. Farinac. *dict. quæst.* 183. *num.* 74. P.Diana *par.*4.*tract.*7. *resol.* 4. *in fin.vers.nota secundo*: Fit injuria matrimonio, cui repugnat continentia, quę ab Ordinato exigi debet: Canonistæ *in cap.Conjugatus*, &, pluribus congestis, Albitius *de Inconst.in fide,cap.* 26. *num.*162.Fit iniuria Ordini, cui annexus est Cęlibatus, quem respuit matrimonium, quarè nec licebit Conjugato primam tonsuram suscipere, cum ad eam non liceat quis promoveri, nisi velit Religionem ingredi, vel ad Sacros ordines transire: Albitius *ubi suprà* cum alijs.

Imò, quia instante Conjuge, ut infrà patebit, tenetur conjux, qui ordines

suscepit, vel Religionem ingressus est, prosequi actus maritales, videtur proindè, quod ipse facto suo significare velit, habere animum post ordines prosequendi vitam maritalem, iuxtà errorem Lutheranorum credentium, posse in Ordinibus sacris constitutos transire ad Matrimonium: Ità Transmiera *in dictâ quæst.* 13. *num.* 28. eò magis, quia posset, si vellet, ritè transire ad sacros Ordines, vel ad Religionem, petitâ ab Uxore licentiâ, & aliis circumstantijs observatis, ut benè ponderat idem Transm. *ibidem, num.* 29. & De Just. *de Dispensat. dict. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 62.

2 His tamen non obstantibus contrariam opinionem tuetur Bordon *in Tribun. cap.* 22. *num.* 57. sed malè: Ex quo enim uxoratus non habet sui Corporis dominium, si Ordines recipiat, per consequens ad continentiam se obstringit, quæ involvit prohibitionem tàm petendi, quàm reddendi debitum; recedit à communi vitâ, & conversatione fidelium, & ideò juxtà doctrinam ab ipso Bordon. approbatam *ibid. num.* 68. incurrit suspicionem hæresis: Nec deest in hoc etiam Sacramentorum abusus, nam quemadmodum eis abutitur, qui est in sacris Ordinibus constitutus, & matrimonium contrahit; ità qui uxoratus suscipit Sacros Ordines, & posteà ad uxorem redit; nam continentia, quæ ordini est annexa, importat non solùm, quod non petatur, sed etiam quod non reddatur debitum; & ob id Sacris Ordinibus constitutus contrahere non potest matrimonium, licet pactum exprimat de non petendo debito, sed tantùm de illo reddendo:

3 Nec valet ratio, quam affert Bordon. *ibidem*, scilicet quod indè sequeretur, Clericos luxuriantes esse de hæresi suspectos, cum isti etiam faciant iniuriam Sacro Ordini, cui annexa est castitas.

Non valet, inquam; nam hujusmodi ratio nimis probaret, videlicet non esse suspectos Sacerdotes matrimonium contrahentes: Adde quod simplices actus, per quos quis luxuriatur, non destruunt votum, seù propositum castitatis, quæ est Ordini annexa, licet ipsimet actuali castitati opponantur, undè quotiescumquè respuitur castitas cum obligatione, quam involuit matrimonium, eam perpetuò non servandi, magna fit iniuria ordini, cum intendatur ipsius destructio per destructionem castitatis ei annexæ: Card. Albit. *in responsione ad fratrem Paulum, pag.* 139.

Verùm hujusmodi obligatio contrahitur vel si post matrimonium Ordines recipiantur, vel si post receptos ordines, matrimonium incatur: Jisdem verò principijs, quibus probatur, injuriam irrogari ordini sacro, probatur etiam, eam inferri matrimonii Sacramento, cum propositum castitatem servandi opponatur matrimonio, per quod traduntur dominia corporum; undè sicut ipsa actualis castitas præjudicat uxori, ità perpetua obligatio non reddendi debitum, matrimonii essentiam conatur destruere.

4 Datur verò casus, quo uxorati possunt absquè hæresis suspicione, & absquè ullo peccato transire ad Ordines Sacros, vel ad Religionem, putà si alter Coniugum de alterius consensu ingrediatur Religionem, eamque profiteatur, vel sacros Ordines suscipiat: Alexander III. *in c. Verum, de cõvers. coniugat.* Conç. Trid. *sess.* 24. *can.* 6. adversùs Lutheros, & Calvinistas contrarium asserentes; Sanchez. *de matrim. lib.* 7. *disput.* 38. & Bordon. *ubi suprà*; & hoc casu cogitur uxor perpetuâ castitatem vovere, seù sit juvenis, seù sit senex: hoc tantùm discrimine, quod si sit juvenis, propter periculum incontinentiæ, Monasterium ingrediatur; secus, si sit senex, nec suspecta de hoc periculo: *cap. præterea, de convers. conjugat. lib.* 3. ibi latè Fagnan. *& cap. cum sis, eodem titulo*, De Just. *de dispensat. ubi suprà, d. cap.* 14. *num.* 100.

5 Quod adeò verum est, ut si uxor sciat hanc vovendi necessitatem, & simpliciter præbeat licentiam, cogenda sit ad tale votum emittendum; & ad ingressum in Monasterium, si sit juvenis, cadente quæstione, an ulterius cogi debeat ad emittendam professionem: Fagnan. *loco cit.* ubi tamen ait, quod ignorantia semper præsumitur in fæminâ; secus in masculo.

6 Imò etiam sine licentiâ, quoties matrimonium sit ratum, sed non consumatum, potest vir, seù uxor, invito altero coniuge, resilire: connubium enim antè copu-

copulam, & cohabitationem non censetur, nec appellatur plenum, & perfectum, ut post Bellarmin. *controversf.* 5. *lib.* 2. *cap.* 38. *de monachis*, probat Solorzan. *de Gubernat. Indor. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 43. *& num.* 47. ubi affert doctrinam notabilem Baldi dicentis, quod vir uxorem invitam comprimere potest solummodò, quando ipsa jam fuerit traducta ad ejus domum, secus si adhùc sit in Domo patris, aut etiam si sit in itinere, quasi quod anteà plenum jus in eâ acquisivisse non videatur: Sed hoc intelligendum est, quando nondùm transactum sit bimestre concessum ad deliberandum de Religionis ingressu, ut benè advertit Sanchez *de matr. disp.* 22. *num.* 13. & De Justis *de dispensat. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 89. Nam quamvis possit uxor invito viro, & è contra vir invitâ uxore, antè matrimonii consumationem ad religionem convolare absquè peccato per *c. ex publico, de con-*
7 *vers. coniug.* conceditur tamen bimestre ad deliberandum, quo elapso, si nihil deliberatum fuerit, poterit sponsus
8 tentare media pacifica ad sponsam suam de præsenti recuperandam; & quatenùs hujusmodi media inefficacia experiretur, uti poterit violentiâ, cum vir habeat manuum iniectionem in uxorem ratione subjectionis, quemadmodùm inquit laudatus Sanchez *d. disput.* 22.
9 *num.* 13. Si verò intrà bimestre sponsa deliberaverit Religionem profiteri, tenetur vir expectare annum probationis, juxtà Fagnan. *in cap. ex publico à nu.* 19. *usquè ad num.* 26. *& num.* 36. *&* 37. *de convers. coniug.* Sanchez *ubi suprà, disput.* 24. *num.* 4. Layman. *Theol. moral. libr.* 5. *tract.* 10. *par.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. & Graff. *decis. aur. lib.* 2. *decis.* 82. *num.* 11. Imò si sponsa duodennis transeat ad Religionem, expectanda est per integrum quadriennium, quia profiteri nequit antè annum sextum decimum expletum ex dispositione Concil. Trid. *sess.* 25. *de regular. c.* 15. ut observant Sanchez *loco cit. num.* 8. Layman. *ubi suprà*, & De Justis *de dispensat. d. cap.* 14. *num.* 85. &
10 postmodum solemni Religionis professione dirimitur vinculum matrimonii rati, itàut coniux manens in seculo sit in libertate ad alias nuptias transeundi, prout definitum fuit in eâdem Sanctâ Synodo Tridentinâ *sess.* 24. *de matrim. can.* 6. & latè probant Bellarmin. *de quo suprà*, Gabriel. de Ballis *tract. de delict. cap.* 4. *num.* 5. *& seqq.* Sanchez. *de matrim. lib.* 2. *disput.* 18. *à num.* 3. & Sperel. *par.* 1. *decis.* 21. *num.* 44. *&* 45.

11 Non ità dicendum de sacrorum ordinum susceptione: Quippè etiamsi matrimonium nondum sit consumatum, vir absquè spontaneâ uxoris licentiâ non potest ad sacros ordines ascendere, sicuti habetur *in extravag. Antiqua Ioann.* 22. *de voto* & firmant Fagnan. *in c. verum, & in c. coniugatus, num.* 13. *de convers. coniug.* Bellarmin. *ubi suprà.* Carpens. *curs. Theol. tract.* 26. *disp.* 7. *sect.* 2. *per tot.* idem de Ballis *loc. cit. num.* 8. Sanchez *de matrim. libr.* 7. *disput.* 38. *num.* 2. *&* 7. & si ascenderit, monendum esse per Diœcesanum, ut religionem ingrediatur, decernitur *in d. Extravagan.* Non esse tamen cogendum, quidquid dicat Hostiensis, subjungit Gloss. *in eadem Extravag. verbo concertationi*; Ratio autem, quare vir, coniuge invitâ, nequeat ordines suscipere, ea videtur esse, quia sacer ordo non dirimit matrimonium ratum, ut definitur *in prædictâ Extravag.* ac docent. Joan. Andr. & Imol. *in c. de voto, & voti Redempt. lib.* 6. Gutticrez *de matrim. c.* 54. *n.* 6. Alvilet. *de privileg. Regular. sect.* 2. *c.* 2. *n.* 21. Campanil. *diversor. jur. can. rubr.* 1. *n.* 79. Capell. Tholosan. *dec.* 362. De Justis *de dispensat. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 25. *&* 26. Monasticæ enim profes-
12 sioni repugnat per se, & ex naturâ rei coniugium, non verò repugnat per se, & ex naturâ rei ordini sacro, sed ex solo decreto Ecclesiæ, ut benè ponderat Bellarmin. *loco cit.* atquè subindè præjudicium fieret mulieri, absquè ejus licentiâ, ordine assumpto, & mutato statu, quemadmodum inquit Sanchez *ubi suprà*, De Justis *d. cap.* 14. *n.* 25. *&* 26. Id tamen intelligendû, uxore non adulte-
13 rante: nam eâ adulterante, virum innocentê posse ad ordines transire, ipsâ invitâ, latè tuetur idem Sanchez *lib.* 10. *disput.* 11. *num.* 16. quod extendit De Justis *ubi suprà*, *à num.* 58. ad quemcumque casum divortii, quia tunc uxor amisit jus retinendi alterum coniugem, ut ait idem De Justis *ubi suprà*, *num.* 59. Regulariter igitur non potest vir

vir, invitâ sponsâ de præsenti antè consumationem matrimonii, promoveri ad sacros ordines, & quamvis si tunc pro-
14 moveretur, reciperet characterem, nihilominùs revocari posset, ac cogi, uxori suæ reddere debitum, licet ab eâ exigere illicitum foret, juxtà Extravagant. *Antiquæ*, *de voto*. Fagnan. *ad cap. verum post, de convers. conjug. lib. 3. num. 3. & ad cap. conjug. eodem tit. n. 13.* De Justis *ubi suprà, n.* 47. 49. 50. *&* 53. etiam si factus Sacerdos ad Summum Pontificatum fuisset elatus: Quod etiam dicendum est, si vir post matrimonii consumationem absquè uxoris licentiâ ad Religionem convolaret; undè non
15 est hîc silentio prætereundum, quod Romæ evenit sedente Avenionis Joanne XXII. Contrà hunc Pontificem Ludovicus Bavarus Ecclesiæ rebellis suscitavit Sacrilegum schisma, curatâ Romæ promotione ad Cathedram pestilentiæ fratris Petri de Vico Corbario: cum autem tunc in seculo superviveret Joanna Petri uxor, cum quâ legittimè annis quinque habitaverat, & à quâ invitâ recessisse ferunt, Episcopo Reatino Libellum divortii non concedente, hæc repetiit matrimonii thorum locupletis Pontificis, quem tot annis spreverat Monachum mendicũ: Ad ejus ergò instantiam confecto processu, judicavit præfatus Episcopus, Petrum redire ad Joannam debere, tamquàm ad suam legitimam uxorem, cujus sententiæ autographum misit Episcopus Avenionem ad summum Pontificem Joannem, & hic ad Principes Christianos, ut eis constaret, qualem Pseudo-Pontificẽ Bavarus elegisset. In utrumque, Corbarium scilicet, & Bavarum eleganter Alvarus Pelagius *de planctu Eccles. in Proœm.*

16 Ergò dignoscitur discrimen inter matrimonium consumatum, & matrimonium tantummodo ratum: Quoties enim est consumatum, est insolubile, & nullâ humanâ lege irritari potest, cum per illud conjuges effecti sint una caro, quæ nonnisi per alterius mortem est separanda: De Just. *in d. cap.* 14. *num.* 94. & quoquè latissimè probat Jvenin. *de Sacramentis, to. 2. pag. 97. & sequentibus,* adversùs Lutherum, Philippum Melanctonem, Calvinum, & Erasmum; quoties autem matrimonium est tantummodo ratum, tunc, vel per se conjugatus solvit matrimonium ingressu Religionis, vel cum facultate Pontificis, qui etiam potest solvere hujusmodi matrimonium, justâ adveniente causâ, ut si alter conjugum labatur in hæresim, & tunc laudandus est, qui sic soluto matrimonio ad sacros Ordines, vel ad Religionem transit: Fagn. *ad cap. ex parte, lib. 7. num. 9.*

§. IV.

De aliis abusibus Sacramentorum in conficiendo ob defectum potestatis.

SUMMARIUM.

1 *Contrahens nuptias cum infideli, vel hæreticâ, abutitur matrimonio, & est de hæresi suspectus.*
2 *Lutheri error.*
3 *Auctoritates Sacræ Scripturæ, & Patrum contrà matrimonia cum Infidelibus.*
4 *Matrimonium cum infideli, quatenus Sacramentum, contrahi nequit: Ratio.*
5 *Matrimonium inter infideles, quandonam solvi possit?*
6 *Exempla eorum, qui contraxerunt cum infidelibus; ac ipsis satisfiit, &* num. 7.
8 *Quandonam liceat matrimonium contrahere cum infideli?*
9 *Ignorantia & consuetudo excusat contrahentes matrimonia cum infidelibus.*
10 *Matrimonium cum Hæreticis improbatur in pluribus Conciliis.*
11 *Matrimonium cum Hæreticis est validum.*
12 *Matrimonium cum Hæreticis est illicitum in Regionibus, in quibus non viget libertas conscientiæ; secus in iis Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses. Contrarium etiam in hoc secundo casu, &* num. 13.
14 *Contrahens cum Hæreticis, semper prophanat conjugium, & corrumpit ordinem ad Deum, & Ecclesiam.*
15 *Conjunctio cum Hæreticis habet innatum perversionis periculum, præcipuè si*

si ineatur cum fœminis hæreticis: Habet etiam impedimentum bonarum operationum, & impedit prolis educationem.

16 *Tolerantur matrimonia cum Hæreticis in Regionibus, in quibus viget libertas conscientiæ, sed non permittuntur aliquo actu positivo: imò quandò impediri possunt, nec tolerantur, eò magis, si conventiones impiæ interveniant.*

1 DICITUR quoque committi abusus in cōficiendo Sacramento propter defectum potestatis, quando contrahitur matrimonium cum personâ acatholicâ: Farinac. *de hæres. qu.* 190. §. 3 *num.* 50. & ex tali abusu oriri suspicionem de hæresi, docet Verricell. *de Apostol. missionib. tit.* 12. *cap.* 175. *sub n.* 9. *vers. ex his patet, tom.* 2. Idque sivè matrimonium celebretur cum infideli, sivè illud contrahatur cum hæreticâ.

2 Per nuptias enim fidelium cum infidelibus initas incurritur suspicio hæresis Lutheranæ, cujus impius Præceptor *in libr. de captiv. Babyl. cap. de matrim.* asseruit, quod hujusmodi conjugia Deus nunquàm prohibuit: Sed ejus falsitas facilè retunditur: Expresse enim
3 testatur Sacra Scriptura *in Deuter. cap.* 7 prohiberi Judæis matrimonium cum Gentilibus, quia *seducet*, ut ibi inquit supremus Legislator, *filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis*, contrà quod cum fecisset Salomon, depravatus per uxores ethnicas adoravit Idola: Hoc autem præceptum, quia involvit moralitatem, & ad omnes pertinet, adhuc non permanere, dici nequit. Accedit insuper illud Apostoli 1. *Cor.* 7. ubi: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino, hoc est, Christiano tantùm*, juxtà Augustinum *lib.* 1. *de Adulter. coniug. cap.* 25. quod clarius ab ipso Apostolo repetitur *in* 2. *epist. ad Cor.* 6. ut quoque advertit Transmier. *de Polygam. lib.* 1. *quæst.* 17. *num.* 4. Clamabat proindè Ambros. *libr.* 1. *de Abraham. cap.* 9. *Cave Christiane, Gentili, aut Iudæo filiam tuam tradere*; & Hieronym. *in lib.* 1. *adversus Iovin.* plorat suorum temporum conditionem: *Nam pleræque*, inquit, *contemnentes Apostoli præceptum, junguntur Gentilibus, & Templa Christi Idolis prostituunt.*

4 Et sanè quonam pacto defendi potest Catholici coniugium cum infideli, nam præter subversionis periculum, quod illud sibi habet annexum, nullatenus quoque, tanquàm Sacramentum, celebrari valet: Van Espen. *in Ius Eccles. univers. par.* 2. *tit.* 13. *de impediment. matrimon. cap.* 8. *num.* 1. cum aliis communiter. Quippè infidelis, utpotè sinè baptismo, non est capax ad cætera Sacramenta, quemadmodùm ait Transmier. *d. quæst.* 17. *num.* 13. ubi idem ampliat quò ad matrimonium fidelis cum cathecumenâ, ut etiam dixit Van
5 Espen. *ubi suprà*. Imò ex ipso Ecclesiæ usu matrimonium inter infideles antè susceptam fidem validè contractum solvitur, si eorum alter ad fidem conversus cum priori uxore permanere detrectet, ut benè inquit Solorzan. *de jure Ind. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 11. & in hoc casu disparitas cultus est causa irritandi matrimonium, quidquid in contrarium asserat Torreblanc. *Iuris spirit. lib.* 2. *cap.* 15. *à num.* 74.

6 Nec Lutheri assertio comprobari potest, ex eo quod B. Monica, S. Augustini mater, virum habuerit Paganum, teste Augustino *lib.* 9. *confess. cap.* 9. quod Clotides nupserit Clodoveo Regi Francorum ethnico; quod Jacob in uxores duxerit filias Laban Idololatræ; Joseph, filiam Putipharis Ægyptiam; Moyses, filiam Ethiopissam; quod Esther nupserit Assuero Regi Persarum ethnico; & tandem quod tàm Hieronym. *ubi suprà*, quàm Augustin. *lib. de fide, & oper. cap.* 19. testentur, suo tempore fuisse frequentissima in Ecclesiâ hujusmodi coniugia.

7 Nam hæc, & alia, quæ poterat Lutherus adducere, parùm vrgent, ut benè animaduertunt Juenin. *de Sacram. tom.* 2. *pag mihi* 1020. *col.* 1. & *pag.* 1021. *col.* 2. Transmier. *dict. qu.* 17. Pont. *de Matrim. lib.* 7. *de disparitat. Imped. cap.* 47. *num.* 7. Verricell. *de Apostolic. mission. tit.* 12. *q.* 175. Lezana *in consult.* 43. *n.* 33. &, antè ipsos, Bellarmin. *lib.* 1. *de Matrim cap.* 23. Etenim, qui sic contraxerunt, excusari possunt, vel quia id fecerunt propter divinam dispensationem; vel quia ad id faciendum coacti fuerunt,
8 quâ ratione licuit cum Paganis nubere

Cæci-

Cæciliæ, ac Luciæ, quas inter sanctas veneramur, ob scilicet Parentum voluntatem; licuitquè, cessante periculo perversionis: Imò narrat Beda *lib. 2. cap. 9. histor. gentis Anglorum*, Anglos Aquilonares ad Christi legem conversos esse, eò quod Alderberga Christiana, filia Eldelberi Regis Cantuariorum, nuptias iniit cum Eduino eorum Rege; & testatur idem P. Verricelllus ex Baronio, matrimonium contractum fuisse à Teresiâ, sorore Adelphonsi Regis Legionensis, atquè pietate inter Catholicos conspicuâ, cum Rege Abdalla Mahometano, eâ conditione, ut ipse Christianus efficeretur, undè longè abest, ut tunc temporis matrimonia contraherentur cum perversionis periculo. Fateor tamen ità non cessare hujusmodi periculum; nam possunt Infideles deludere, pròut delusa fuit hæc Virgo, quæ nihilominùs suæ intentionis meriti præmium assequuta fuit à Deo: Nam divinâ ultione, quam ipsa viro interminata fuerat, hic gravissimo morbo correptus, dimisit eam, quæ postea Monasticam vitam amplexata est. Possunt etiam excusari, qui
9 prǽteritis temporibus conjugia inierunt cum infidelibus ob ignorantiam, & introductam consuetudinem, quâ ratione Bellarminus, & Van Espen. *loco cit. num. 3.* excusant quoquè S. Monicam.

Si verò nonnulli excusari non possint, non veniunt imitandi: Sic Salomon valdè reprehenditur in scripturâ, quod uxores alienigenas duxerit: sic reprehenduntur complures Christiani à Sanctis Patribus, pròut videre est apud Bellarm. *ubi suprà*, & Lezanam, *consult 43.*

10 Quò verò ad nuptias catholicorum cum hæreticis, propter subversionis periculum improbatæ fuerunt in Synodo Illeberitana *can. 16.* Laodicena sub Silvestro I. *can. 10. & 31.* & Carthaginensi tertia *can. 12.* & quamvis ipsæ re-
11 vera non sint irritæ, ut habetur *ex cap. decreuit, de hæreticis in 6.* & advertunt Gloss. *in cap. non oportet, verb. Hæretici 28. qu. 1.* & ibi canonistę, cum quibus sentiunt D. Thom. *4. dist. 39. quæst. unica, art. 1. ad 5.* Sot. *lect. 9. de Matrim. impedim. disparis cultus*, Pont. *in append. ad tract. de Matrim. cap. 1. num. 1.* De Lugo *de virtut. fidei divin. disp. 22. sect. 2. num. 13.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 72. num. 2.* Tancred. *de matrim. to. 2. lib. 7. disput. 72. num. 1. & lib. 10. disp. 15. num. 1.* idquè hodiè, si non expressè, saltem implicitè definitum est in Concil. Trid. *de Matrim. sess. 24. can. 5.* Eâ ratione, quia cum matrimonium sit elevatum in Sacramentum, ad valorem Sacramenti requiritur solùm paritas Baptismi in contrahentibus, quamvis in fidei professione disparitas sit: Sunt
12 tamen hæ nuptiæ prorsùs illicitæ, & ab Ecclesiâ omninò proscriptæ, quod communiter admittunt doctores, quoties ipsæ contrahantur in Regionibus, in quibus non viget libertas conscientiæ: In iis autem Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses, tenent quamplures, licitum esse catholicis, dummodò non sint dynastæ, ac supremi Principes, inire matrimonia cum hæreticis. Cum enim in illis Provinciis hujusmodi nuptiæ intuitu hæresis minimè celebrentur; sed instar aliorum contractuum civilium ob amicitiæ leges, & ad Reipublicæ conservationem; ac ibi orthodoxi permixtim cum hæreticis degentes, sibi invicem non infestentur, sed familiariter, conjugaliterquè cohabitent, idcircò jus positiuum ecclesiæ prædicta connubia prohibens legitimè abrogatum est per contrariam consuetudinem vniversaliter receptam, & tacito Romani Pontificis consensu toleratam, quemadmodùm inquiunt Sanchez *de Matrim. lib. 7. cap. 72. nu. 5.* Albit. *de Inconst. in fide, c. 18. n. 43.* Tancred. *de matrim. disp. 72. n. 2. in fin.* Azor. *par. 1. Institut. moral. lib. 8. c. 11.* Navarr. *consil. 1. de constitut. num. 59. & 60.* Perez *de Matrim. disp. 36. sect. 2.* Reginald. *prax. for. pænitential. lib. 31. cap. 21. num. 169. vers. quamquàm*, & ultimo loco in casu cujusdam Baronis catholici, quod teneretur inire matrimonium cum hæreticâ propter sponsalia cum eâdem contracta, latè firmavit Rota *in Monasterien. Matrimonii 5. Decembris 1696. coram R. P. D. Caprara*. Si enim matrimonia catholicorum cum hæreticis in illis Regionibus essent illicita, nunquàm Rota declarasset, prædicta sponsalia esse obligatoria, nam admisso, hæc Matrimonia non licere, sponsalia sunt irrita

irrita, quia promissio de re turpi est illicita: Navarr. *de Sponsal. cons.* 38. *num.* 6. *lib.* 4. Sanchez *de Matrim. dictâ disp.* 72. *num.* 3. Dicastil. *de Matrim. tract.* 10. *disp.* 31. *num.* 432. Tancred. *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 72. *num.* 1. Albit. *de Inconst. in fide, cap.* 18. *num.* 43.

13 Non desunt tamen, qui affirment, in dictis etiam Regionibus periculosa esse catholicorum matrimonia cum hæreticis, idquè inter alios tuentur Aversa *de Sacram. matrim. quæst.* 18. *de impedim. disparis cultus, sect.* 2. Del Bene *de offic. Inquisit. tom.* 1. *dub.* 153. *Coroll.* 1. *num.* 15. Layman. *de impedim. matrim. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. Et reverâ, qui cum hæretico matrimonium celebrat, ubicumque illud celebret, tradit se in perpetuam, & individuam conjunctionem, ac consuetudinem cum eo, qui se proprio Judicio ab Ecclesiâ separavit, & tali pacto prophanatur Christianũ Conjugium, quod vnum est ex Ecclesię Sacramentis, ut ait Cabasutius *in notitiâ concil. pag.* 136. *post medium, editionis Venetæ*.

Proindè tali contractu corrumpitur debitus ordo ad Deum, & Ecclesiam, undè non tantùm est actus malus, quia vetitus; sed etiam sui naturâ damnabilis: Dusseldorp. *in tract. de non ineundo Matrim. cum his, qui extrà Ecclesiam sunt, p.* 3. *cap.* 17.

15 Item habet hujusmodi conjunctio innatum, & insitum periculum subversionis: Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 139. Merbes. *in summ. Christian. dissert.* 7. *qu.* 68. *conclus.* 2. Van espen. *in Ius Eccles. par.* 2. *tit.* 13. *cap.* 8. *num.* 10. Nam si colloquia prava labefactent integritatem morum, quantò magis, inquit Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem*, coniunctus, & individuus usus? præcipuè si contrahatur cum fæminis hæreticis: Hæ quippè tanquàm illecebrosæ, & blandiloquæ faciunt apostatare sapientes, unde Arrius, ait D. Hieronym. *in epist. ad Tesiphontem*, ut orbem deciperet, sororem Principis antè decepit: huic autem periculo nemo ullo casu se voluntariè, & scienter potest exponere: Soto *in* 4. *sent. dist.* 39. *artic.* 2. *in fine*. Imò habet hic contractus continuum impedimentum bonarum operationum, ut eleganter probat Tertullianus *ad vxorem lib.* 2. ultrà continuum periculum transgresionis mandatorum Dei, & Ecclesiæ, ut prosequitur ibidem Tertull. Nec obtineri potest præcipuum matrimonij bonum, quod est prolis educatio ad Dei cultum, juxtà Augustinum *lib.* 2. *de adult. coniug. cap.* 12. Merbes. *ubi suprà*, & Van Espen. *d. cap.* 8. *num.* 9. Cum enim illa fiat communiter per Patrem, & Matrem, uterquè secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare, & ideò si sint diversæ religionis, intentio unius intentioni alterius erit contraria: Pignatell. *ubi suprà*, latè Lezana *consult. moral.* 43. *numer.* 16. & 17.

16 Et quamvis hodiè ob commune pacis bonum tolerentur à Sede Apostolicâ in Regionibus, in quibus hæreses impunè grassantur, catholicorum matrimonia cum hæreticis, non tamen aliquo actu positivo ab eâdem Sede Apostolicâ approbantur: Imò quandò potest, ipsa se opponit, idcòque, ait Pignatell. *loco cit.* Episcopus in casibus occurrentibus se opponere debet, quandò potest sinè periculo scandali, aut tumultus, præcipuè si interveniant illæ conventiones, quæ in prædictis Regionibus stipulari solent in contrahendis hujusmodi matrimonijs, ut scilicet ex nascituris masculi juxtà fidem Patris, fæminæ verò juxtà fidem matris educentur, cum ipsæ sint prorsùs impiæ, & irritæ: Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 73. *num.* 16. Tancred. *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 10. *disp.* 72. *num.* 2. Lezana *consult.* 43. *num.* 10. Gobat. *Theolog. experimental. tract.* 9. *cas.* 11. *sect.* 1. *num.* 221. Perez *de Matrim. disp.* 36. *num.* 6. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 85. *num.* 14. Pariter dicitur abuti sacramento ob defectum potestatis, qui cum sit secularis, indutus superpelliceo, intersit celebrationi matrimonij, uti Parochus. Punitur enim in Sancto Officio, ut testatur Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 70. *Miscellan.*

SUBSECTIO II.

De Abusibus Sacramentotum in conficiendo ob non debitam materiam.

SUMMARIUM.

1 *Abusus Sacramenti ob non debitam materiam in conficiendo sæpè fit ad sortilegium, præcipuè in hostiâ.*

2 *An efficiantur de Hæresi suspecti Latini consecrantes in fermentato.*

3 *Christum in azimo consecrasse, probatur.*

4 *An exemplo Christi imponatur latinis necessitas celebrandi in Azymo?*

5 *Apostoli in consecratione indifferenter utebantur azymo, & fermento secundùm Card. Bona.*

6 *Sed conveniētius est, celebrare in azimo propter Christi exemplum, & alias rationes.*

7 *Grassante Ebionitarum Hæresi docentium, legalia simul cum Evangelio servanda, Ecclesia in fermentato pane celebravit; eâ cessante, rediit ad azymum.*

8 *Græci retinuerunt ritum consecrandi in fermento: indè ortæ controversiæ cum Ecclesiâ Latinâ, & cum Maronitis, & Melchitis.*

9 *Latinis per Constit. Pii V. vetitum celebrare in fermentato. Si tamen celebrarent, quandò fierent suspecti de hæresi?*

10 *Latini Sacerdotes in locis Græcorum nequeunt celebrare in fermento, si ibi adsit Ecclesia Latina. Si non adsit, dispensatur celebrare ad charitatem servandam.*

11 *Sacra Congregatio concessit Missionario Latino, celebrare ritu Armenorum in eorum Ecclesiis.*

12 *Sacerdos Latinus nequit uti pane hordeaceo, quem Sacra Congregatio Sancti Officii proscripsit Græcis Corcyræ, pane carentibus.*

13 *Eucharistiæ Sacramentum dicitur confici in non debitâ materiâ, si in alterâ tantùm specie consecratur: imò est de fide, quod in utrâque consecrari debeat, & de jure divino.*

14 *Summus Pontifex nequit dispensare quod in unâ tantùm specie consecretur.*

15 *Nunquàm Ecclesia passa est, ut in unâ specie consecretur; & falsum est, quod Innocent. VIII. id concesserit Norvegis.*

16 *Esset de Hæresi suspectus, qui in unâ tantùm specie consecraret.*

17 *Est non debita Materia, si consecretur hostia jam consecrata, & talis consecrans est de hæresi vehementer suspectus.*

18 *Incurritur eadem suspicio, si in consecratione respuatur vinum, vel aquâ non temperetur.*

19 *Vinum esse aquâ temperandū, probatur PP. omnium temporum consensu, &c. Valeret tamen sinè vino consecratio.*

20 *Errores Hæreticorum Aquariorum, Ebionitarum, Encratitarum, & Manicheorum de Vino à Missæ Sacrificio arcendo; necnon Armenorum, &c.*

21 *Esset suspectus de Hæresi, qui vinum à Sacrificio Missæ ablegaret.*

22 *Non est licitum, ad evitandam mortem consecrare in unâ tantùm specie. Affertur S. Cypriani auctoritas.*

23 *Qui ob simplicitatem vel non uteretur vino, vel illud aquâ non dilueret, non esset de Hæresi suspectus.*

24 *Quid dicendum de consecratione in musto, vel vino expresso ex uvis passis? In isto consecrant Æthiopes Catholici.*

25 *In Sacramento Pænitentiæ quandò sufficiens materia non adhibeatur? ubi an errans in fide circà actum Contritionis fiat de hæresi suspectus.*

26 *Non esset de hæresi suspectus, qui quò ad actum Confessionis deficeret propter errorem in intellectu.*

27 *Qui per epistolā confiteretur, quiq; absolveret, esset suspectus de Hæresi, & quomodò?*

28 *Qui deficeret in sacramentali satisfactione, non esset suspectus de Hæresi.*

29 *Lutheri error, & sophisma circa sacramentalem satisfactionem.*

30 *Confessarius cautè procedat cum pænitente, qui omnem pænitentiam respuat, eligendo in aliâ vitâ purgatorium.*

31 *Circà materiam, ex quâ conficitur matrimonium nullus est abusus inducens hæresis suspicionem.*

32 *Quandò Principes compellunt Cives*

ad

ad contractus matrimoniales, imperant, ut illi consentiant, &c.

1 Abusus Sacramenti ob non debitam materiam in eo conficiendo sæpè fit ad sortilegium: Ad hujusmodi abusum referuntur, qui monetam prò hostiâ, ut quidam Religiosus, posteà Romæ publicè abjurare coactus, consecrant, vel aliam rem aptam ad sortilegia, ut est hostia certis notis, aut characteribus cum sanguine educto ex digito annullari conscripta: Martin. del Rio *disq. Magic. Sect. 16. vers. sacerdos celebrans*, & ex eo Alberghin. *cap. 18. sect. 2. §. 1. nu. 11.* Hoc casu atrocitas criminis qualificat suspicionem hæresis ex sortilegio provenientem, de quâ satis *suprà*.

Igitur disseramus de cæteris abusibus.

2 Primo aspectu se offert considerandum, an qui in conficiendo Augustissimũ Eucharistiæ Sacramentum consecrant panem fermentatum, efficiantur hæresis suspecti, eò quia debita materia apud nos sit azymus, tenentes Christum

3 in hoc pane consecrasse, quoniam, ut ratiocinatur Angelicus Doctor *in 4. dist. 11. q. 2. art. 2.* Eucharistiam instituit antè Pascha manducans, ut ex omnibus Evangeliis patet, & ut videre est apud Mabillon. *in dissert. de Azymo, cap. 1.* nec Pascha sinè azymis manducari poterat, sicut constat ex *c. 12. exod.* Undè rectè Anonymus contrà Græcos editus cum aliis opusculis à Petro Severtio, inter alia argumenta prò Paschate in Azymis à Christo celebrato, ait, quod Princeps Sacerdotum non tacuisset, si Christus celebrasset in Fermento, cum esset magnum crimen, juxtà Deuteronomii *caput* 13. recedere à Cæremoniis veteris legis. Recessisset autem Redemptor noster à Cæremoniis, si vel sinè azymis, vel extrà debitum tempus Pascha manducasset; quamobrem Hugo Grotius *in Matth. cap. 26.* licet credat, fuisse anticipatum à Cristo Pascha, non tamen audet ulteriùs inficiari, Christum sinè azymis Pascha comedisse: De hac re latè Torreblanca *Iuris spirit. lib. 2. cap. 7. à num.* 14. Arcud. *de concord. Eccles. oriental. & occidental. lib. 6. cap. 6.*

4 Sed dices, exemplo Christi non imponi necessitatem consecrandi in azymis, pròut advertit Cardinalis Bona *in ep. ad Mabillon.* Etenim Christus de azymo pane Corpus suum fecerit forsitan, non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat; sed quia Cæna, in quâ hoc factum est, panem alium non exhibebat, idcircò Christus in azymo consecrans, non est dicendum, quod prohibuerit panem fermentatum, quemadmodùm inquit Algerus *lib. 2. de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini, cap. 10.* (Vide, si vis, Guibertum Abbatem de Nonigento *in lib. 1. de gestis Francorum, cap. 2.* Barlaamum Hieracensem Episc. *in epist. ad Græcos prò unione utriusque Ecclesiæ*, Gregor. VII. *in lib. 8. ep. 1.* & Gregorium Protosyncellum *in Apologiâ adversum epistolam Marci ephesini.*)

5 Hinc est, quod idem Cardinalis Bona *in laudata epist. ad Mabillon. & in libris rerum Liturgicarum, cap. 23.* ut ipsemet fatetur *in epist. ad Franrciscum Marium Florentinum*, existimet, Apostolos usos esse indifferenter tàm azymo, quàm fermentato, nam sæviente persecutione quandò in Carceribus, quandò in privatis domibus, & in Cryptis, aut in speluncis terræ clàm celebrabant, pane uti oportebat, qui tunc fortuitò occurrebat: Marcus Franciscus Florentinus *in suâ eruditissimâ tumultuariâ disquisitione, de antiquo usu fermentati panis, & azymi*, quod etiam innuit Juenin *de Sacram. tom. 1. qu. 2. cap. 1. art. 4. §. 4. pag. 212. col. 2. circà medium*.

6 His tamen non obstantibus, quia in azymis Christus celebravit, convenientius erat, Christi exemplum sequi, ut scribit Cardinalis Bona *ubi suprà*: Adde, quod utrumque, fermentatum nimirùm, & azymum antiquitùs vulgò in usu fuisse, eruditè probat idem Florentinus *ubi suprà*: Imò Galenus, azymum panem rusticorum, ac robustorum præcipuum fuisse alimentum, docuit, quod ab aliis quoquè confirmatur; idcircò circumeuntes Apostolici Viri in melotis egentes, azymo, utpotè obvio pane, sacrificium obtulerunt; & quia convenientius, ut diximus, erat, quod hujusmodi pane uterentur, putandumnè est, eos Sacrificium non confecisse in hujusmodi pane tàm facilè, &

expeditè parabili? Undè Elias, ut citiùs vesceretur, mulieri, à quâ hospitabatur, imperavit, ut faceret ei subcenerітium panem.

7 Primis ergò temporibus, ut mea fert sententia, tàm Ecclesia Orientalis, quàm Occidentalis azymis usa est, donec, & quousquè ingruente Ebionitarum hæresi, qui docebant, legalia præcepta simul cum Evangelio servanda esse, in eorum detestationem fermentatum panem in sacrificio adhibuerit; demùm illâ hæresi profligatâ, Latina Ecclesia ad priscum azymorum usum rediit, prò ut docet S. Thomas *in 4. sent. dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. de qua rè Juenin *de Sacram. ubi suprà*, *pag.* 210. *& seq.* Mabillon. *in sua dissert. de Azymo*, Christian. Lupus *tom.* 3. *Scholior. dissert. de actis Leonis IX. cap.* 7. *& seqq.* & novissimè doctissimus Martene *de Antiq. Eccles. ritib. cap.* 3. *art.* 7. *per totum* ubi eruditè materiam examinat.

8 Cum igitur Ecclesia Greca permanserit in eodem usu, retinentissima suorum rituum, ut ait idem Mabillon. *ibid.* ab eo tamen tempore, quo propter præfatam hæresim variavit; cumquè usquè hodiè permaneat ex quadã tolerantiâ, pròut liquet ex Bulla Pij V. incipien. *Providentia Romani Pontificis* 17. *in ordine*, tenent idcircò Græci adversùs Latinos, Christum super pane fermentato consecrasse; quâ de re postquàm olim insurrexerat non sinè bellorum conflictu quæstio inter Maronitas, penès quos extitit semper azymorum usus, & Melchitas, orta est eadem controversia inter Græcos, & Latinos sub Michaele Cerulario Patriarcha Constantinopolitano, ut testatur Naironus *in suâ Evopliâ, part.* 2. *pag.* 184. Posteà quamvis res ad concordiam redacta fuerit, nihilominùs, quia in eadem Pij constitutione præscribitur La-
9 tinis, nè ritus suos alterent, ideòquè graviter peccarent ipsi, si conficerent Sacramentum cum fermentato, ac officio, & beneficiis privarentur, ut ex *cap. final. de celebrat. miss.* firmant Canonistæ cum Van Espen. *in jus Ecclesiasticum, part.* 2. *tit.* 4. *cap.* 1. *numer.* 8. non tamen hæresis suspicionem incurrerent, eò quia fundarentur in hujusmodi Græcorum ritibus ab Ecclesiâ toleratis ad tradita per Arcud. *de concord. Eccles. Oriental. & Occidental. lib.* 3. *cap.* 6.

Si verò concurreret circumstantia relevans, quâ pateficret à Latino, ità consecrari, eò quod in animum sibi induxisset, errare Ecclesiam Latinam, consecrationem in Azymo præscribentem, absquè dubio incurreret hæresis suspicionem; quia hæreticum est credere, prædictam Ecclesiam esse errori obnoxiam: Hinc est, quod hæretici Grecorum opinioni adhærent; undè Caluinistæ pane fermentato utuntur: Bellarm. *de Sacram. Euchar. lib.* 4. *cap.* 7.

10 Tanta verò est Ecclesiæ Latinæ sollicitudo, nè ritus, quos præscripsit, violentur, ut prohibeat, quod etiam in Græcorum locis minimè possint Sacerdotes Latini consecrare panem fermentatum, si in ipsis adsit Ecclesia Latina, quemadmodùm rectè ait P. Verricell. *de Apostolic. mission. tom.* 8. *q.* 138. Conqueritur tamen Leo Nonus ad Michaelem Patriarcham *cap.* 29. ut videre est *in tom.* 3. *part.* 2. *Concil. General. Omnes*, ait, *Latinorum Basilicas penès vos clausistis; Monachis Monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quantò discretior, & clementior sit vobis. Siquidẽ cum intrà, & extrà Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sivè Ecclesiæ, nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paternâ traditione, sivè suâ consuetudine, quin potius suadetur, & admonetur eam servare: Nihil enim obsunt saluti credentium diversæ prò loco, & tempore consuetudines.* Si verò in eis locis nulla adesset Ecclesia Latina, utiquè liceret Sacerdotibus Latinis consecrare Græcorum ritu: P. Verricell. *ubi suprà*

Ratio autem, quarè dispensetur latinis, quoties non adsunt Ecclesiæ Latinæ Græco ritu celebrare, est charitatis conservatio, & nè Græcorum odium adversùs Romanam Ecclesiam augeatur, ex quo elucet ratio diversitatis, quod scilicet Sacerdos Latinus in illis locis ritu Græco celebrare possit, nè privetur Sacrificii merito; & tamen, ubi adest Ecclesia Latina, non possit eo ritu uti, etiamsi populus diù deberet Sacrificio privari, & proximus absquè Viatico dece-

decedere, & etiamsi hoc pacto redderetur facilior Schismaticorum conversio.

11 Narrat propterá P. Verricellus *loco citato*, cum Romæ moraretur *anno* 1644. quemdam Sacerdotem pium Missionarium è Constantinopoli supplicasse Sacram Congregationem, ut prò conversione Armenorum, quorum plurimos ad Catholicam Fidem adduxerat, sibi liceret, in eorum Ecclesiis ritu Armeno à Sede Apostolicâ jam examinato, & approbato, celebrare, ac ipsam Sacram Congregationem non tantùm denegasse licentiam, sed eum acriter repræhendisse.

12 Tantò minùs licitum erit Sacerdoti Latino, prò pane fermentato, uti pane hordeaceo, qui ipsis Corcyræ Græcis, tritico carentibus, proscriptus fuit à S. Congregatione S. Officii *die* 29. *Octobris* 1629.

13 Dicitur etiam non debitâ materiâ confici Sacramentum, si in alterâ tantùm specie consecretur: D. Thomas 3. *par. qu.* 80. *art.* 12. *ad* 1. *&* 2. *& qu.* 83. *art.* 6. Silvester *verbo Eucharistia* 1. *q.* 5. Ledesma *qu.* 15. *art.* 1. Saindtes *repet.* 10. *cap.* 3. Canisnis *de Sacramento Eucharistiæ, cap.* 8. & alii, quos citat, & sequitur Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.* 1. *cap.* 6. Martene *de antiq. ritib. lib.* 1. *c.* 3. *art.* 7. *num.* 39. *tom.* 1. Imò est de fide, quod in utraquè consecrari debeat ex Trid. Concil. *sess.* 22. *cap.* 1. & sic instituit Christus Sacramentum ad repræsentandum suam passionem, & mortem: Auversa *de Sacram. Euchar. qu.* 2. *sect.* 1. *vers. de obligat.* Trullenc. *in praxi resol. Sacram. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 4. Pasqualig. *de Sacrif. novæ legis, tract.* 1. *q.* 45. præcipuè *sub n.* 6. Scortia *de Sacrificio Missæ, d. cap.* 6. *num.* 2. Martene *loco proximè citato, d. num.* 30. Sola enim species panis non repræsentat exactè Christum, ut mortuum, nisi sub specie vini exibeatur quoquè Sanguis, ut effusus; sicut sola species vini non repræsentat sufficienter Christum, ut Imolatum, cum solus sanguis non sit victima, ut benè advertit Bellarm. *de Sacram. Euch. lib.* 4. *cap.* 22. Martene *d. cap.* 3. *art.* 7. *num.* 29. undè volunt ipsi authores, esse de Jure Divino, quod sub utrâque specie consecrari debeat: Pasqualig. *ubi suprà, à num.* 2. Martene *loco proximè allegat.* Imò Vasquez *tom.* 3. *quæst.* 85. *art.* 1. *disp.* 223. *cap.* 3. *in* 2. *q.*

14 probat latissimè, Summum Pontificem non posse dispensare, quod consecretur in unâ specie, & Vasquez opinionem tuentur quoquè Ledesma *q.* 15. *art.* 1. Sylvester *verbo Eucharist.* 1. *qu.* 5. Sotus 4. *d.* 9. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* *d.* 12. *qu.* 1. *art.* 12. Hosius *in confessione Polonica, cap.* 40. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *qu.* 10. *part.* 4. Suarez *disp.* 43. *sect.* 4. Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.* 1. *cap.* 6. & sequitur Card. de Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 19. *sect.* 8. *num.* 105. Eò quià non est data Pontifici potestas dispensandi in essentiâ Sacramentorum: Non obstant exempla dispensationum, nam ipsis respondent Vasquez, Card. de Lugo *loc. cit.* Sotus *in* 4. *dist.* 9. *qu. unica, art.* 1. *in fine*, Valentia *tom.* 4. *sum. disp.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 10. Bellarm. *lib.* 4. *de Eucharistia, c.* 24. Gaspar Hurtad. *de Sacrament. disput.* 1. *de sacrif. Missæ, difficult.* 10. Nugnus 3. *part. qu.* 74. *art.* 1. *concl.* 3. & Pasqualig. *de Sacrific. novæ legis, tract.* 1. *qu.* 46.

15 Hinc observat suprà laudatus Bellarm. *ubi suprà, cap.* 22. Ecclesiæ consuetudinem nunquàm passam in ullo casu esse, Sacrificium offeri sinè utrâquè specie, prout etiam demonstrat Card. de Lugo *de Euchar. d. disp.* 19. *sect.* 8. falsitatis evincens Raphaelem Volaterranum dicentem, quod Innocentius VIII. dispensavit cum Norvegis, qui vino carent, id, quod pariter negat contrà Volaterranum, Onuphrium Panvinum, Claudium Saindtes, & Ruardum Tapper, Scortia *loc. cit.* Observat quoquè Bellarm. quod in Concil. Tolet. 8. *can.* 2. statuitur, ut si Sacerdos post consecratam unam speciem adeò ægrotare incipiat, ut prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, & perficiat sacrificium.

16 Esset ergò suspectus vehementer de hæresi, qui in unâ specie tantùm consecraret, prout etiam docent Majolus *de irregular. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 1. *in fine*, & Bordon. *loco infrà citando*, dum esset adhærere erroribus Aquariorum, qui sacrificium sinè vino offerebant: Martene *d. cap.* 3. *art.* 7. *num.* 31. Prateolus *de hæretic. lib.* 1. *hæres.* 60. Bona

rer.

rer. liturgicar. lib. 2. cap. 9. & Aquariorum errores apertè reprobati fuerunt in Concilio Carthaginensi 3. *can.* 24. & in Synodo Quini-Sexta in Trullo *can.* 32. Quoties verò Sacerdos ex oblivione consecraret solummodò hostiam, vel vinum, non excusaretur à suspicione, quia animus latet: Hæc tamen suspicio corrueret, si pateret de hujusmodi oblivione, tantò magis, si post consecratam unam speciem, alteram consecraret, quia recordaretur, imperfectum esse sacrificium, ad quod perfectionandum utiquè teneri, ait Bellarm. *loc. cit.*

17 Similiter dicitur non debita materia, quoties Sacerdos consecrat hostiam jam consecratam, etiamsi id faciat, quia recordetur de culpâ lethali, ideoquè super particulâ consecratâ, quæ non est ampliùs substantia panis, proferat verba consecrationis, quo casu est utiquè vehementer de hæresi suspectus, quia ipsius animus latet: Bordon. in *Tribunal. cap.* 22. *num.* 11. P. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 12. *vers. notandi*.

Idem dicendum, si accedat ad Altare oblitus deferre hostiam, & præ verecundiâ proferat verba consecrationis super hostiâ jam consecratâ: Alberghin. *in Manual. cap.* 24. *num.* 1. *vers. Item Peña*.

18 Verùm quià ultrà panem, materia Eucharistiæ est etiam vinum, videamus ergò, quomodò incurratur hæresis suspicio respectu hujusmodi materiæ debitæ.

Incurritur suspicio, vel si respuatur vinum, vel si illud non temperetur aquâ: Horum enim utrumque fides nostra exposcit; nam quod vinum necessariò requiratur, ultrà superiùs dicta, latè adversùs hæreticos comprobat Divus Cyprianus *in epist.* 63. *ad Cæcilium*, ubi eleganter ait, quod fas non est infringere ea, quæ essentialiter ad ipsum Dominicæ passionis, & nostræ redemptionis Sacramentum pertinent: Nam, subjungit, si Jesus Christus, Dominus, & Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utiquè ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Addi potest, illicitum esse, consecrationem peragi sub unicâ tantùm specie: Imò per eam tali pacto factam incurritur hæresis suspicio, prout suprà stabilivimus: At si vinum respuatur, consecratio fieri nequit, nisi sub unicâ specie, scilicet Panis. Quod

19 autem vinum in sacris Mysteriis sit aquâ temperandum, Patrum omnium temporum, omniumquè Regionum consensu, & praxi demonstratur apud Gasparum Jvenin *in comment. hist. & Dogmat. de Sacram. tom.* 1. *pag. mihi* 218. Cabasut. *in Notitiâ Concil. pag.* 443. Martene, *de ritib. antiq. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 7. *num.* 30. Bona *rer. liturgicar. lib.* 2. *cap.* 9. Arend. *de concord. Eccles. Oriental. & Occidental. lib.* 3. *cap.* 7. Merbes. *in summa Christian. dissert.* 3. *par.* 3. *qu. ultim. conclus.* 1. Hancquè praxim ipsi Patres hauserunt ab ipsomet Christo, quem aquâ vinum Eucharisticum in ultimâ Cœnâ temperasse, per Apostolicam traditionem didicerunt: Similitèr, inquiunt Patres Concilii in Trullo, postquàm cœnavit, accipiens Calicem, & permiscens ex aquâ, & vino, & benedicens dedit, &c. & quamvis vini aquâ non permixti valeat consecratio, ut probat idem Jvenin *ibidem*, *pag.* 220. *col.* 1. *in fin.* nihilominùs Ecclesia jussit hujusmodi permixtionem, ut Christi exemplum sequeretur; fidelium poneret ob oculos id, quod ex Christi latere fluxit; unionem duarum naturarum in Christo significaret; & fidelium cum Christo Capite exprimeret conjunctionem: Juenin *ubi suprà*, *pag.* 222. *col.* 2. Bellarm. *de Sacram. Eucharistiæ*, *lib.* 4. *cap.* 10. Merbes. *loco cit.*

20 Adversùs autem hujusmodi necessitatem tùm vinum adhibendi in sacris mysteriis, tùm illud aquâ temperandi, errores irrepserunt in hæreticorum mentes: Vinum enim respuerunt Hæretici Hydropastæ, seù Aquarii, ut suprà fuit dictum, qui solùm ad Altare aquam offerebant, sivè ab vanum sobrietatis prætextum, ut Ebionitæ; sivè quià vinum putabant diabolicum esse, ut Encratitæ, & Manichæi, ut per Cabasut. *loco citato*, Juenin *ibid. pag.* 215. *col.* 1.

E contrà fuit Armenorum, Jacobitarum, & Chatzitraniorum usus, qui ne significare viderentur unionem duarum

rum naturarum in Christo, non miscebant aquam vino in Sacrificio, pròut refert Niceph. *lib.8. hist.cap.53.* Martene *de ritib.d.cap.3. art.7. num.31.* Bona *rer. liturgicar.d.lib.2. cap. 9.* & propterea hæc Hæresis damnata fuit *in can.32* Quini-Sextæ Synodus in Trullo.

Armenos sequuti sunt Lutherus *in scripto contrà Regem Angliæ anno* 1522. *edito, & in formulâ Missæ editâ anno* 1523. & Calvinus, si credimus Petro Richero Calvinistæ apud Nicolaum Villagagnominum *lib. 1. contrà artic. quosdam Calvini, cap.75.*

21 Qui igitur in sacris mysteriis conficiendis vinum ablegaret, vel illud aquâ non temperaret, hæreticorum dogmata sequeretur, ideòquè in hæresis suspicionem incideret: Etenim, dum per vinum Christus significatur, per aquam populus, si vinum offertur sinè aquâ, videtur significari, quod passio Christi nihil profuerit generi humano; si autem aqua sinè vino, denotari videtur, salvari potuisse populum sinè Christi passione, ut benè differit Martene *in sæpè dicto lib.1.cap.3. art.7.num.29.in fin.tom.1.*

22 Quinimò Cyprianus in *laudatâ epist. ad Cæcilianum*, damnat Presbyteros, qui non ex errore, sed ex metu, vinum non adhibebant, dum sacris operam dabant: Verebantur enim, ne ex odore vini, quod in synaxibus hausissent, Christiani deprehenderentur ab infidelibus; nam apud illos in Christianismi suspicionem veniebant, qui ex antelucanis cœtibus exeuntes, vini saporem redolebant, & proindè non assentior Pasqualig. *de sacrif.novæ legis, tract.1.q.47.num.2.* ubi ait, licitam esse consecrationem sub unicâ specie ad vitandam mortem: aliàs Cyprianus malè increpasset prædictos Presbyteros: De hac re Anton. Escobar. *theol. moralis, tom.3.par.1.sect.1. lib.21.n.148.* & Diana *tom. 2. tract. 1. res. 208. & seqq.*

23 Hæc omnia, quamvis ità se habeant, crederem non reddi prò foro interno suspectos celebrantes, qui ob simplicitatem, vel non uterentur vino, vel illud aquâ non diluerent, juxtà illorum sententiam, qui interpretantur Sancti Cypriani epistolam superiùs laudatam; nam sivè intelligatur de illis, qui vinum non adhibebant, pròut contendit Juenin *loco cit. pag.222.col.1.circà medium*, sivè de illis, qui vinum aquâ non miscebant, ut voluit Estius, cum ipse Cyprianus eos, de quibus agit; à culpâ liberet ob eorum simplicitatem, dicendum est, juxtà dictum Juenin non non esse suspectos, nisi quòad forum externum, qui ob simplicitatem vino in sacris mysterijs non utuntur; & juxtà Estium, omni carere suspicione, qui pariter ob simplicitatem vinum aquâ non miscent.

24 Sed quid dicendum de Musto, vel de vino expresso ex uvis passis, super quo consecrant Ethiopes? Apud eos enim, ut ait Fagund. *præcept. 3. lib.1. cap. 3. num.6.* ex defectu vini assumunt Catholici, & Patres Societatis uvas non ità passas, & eas aquæ superinfundunt, quò ad usquè lentescant; & posteà exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo consecrant, satis generosum: Primus auctor dicitur fuisse hujus rei sanctissimus vir Andreas de Oviedo Patriarca ejusdem Æthiopiæ: Imò Indi apud Caranganoram agentes simili modo uvas passas immergunt, ac vice vini utuntur, de quibus loquitur Martene *dict.art.7. vers.31.* & quidem, licet Bissò *in suâ Hierurgia, tom.2.litt.V.num.56.§.4.* teneat, quod vino ex dictis uvis passis extracto consecratio fieri non possit, ex quò valdè difficilè fluvidum redditur; tamen quando ab illis extrahi potest fluidum vinum, cum illo validè consecrari, docent Fagundez *loco cit.* Dian. *regul. moral. par. 7. tract. 12. resol.8.* De Amico *in cursu Theolog. tom. 7. disp. 16.sect.3.num.34.* Verricell. *de Apostolic. Mission.qu.139.in fine*, Coton. *contr.celebr. lib. 1. contr.4.cap.1.num. 19.* Plura de qualitate vini apti ad consecrationem habentur apud Pac.Jordan. *elucub. lib.4.tit.1.num.389.usque ad 405.* & Cotonum *loco proximè citato.*

25 Respectu autem Sacramenti Pænitentiæ, cum materia proxima existat in illis tribus actibus, nempè contritione, confessione, & satisfactione, pròut definitum fuit ab Eugenio IV. *in decreto prò instructione Armenorum*, & à Concil. Trid. *Sess.14.c.3.& in can.4.ejusdem sessionis*, latè Van Espen. *in Jus Universum*

sum.par.2. tit.6. cap.1. à num.12. facilè colligi potest, quandònam dicatur, non debitâ materiâ confici hoc Sacramentum.

Verùm quò ad contritionem, si quis in eâ deficeret, etiamsi infectus erroribus Lutheri *in serm. de Pænit.* Kemnitii *in 2.part.examinis*, & Calvini *lib.3.institut.cap.*4.§.2. nihilominùs nullam incurreret hæresis suspicionem, dummodò hujusmodi Pęnitentis mens per aliquos actus externos non appareret: suprà enim diximus per actum internũ non incidi in hæresim externam, nec in ejus suspicionem, idcircò, cum defectus contritionis sit internus, nullam producere potest hæresis suspicionem.

26 Similiter quòad Confessionis actum, qui in ipso deficeret, utpotè si omnia sua peccata non panderet, nullâ hæresis suspicione involveretur: Siquidem vel ipse deficeret propter errorem in intellectu, vel propter erubescentiam: Si propter errorem in intellectu, tenendo scilicet, non esse necesse confiteri omnia peccata mortalia actualia nunquàm confessa, jàm diximus per actum internum, qualis est error in intellectu, non incurri hæresis suspicionem; Si autem per erubescentiam, perspicuum est, etiamsi de hujusmodi confessionis defectu constaret, excludi hæresis suspicionem, quandò crimen ex alio, quàm hæresis motivo, perpetratur.

27 Eo autem casu, quo quis ex pravâ opinione deficeret in hac materiâ per actum externum, quia scilicet sua peccata confiteretur per epistolam, fieret suspectus, & tunc diceretur abuti hoc Sacramento tàm Pænitens, quàm Confessarius absolvens, iuxtà decretũ Clementis VIII. de quo Prosper de August. *in addit.ad Quarant.in Summ.Bullar.verb.Confessio Sacramentalis*, Barbos. *in cap.omnis utriusquè sexus*, Bordon. *infrà citan.* Suarez *in primâ secundæ, tract.* 3.*disp.*6.*n.*1.& Juenin *de Sacramentis, to.* 2.*cap.*4.*art.*1.§.2.*pag.*732.*col.* 1. de hac re vide infrà.

Et quamvis opinio, quod hujusmodi absolutio sit valida, non sit hæretica, attamen cum sit damnata uti temeraria, sic confitens, vel sic absolvens esset (quidquid dicat Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *nu.*38.) de hæresi semper suspectus: Alberghin. *in Man.qualific.cap.*12.*num.* 21. Transmiera *de denunc. qu.*4.*cap.*4.*nu.* 13.*vers.multis verò ex capitibus*; id, quod à nobis luculenter inferiùs comprobatur.

Amplia hoc procedere, licet peccata, quæ scribuntur, priùs fuerant à Confessario audita: Nã tunc etiam intraret decretum supradictum Clem. VIII. Barbos. *loco cit.in fin.* ac proindè intrare deberet hæresis suspicio ex supradictis.

28 Quò verò ad satisfactionem, si quis in eâ deficeret, certum est, quod nullam incurreret hæresis suspicionem: Opera enim satisfactoria sunt præcipuè pænalia, & afflictiva (aliquando posset quis satisfacere per aliquem actum bonum non pænalem, scilicet per magnum actum charitatis: Potest enim Deus talem charitatem acceptare, pro punitione debitâ uni culpæ: Scotus *in* 4.*sent.dist.*15.*qu.*1.*litt.E.*) undè qui ipsa renuit, præsumitur ad id impelli à naturali instinctu, qui quascumquè Corporis afflictiones respuit: Negligentiæ etiam attribui potest hujusmodi defectus.

Adde, quod satisfactio in re (de quâ hìc loquimur) non est adeò ad Sacramentum pęnitentiæ necessaria, ut illud sinè ipsâ reddatur irritum, pròut infrà apparebit: Dixi *in re*, quia satisfactio in Voto semper est necessaria: Cũ enim culpa faciat, ut delinquens sit debitor ei, in quem peccat, pęnitentia saltem in voto est necessaria, ut saltem intendat opportuno tempore se velle reddere æquivalens, scilicet honorem, & obsequium Deo, quantum per peccatum abstulit: Et qui alitèr sentiret, videretur esse de hæresi suspectus, nimirùm censeretur credere, vel se Deo per peccatum nil debere; vel si debere, tamen nolle satisfacere unquàm.

Tota igitur necessitas satisfactionis in eo sita est, ut ipsa assumatur à pœnitente ad puniendum peccatum à se commissum, & hoc ad placandum divinam offensã sicquè ut per levis hujus vitæ pęnas satisfaciamus prò gravioribus purgatorii necessariò perferendis; idcir-

29 cò si quis cedat huic privilegio à Deo per Ecclesiæ ministerium nobis clementer concesso, non indè præsumendus est, quod cum Luthero vehementer

odio

odio habeat, ac sublatum velit hoc vocabulum, *satisfactio, quod non modò*, inquit impius ille, *in scripturis non invenitur; sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit prò ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia*.

Sed malè Lutherus, nam nil refert, vocabulum *satisfactio* nō reperiri in scripturis, quandò in ipsis habemus rem, quæ sub tali nomine comprehenditur: Docet enim Jacobus *cap.* 2. quod ex operibus justificatur homo, non ex fide tantùm; id, quod etiam expresse ajunt Ezech. *cap.* 18. & Apostolus, prò ut advertit Becanus *de Justific. Catholic. opusc.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. Habemus etiam *in lib.* 2. *Reg. cap.* 12. quod Natan Propheta comminatione pœnarum Davidem ad pœnitentiam cohortatus fuerit: Quod autem inquit Lutherus, à Deo omnia gratis ignosci, non debet satisfactionem evertere: Fatemur, primam gratiam à divinâ largitate gratis concedi: Fatemur, Christum solum condignam prò nobis satisfactionem Deo Patri obtulisse; tamen prò comperto est, ex ipsis gratiis, quas humani generis Redemptor merito suæ passionis promeruit, oriri sanctitatem in satisfactione nostrâ; undè opera nostra, cum à Christo vim habeant sanctificatoriam, & meritoriam, ineptè à Luthero damnantur.

Similia non minori impudentiâ disseminarunt Kemnitius *in suo examine, par.* 2. & Melancthon. *in apologiâ confessionis Augustanæ, art. de confess. & satisfact.* Non, inquam, præsumendus est negligens satisfactionem his erroribus imbutus, sed potiùs moveri, vel ex negligentiâ, vel ex eo quod velit eligere pœnas purgatorii in altero seculo prò solutione pænæ temporalis.

Nota incidenter, quod in hoc ultimo casu cautè procedendum esset à Confessario cum hoc pœnitente, qui omnem pœnitentiam respueret, eligens solvere in purgatorio in aliâ vitâ: talis enim pœnitēs videretur parùm benè dispositus. Quid, si protestaretur, se habere de peccatis displicentiam, & firmum propositum non ampliùs peccandi? Videndi sunt Morales DD. cum hujus dubii resolutio ad hunc locum non pertineat.

31 Tandē quò ad debitam materiam, ex quâ conficitur matrimonium, nullus cōmittitur abusus inductivus suspicionis de hæresi: Cum enim prędicta materia sit mutuus contrahentium consensus expressus, quo invicē traduntur corpora, ut latè ostendit Bellarmin. *Controvers.* 2. *de matrim. Sacram. lib.* 1. *controvers.* 1. *c.* 6. quisnam contrahit sine consensu?

32 Si verò aliquandò Principes ad contractus matrimoniales compellunt Cives, imperant, ut ipsi consentiant in hujusmodi contractus, ideòquè si dicti Cives sic contrahant, non dicuntur contrahere absquè consensu: Ipse quoquè Deus primos parentes non conjunxit in Matrimonium, nisi per mutuum in illud consensum, ut docet Juenin. *dissert.* 10. *q.* 2. *ar.* 1. *pag.* 950. *col.* 1. *post medium.* Verisimile est etiam tùm Oseæ Prophetę (cui dictum fuit: *Vade, sume tibi uxorem fornicationis*) tùm meretricis animos fuisse à Deo inclinatos, ut ambo antè copulam consentirent in Matrimonium; undè rectè ait S. Thom. 1. 2. *qu.* 100. *art.* 8. *ad* 2. quod Oseas non est mœcatus, nec fornicatus; quia ly *assume tibi uxorem fornicationis* intelligunt Sacri Expositores de eâ, quæ fuerat antè fornicatrix.

SUBSECTIO III.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitam formam.

SUMMARIUM.

1 *Ex communi Theologorū sententiâ Sacramentum nequit confici, nisi in eâ formâ, quam Deus determinavit:*

2 *Ex hoc principio sequitur, esse suspectum de hæresi non servantem debitam formam, nisi ignorantia, vel oblivio excuset. Hinc de Celebrante non consecrante hostiam.*

3 *Hæreticorum errores de necessitate formæ.*

4 *In aliis Sacramentis, exceptâ Eucharistiâ, non servantes formam substantialem, quia non conficiunt Sacramentum, incidunt in hæresis suspicionem.*

5 *Tria delictorũ genera: Primũ continet ea, ad qua voluntas naturalem habet propensionem: Secundum, ea, à quibus animus refugit: Tertium, indifferentia: Quâ ratione hæc omnia delicta inferant hæresis suspicionem?*

6 *Alteratio formæ, licet non esset substantialis, adhuc hæresis suspicionem induceret:* Ratio hujus.

7 *Græci Schismatici non credunt, fieri consecrationem per hæc verba:* Hoc est Corpus meum. *Refelluntur.*

8 *Error Græcorum oritur ex Liturgiâ S. Ioannis Chrisostomi, quâ utuntur, & describitur.*

9 *Quâ ratione errant Græci schismatici intelligentes formam ex Liturgiâ S. Ioannis Chrisostomi, & reiiciuntur.*

10 *Satisfit argumento Græcorum.*

11 *Mutatio formæ consecrationis à Græcis Schismaticis facta, non est substantialis, sed accidentalis, licet illi eam substantialem putent:* Ratio.

12 *Hæreticorum errores in formâ absolutionis Sacramenti pænitentiæ, qui, præter verba, exigunt signum visibile.*

13 *Iacobitæ tribus vicibus cruci conformiter insufflant in faciem pænitentis, qui tamen ritus non improbatur.*

14 *Forma Græcorum, quæ est: Habeo te absolutum à peccatis tuis, non licet Latinis, eâ uti; Græci tamen tollerandi sunt ex decreto Sacræ Congregationis* S. *Inquis.*

15 *Forma absolvendi Orientalium per modum deprecatiuum, nunquàm fuit improbata, nec aduersatur ei Concil. Trid.*

16 *Inter formam Absolutionis latinam, & Græcam, est tantùm accidentale discrimen.*

17 *Possunt latini confiteri Sacerdoti Græco, & ejus sacra audire, etiamsi sit schismaticus; imò tenemur ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ.*

18 *Vbi permixti sunt Græci cum Latinis, Secularis latinus extrà necessitatem nequit confiteri Sacerdoti Græco approbato ab Episcopo Græco: benè verò audire Missæ Sacrificium.*

19 *Quid dicendum de formâ Sacramenti matrimonii?*

1 COMMUNIS Theologorum sententia est, non posse Sacramentum confici, nisi eâ formâ, quam Deus determinavit; quarè Augustinus *lib.* 8. *contrà Don. cap.* 25. *Certa sunt*, inquit, *verba Evangelica, sinè quibus non potest baptismus consecrari; & lib.* 20. *contrà Faust. cap.* 13. *Noster Calix, & panis certâ consecratione mysticus, fit nobis Corpus Christi, non nascitur; & quod non ità fit, alimentum est refectionis, non Sacramentum Religionis;* Nec aliud innuere voluit Sancta Synodus Trid. *Sess.* 21. *cap.* 2. quandò declaravit, Ecclesiam non posse formam alterare in eo, quod sit de substantiâ.

2 Posito hujusmodi principio, sequitur, eum, à quo non servatur debita forma in re substantiali Sacramentorum, fieri suspectum de hæresi (nisi aliundè constaret, ipsum non servasse debitam formam ex oblivione, vel ex ignorantiâ) quia censetur despicere primarium Sacramenti finem: Sic Sacerdos non consecrans hostiam, celebrando Missam, hujusmodi suspicionem incurrit, maximè si est assuetus hoc facere, ut docet ex Carena, Transm. *de denuc. q.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. Operatur enim, ut Christi-fideles idololatrent, ac primarium Sacramenti finem despicit.

3 Extant quoquè temeraria hæreticorum Dogmata de necessitate formæ, asserentia, non solùm ipsam substantialiter alterari posse, sed etiam totaliter omitti, sicut quòad Sacramentum Eucharistiæ credidit Martinus Bucerus *in cap.* 26. *Matth.* 1. dicens, non esse necessarium, ut recitemus in conficiendo Eucharistiæ Sacramento verba: *Hoc est Corpus meum*, quia Dominus jussit, panem frangi, & manducari, sed non jussit, dici super pane ea verba; quæ ratio, quàm parùm subsistat, patet ex eo, quod Christus jubens panem frangi, nil aliud significare voluit, nisi, ut sacrificaretur: Imolatio enim penès Judæos fiebat per fractionem panis, teste Becano *in opusc.* 11. *de triplici Sacrificio, cap.* 1. *num.* 2. *de Sacrificiis Mosaicis;* Modum verò, quo Sacrificium perageretur, ipsemet suo exemplo præscripsit, illumque adhiberi à Sacerdotibus, mandavit; nam post illa verba: *Hoc est corpus meum*, immediatè subjunxit: *Hoc facite*

cite; scilicet tali pacto à vobis sacrificetur: Aliæ etiam Lutheri, & Brentii opiniones colligi possunt apud Bellarm. *de Sacram. in gen. cap.* 21. *lib.* 1.

4 Sed omissis hæreticorum ineptiis, animadvertendum est etiam, quod exceptâ Augustissimâ Eucharistiâ, qui cætera Sacramenta, non servatâ substantiali formâ, conficere præsumunt, reverà nec conficiunt, & quamvis hi minimè trahant Christi-fideles ad idololatrandum, nihilominùs, quoniam maximum damnum aliis inferũt, ac impediunt, nè primarius Sacramenti finis obtineatur, concurrente criminis atrocitate propter hujusmodi abusum, utiquè in hæresis suspicionem incidunt: Sesse *decis.* 449. *vol.* 4.

Eò magis, quià non trahuntur à vehementiâ objecti, quæ tamen nec sufficeret ratione circumstantiæ, scilicèt atrocitatis delicti, quemadmodùm diximus, & pròut docet Transm. *de denunc. qu.* 4. *cap.* 9. *num.* 2.

5 Distinguuntur enim delicta in triplicem classem, ut videre est apud Alphons. de Castro *de justâ hæret. punit. cap.* 1. Hurtad. *Resol. Moral. tract.* 5. *cap.* 1. *resol.* 1. §. 1. & Transm. *ibidem*, & sunt, vel talia, ut ad ea voluntas naturali propensione, etiam contradicente conscientiâ, inclinet, ut carnis voluptas, divitiarum cupiditas, & quilibet humanus appetitus; Vel è contra talia, à quibus naturaliter animus refugiat, ut sui ipsius occisio, vel tandẽ indifferẽtia, quæ non habeant undè voluntatẽ alliciant, seù deterreant, ut hæreticorum ritus: Sesse *decis.* 449 *per tot. vol.* 4.

Prima verò, licet stante vehementiâ objecti, non inducant hæresis suspicionem, illam tamen præseferre videntur ratione circumstantiæ, ex quâ talis insurgit criminis atrocitas, ut apta reddatur ad hujusmodi suspicionem inferendam: Enimverò Sacramentorum abusus non comprehenduntur inter delicta primo loco considerata; nec etiam inter ea, quæ secundam sibi sedem vindicant, quæquè non inducunt suspicionem, nisi constet non fuisse ex vi passionis commissa: Sesse *decis.* 449. *per tot. vol.* 4.

Veniunt ergò inter ea tertiĭ ordinis, quæ semper hujusmodi suspicionem afferunt; quâpropter satis, superquè liquet, alterantes formam substantialem esse de hæresi suspectos, quamvis in hoc non adessent hæreticorum errores, quos non inveniri in quocumque casu summè difficile putat Transmiera *loco citato*.

6 Et quamvis alteratio non esset substantialis, adhuc hujusmodi variatio capax efficeretur ad inducendam suspicionem hæresis, si constaret de pravâ opinione ejus, sic variantis ex aliquâ circumstantiâ, quæ tamen relevans esse oporteret.

Animadvertendum tamen, quod levitas criminis orta ex inadvertentiâ excusare debet, quoties non concurrat actuum frequentia, nam tali casu frequens erroris inadvertentia à suspicione non eximit, ut advertit Transmiera *de Denunciat. quæst.* 4. *cap.* 2. *antè n.* 1.

Ratio autem, quarè etiam accidentalis alteratio possit hanc suspicionem inducere, ea esse videtur, quia hujusmodi delictum est tertii ordinis, juxtà divisionem allatam, & ultrà violationem rituum Ecclesiæ, adest etiam id, quod generat suspicionem hæresis, juxtà Sotum *in relect. de proposit. hæreticâ*; Cordubam *in quæstionar. quæst.* 17. §. 7. Joannem Andream *cap. de hæreticis in* 6. & Hurtadum *dict. cap.* 1. §. 2. scilicet
7 imitatio Græcorum Schismaticorum, qui non credunt, Sacramentum Eucharistiæ consecrari per illa verba: *Hoc est corpus meum*; & propterea alia verba addunt, ex quibus fieri transmutationem panis, & vini in Sanguinem Christi, contendunt: Arcud. *de concord. Eccles. Oriental. & Occidental. lib.* 3. *c.* 28. Martene *de Ritib. Eccles. cap.* 4. *art.* 8. *n.* 20. *lib.* 1. & hujusmodi erroris Auctores dicuntur Nicolaus Cabasila, Simeon Thessalonicensis, Marcus Ephesius, & Gabriel Severus Philadelphiensis, ut notant Arcud. *de concord. Eccles. dict. cap.* 28. Allat *exercit. ad Histor. Concil. Florentini, exercit.* 27. Bona *rer. liturgicar. lib.* 2. *cap.* 13. Oritur in ipsis hic error ex Liturgiâ Joannis Chrisostomi, quâ communiter utuntur, ut observant Bona *dict. lib.* 2. *cap.* 13. Allatius *ubi suprà*: Siquidem in illâ Sacerdos, postquàm protulit verba Christi: *Hoc est Corpus meum*,

Hic est Sanguis meus, orat, & petit à Deo consecrari oblata in hunc modū: Dicit Diaconus: *Benedic Domine Sanctum panem*; & Sacerdos exsurgens, benedicit ter Sancta Munera, dicens secretò: *Fac quidem panem hunc pretiosum Corpus Christi tui.* Diaconus: *Amen, Benedic Domine Sanctum Calicem*, & Sacerdos benedicens, ait: *Quod autem in Calice est isto, pretiosum Sanguinem Christi tui*: Diaconus: *Amen*: Rursus Diaconus ostendens cum horario utrumquè Sacramentum dicit: *Benedic Domine*: & Sacerdos benedicens manu utrumquè Sacramentum dicit: *Permutans Spiritu Sancto tuo.* Diaconus: *Amen Amen, Amen*: Ex quo autem post prolata verba Christi Sacerdos orat, dicens: *fac hunc panem Corpus Cristi*, videtur
9 Græcis Schismaticis anteà factum non fuisse. Sed adversùs hos Græcos, qui tali pacto formam alterant, existimantes, formâ latinâ non consecrari, firma est Ecclesiæ Sententia, quod solis Christi verbis consecratio perficiatur, ex quibus statim fit transmutatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: Allatius *in exercit. ad Histor. Concil. Florentin. exerc.* 27. Arcud. *de concord. Eccles. Oriental. & Occidental. lib.* 3. *cap.* 28. & melius *c.* 30. *&* 31. & disertè, ac nuperrimè multis Sanctorum Patrum testimoniis Martene *de antiqu. Eccles. Ritib. lib.* 1. *c.* 4. *art.* 8. *num.* 20. Quâ in re, licet accidentaliter varient prædicti Græci formam, putant tamen, se substantialiter eamdem mutare: Videndus est etiam doctissimus Bellarm. *de Sacram. Euchar. lib.* 4. *cap.* 4.

10 Imò nec adeò arduum est in contrarium allato argumento satisfieri; siquidem illa verba: *Fac hunc panem Corpus Christi tui*, malè ab interpretibus ità redduntur, cum hoc modo deberent exprimi: *Fac, ut ipse panis, quem Spiritu Sancto transmutasti, & qui est pretiosum Corpus Christi tui, fiat participantibus in emendationem animæ*, ut benè animadvertit Vir nostri Seculi eruditissimus, Richardus Simon *in notis ad Gabrielem Severum*: Ea igitur verba intelligi debent, ut eumdem significatum habeant, ac ea, quibus utitur Sacerdos Latinus, dicens: *Fiat nobis hæc oblatio Corpus, & Sanguis Domini nostri Iesu Christi*; scilicet orat Sacerdos, non, ut fiat consecratio, sed, ut nobis sit fructuosa, pròut Angelicè docet S. Thom. *in* 3. *part.* 9. *num.* 3. *art.* 4. *ad* 7. Scilicèt, ut cibus cælestis Christus pascendis fidelium animabus destinatus, vitam in eos ex propriæ carnis suæ substantiâ transfundat, ut benè advertit Bona *rer. Liturgicar. libr.* 2. *cap.* 14. *numer.* 5. De hac re latè loquitur eruditissimus amicus Naironus *in suâ Evopliâ, part.* 2. *à pag.* 149. ubi Syrorum, ac Ethiopum ritus exponit; & ubi refutat hæreticorum errores circà transubstantiationem, cujus Authorem fuisse Paschasium Ratbertum, malè fabulatur Claudius Minister Charantonensis, ut probat idem Naironus *ibid.* & latè etiam dixit Jvenin *de Sacram. tom.* 1. *q.* 3. *cap.* 2. *art.* 2. *pag.* 231. *col.* 1. *post medium*, Allat. *in d. exercit.* 27. *ad histor. Concil. Florentini*.

11 Quod autem hæc mutatio non sit substantialis, patet, quia toleratur etiam in Catholicis Græcis ab Ecclesiâ Romanâ: Nec ob errorem speculativum, quem Schismatici habent, id, quod est accidentale, fit substantiale, nam, non obstante hujusmodi errore, non proindè invalidè consecrant, ut probant Arcudius *de concord. Eccles. Oriental. lib.* 3. *cap.* 37. & P. Verricell. *loco suprà citato*, præcipuè *à num.* 26.

Ratio est, quia quoties Sacerdos illa verba consecrationis profert, intendit, ea se velle recitare, dum se gerit exteriùs, tanquàm Ecclesiæ Ministrum, eo modo, quo Christus verba ipsa protulit, quandò instituit Sacramentum: At certum est, assertivè tunc prolata fuisse, sivè, quod idem est, per ea significatam, ac peractam fuisse transubstantiationem: Ita Jvenin *ubi suprà, pag.* 234. *col.* 1. *circà medium*, adeò ut illa verba non solùm fuerint concionatoria, sed etiam consecratoria, pròut loquuntur Theologi: Error verò speculativus non destruit intentionem necessariam ad conficiendum Sacramentum.

12 Quò ad formam absolutionis in Pœnitentiâ, habemus hæreticorum errores. Nam Philippus Melanchton *in Apolog. Confess. August. art.* 13. *de usu, & num.*

& num. Sacram. dixit præter verbum absolutionis, ritum etiam quemdam visibilem à Ministro adhibendum esse; undè qui ipsum ritum adhiberet, esset utiquè suspectus, dummodò per simplicitatem excusari non posset, & constaret, sequi velle hunc errorem: Imo talis esset vehementer de Hæresi suspectus per ea, quæ benè tradit Sesse *decis.*
13 449. *num.* 13. *&* 14. Videntur Jacobitę quoquè, qui sunt Dioscori asseclæ, exigere hujusmodi ritum visibilem, eò quia tribus vicibus in faciem pænitentis Cruci conformiter insufflant, teste Naironо *loco superiùs laudato*, *pag.* 202. tametsi ipse Naironus in hoc ipsos non improbet, eo quià non credant, necessarium esse hujusmodi ritum, nec moveantur ab ullâ pravâ opinione, dum eumdem ritum adhibent.

14 Sed quid dicendum, si in absolutione tradendâ Sacerdotes Latini sequerentur Græcorum ritum? Hi enim, dum absolvunt, utuntur eâ formâ: *Habeo tè absolutum à peccatis tuis*, quæ significat idem, ac *ego te absolvo*, juxtà Arcudium *de Sacram. Eccles. Oriental. lib.*4.*cap.*3.& De Lugo *de pœnit.disp.*13. *sect.*4. *num.*105. Super hac re peculiare edidit opusculum D. Thomas.

Quid, inquam, dicendum? Putarem eo modo, quo suprà de pane fermentato, respondendum: Non possumus enim ritum Græcum sequi, ipsum præferendo ritui Ecclesiæ Romanæ, quæ ex particulari Salvatoris privilegio est nescia erroris; & de facto longè melior videtur forma, quâ utuntur Sacerdotes Latini, dum absolvunt: latina quippè forma magis exprimit, absolutionem concedi à Ministro, & non tribui per modũ deprecationis, ut nonnulli Græcorum absolvere intendunt, inter quos existimabantur Græci illi, qui degebant in Diœcesi Corcyræ: Absolutionẽ enim impertiebantur illis verbis: *Gratia Sancti Spiritus per meam humilitatem habeat te absolutum, & liberatum*, vel hisce aliis: *Beatissime Rex, per me humilẽ indignum Servum tuum remitte Servo tuo*: Ipsos tamen tolerandos esse, si absolvant formâ consuetâ ab Ecclesiâ Orientali, declaravit Sacra Universalis Congregatio *die* 19. *Decembris* 1613. & videri potest apud Morin. *de pœnitentiâ*, & apud Cabasutium *in notit. Concilior. super Conc.Carthaginen.IV.in App.p.*186.

15 Imò putat Naironus *ubi suprà à pag.* 203. formam absolvendi per modum deprecatorium Orientalibus nunquàm improbatam fuisse, ipsorumque antiquis Ritibus præjudicare non potuisse Conciliũ Trid. definiens formam in illis verbis consistere: *Ego te absolvo*: Nos autem (pace tanti Viri) existimamus, hujusmodi Orientalium formæ non adversari Concilium prædictum, quia inter
16 eam, & latinam formam nonnisi accidentale adest discrimẽ, licet ipsi Orientales modo indicativo non utantur: Sufficit enim, quod Confessarius indicet, se absolutionem impertiri per intimationem voluntatis divinæ factam ex potestate judiciariâ, quam ipse Sacerdos accepit à Deo: Pignatell.*tom.*5. *consult.* 68. Imò habetur in Synodo coram P. Hieronymo Dandino in Mõte Libano celebratâ, Sacramentorũ formas, quibus Maronitæ utuntur, ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine minimè discrepare, easquè Ministri actionem indicare: *Ego te baptizo*, & rectè; nam si Judex politicus absolveret his verbis: *Talis habeatur innocens, & absolutus*; idem esset quò ad substantiam: *talem absolvo ex capite innocentiæ*: Quamobrem in Ecclesiâ quoquè Latinâ in quibusdam locis, usquè ad seculum XIII. tradebatur absolutio non dissimili modo, quo utuntur Græci: Jvenin *tom.* 2. *quæst.* 9. *cap.*2. *art.*2.§.1.*pag.*717. Quod quidem non contigisset, nisi accidentale discrimen inter prædictas formas esset, eò quia sententia Petri Lombardi, D. Bonaventuræ, Gabrielis, & Alensis, dicens in hoc Sacramento ministrum non remittere peccata, est erronea, atquè expressè damnata: (Vide Torreblanc. *Iuris*
17 *spirit.lib.*2.*cap.*10.*à num.*77.) Nil igitur mirum, quod non prohibeamur, Sacerdoti Græco peccata confiteri, nec audire Sacrum, quod peragunt Græci, etiam si sint Schismatici; sicquè satisfaciamus præcepto Ecclesiæ, pròut benè advertit Verricell. *loco cit. quæst.* 154. Imò ad hæc tenemur, ut satisfaciamus hujusmodi præcepto: Lupus *in edict. par.*2.*lib.*13.*dist.*2.*art.*3.Pignatell.*tom.*7. *consult.*50. Addit verò Verricell.de quo
18 *suprà*, *q.*155.quod in Diœcesi, ubi permixti

mixti sint Latini cum Græcis, & duplex sit Episcopus Latinus, & Græcus, minimè posse, secularem latinum extrà necessitatem confiteri Sacerdoti Græco approbato ab Episcopo Græco: Audire verò Sacrificium Missæ à Sacerdote Græco, licet non desint Latini Sacerdotes, nos posse, firmat Lupus *loco cit.*

Quò verò ad formam Sacramenti matrimonii, cum ea sit mutuus nubentium consensus externus, quo acceptatur Corporum traditio, idem dicendum est, quod superiùs innuimus circà materiam hujus Sacramenti.

SUBSECTIO IV.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitum locum.

1 *Sacerdos conficit Sacramentum in loco non debito, quandò consecrat in loco vel non sacro; vel sacro, sed prophanato.*

2 *Quid requiritur ad hoc, ut locus sit sacer?*

3 *Episcopi habent privilegium celebrandi super altare portatile ubivis, etiam ob solam devotionem.*

4 *Clemens VIII. privilegium concessit Græcis ad celebrandum super Altare portatile, annuentibus Episcopis Latinis, in quorum Diœcesibus morantur.*

5 *Concilium Tridentinum monet Episcopos, ne permittant celebrari in domibus privatis, & in hoc ipsis sublata est facultas, quam habebant.*

6 *Locus sacer prophanatur, vel per sanguinis, vel per seminis emisionem, vel per sepulturam excommunicati.*

7 *Qui celebrat in loco non debito, non evadit suspectus de hæresi, licet esset irreverentia.*

8 *Quandoquè in loco non sacro peragi potest Missa.*

9 *Blaterant Hæretici, repræhendentes Catholicos celebrantes in locis privatis.*

10 *Antiquæ Historiæ referunt plura exempla celebrationum in privatis domibus.*

11 *Cessatis in Ecclesiâ persecutionibus, Imperatorum Gentilium editæ sunt Ordinationes de Missis non ampliùs in privatis domibus celebrandis.*

12 *Hæretici deridentes Templorum, & altarium consecrationes, prætendunt, quemlibet locum esse aptum ad Missas celebrandas.*

13 *Celebrans in loco non sacro, non fit de hæresi suspectus, sed ab Ordinario puniendus est: Casus Regularis, quem ob transgressionem correxit Sacra Congregatio Concilii.*

14 *An in casu summæ necessitatis liceat, etiam absquè Episcopi consensu, celebrare in loco non sacro.*

15 *An super Navigiis in longis Navigationibus permitti debeat, Missam celebrari: Auctoritates pro affirmativâ.*

16 *Præferuntur Auctores pro negativâ: Et limitationes Auctorum, qui stant pro affirmativâ.*

17 *Pro affirmativâ affertur declaratio Sac. Congreg. Rituum ad instantiam Episcopi Limensis.*

18 *In principalioribus Universitatibus Hispaniæ fuit conclusum, posse concedi licentiam celebrandi Missam in Navibus Indicæ Navigationis.*

19 *Pontifex concessit licentiam prò Navibus; sed eâ negavit prò Triremibus.*

20 *Indecens est, etiam in Navibus celebrare Missam.*

21 *Miraculum S. Vulphrani Episcopi Senonensis.*

22 *Nulla est hæresis suspicio, celebrare alia Sacramenta in loco non debito.*

1 ANTEQUAM exponamus, an hæresis suspicionem incurrat, qui non debito loco Sacramentum conficit, præmittimus, dici Sacerdotem conficere Sacramentum in loco non debito, quandò consecrat in loco, vel non Sacro; vel Sacro, sed prophanato, ut habetur *in can.* 11. *distinct.* 1. *de consecrat.* Pasqualig. *de sacrif. novæ legis, tract.* 1. *q.* 440. *& q.* 511. *num.* 2. Anton. Escobar. *in theol. Morali, tom.* 3. *par.* 1. *sect.* 2. *lib.* 21 *cap.* 20. *Probl.* 59. *& Probl.* 61. & Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. *&* 6.

2 Ad hoc autē, ut locus sit sacer, oportet, quod sit cōsecratus ab Episcopo, vel ab eodem, aut alio ex ejus licentiâ, & facultate benedictus, ut ex Concilio Triburiensi habetur *in can.* 112. *distinct.* 1. *de consecrat.* & ex Concilio Generali Nicæ-

Nicæno sub Silvestro *in can.* 115. *distinct.* 1. *de consecrat.* Saussay *Panopl. Sacerdotal. cap.* 8. *art.* 2. §. 2. S. Thom. *q.* 83. *art.* 5. Ipsis verò Episcopis speciali privilegio indultum est, ut super Altare portatile ubivis sacrificare, vel sacrificanti adsistere possint, non solùm in casu necessitatis, sed & ob solam devotionem, ut apertè statuit Bonifacius VIII. *in cap. quoniam Episcopi, de privil. in* 6. & *ibi* communiter observant Canonistæ, & inter alios ibi latius Passerin. *cap.* 12. *per tot.* Quod etiam docent Suarez. *disput.* 81. *sect.* 3. Saussay, *Panoplia Sacerdotali, d. cap.* 8. *art.* 2. §. 2. Pignatell. *to.* 3. *consult.* 39. Et per Concilium Tridentinum *sess.* 22. *in decret. de observand. in sacrific. Missæ*, hoc privilegium Episcopis non fuit sublatum, itàut tantùm ejus potestas restricta dicatur vigore dictæ conciliaris sanctionis, ut non possit alteri concedere usum Altaris portatilis, quam auctoritatem habebat ex permissione Concilii Triburiensis, & Agathensis: Fagnan. *in cap. in his, num.* 20. *de privil.* Passerin. *in d. cap. quoniam Episcopi, num* 6. *de Privileg. in* 6. Guttierez. *quæst. Canon. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 25. *&* 26. Privitera *manuale Antistit. potest.* 43.

4 Ipsis etiam Græcis Clem. VIII. *in instruct. ad Episcopos Latinos*, in quorum Diœcesibus morantur Italo-Græci, permittit, ut accipiant Altaria portatilia ab iisdem latinis Episcopis consecrata, si velint; sin minus, quod tolerentur eorum Throni super Altaria lapidea ponendi, dum celebrant: Monentur etiam Episcopi à Sac. Concil. Trid. in *d. sess.* 22. *cap. unic. de observ. & evit. in celebr. Missæ*, ne permittant celebrari in privatis Domibus, undè in hoc ipsis sublata est facultas, quam habebant, sivè sint Domus privatæ, sivè sint Principum, & Baronum Palatia, & Arces: Fagnan. *in cap. in his, num.* 16. *de Privil.* Barbos. *de potest. Episcopi, allegat.* 23. *num.* 7. Bonac. *disput.* 4. *de sacram, quæst. ultim. punct.* 9. *propos.* 2. *num.* 11. Dicastill. *de Sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 6. *num.* 88. Aversa *de Eucharistia, quæst.* 11. *sect.* 14. Tamburin. *de sacrif. Missæ, lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. *num.* 6. *&* 7. Pasqualig. *de Sacrif. Missæ, tract.* 1. *q.* 445. *num.* 4. Ventrigl. *in prax. eccles. annot.* 19. *numer.* 8. quamvis in ipsis Domibus adsint Oratoria ad cultum divinum dedicata, cum Concil. Trid. duo prohibeat, nempè celebrari extrà Ecclesiam, & extrà Oratoria: Fagnan. *ibid. num.* 17. ubi declarat, quæ sint hujusmodi Oratoria.

6 Ut verò locus Sacer dicatur prophanatus, requiritur, vel quod in eo sequatur homicidium, seù violenta, & injuriosa sanguinis effusio ex gravi percussione in ipso loco, ut habetur *in cap. proposuisti, & cap. ultim. de consecr. Eccles. dist.* 1. Merbes. *in summ. Christian. dissert.* 3. *part.* 3. *qu.* 46. vel ibi effundatur illicitè, & notoriè semen humanum, ut in *dict. cap. ultim. de consecr. dist.* 1. Merbes. *ubi suprà*; vel postremò quod in eo loco sepeliatur nominatim excōmunicatus, aut notorius Clericorum percussor, aut infidelis, licet infans: *cap. cit. proposuisti, cap. Sacris, de Sepulturis*, & ex Concil. Agrepinense *cap. Ecclesiam, de consecrat. distinct.* 1. Merbes. *loco cit.* Juenin *de Sacram. to.* 1. *qu.* 8. *cap.* 2. *art.* 4. *pag.* 461. *col.* 1. *post medium*: latè Pasqualig. *de sacrif. novæ legis. tract.* 1. *à quæst.* 539. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. & Anton. Escobar. *in Theol. Morali, tom.* 3. *par.* 1. *sect.* 2. *cap.* 20. *à Probl.* 62.

7 His præmissis, quemadmodum Sacerdos absquè Jurisdictione audiens Confessionem Sacramentalem, non evadit suspectus de hæresi, de quo suprà fuit dictum; ità qui non debito loco celebrat, non incurrit hujusmodi suspicionem: Quamvis enim esset irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest ex Concil. Trid. *sess.* 22. *cap. unic. de observ. & evit. in celebr. Missæ*, Van Espen *Ius Universum, p.* 2. *tit.* 5. *cap.* 8. *num.* 11. nihilominùs nullum fundamentum habet in hæresi, cum nullibi reperiatur de fide, quod celebrari nequeat in loco non sacro: Nec fini primario Sacramenti opponitur, quod in eo loco prophano celebretur: Et quemadmodū irreverentia resultans ex eo, quod minister dum celebrat, sit gravissimis sceleribus involutus, nullam hæresis suspicionem inducit: Transmiera *de denunciat. qu.* 4. *cap.* 9. *num.* 6. ità, & tantò magis dici debet de eâ irreverentiâ, quæ resultat ex qualitate loci. Continet tamen gravissimam culpam: Gaspar Hurtad.

tad. *de Sacram. disp.* 4. *de Sacrif. Missæ, difficul.* 6. Cardin. de Lugo *disp.* 20. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 48. Aversa *quæst.* 11. *de Euchar.* & *qu.* 14. *verbo secundo ergo,* Lessius *de Sacram. qu.* 83. *art.* 2. *num.* 77. Dicastillo *de Sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *nu.* 86. Paspualig. *de Sacrif. Missæ, tract.* 1. *qu.* 442. *num.* 3. qui auctores ferè innumeros inter se contrarios citat, Anton. Escobar *ubi suprà*, *Probl.* 59. Quinimò
8 nec adeò rigorosa est prohibitio non celebrandi in loco non sacro, ut quandoquè Missæ sacrificium rectè peragi non possit, putà in castris prò exercitu, vel alibi in longâ peregrinatione per loca infidelium, ut habetur *in cap. nullus, de consecr. dist.* 1. & pròut antiquiùs peragi, moris erat.

9 Hinc vide, quàm malè loquuti sint apud Bellarm. *de Missâ, lib.* 2. *cap.* 9. & apud Lantmeter *de veter. Cleric. Monach. cap.* 84. hæretici illi, videlicet Jo: Brentius, Kemnitius, ac Lutherus, qui repræhendunt nos celebrantes in locis privatis, contrà, ut ajunt, consuetudinem Ecclesiæ: sed eorum audaciam, & impietatem eruditè de morte retundit Bellarmin. *ubi suprà*, & Lantmeter *dict. cap.* 84. Et sanè quis
10 ignorare potest, in privatâ Domo Missam instituisse, & celebrasse Christum Dominum? Cujus exemplo Apostolos ab exordijs Ecclesiæ circà Domos fregisse panem, passim referunt Antiquæ historiæ, & de B. Petro Apostolo narratur, signo Crucis impresso, aquam ex Monte Tarpejo, ubi cum D. Paulo in Mamertini custodiâ detinebatur, eduxisse, & obtulisse Sacrificium: S. Pius primus Papa *in epist. ad Iustum Viennensem Episcopum*, affirmat, se stare in Domo Euperiæ, ubi, ait, cum pauperibus nostris commorantes missas agimus: Et, ut uno verbo omnes compræhendam, nonnè tempore persecutionis SS. Pontifices celebrabant etiã in criptis, & in foraminibus terræ? legimus apud Niceph. *lib.* 8. *hist. cap.* 31. S. Lucianum in carcere sacrificasse, & suo ipsius pectore pro Altari usum esse, cum jaceret onustus catenis, nec erigere se ipsum posset: S. Stephanus Papa etiam in criptis missam, & concilia celebravit, ut habetur apud Surium, & aliis etiam testimoniis latè probat Martene *de Antiq. Eccles. ritib. cap.* 3. *art.* 5. Saussay *Panoplia Sacerdotali, lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 8. *art.* 2. *ac* §. 2.

Temporibus quoquè, quibus persecutio non grassabatur, Gregorius in exiguâ cellâ extructo Oratorio, ut testatur Sozomenus *lib.* 7. *hist. cap.* 5. Sanctus Ambrosius, pròut asserit Paulin. *in ejus vitâ*, in Domo clarissimæ cujusdam fęminæ, cum fuerit ab eâ rogatus; & Theodoretus, quemadmodùm de se ipso narrat *in historiâ Religiosâ, cap.* 20. in cellulâ Maris Anachoretæ, sacra mysteria peregerunt, & dixi etiam Martene, *de quo suprà, num.* 7.

11 Postquàm verò Imperatorum Christianorum beneficio reddita fuit Ecclesiæ quies, & tranquillitas, & feliciora tempora advenerunt, ædificari cæperunt publicè Templa, in quibus palàm Deo incruenta victima offerebatur; tunc Ecclesiasticis ordinationibus interdictum fuit, in Domibus privatis ampliùs celebrari non posse, ut in Concilio Epaonese *can.* 52. in Concilio Cabionense *can.* 49. Aquisgranense *cap.* 84. & in Synodo Parisiensi VI. quæ congerit, & refert Martene *de ritib. Eccles. d. cap.* 3. *art.* 5. *num.* 8. Ac legem promulgavit Justinianus Imperator *in Novella* 58. prohibendo, ne in privatis Domibus Sacra Mysteria fierent, idquè etiam posteà statuit Sacrum Concilium Tridentinum *in Sess.* 22. *in decret. de observ. & evitand. in celebrat. Missæ*: Et in casu tantùm necessitatis decrevit, requirendam esse licentiam Ordinarii, si commodè
12 obtineri possit. In hoc etiam hæretici nos Catholicos carpunt, ut observat eruditissimus Naironus *loco superiùs citato, part.* 3. *pag.* 339. dum deridentes mysticas consecrationes, quibus apud nos consecrantur Templa, & Altaria, constituunt omnẽ locũ aptum, in quo celebretur, ut videre est quoquè apud Bellarm. *de Missâ, lib.* 2. *cap.* 14. *pag.* 919. ubi confutans eos, testatur ex authoritate Felicis II. Atavi S. Gregorii, antiquis Canonibus prohibitum fuisse, nè sacra Missarum solemnia alibi, quàm in locis Deo Sacratis ullus celebrare præsumeret. Imò id instituisse S. Felicem Primum Papam, habent historiæ *in ejus vitâ*, & Breviarium Roma-

Romanum 30. *Maii in lectione de eodem Sancto*, ait, ipsum constituisse, ut Missa suprà memorias, & sepulchra Martyrum celebraretur: Ricciull. *lucub. Eccles. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 4. Testatur quoquè idem Naironus *ubi suprà*, in Syriâ reperiri innumera propemodùm, ac immemorabilis planè antiquitatis Tēpla, in quibus piè, & devotè Sacrosanctum Missæ peragitur Sacrificium: Fuit etiam Caluini machinatio, qui postquàm omnia templa destruere conatus fuit, posteà demùm, pudore facti deterritus, Templa permittere cæpit, destructis tamen altaribus, ex quo Sacrificium Christianorum omninò improbabat, ut videri potest apud Saussay *in Panopl. Sacerdotali, lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 8.

13 Celebrans itaquè in loco non sacro absquè Ordinarii licentiâ, non fit suspectus de hæresi, ideoquè ab ipso tantùm Ordinario puniendus est, quod comprobavit Sacra Congregatio Concilij his nostris temporibus: Evenit enim (utar verbis Illustrissimi, ac Reverendissimi Ferdinandi Nuptii, tunc temporis ipsius Sacræ Congregationis à Secretis, nunc Sancti Officii Adsessoris, in quo maxima comitas, singularis doctrina, ac cæteræ præclarissimæ virtutes ità abbundant, ut meritò Urbis ornamentum nuncupetur ab eruditissimo Abb. à Turre *in Monument. veteris Antii, cap.* 1. *pag.* 7.) Euenit (inquam) quod ægrotante P. Dominico Moleto Clerico Regulari Theatino in quâdam domo Rurali ejus consanguineorum, positâ extrà Civitatem Messanæ, ac ingravescente morbo, & instante mortis periculo, alius Clericus Regularis ibi præsens, errecto Altare portatili in Cubiculo infirmi, Sacrum peregit, necnon Sanctissimum Viaticum ei ministravit: Ordinarius, habitâ hujus rei notitiâ, prætendere cæpit, hunc Regularem dupliciter deliquisse, tùm peragendo sacrum eo in loco, tùm ministrando Sanctissimum adversùs Jus Parochiale, & delatum fuit dubium ad Sacram Congregationem Concilii, quæ die 30. *Septembris* 1698. rescripsit, malè egisse supradictum Regularem quò ad utrumquè, ac Episcopo licitum esse, devenire ad Censuras, sed in hoc casu non esse molestandum, ob bonam (puto) fidem, quâ celebravit, & Viaticum ministravit. Cum igitur regulare sit in hac materiâ, quod Inquisitores in eâ non se ingerant sinè Episcopi consensu, Missam celebrans in privatis locis ab Episcopo tantummodò deponendus est: Leo *Thesaur. for. Eccles. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 72. Pac. Jordan. *elucub. Eccles. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 115. Diaz *pract. Crimin. canon. cap.* 39. & ibi

14 Ignatius Salzedus: Et hoc etiam limitant nonnulli in casu summæ necessitatis, in quâ etiam absquè Episcopi consensu tenent, posse celebrari, ut Leo *in Thesaur. for. Eccles. loco citato*. Antonell. *de loco legal. lib.* 1. *cap.* 5. *sub num.* 3. Quod verò in casu necessitatis debeat, & possit Episcopus dispensare, ferè apud omnes receptum videtur, ut per Jordan. *dict. lib.* 4. *Elucub. num.* 118. *& seqq.* Antonell. *ubi suprà, num.* 3. & innuere videtur Martene *de ritibus, dict. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 10. 11. *&* 12.

Hanc tamen licentiam minimè impertiri debet Episcopus, ut celebretur in magnis navigijs, stante longâ navigatione, scilicet ad Indos: Verùm anceps est quæstio inter Doctores, an super Navigiis stante longâ navigatione Missa permitti debeat: Affirmativam partē præ cæteris tenent Card. de Lugo *de Sacram. disp.* 20 *sect.* 3. Marchin. *de Sacr. Ordination. par.* 3 *tract.* 3. *c.* 9. *n.* 14. Scortia *de sacrificio missæ, lib.* 2. *cap.* 13. Verricell. *de Apostol. mission. tract.* 8. *quæst.* 133. *&* 134. Pasqualig. *de sacrific. missæ, tom.* 1. *qu.* 171. *&* 172. Coton. *Controvers. celebr. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 80. Saussay *in Panopliâ Sacerdotali, lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 8. *artic.* 2. §. 1. Negativam defendunt Turrecremat. *in cap. concedimus, num.* 5. *de consecrat. distinct.* 1. Antonell. *de loco legali, lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Graff. *decis. aureæ par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. *nu.* 10. Pac. Jordanus *elucub. p.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 139. Gavant. *thesaur. Sac. Rit. par.* 1. *tit.* 20. *versus finem, versic. numquam in mare*; Ragucc. *de Missa in Eccles. qu.* 57. *num.* 6. Azor. *institut. moral. par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *qu* 6. *in fine*; &

16 etiam contrarii nimis dubitanter in eorum opinione procedunt, admittendo hâc opinionem in Navibus grandioribus, tempore, quo mare sit nimis placidum, & tempore necessitatis, ut loquitur Coton. *contr. celebr. dict. n.* 80. Verricell. *quæst.* 133. *num.* 14. ubi ulterius

rius dubitans de suâ sententiâ, requirit votum Congre gationis. Imò testatur Diana *par.9. tract. 1.resol.45.in fine,*
17 quod Archiepiscopus Limensis in Indiis Occidentalibus supplicavit declarari à Sacrâ Congregatione Rituum, an Episcopi deberent prohibere tùm Sacerdotibus secularibus, tùm Regularibus Missæ celebrationem in navibus, tàm dum navigant, quàm dum non navigant, & affirmativè respondisse *die 19. Februarii 1633.* Et licet in principalioribus universitatibus Hispaniæ conclusum fuerit à doctissimis Theologis, & Juristis Salamanticæ, Conimbriæ, Duoræ,& Alcantaræ, posse rationabiliter Pontificem hanc licentiam concedere, quam de facto concessit, nimirùm celebrandi Missas in navibus illarum navigationum, & quidem multis allegatis rationibus, ac ostenso, non
19 adesse periculum, nec indecentiam; tamen cum postmodum eadem facultas fuerit Pontifici petita prò Triremibus navigantibus in Mediterraneo, abnuit Pontifex: Nec dicatur, ideò denegatam fuisse hujusmodi licentiam à Summo Pontifice, quia in Triremibus commoditas minor adest, quàm in navibus Oceani; & quia Triremes non longè à
20 terrâ navigant: Nàm in Navibus quoquè communiter non habetur locus decens ad tantam sacrificii Majestatē; Concilium Tridentinum prohibet, celebrari extrà Ecclesiam; & in iisdem navibus adest periculum effusionis sanguinis; idcircò videtur, fore temerarium, tàm sacrosanctum Sacramentum, cui assistunt Arcangeli tremescentes, ventorum, & fluctuum inconstantiæ cōmittere, ità ut ipsum, ubi vult, deferre possit vaga Pontis mobilis unda: Hujusmodi periculum testantur etiā antiquiora tempora, quibus in Navi Sacra Eucharistia deferebatur, ut videre est apud Verricell. *loco cit. num.9.* ac Missa celebrabatur, ut habetur ex D. Antonino *in 2. parte, cap.2. tit.13. §.2.* Nec modò adest S. Vulphranus Archiepiscopus Senonen. qui, ut narrant Jonas Abbas *in illius vitâ,* Baronius *anno* 800. D. Antoninus *2. par. cap. 2. tit. 14. §. 2.* & Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.2. cap.13. num.5.* in Phrigiam navigans, projectis in medio Mari Anchoris, dum solemniter Missam celebrabat, accidit, ut è manu Ministri, qui assistebat, ceciderit in Mari Patena, quam ipse præbere debebat prædicto Sancto, qui effecit, ut ab imo Maris in ipsum Ministri manum eadem patena rediret, pròut quoquè testatur Casal. *de veter. Sacror. Christian. Ritibus, cap.9. versùs finem, pag.* 10[illegible]. Imò si adesset S. Vulphranus, vel ali[illegible] Viri Sancti, nec essent miracula expectanda, nec Deus tentandus.

22 Quò verò ad cætera Sacramenta, [illegible] quis ipsa conficiat non debito loco, nullam pariter incurrit hæresis suspicionem: Siquidem, cum non efficiatur [illegible]spectus, qui non debito loco conficit Eucharistia Sacramentum, quod est cæteris nobilius, nam in eo Salvator noster divitias divini sui ergà homin[illegible] amoris velut effudit, tantò minus [illegible] suspectus, qui non debito loco cæter[illegible] Sacramenta conficiet.

SUBSECTIO V.

De abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitum tempus.

SUMMARIUM.

1 *Si Missa celebretur antè auroram, [illegible] post meridiem, non debito tempore [illegible]lebratur.*

2 *Missa nequit celebrari notabili spa[illegible] antè auroram.*

3 *Et hoc vel ex immemorabili consuetudine, vel ex decreto præscribitur [illegible]*

4 *Privilegia Regularium celebrandi [illegible] auroram.*

5 *Illicitum est, celebrare notabili spa[illegible] post meridiem.*

6 *Qui antè auroram, vel post meridi[illegible] celebrat, superstitiosè agere vide[illegible]*

7 *Lutherani, & Calvinistæ credunt, [illegible] tempus esse aptum ad celebrand[illegible]*

8 *Verius est, non incurri superstition[illegible] si celebretur, non debito tempor[illegible]*

9 *Antiquitùs Missa celebrabatur tàm [illegible] auroram, quàm Vesperi. Sed [illegible] persecutionibus, variæ horæ fu[illegible] assignatæ.*

10 *Quandò celebrare non debito te[illegible]re arguat conniventiam cum bar[illegible]cis?*

11 *Qua*

11 *Qualibet rationabilis causa sufficit, ad excusandam à culpâ mortali celebrantem post meridiem.*
12 *Celebrans post meridiem quandò de errore esset suspectus?*
13 *Quanam sit hora celebrandi in illis regionibus, in quibus est perpetuus dies, vel perpetua nox?*
14 *Non licet antè mortem anticipare Missarum celebrationem prò animâ suâ.*
15 *Ratio, cur dicta anticipatio non liceat? motiva in contrarium solvuntur.*
16 *Remissio pœnæ per Sacrificium Missæ nequit haberi per celebratas Missas antè mortem.*
17 *Decretum Pauli V. de Missis non celebrandis prò primo, qui daturus sit eleemosynam.*
18 *Fructus Sacrificii ex opere operantis nequit prodesse, nisi Defunctis, quia preces Missæ sunt prò Defunctis.*
19 *Nulla hæresis suspicio incurritur ex celebratione Missarum prò defunctis antè mortem ejus, prò quo celebrantur.*
20 *Magni Auctores sentiunt, licere celebrare sibi facere Missas Defunctorum antè mortem.*
21 *Sacra Congregatio Concilii indecisam reliquit quæstionem, an liceat, Missas prò Defunctis in Suffragium Animæ viventis celebrare.*
22 *Exempla tria, scilicet S. Theodosii prò quodam Monacho, Caroli V. & Alberti Magni prò se ipsis,* & n. 23. 24. 26. 27.
25 *Consuetudo in Hispaniâ asseritur celebrandi suffragia Defunctorum prò Vivis.*
28 *Celebrans Missâ Defunctorum prò inimico vivo, non incurrit crimen hæresis: Sed contrarium tenendum.*
29 *Est superstitiosum, canere Psal.* 108. *ad petendâ vindictam contrà inimicum.*
30 *Matrimonium celebrare antè legitimam ætatem, non inducit hæresis suspicionem.*
31 *Exempla eorum, qui in puerili ætate genuerunt.*
32 *Quod etiam procedit in fœminis.*
33 *Non obstat, quod jura præfixerint terminũ ætatis ad contrahendũ matrimonium, ut indè incurratur Suspicio in contrahendo antè legitimam ætatem.*
34 *Dispensatio ad contrahendum antè legitimâ ætatem matrimonium in doli capacibus, an necessariò concedenda sit à Sede Apostolicâ, vel sufficiat Ordinarii dispensatio?*

1 NON debito tempore dicitur quis conficere Sacramentum, qui Missam non tempore ab Ecclesiâ determinato celebrat, quod duobus modis contingere potest, vel celebrando antè auroram, seù post meridiem; vel celebrando quodã certo tempore Missas, quæ ordinatę sunt ad aliud tempus.

2 Quòad primum, sciri debet, quod exceptâ festivitate Natalis Domini, in cujus nocte sacrificatur, nequit Sacerdos licitè celebrare notabili spatio antè auroram: Joan. Andr. *in cap.* 1. *de Celebrat. Missar.* Lantmeter *de veter. Cleric. Monach. cap.* 82. Coton. *Contr. celebr. lib.* 2. *cap.* 3. *contr.* 5. *num.* 64. *& seqq.* Pac. Jordan. *lucub. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 83. *&* 93. & habetur in actis Mediolanensis Ecclesiæ *tom.* 2. *part.* 4. *fol.* 733. Saussay *Panopl. Sacerdotali, cap.* 8. *art.* 3. Cardin de Lugo *de Sacram. disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 24. Gaspar Hurtad. *de Sacram. disp.* 4. *de Sacrific. Missæ, difficult.* 4. Aversa *quæst.* 11. *de Euchar. sect.* 15. *verbo, Quartò*, Dicastill. *de Sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *num.* 52. Bertis *de sacrif. Missæ, qu.* 2. *art.* 1. *dub.* 1. Pasqualig. *de Sacrif. Novæ Legis, tract.* 1. *qu.* 397. Anton. Escobar *in Theol. morali, tom.* 3. *part.* 1. *sect.* 1. *lib.* 21. *cap.* 5. *& sect.* 2. *cap.* 19. *Probl.* 54. 55. *&* 56. & Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.* 2.
3 *cap.* 13. Cæterùm hujusmodi sanctionem provenire, vel ex decreto, vel saltem ex immemorabili Ecclesiæ consuetudine, indubitatum est: Coton. *Contr. celebr. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 64. *contr.* 5. Card. de Lugo *de Sacram. disp.* 20. *num.* 24. Idquè
4 firmant multorum privilegia, præcipuè Regularium celebrandi antè auroram, & etiam post meridiem: Sic tale privilegiũ concessit Paulus V. *Constit.* 40. *Ex omnibus*, §. 6. Sacerdotibus omnibus celebrandi antè auroram, & post meridiem in terris Infidelium.

5 Pariter post meridiem spatio notabili, illicitum est celebrare, sicut decrevit Innocentius IV. *Constit.* 14. *Sub Catholicâ*, hocquè ex hominum infirmitate cępit introduci: Adest etiam decen-

tia respectu hujus sacrificii, cujus reverentiæ congruit, ut antè prandium offeratur: Sic enim tàm ministrans, quàm audiens devotiùs assistent: Conich. *quæst.*83. *nu.*219. Filliuc. *tract.* 5. *num.*113.Bonac.*dist.*4.*quæst.ult.punct.*9. *num.*1.& 7.Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.*25. *qu.*2. Anton.Escobar. *in Theol. morali*, *tom.*3.*par.*1.*sect.*2. *cap.*19. *Probl.*67.Pac. Jordan.*Elucub.dict.lib.*4. *tit.*1. *num.*86. Coton. *Contr. celebr. dict. lib.*2. *contr.*5. *cap.*3. *num.* 69. & *seq.* Acta Mediolanensis Ecclesiæ *tom.* 2. *par.* 4.*pag.*733. Saussay *Panopl. Sacerdotali,par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *art.*3.

6 Et cum hodiè super hoc habeantur claræ Constitutiones Apostolicæ, videtur,qui antè auroram, vel post meridiem spatio notabili malitiosè celebraret, superstitiosè agere: Est enim superstitio, quotiescumquè cultus Deo exhibetur contrario ritu, quàm ab Ecclesiâ sit institutus: Sanchez *ad præcept. Decal.lib.*2.*cap.*37.Laym.*lib.*4. *tract.*10. *cap.*1.Suarez *de Relig.tom.*1. *lib.*2. *cap.*1. & Sacramenti abusu hujusmodi superstitio qualificatur; ideòquè ità celebrans videtur malè sentire, vel de ritibus,vel de cæremoniis Ecclesiæ; quemadmodùm de ijs, qui sacramentalibus abutuntur, ajunt Alphonsf.de Castro *de justâ hæret. punit.lib.*1. *cap.*13. *pag.mihi* 83. Pegna 2.*par.Directorii ad quæst.*42. Graff. *lib.*2. *decis. cap.*5.*num.*13. Moura *de incantat.sect.*3. *cap.*5. *num.* 28. *vers. nostra tamen*,Farinac. *de Hæres. qu.*781. *num.*19.

7 Eò magis, quia Lutherani, & Calvinistæ omne tempus credunt aptum ad conficiendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: Imò Lutherus *in lib.contrà Regem Angliæ,edito anno* 1522. appellat nos fatuos, quia non omni tempore celebremus: *Nos autem*, ait ille, *istos merè fatuos*, & *stolidos appellamus*,& *communionem liberam habemus, sivè per diem*, *siuè per noctem*; *sivè manè*,*sivè vesperi*.

8 His tamen non obstantibus, crederem, quæ diximus de Celebrante non debito loco, esse dicenda quòad celebrantem non debito tempore, quia hoc non opponitur primario fini institutionis Sacramenti, undè quandoquè non congruenti tempore celebratur, ut infrà dicturi sumus.

9 Quinimò antiquitùs persecutionis tempore celebrabatur Missa tàm antè lucem, & ortum Solis, quàm Vesperi post diem expletam, ut patet ex Tertulliano *lib.de Coronâ Militis*, *cap.* 3.& ex Cypriano *in epist.ad Cæcilium*, Martene *de Antiqu. Eccles. ritib.lib.*2.*cap.*3. *art.*4.Bona *rer. liturgicar. lib.*1. *cap.* 21. Sedatâ postmodùm persecutione, ac redditâ Ecclesiæ pace, solemni sacrificio obeundo variæ olim horæ assignatæ fuerunt: Martene *loco proximè citato*, Bona,*de quo suprà*,*cap.*21. *num.*5. Tertia nimirùm diebus festivis; nona in jejuniis per annum; vespertina verò, per quadragesimam, ut videre est apud Burchardum *lib.* 19. *decret. cap. de contemptu Iejunii*, Graff. *decis.par.*1. *lib.*2. *cap.*40.*n.*4.

10 Non obstat,quod ità celebrari sit hæreticis adhærere, ac superstitiosè agere: Tunc enim illorum errores sequi videretur, si quis vel post prandium, aut post cænam celebraret: Eo enim casu non solùm tàm non debito tempore celebraret, verùm etiam hujusmodi sacrificium perageret non jejunus, de quâ re infrà dicemus, propter quod esset denunciandus: Trasmiera *de Denunc.qu.*4.*cap.*5.*num.*8.§.*revelandus est*, vel si quis tali tempore, licet iejunus, sacrum perageret, seù esset à Natione infectâ, seù hoc faceret in contemptum Ecclesiæ Romanæ,contrariũ statuentis. Hic autem contemptus,vel alius non legitimus finis præsumptionem ingeneret quod tali tẽpore quis celebraret,ut derisionẽ induceret,ex eo quod esset adeò contrà communem fidelium consuetudinem, nec ulla adesset necessitas, ut ad rem ponderat Sesse *decis.*449.*per tot.* Quis enim ambigit,propter animarum salutem, & devotionem populi posse in diebus jejunii protrahi Missam usquè ad horam nonam, pròut antiquitùs fideles faciebant, ad tradita per Bonam *Rer.liturgicar. lib.*1. *cap.* 21.*sub num.*5. *vers.undè colligitur*, Joan.Andr.*in cap.*1. *num.*11. *de Celebrat.Missar.*? Imò quæ-

11 libet rationabilis causa sufficiens reputaretur ad hoc,ne quis lethaliter peccaret, si celebraret Missam longè post meridiem, dummodò non excederet horam nonam: Pignatell. *tom.* 8. *cons.* 84. Graff.

Graff. *decis. aureæ, par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 3. *in fine.* Hinc est, quod in Synodo in Monte Libano celebratâ coram Patre Hieronymo Dandino superiùs laudato, minimè reperitur proscriptus abusus ille, cujus ipse Hieronymus meminit *in suo Itiner. lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 87.

12 Sed advertendum est, quod si quis in die jejunii protraheret Missæ celebratione usquè ad horam nonam, putans aliter non posse servare jejunium, esset suspectus de errore Pettorati in libello, quem contrà Latinos edidit, quemquè Apocrisariis Apostolicæ Sedis Constantinopoli obtulit. Hujusmodi errorem confutavit Humbertus Cardinalis in responsione, quam Baronius *ad undecimi tomi Annalium Ecclesiasticorum* calcem describit: *Sed, ò perfide stercoronista* (inquit præfatus Humbertus) *qui putas, fideli participatione Corporis, & Sanguinis Domini, quadragesimalia, atquè Ecclesiastica dissolvi jejunia, omninò credens, Cælestem escam, velut Terrenam, per æqualiculi fætidam, & loridam egestionem, in secessum dimitti; planè sentis cum Arrio, qui cum prò aliis blasphemiis in Filium Dei, tùm etiam prò istâ, foveam delapsus in atram, visceribus fusis, vacuus quoquè ventre remansit.*

Quid autem dicendum, quòad horam celebrandi in illis Regionibus, in quibus est perpetuus dies, aut perpetua nox? Pasqualig. *de Sacrif. novæ legis, tract.* 1. *qu.* 403. ait, servandam esse consuetudinem, si adsit in prædictis locis: Si verò non adsit, Missæ celebrationem esse regulandam, secundùm capacitatem Regionis, ità ut habeatur prò die illud tempus, quod solet impendi operationibus; & prò nocte, quod impenditur quieti, attendendo ad id, quod communiter fit; & de hoc etiam loquutus fuit Pac. Jordan. *elucub. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 87.

14 Quòad secundum modum, non licet anticipatè antè mortem celebrare Missas Defunctorū prò suffragiis animæ suę: Fraxinell. *de obligat. Sacerdotis, sect.* 3. *prænot.* 4. §. 3. *num.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 2. *& p.* 9. *tract.* 2. *resol.* 18. Aversa *de Sacram. Euchar. qu.* 11. *sect.* 12. *vers. in quibusdam*, Castropal. *tract.* 22. *disp. unic. par.* 6. *n.* 3. Pasqualig. *de Sacrif. q.* 292. *n.* 1.

15 Et rationabilissimè, nam præterquàm quod violatur hoc pacto ritus Ecclesię præscriptus à Pio V. ut advertit Pasqualig. *ubi suprà, num.* 3. finis sic celebrandi, vel est ad suscitandam mortis memoriam; vel est timor, nè hæredes adimpleant præceptum Testatoris circà suffragia; vel est remissio pænæ temporalis.

Sed ad memoriam mortis efficaciter excitamur cum recitatione Officii Defunctorum, vel aliis precibus, aut ritibus ab Ecclesiâ præscriptis, absquè eo, quod variemus ritus Ecclesiæ.

Timor, nè hæredes satisfaciant, non est tantæ virtutis, ut mutare possimus ipsum Ecclesiæ Ritum, & eò minùs, cum Episcopi, & alii, quibus incumbit videre, an piæ voluntates adimpleantur, adeò provideant, ut rarò contingat, quòd Missæ non celebrentur.

16 Tandem quò ad remissionem pænæ temporalis, sciendum est, quod fructus Missæ vel consideratur ex opere operato, nempè quatenus oblatio fit in personâ Christi, ac prodest in Purgatorio existentibus, necnon vivis quòad pænas temporales; vel consideratur, quòad opus operantis, & dicitur impetratorius, ac provenit à precibus in Sacrificio oblatis: Itàquè si respiciamus fructus ex opere operato provenientes, in quantum prodesse poterunt existentibus in purgatorio, quandò illis opus habuerint, & capaces fuerint, evidens est, quod fructus Sacrificii nequeunt applicari sub conditione futurâ: Castropalaus, & Pasqualigus *ubi suprà, num.* 18.

17 Undè habemus decretum de mandato Pauli V. emanatum, improbans consuetudinem, cui innitebantur aliqui, qui Missas celebrabant, ut prodessent ei, qui primus eleemosynam erogaturus erat: Barbos. *in remiss. ad concil. sess.* 22. *in princ. & de potest. Episc. allegat.* 24. *num.* 12. de quâ re videndus Escobar. *in theol. moral. tom.* 3. *par.* 1. *lib.* 21. *sect.* 2. *cap.* 17. *Probl.* 16. Si verò respiciamus hos fructus, quatenus etiam vivis remittunt pœnas temporales, præbentur alii modi ab Ecclesiâ, quibus ipsæ remittuntur, absquè quo varientur ejus ritus.

Sin

18 Sin autem respiciamus fructum ex opere operantis, hic provenit à precibus, quæ in sacrificio offeruntur: At hæ sunt institutæ prò mortuis, quarè impertinenter, & superstitiosè applicantur vivis, & consequenter ità celebrans, videtur hæresis suspicionem incurrere; eò magis, quià est de fide, quod ritus, & cæremoniæ Ecclesiasticæ ad libitum non possint variari, juxtà *Concil. Trid. sess. 7. can. 12.*

19 Verùm nullam hæresis suspicionem ab ità celebrante incurri, prò explorato habemus, dum in re hac nulla adest superstitio: Coton. *contr. celebr. lib. 2. contr. 5. num. 43. in fine.*

20 Imò non desunt complures magni Authores sentientes, utique licere, quod sic celebretur, quales sunt Navar. *consil. 6. de celebrat. Missar. tom. 1.* Pinel. *de Missâ, part. 2. cap. 7. dub. 3.* Zerola *in Praxi Episcoporum, verbo Missa, par. 2.* Homobon. *Examin. Ecclesiast. par. 1. tract. 3. cap. 14. quæst. 127.* Faust. *lib. 2. de Eucharist. quæst. 148.* Barbos. *ad Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. num. 8.* Lezana *in Summ. verbo Missa numer. 54.* March. *de Sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 34. num. 7.* Leander. *de Sacram. 8. disp. 4. quæst. 23.* Pasqualig. *loco laudato, num. 1.* & latè etiam dixit Coton. *Contr. celebr. d. lib. 2. controu. 5. cap. 2. num. 43.* quorum major pars fundatur in illis verbis Gregorii Magni *lib. 4. Dialog. cap 18. Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit, per se: Beatiùs quippè est, liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.*

21 Quibus stantibus Sac. Congregatio Concilii hanc quæstionem, an liceat Missas prò defunctis in suffragium animæ hominis viventis celebrari, vel non, indecisam reliquit, præcipuè eò quòd
22 adsit exemplum S. Theodosii Cœnobiarchæ (qui cum sepulchrum prò se, & suis Monachis condidisset, sciscitatus est, quisnam vellet ingredi illud sepulchrum: Quidam ejus discipulus se obtulit, ac postquàm fuit ingressus, ipsi, licet adhuc viventi, nam reverà posteà vixit per quadraginta dies, officium defunctorum jussit celebrari, ut narrat P. Ribadeneira *in tom. 2. Sanctorum Extravagant. sub die 11. Ianuarii,* quod
23 exemplum sequutus est Carolus V. maximus Imperator, teste Famiano Strada *in histor. Belg. lib. 1. pag. mihi 1*[illegible] Etenim ejus animum incessit cupido (ut inquit Famianus) exequiarum occasione, quas Matri persolverat, si liceret, & suas celebrandi, requè communicatâ cum Joanne Regula ex Hieronymianâ familiâ, qui ejus conscientiam moderabatur, cum id insolitum quidem, & inauditum; pium tamen, & salutare dixisset, apparari funus sibi quamprimùm jussit: Ergò excitatur in Templo Tumuli moles; fanalibus illuminatur; atrati circumstant famuli; mortuale sacrum mæsto Monachorum cantu peragitur; ipse funeri superstes suo spectabat in illo imaginario funere; veras suorum lacrymas audiebat, exequiale carmen, placitam sibi requiem beatas inter Sedes implorantium, eademquè ipse sibi suffragia psallentibus immixtus exposcebat, donec sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat, accensam facem, sublatis in Cælum oculis: *Ergò te* (inquit) *vitæ, ac mortis arbiter, oro, quæsoquè, ut quemadmodùm oblatum hunc à me cereum Sacerdos capit, sic commendatum in manus tuas hanc animam: Tu quandocumquè libuerit, tibi in sinus, complexusquè tuos benignè suscipias.* Tunc, ut erat, pullâ, fluxâquè opertus veste, humi procubuit, renovatis omnium, qui aderant, lacrymis, quasi depositus supremâ lamentatione deploratus est.

24 Quinimò ità fecisse Albertum Magnum, testatur Ferdinandus de Castello *in hist. generali S. Dominici, part. 2. lib. 3. cap. 46.* & Henricum Episcopum Ratisbonensẽ, testatur Oridus *in histor.*

25 Adhùc etiam vigere hanc consuetudinem in Hispaniâ, ait Garzias *in opere morali,* Lucas Pinellus *de Missâ, par. 2. cap. 7. dub. 3.* & Anton. Escobar. *in Theol. Morali, tom. 3. par. 1. sect. 2. lib. 2. cap. 17. Probl. 29.* Coton. *contr. celebr. lib. 2. contr. 5. cap. 2. num. 43.*

26 P. Famianus tamen, dum recitat factum à Carolo V. dicit ex authoritate Confessarii illius Imperatoris, hujusmodi funus novum fuisse inventum.

27 Cardinalis verò Pallavicinus *in* [illegible]

egre-

egregiâ hist. lib. 14. *cap.* 11. *num.* 3. utitur hoc Caroli V. facto ad ipsum vindicandum ab hæresis suspicione, in quam piissimum Imperatorem inducit falsa narratio Soavis, undè tantum abest, quod hujusmodi actio inducat hæresis suspicionem, quin, ut ipsam tollat, sufficiens reputetur.

28 Adde, quod in Sacrificio defunctorum preces, si attentè considerentur, videntur optimæ prò morituris.

Imò in fortioribus terminis celebrans Missam defunctorum prò inimico vivo, ut citiùs moriatur, non incurrit in hæresis crimen: Ghirland. *tit. de Sacrilegiis*, *quæst.* 10. ubi puniri solâ privatione officii, contendit.

Huic tamen opinioni non assentior; nam licèt fieri possit, quod aliquis adversùs inimicum moveatur ab appetitu vindictæ, attamen in hujusmodi actione adest Sacramenti abusus, & consequenter criminis atrocitas; nec abest superstitio, quia coliturDeus eo medio, quo offenditur, nimirùm vindictæ appetentiâ; adeòquè est falsus, & superstitiosus cultus, ut probat Pistach. *de superstit. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 9. *pag.* 4. ubi in
29 simili inquit, esse superstitiosum, & mortale peccatum, canere flexis genibus in Choro per determinatos dies *psalm.* 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, ad petendum contrà persecutores Ecclesiæ ultionem, saltem sub titulo divinæ justitiæ: Et hoc expressè damnatur in Concilio Toletano *can.* 7. de quo *in cap. Quicumque Sacerdotum* 26. *quæst.* 5. & ibi Cardinalis de Turrecremata, & notant Diaz *Pract. Crim. can. qu.* 40. Pac. Jordan. *lucub. libr.* 4. *tit.* 1. *num.* 476. Menoch. *de Arbitrar. cas.* 388. *num.* 15. Cucch. *Instit. Canon. lib.* 5. *tit.* 6. *num.* 76. Tancred. *de Religion. tract.* 2. *lib.* 2. *disput.* 8. *sub n.* 17. Et licet in supradicto Concilio comminetur pœna exilii, & depositionis, tamen hæc pœna corporalis non impedit, quin delictum non censeatur generare suspicionem in fide, quam inducere, dixit, vigore dicti Concilii Toletani, Hurtad. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 1177. & 1182. *tom.* 1.

Quò verò ad Sacramentum pœnitentiæ, nullus videtur posse committi abusus superstitionis de hæresi inductivus, si illud non debito tempore conficiatur.

30 Tandem quò ad Sacramentum Matrimonii dicitur, illud non debito tempore confici, quoties contrahantur nuptiæ antè legitimam ætatem, sed hoc casu nulla incurritur hæresis suspicio; nam super hoc nihil definitum est de fide; Imò de jure naturæ nulla ætas matrimoniis contrahendis constituta est, nec potentia coeundi ab ætate desumitur: Siquidem de puero quodam
30 novennio, qui nutricem suam prægnantem reddidit, testatur Divus Gregorius, & habetur apud Fagnan. *cap. de illis* 2. *numer.* 2. *de Despens. Impub. pag. mihi* 27. Cæl. *antiq. lect. lib.* 14. *cap.* 8. Menoch. *de arb. jud. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 57. *num.* 33. ac in tali ætate Pharem filium Judæ genuisse, firmat Petr. Gregor. *Syntagmat. jur. lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 9. ubi addit, quod Achaz decennis Ezechiam procreavit, sicut de Salomone, quod in undecimo ætatis suæ anno Roboam genuit, quæ & etiam alia exempla referunt Tiraquell. de *legib. connub. lib.* 6. *n.* 37. & De Justis *de Dispensation. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 58.

32 Nec hoc tantùm sibi locum in maribus obtinet, cum mulieres Paleæ habitantes sex annos natę pariant: Plin. in *Nat. hist. lib.* 7. *cap.* 2. & refert De Justis *de dispensation. loco suprà citato*.

33 Et quamvis, eò quòd pubertas in fæminâ ut plurimùm contingat in duodecimo anno absoluto, & in masculo in decimoquarto, jura aptando dispositionem ad quæ frequentiùs accidunt, proindè præfixerunt hujusmodi tempus matrimoniis contrahendis: Fagnan. *ibid. numer.* 15. *& seqq.* & Pignatell. *consult. tom.* 10. *consult.* 11. *num.* 38.

Nihilominùs nullum exindè resultat motivum, ut nobis persuadeamus, incurri aliquam suspicionem, si antè eam ætatem contrahatur matrimoniũ: Siquidem, vel contrahentes habent usum rationis, vel non; si habent, cum possit Ecclesia dispensare, ut antè hanc ætatem contrahant, quoniam impotentia non est perpetua, dummodò impuberes sint doli capaces, fateri oportet, quod

quod hujusmodi contractus non opponatur fini primario Sacramenti, & consequenter nulla suspicio incurratur, licet absquè Sedis Apostolicæ dispensatione contrahatur; tantò minùs, quia talis contractus non habet fundamentum in hæresi: Si verò non habent usum rationis, clarum est, quod nullam incurrant hæresis suspicionem, cum ad hunc, præter alia, quæ in hoc casu minimè concurrunt, requiratur lethalis culpa, pròut suprà stabilivimus: At si Ecclesia, quoties contrahentes carent usu rationis, minimè dispensare potest; nam in ipsis non potest esse consensus necessarius ad conficiendū Sacramentū Matrimonii: Fagnan. *loc. cit. num.* 27. 28 & 29. quomodò igitur peccare possunt. per illud Matrimonium, quod sinè consensu contrahunt?

34 Sed nè diutiùs in re adeò clarâ immoremur, hìc solum obiter advertimus, Sedis Apostolicæ dispensationem quò ad contrahentes antè legitimam ætatem, dummodò sint doli capaces, esse tantummodò necessariam ad vitandum periculum nullitatis matrimonii, ideòquè hucusquè peti consuevit, etiam si Ordinarius haberet urgentissimam causam dispensandi: Verùm si probetur adesse potentia coeundi, quę in Puellâ satis probatur, juxtà Fagnan. de quò *suprà, n. 36. usquè ad n. 43. inclusivè*, ex menstruis, maximè si orti sint pili, sufficit licentia Ordinarii, quarè Fagnan. *loc. cit.* affert responsum Gregorii XIII. datum petenti hujusmodi dispensationem, nempè vel nec Pontificem esse interpellandum, si desit malitia, quam D. Thomas appellat vigorem naturæ, & rationis; vel Episcopum sufficere, si adsit: De Justis *de dispensation. d. lib. 3. cap. 8. à num. 52. usquè ad 55.*

SUBSECTIO VI.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitas cæremonias.

SUMMARIUM.

1 *Abusus in non debitis cæremoniis potest tantùm contingere in Sacramentis Eucharistiæ, & Matrimonii.*

2 *Abusus circà cæremonias Sacramentorum tripliciter occurrit.*

3 *Primus modus est, non debitas adhibere cæremonias: Hic contingit, quandò in Missâ recitantur preces nefandæ, & turpes.*

4 *Secundus modus est, quandò ex contemptu cæremoniæ omittuntur, qui abusus favet Hæresi Calvini, & Lutheri, & num. 5.*

6 *Sacerdos, qui in conficiendâ Eucharistiâ Sacras vestes respuit, est de hæresi suspectus.*

7 *Incurrit suspicionem, qui vasa sacra in Sacrificio damnat, sivè aurea, sivè argentea.*

8 *Vasa aurea, & argentea primis seculis Christianitatis fuerunt in Ecclesiâ.*

9 *Prisca Ecclesia Christiana vilia vasa in celebratione Sacrificii Missæ adhibuit.*

10 *Dictum notabile S. Bonifacii Martyris, & S. Hieronymi de S. Exuperio, de Calicibus in viliori materiâ.*

11 *Græcorum avaritiâ in hoc.*

12 *Abusus vasorum vilium in Sacrificio observatus in Maronitis.*

13 *Ornamenta Templorum negligenda, ut pauperibus succurratur.*

14 *Græcorum irreverentia circà materiam Consecrationis, & attrectationem Corporis, & Sanguinis Christi.*

15 *Suspectus est de hæresi, qui in celebratione Sacrificii Missæ negat, cereos esse adhibendos, qui fuere semper in usu, & ex præcepto Melchiadis.*

16 *Honorius V. officio Sacerdotali privavit Sacerdotem, qui Missam sinè cereis celebravit.*

17 *Suspicio hæresis in non adhibente ad Missam cereos, fundatur in hæresi Vigilantii, qui dictum usum impugnabat.*

18 *Remoto contemptu, plures cæremoniæ omissæ in Missâ non inferunt hæresis suspicionem.*

19 *Contemptus debet patere, & quomodò?*

20 *Ecclesia cur irritavit matrimonia, quæ celebrantur sinè Parocho, & testibus?*

21 *Ecclesia potuit irritare Matrimonium celebratum sinè Parocho, & testibus.*

22 *Si quis contraheret Matrimonium sinè Parocho, & testibus, nullam incurreret*

ret hæresis suspicionem, & cur.

23 *Non sufficit Parochus Hæreticus ex declaratione Sac. Cong. Concilii.*

24 *Secùs tamen decrevit Sac. Congregatio S. Officii circà Orientales Schismaticos vi Extravagantis Concilii Constantiensis.*

25 *Sustinetur hæc Extravagans prò Orientalibus, explicatâ Constitutione Pauli IV.*

26 *Quomodò in Parochis Orientalibus schismaticis adsit jurisdictio prò assistendo matrimoniis?*

27 *Maronitæ possunt adire Schismaticorum Ecclesiam ad Missam audiendam.*

28 *Tertio casu Sacramentum non debitis cæremoniis conficitur, si ea, quæ voce submissâ sunt dicenda, clarâ voce dicantur.*

29 *Eodem modo delinquit, qui linguâ vernaculâ Missam celebrat.*

30 *Qui tali linguâ Missam celebrat, est de hæresi suspectus, & suspicio oritur ex opinione Hæreticorum asserentium, Divina officia linguâ vernaculâ esse celebranda.*

31 *Præter linguam latinam, sunt aliæ linguæ, in quibus celebrari potest; sed non in linguâ Gallicâ.*

32 *Non licet in regione Infidelium patrio ipsorum idiomate celebrare prò faciliori eorum conversione.*

33 *Sacra Scriptura, etiam vulgari idiomate evulgata, non intelligeretur.*

34 *Hæretici contendentes, sensum Sacræ Scripturæ non esse obscurum, ejus interpretationem permittunt mulierculis, & idiotis contrà Apostoli monitum.*

35 *Quâ ratione mulieres possint interpretari loca obscura S. Scripturæ? exempla afferuntur.*

36 *Loca Scripturæ, quibus aliqui Hæretici, ea non intelligentes abusi sunt.*

37 *Sarcasma S. Basilii in coquum Valentis Imperatoris.*

38 *Tridentinum Concilium prohibuit, ne linguâ vernaculâ Divina Officia celebrentur.*

39 *Mysteria divina vulgo prophano non sunt facienda communia.*

40 *Difficile est reperiri, qui rectè possint sacras paginas vertere.*

41 *S. Hieronymus propter suam translationem, multas contrarietates sustinuit, & cur eam edidit?*

42 *Si Scriptura Sacra esset translata in linguas Nationum, non possent à Pontifice declarari dubia circà eas occurrentia.*

43. *Ecclesiæ consuetudo respuit hujusmodi vernaculas translationes, quæ tantummodo in tribus linguis Græcâ, Latinâ, & Hebraicâ consuevit semper celebrare.*

44 *Gregorius VII. denegavit Duci Boemo facultatem celebrandi Divinum Officium linguâ Sclavonicâ.*

45 *Dictam facultatem concessit posteà Innocent. VIII. justissimâ causâ urgente.*

46 *Sancti Missionarii in Asiâ nunquàm curarunt, ut eorum linguis celebraretur.*

47 *Permittere celebrationem in linguâ vernaculâ est adversari Ecclesiæ consuetudini, & hæreticis favere.*

48 *Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. videtur statuere celebrationem divinorum Officiorum secundùm varietatem linguarum.*

49 *Missalis Gotticus illæsus ab igne, licet inter flammas conjectus fuerit.*

50 *Apostoli variis linguis fidei mysteria tradiderunt, sed hæc historia falsitatem redolet, & cur? & num. 51.*

52 *Varietas versionum non expedit, sed aliquandò admitti potest causâ conversionis infidelium.*

53 *Ritus Mezarabus prædicto motivo fuit introductus in Hispaniâ.*

1 QUONIAM in conficiendo pænitentiæ Sacramento nulla cæremonia, nullusvè ritus præscribitur, idcircò abusus, qui committitur, eò quià in conficiendo Sacramento non servantur debitæ cæremoniæ, contingere non poterit, nisi vel in Sacramento Eucharistiæ, vel in Sacramento Matrimonii.

2 Hujusmodi autem abusus tripliciter incurritur, scilicet si Sacramentum conficiatur, vel non debitas cæremonias adhibendo; vel debitas omittendo; vel debitas, diverso modo, quàm communis Ecclesiæ ritus postulat, admittendo.

3 Primo casu dicitur quis conficere Sacramentum non debitis cæremoniis,

qui in sacrificio Missæ nefandas, & turpes preces recitat, ut de eo Sacerdote, qui captus amore cujusdam puellæ, nomine Claræ, in suis precibus illam nominabat cum titulo Sanctæ Claræ: Griland. *de sortileg. q.* 17. Menoch. *de arbitrar. cas.* 388. *num.* 15. Farinac. *de Hæresi, qu.* 20. *num.* 109. Pac. Jordan. *elucub. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 473. *tom.* 1. Hic autem abusus reducitur ad sortilegium amatorium, ideoquè inducit suspicionem hæresis, per ea, quæ tradit Jordan. de quo *suprà*; & eò vehementiorem, quò major est hæreticorum impudentia deridentium nostras cæremonias, quas spernendas, & uti impietatis irritabula, non pietatis officia, dixit impius Lutherus *in lib. de capt. Babylonic. cap. de Eucharistiâ*.

4 Secundo casu quis dicitur conficere Sacramentum non debitis Cæremoniis, qui ex contemptu omittit aliquam cæremoniam: Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 57. *num.* 1182. Videtur enim convenire cum Calvinistis, quorum iniquus Author *in lib.* 4. *instit. cap.* 17. §. 43. omnes Ecclesiæ cæremonias, quæ adhibentur in celebratione Missæ, execratur; & quia non audet earum antiquitatem impugnare, eas rubiginem Cænæ Domini appellat: Undè Transmiera *de denunciat. quæst.* 4. *cap.* 5. dicit, revelandum esse Sacerdotem, qui oblitus consecrare hostiam imponendam in Orationibus Quadraginta horarum, conficit Corpus Christi, sinè Missæ celebratione, cum sit de hæresi suspectus. Videtur enim (sunt ejus verba) approbare errorem hæreticorum, Missæ cæremonias, ac ritus reprobantium.

5 Videtur etiam convenire cum Luthero, qui *in lib. de capt. Babyl. cap. de Eucharistiâ*, scribit, Missam eò magis esse christianam, quò est simplicior, & similior Missæ Christi, in quâ nulla fuit vestium, gestuum, cantuum, aliarumquè cæremoniarum pompa: Quamvis subjungat, non esse proindè totam Ecclesiam damnandam, quæ his cæremoniis missam ornavit, dummodò adsit fides particularis, quod remissæ sint culpæ; aliàs easdem Cæremonias, ait, esse irritabula impietatis.

6 Ex jis infertur, suspectum esse de hæresi, qui respuit in conficiendo Eucharistiæ Sacramento vestes sacras, quibus utuntur Sacerdotes, juxtà ritum ab Ecclesiâ præscriptum, tùm ad reverentiam mysterii; tùm ad ipsam Christi passionem repræsentandam, ut benè ait Bellarm. *de Missâ, lib.* 2. *cap.* 14. Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib.* 1. *cap.* 69. quarum vestium antiquitas demonstratur contrà Calvinum à Saussay. *Panopl. Sacerdotal. lib.* 6. eamquè testantur Martene *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 1. *num.* 8. *& seqq.* Juenin. *de Sacramentis, tom.* 1. *quæst.* 8. *cap.* 5. *pag.* 468. *col.* 1. *post medium*, & Dominicus Macrus *in Hierolexicon*, ubi, quod Apostoli Sacris vestibus celebraverint, pròut etiam refert Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 11. & earumdem usum Clem. I. decreto suo ordinavit, ut habetur ex *lib.* 8. *constit. ejusdem S. Clementis*, & refertur *in ejus vitâ*.

7 Similiter de hæresi suspectus censetur, qui cum Calvino vasa aurea, seù argentea in sacrificio Missæ damnat; Sanè Calvino, suisque Sectatoribus prælusit Judas: Dum enim illi Ecclesias suis ornamentis spoliatas volunt sub prætextu alendi pauperes, quorum nulla eis cura, non aliud intendunt, nisi cum Juda Magdalenam increpante de effusione pretiosi unguenti exclamare: *Ut quid perditio hæc? poterat enim istud unguentum venundari multo, & dari pauperibus*, prò ut observavit Jacobus Gualt. *in Collat. errorum primi Seculi*,

8 *cap.* 3. Decipiuntur planè Sectarii; nam argentea, & aurea erant in Ecclesiâ vasa ad usum Sacramentorum tempore S. Urbani Papæ, qui vixit *anno Domini* 230. teste Damaso *in ejus vitâ*: Tunc enim, sicut considerat Spondanus *ad annum Christi* 233. *n.* 2. divino cõsilio regale Christi Sacerdotium cæpit coruscare, quandò Gentilium superstitio eâ in re decrescere incipiebat, nam, sedente S. Urbano, & imperante Alexandro Mammeę filio, in templis Gentilium parum argenti, & nihil auri inveniebatur; & si quid residui erat, expilavit Maximinus Thrax Imperator illius successor. Imò Cardinalis Bona *Rer. liturgicar. lib.* 1. *cap.* 25. contendit, verisimile esse, Apostolos usos fuisse calicibus, qui pretioso ex metallo constarent, idquè ex eo coniicit, quod fidelium

obla-

oblationibus pretiosa vasa comparare potuerint, ut quoquè advertit Juenin *loco cit.cap.4. pag. 463.* Quin calice argenteo usum fuisse Dominum in Sacræ Eucharistiæ institutione, probant Saussay *Panopl.sacerdotal.par.1. lib.8.cap.10. art.2.* §.9.& Martene *de antiq.Eccles.ritib.par.1.cap.3. art.6.n.13.*

9 Verumtamen non est contendendum, priscam Ecclesiam in Sacrosancti Sacrificii celebratione exhibuisse Vasa ex viliori materiâ, pròut, cæteris omissis, probat Ziegler *de Diacon. & Diaconiss. veter. Eccles. cap.8.num.29.*Saussay *in panoplia Sacerdotal.loco proximè citato,* Bona *rer. liturgicar. lib.1.cap.25.*Habemus namquè, Zephirinum Papam ineunte seculo tertio statuisse, ut consecratio Divini Sanguinis in vitreo vase fieret, non autem in ligneo, ut anteà

10 fiebat. Hinc in Concil.Triburien.refertur, S.Bonifacium Martyrem dixisse, quod olim Sacerdotes aurei celebrabant in Calicibus ligneis, nunc verò Sacerdotes lignei celebrant in Calicibus aureis: Sic S.Hieronymus *in Epist. ad Rusticum*, loquens de S. Exuperio Episcopo Tholosano, dixit, nihil Exuperio divius,qui Corpus Domini in Vimineo Canistro, & Sanguinē portat in Vitro: Tamen hodiè benè statuit Ecclesia, hæc Sacra Uasa ex auro, argento, & pretiosiori materiâ conflari, ut prosequitur Martene *loco citato*, Saussay de quo *suprà*, *cap.8.* & Divus Bernardus in suâ Ecclesiâ Claræ vallensi,adeò paupertatis amans, respuit omnia ornamenta aurea, & argentea: tamen Calicem non alio inferiori metallo patere voluit, quàm argenteo, pròut refert Saussay *Panopl.sacerdotali, cap.10.§. 9.art.2.lib.8.par.1.*

11 Præfatam Calvini falsam opinionem amplectuntur Græci, non quidem, ut ipsi adhæreant; sed ut avaritiæ indulgeant: Ipsi enim in vilissimâ ligneâ thecâ, valoris vix unius Julii,Eucharistiam servant, quod se vidisse testatur P.Vericell. *de Apostol.Mission.tit.8.qu.136.*

12 Hujusmodi abusus observatur quoquè in Maronitis à Hieronymo Dandino *in Itin.lib.1.cap.26.* & proscribitur in Synodo coram eo celebratâ in Monte Libano; Idcircò non increparet hodiè D.Chrisostomus hos Orientales, ut olim *in hom. 51. in Matth.* illis verbis: *Quænam utilitas est, si cum Mensa hæc multis Calicibus aureis ornatur, ipsemet pauper inediâ pereat?* sed utinam Orientales non ex avaritiæ, sed ex pauperum affectu hujusmodi ornamenta negligerent.

13 Nullus est enim inter Catholicos, qui non sentiat, ornamenta Templorum esse negligenda, ut cura pauperum habeatur, quandò utrumquè præstari nequit: Merbes. *in summ.Christian. dissert.3.par. 3. qu.51. quæstiunc.1.* Ideò Joann.IV. Summus Pontifex Sacra Vasa distraxit ad captivos redimendos, ut legitur *in ejus vitâ*. Id ipsum alii Sancti præstiterunt ad pauperes alendos, ut passim legimus in sacris historiis.

14 Ulteriùs etiam progreditur Græcorum irreverentia; Nam ipsi consecrant micas nigri, ac furfuracei panis; integras species tundunt, ac Sancto oleo miscent, ipsasquè coquunt, quod prohibuit Clemens VIII. *anno* 1595. *in superiùs laudatâ instructione ad Episcopos Latinos*; Liturgiam celebraturi, ut ait Arcudius *de concordiâ Eccles. Occid. & Orient.lib.3.cap.60.& lib.4.cap.21.*fermè nunquàm confitentur, de quibus omnibus agit etiam Verricell. *de Apostolic. Mission. tit.8.qu.136. num. 13. & 14.* & quòad omissionem confessionis habemus, ab Eugenio IV. requisitos, an celebraturi peccata confiterentur, nihil aliud respondisse, quàm quod super hoc articulo non erant in Concilio disputaturi, ut ex Azorio refert Pac.Jordan.*lucubr.tom.1.lib.4. tit.1.nu.17.* Tandem summâ irreverentiâ attrectant illud sacratissimum Corpus, cumquè venerandum sanguinem: Arcud. *de Concord.dict.cap.60.*nam accepto pane consecrato strictè in manu, manum cum Eucharistiâ imponunt Capiti, puto,honoris, ac venerationis gratiâ; tùm recitatis aliquot precibus, Eucharistiâquè consumptâ, Manum Capiti admovent, ibiquè abstergunt: Nequè dubium est, ut prosequitur idem Arcudius, quin sæpenumerò micæ adhereant, ac remaneant: In potu verò sanguinis non verentur statim os abstergere manu, seù linteolo, quasi de communi vino biberint: Imò verò, cum

Nn 2 val-

valdè nutriant barbam, nequè unquàm Mystaces tondere patiantur, non raro guttæ sanguinis ex Mystacibus, vel super ipsum sacrum ornatum, vel super Altare, vel etiam quandòquè in Terram cadunt.

15 Non mirùm ergò, si Græci tot miseriis vexentur, ac sub jugo adeò Tyrannico premantur: Deus honorem suum vindicat; atquè severè plectit, qui ei non debitum cultum tribuit: sicut è contrà felices reddit eos, qui ipsum venerantur, præcipuè in hoc Sacramento.

16 Infertur etiam, suspectum esse illum, qui in conficiendo eodem Eucharistiæ Sacramento pertinaciter contendat, non adhibendos esse cereos, qui semper in usu extiterunt apud Catholicos: Merbes. *in summâ Christian. dissert. 3. par. 3. qu.* 51. eosquè in Missâ decreto suo Melchiadem Pontificem præcepisse, testantur Authores ejus vitæ; nimirùm ad denotandum populum hebræum cū gentili per Christum illuminatos: Meritò proindè ritus iste sub gravi præcepto receptus est, nam qui absquè lumi-

17 ne celebravit, ab Honorio Tertio privatus est officio Sacerdotali, ut refertur *in cap. final. de celebrat. Missæ*, & ibi præ ceteris notat Gonzalez; Vasquez 3. *part. disp.* 233. *cap.* 3. *num.* 25. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 6. Fagundez *in præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 15. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 7. *num.* 196, Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. ult. par.* 9. *num.* 31. Cardinal. de Lug. *disp.* 20. *de Eucharistiâ*, *sect.* 2. *num.* 77 Pasqualig. *de Sacrificio novæ legis*, *tract.* 1. *quæst.* 722. Casal. *de veter. Christian. ritib. cap.* 6. *fol.* 67. ac etiam expressè statuit Concilium Frisingense sub Eugenio IV. quod Missarum solemnia nemo sinè luminibus celebrare præsumeret, quem usum adfuisse usquè de tempore Apostolorum, docent Bona *rer. liturgicar. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 7. & ejus necessitas in Missæ Sacrificio desumitur ex Concilio Tarraconensi, & Frisingensi celebrato *anno* 1440. relat. per Gonzalez *in d. cap. Litteras circà finem. de celebrat. Missar.*

18 Reatus suspicionis fundatur in eo, quod videretur sentire ille cum Vigilantio Hæresiarchâ, qui præfatum usum impugnabat, contrà quem peculiarem librum scripsit S. Hieronymus, ubi eumdem Dormitantium appellat; ait enim S. Hieronym. *Nos Sole rutilante cereos accendere, dum legitur Evangelium ad signum lætitiæ*: Sicuti etiam in hac parte novissimè claudicavit Dupin, quem tamen audio, palinodiam cecinisse: Non eò pervenit Græcorum phylargia, ut celebrarent sinè lumine, licèt ab ipsis asservari in plurimis Ecclesiis absquè lumine Sacram Eucharistiam, testetur Verricell. *loco cit. num.* 13. causâ tamen necessitatis urgente celebrari posse absquè lumine, tenuit Pasqualig. *de sacrif. Missæ, ubi suprà, qu.* 725.

19 Pariter eâdē ratione suspectus erit, qui contemneret cæremonias in sacro conficiendo, sivè illas, quæ referuntur ad Deum, ut est elevatio manuum, oculorum, & inclinatio Corporis, aut genuum incurvatio: Remoto tamen contemptu, horū rituum omissio esset tantùm gravis culpa, prout dixerunt Anton. Escobar. *in Theol. Moral. tom.* 3. *par.* 1. *cap.* 23. *Probl.* 105. Scortia *de Sacrificio Missæ, lib.* 2. *cap.* 18. Sivè illas, quæ referuntur ad sacrificium, ut oblatio hostiæ consecrandæ, ostensio ipsius consecratæ, fractio, & comestio; sivè illas, quæ referuntur ad Sacerdotem, ut tunsio pectoris, & lotio manuum; sivè illas, quæ referuntur ad populum, ut salutatio, & dimissio, de quibus omnibus eruditè Bellarmin. *loco cit.*

20 Sed intelligendum, si pateret contemptus, & prava opinio adversùs Ecclesiæ Catholicæ ritus ex pluribus resultans, & maximè ex reiteratis actibus, cęterisquè suspicionis causis, de quibus *in prælim.* At quoties non pateret hujusmodi contemptus, non adeò rigorosè damnandus esset, qui prædictas cæremonias omitteret: Posset enim hic defectus tribui ignorantiæ, vel incuriæ; Idem dicendum de illis, qui in conficiendo Matrimonii Sacramento ejus cæremonias omitterent, licet ipsæ ab hæreticis derideantur: Præsumendum enim, has cæremonias non negligi ad consentiendum hęreticorum erroribus: imò licitè hodiè omitti possunt hujusmodi Sacramenti ritus, qui non sint essentiales, de quibus loquitur Bellarm. *de Matrim. cap. fin.* Nec obstat *can.* 11.

Con-

Concil. Trid. sess. 24. quia ibi contemnentes, non verò omittentes anathemate plectuntur.

21 Inter essentiales verò Matrimonii ritus, quos Ecclesia præscribit, principem sibi locum vindicat contrahere coram proprio Parocho, & duobus testibus: Irritavit enim Ecclesia ea matrimonia, quæ imposterùm sinè hujusmodi ritu contrahenda forent, cum si ille omitteretur, non posset constare de vero Matrimonio; Conjuges novas nuptias ad libitum inire possent, primarum tædio affecti; & si super hoc Ecclesia consuleretur, hęc, quia juxtà allegata, & probata procedere deberet, quandoquè matrimonio adulterii notam inurere cogeretur; proindequè fides maritalis frangeretur; dissentiones inter affines orirentur, ægrè ferentes, sorores, vel filias à pellicibus expelli (non sinè maximâ, & irreparabili injuriâ ob amissam virginitatem) & illegitimos filios legitimis præferri, pròut benè ponderavit Cardinalis à Lotharingia in Trid. Synodo, teste Eminentissimo Pallavicino *in hist. lib.* 22. *c.* 4. & quemadmodùm, eodem Pallavicino narrante, in praxi evenire asservit in dictâ Synodo P. Zamorra Minorum Observantium Generalis.

22 Nec ambigendum, potuisse Ecclesiam prohibere matrimonia, in quibus supradictus ritus servatus non fuerit, ipsa declarando irrita: Nam si antequàm Matrimonium elevaretur in Sacramentum, poterant à Republicâ leges constitui, quibus non observatis, ipsum Matrimonium esset penitùs nullum; anne credi debet, elevationem hujusmodi contractus ad excellentiam Sacramenti Ecclesiæ ità præjudicasse, ut tot malis, quæ contrà ipsum Sacramenti finem ingruebant, eliminandis non sufficeret? De hac re videri poterunt Landmet. *lib.* 2. *de vetere clerico*, *cap.* 10. Bellarm. *tom.* 2. *controv. lib.* 28. *tit.* 33. Covarr. *de Matrim. cap.* 6. *à num.* 20. Diana *tom.* 3. *tract.* 1. *Resol.* 91. latè Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disput.* 1. *&* 2.

23 Si quis tamen contrahens Matrimonium omitteret hunc ritum, non incurreret hæresis suspicionem; nam cum propter illius neglectum irritetur Matrimonium, nullus videtur adesse Sacramenti abusus, ubi nullum Sacramentum reperitur ex defectu consensus (ut superiùs stabilivimus) qui non præsumitur, stante omissione hujusmodi ritus voluntariâ, & tali pacto contrahentes videtur potiùs velle explere libidinem, quàm castis nuptiarum vinculis innodari. Hæc autem intelligenda sunt prò illis, qui degunt in regionibus, in quibus publicatum sit Concilii Tridentini decretum *de Reformatione Matrimonii*, *sess.* 24. *cap.* 1. & post diem publicationis, lapsi fuerint triginta dies, ut obseruat Fagnan. *in cap. quod à Prædecess. n.* 77. *&* 82. *de Schismat.*

Prò commorantibus verò in aliis Regionibus, in quibus publicatam non fuerit prædictum decretum, erit Matrimonium validum; nec hujusmodi ritus omissione præsumi poterit contemptus, vbi non adest obligatio eumdem ritum non omittendi.

24 Sed dubitari contingit, an satis serventur matrimonij ritus substantiales, si contrahatur coram Parocho Achatolico: Sacra Congr. Concilii in unâ Venetiarum respondit *primâ Decemb.* 1696. negativè, declarans invalidas nuptias, quæ Amstelodami contraxerant Catholici coram Parocho Achatolico, eâ ratione, nam talis Parochus omni caret Jurisdictione, & consequenter non est verè Parochus, ut docet Fagnan. *de quo suprà*, qui tamen cautè legendus, dum loquitur de Orientalibus Schismaticis. Etenim sæpè sæpiùs Sacra universalis Congregatio declaravit va-
25 lida Matrimonia in hujusmodi locis coram Parocho Achatholico contracta, licet ibi publicatum sit Tridentin. Decretum: Virtute enim *Extravagantis ad evitanda* Concilii Constantiensis sub Martino V. Parochi hæretici, dummodò non sint nominatim denunciati, non privantur Jurisdictione, ut benè ait Azor. *Instit. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *qu.* 12. At cum hæc Extravagans extendatur ad Orientales, quemadmodùm probat Verricell. *tit.* 3. *qu.* 85. *num.* 2. *de Apostol. Mission.* sequitur, quod allucinetur Fagnanus.

26 Nec dicatur, hujusmodi Extravagantem fuisse revocatam à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quia in eâ parte Concilium prædictum consuluit

suluit particulariter Regno Galliæ, non verò toti Ecclesiæ. Sic pariter Constitutio Pauli IV. obesse non potest, quia Constitutiones onerosæ, in quibus non fit mentio de Orientalibus, ad ipsos minimè extenduntur, quia cum Pontifices velint cum illis benignè agere, ac suaviter ad obedientiam Sedis Apostolicæ reducere, non est dicendum, quod eos velint cogere ad novas leges onerosas: Verricell. *dict. qu.* 85. *num.* 2.

27 Eâdem facilitate respondetur objecto, quod scilicet hujusmodi Parochi careant Jurisdictione, utpotè quià eam habuerunt à Patriarchis, quibus nulla est Jurisdictio; nec à Sede Apostolicâ tolerantur, nàm ab eâ creantur Patriarchæ Latini: Eâdem, inquam, facilitate satisfit huic objectioni ab Arcudio *de concord. Eccles. Orient. & Occident. lib.* 4. *cap.* 5. ubi ait, Eugenium IV. antè unionem, Josephum Patriarcham Constantinopolitanum, tanquàm verum recepit, & post unionem, Patriarchæ à Summis Pontificibus ad Concil. Trid. invitati fuerunt: Imò Gregorius XIII. ad ipsos, utpotè veros Patriarchas, misit Nuncios cum literis de suspiciendâ Kalendarii emendatione.

28 Cum Fagnano allucinatur quoquè Pignatellus *to.* 8. *consult.* 84. ubi ait, debere Missionarios consulere Maronitis, ut sinè Missâ potiùs permaneant, quàm Ecclesiam Schismaticorum adeant, quoniam, cum isti sint excommunicati, non possunt Maronitæ cum eisdem cõmunionem habere in divinis absquè peccato mortali: Ità Pignatellus, sed malè, ut liquet ex supradictis, & ex infrà dicendis.

29 Tertio casu dicitur confici Sacramentum non debitis Cæremoniis ab eo, qui recitat submissâ voce ea, quæ altâ proferenda sunt: Hurtad. *dictâ Resol.* 57. *à numer.* 1185. quamvis Baldell. *de Superstit. lib.* 4. *disp.* 1. *num.* 5. dicat, hunc posse excusari à peccato mortali ex levitate materiæ, & eò magis ab hæresis suspicione.

30 Similiter dicitur prędicto modo conficere Sacramentum, qui Missam celebrat linguâ vernaculâ, seu palàm, seù clàm, seù quâcumquè occasione, cum habeamus prohibitionem Sac. Concil. Trid. *Sess.* 22. *can.* 9. Bellarm. *lib.* 1. *de miss. cap.* 2. Sotus *lect.* 15. *de cærem. miss.* Azor. *Instit. moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 6. Bonac. *disput.* 4. *de Sacram. qu. ult. punct.* 9. *num.* 36. Bartholom. ab Angelo *dial.* 5. *da missâ, num.* 36. Pasqualig. *de Sacrificio Novæ legis, tract.* 1. *quæst.* 222. Raguccius *de missâ in Eccles. qu.* 41. *num.* 2. Bona *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Pac. Jordan. *lucubr. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 333. Merbes. *in summâ Christianâ, dissert.* 3. *par.* 3. *qu.* 54. Hurtad. *var. resol. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 1184. *tom.* 1. ubi

31 talem ait esse suspectum de Hæresi: Hæc quidem suspicio oritur ex Hæreticorum opinione, videlicet Brentii *confess. Witembergh. cap. de horis canonicis*, Calvini *lib.* 3. *Instit. cap.* 20. §. 33. Kemnitii *in exam.* 4. *Sess. Concil. Trident.* aliorumquè hæreticorum nostri temporis, qui asserunt, verba Sacræ Scripturæ, divinum officium, & Sacrificium vulgari linguâ esse proferenda, & peragenda, quorum rationes ponderant, ac refellunt Bellarm. *lib.* 2. *de Verbo Dei, cap.* 15. *&* 16. Suarez *in* 3. *part. to.* 3. *disp.* 83. *sect.* 1. *vers. Tertiò probalitèr*, Sixtus Senensis *in Bibl. lib.* 6. *cap.* 263. Ekius *tit.* 37. *locorum communium*, Hossius *dialogo de sacro vernaculè legendo*, Salmeron. *to.* 9. *tract.* 32. Suarez *disp.* 83. *sect.* 1. Scortia *de Sacrificio missæ, lib.* 2. *cap.* 12. Pasqualig. *de Sacrif. novæ legis, tom.* 1. *qu.* 222. Ambrosius Catharinus Politus *in tract. peculiari de Sacræ Scripturæ translat. in linguam vulgarem*, Albit. *de Iconst. in fide cap.* 34. *à nu.* 40. ac novissimè P. Natalis Alex. *in suâ hist. Ecclesiast. in seculo* 15. ubi sermonem habet de Sacro Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. *can.* 9.

32 Animadvertendum tamen est, quod præter linguam latinam, adsunt aliæ linguæ, quarum idiomate celebrari potest: Præter ipsas, illicitum est; imò dubitatum fuit, an esset prohibita Sacræ Scripturæ translatio in linguam Gallicam? & affirmativè resolvit Sacra Congr. Concilii, de quâ re Pasqualig. *citatâ quæst.* 222. Quin Alexand. VII. cum in Galliâ inter Jansenistarum opera excussum fuisset Missale linguâ Gallicâ, *die* 7. *Februari* 1661. Brevi speciali interdixit ejus impressionem, lectionem, & retentionem sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ: Innoc. III. quoquè reprehendit

hendit Abbatem Cisterciensem, quod Canonicos libros Gallicè translatos Laicis, & Mulieribus permiserit.

33 Sed quæri potest, an liceat celebrare in aliquâ Infidelium Regione, patrio Idiomate prò faciliori eorum conversione?

Hanc quæstionem ego resolverem negativè cum Juenin. *de Sacramentis*, *tom.1.quæst.8.cap.7.pag.472.col.1.antè medium*, Verricell. *de Missionibus*, *tit.8.qu.140.*

Primò, quia non potest adesse necessitas evulgandi res, quas pauci percipere possunt.

Secundò, quia Majestas tanti Sacrificii odit prophanum vulgus.

Tertiò, quia difficile est reperiri, qui rectè possint sacras paginas vertere.

Quartò, quia non possent à Pontifice declarari dubia, quæ orirentur penès eas Nationes, quarum linguis translata essent sacra biblia.

Quintò, quia Ecclesiæ consuetudo respuit hujusmodi translationes.

34 Diximus, quod non possit adesse necessitas evulgandi res, quas pauci percipere possunt; nam etsi Sacra verba materno idiomate recitarentur, populus non intelligeret Psalmos, Prophetas, & alia Mysteria, quæ in sacris eloquiis continentur, ut benè adversùs Kemnitium, ponderat Lupus *de Sanct. Inquisit.par.4.lib.26.dist.4.artic.1.diff.3.* Quarè si hæretici vellicant nos Catholicos, penès quos non vernaculâ linguâ publicè leguntur, vel canuntur Sacra Officia, eâ ratione moti, quod Populus illorum sensum non percipiat, detrahunt ipsius Sacræ Scripturæ Authori, qui obscurè loquutus est: Scortia *de Sacrificio Missæ*, *lib.2. cap.12.* quia noluit eam ab omnibus intelligi, sed genuinam ejus interpretationem Apostolicæ Cathedræ tradidit; & ideò mirum non est, si discipuli in Emaus euntes, non intellexerunt Moysen, nec Prophetas, nisi Christus illos intetpretatus fuisset: *Luc.23.* Sic Eunuchus Reginæ Ethiopum, qui rogatus à Philippo, an perciperet Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit:

Quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi?

35 Hæretici tamen contendunt, non adesse in Sacrâ Scripturâ sensum aliquem obscurum, & proindè omnibus etiam Laicis, & Mulierculis interpretationem permittunt, contrà illud Apostoli 2. *Docere Mulieri non permitto*: Imò jactant, se Timothei exemplum sequi, eò quia Gardius Lutheranus tradit, Timotheum didicisse Sacram Scripturam à Matre, & ab Aviâ; sed hoc falsum esse, demonstrant illa Apostoli verba ad Timotheum 2. *cap.1.* *Formam habes sanorum verborum, quæ à me audisti in Fide*: ut apud Beccan. *de Controv. lib.1.cap.1. qu.7.* Lipoman. *de Dogmat. Cathol. in pag.23.26. &c.*

36 Et de facto, si Mulieres, ac Idiotæ essent interpretes, nonnè crederent, Davidem fuisse crucifixum, eò quod dicat: *Foderunt manus meas, & pedes meos?*

Similiter, si populus rudis audiret legi *in Canticis Canticorum*: *Osculetur me osculo oris sui*; Item: *leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; Itidem illud Oseæ: *Vade, & fac tibi filios fornicationum*: Pariter, si audiret, Saram, Liam, & Rachelem tradidisse Ancillas suas in concubinas; sivè astutias Judith, & multa alia gesta à quibusdam, qui in scripturis magnâ cum laude commemorantur, vel provocaretur ad hujusmodi imitanda; vel contemneret Sanctos Patriarchas; vel putaret mendacia esse in scripturis: Ità Lupus *de Sancta Inquisit. loco citato*:

37 Sic David Georgius, cum non calleret, nisi linguam maternam, ex scripturis ineptè collegit, se esse Dei filium, & Messiam: Bellarm. *tom.1. contr. libr.2. cap.15.* ubi etiam narrat, quod cum in Angliâ à Ministro Calvinistâ in Templo legeretur linguâ vulgari *cap.25. Ecclesiast.* ubi multa dicuntur de malitiâ mulierum, surrexisse fœminam quamdam, atquè dixisse, illud non esse Verbum Dei, imò potiùs verbum Diaboli:

38 Rectè igitur Magnus Basilius, ut narrat Theodor. *lib.4. histor. cap.17.* cum præfectus culinæ Imperatoris, nescio quid de scripturis protulisset, eum reprehendit: *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata divina decoquere*;

39 Concludendum est igitur, quod sapientissimè à PP. Sac.Concil.Trid. prohibitum fuit, ne vernaculâ linguâ celebretur; & reverà, si malum in potentiâ excludit

cludit bonum in actu, ut benè observat in his terminis Lupus *loc. cit. lib.25. distinct.7. art.2. diff.* 4. nonnè multò magis, quod actu malum experimur, impedire debet, quod à quibusdam reputatur bonum in actu, vernaculo nempè idiomate celebrare?

40 Diximus, quod Majestas tanti Sacrificii odit prophanum vulgus: Nam cum Mysteria sint colenda, & veneranda, non sunt facienda communia: Ledesma *de script. Divin. quâvis linguâ passim non legend. cap.* 17. *fol.* 122. Scortia *loc. cit.* Merbes. *in summ. Christian. differt.* 3. *par.* 3. *quæst.* 54. Aliàs nullum reperiretur discrimen inter viros Sacros, & Laicos: Putarentquè indocti se pares esse doctis, ac prò libidine transferendi, & interpretandi, verterent, ac emendarent, undè insurgeret quoquè aliud absurdum; quia cum linguæ vulgares mutationibus obnoxiæ sint, si jis accomodentur scripturæ, ipsæ quoquè mutationes subirent, ut benè ad rem advertit Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *c.* 5. *circà finem*, Bellarmin. *contr. lib.* 2. *c.* 11. *vers.* 5. *tom.* 3. & Merbes. *ubi suprà*.

41 Diximus, quod difficile est reperiri, qui rectè possint sacras paginas vertere: Siquidem in regionibus, in quibus propagatur fides, complures sunt linguæ; & testatur Pater Acosta *in hist. Indiarum*, in his locis, quę ipse emensus est, plusquàm triginta linguas reperiri, easquè valdè inter se abhorrentes, & ad discendum difficiles.

42 Sed quis ignorat, Doctorem maximum Hieronymum propter unicam translationem, & dum viveret, & posteà mille iniurias, mille contumelias, & mille irrisiones passum esse? Attamen necessaria erat editio Uulgata, cum, ut ait ipse S. Hier. *in prologo Iosue*, tot essent tunc temporis exemplaria Latina, quot Codices. Imò ex varietate versionum Simachi, Aquilæ, & aliorum, hęreses, vel hæresum excusationes emanarunt. Undè quid, si permitterentur tot versiones, quot sunt linguæ in illis Regionibus? Quid si tunc adinvicem conferrentur versiones ob verborum vel ambiguitatem, vel æquivocationem, vel ignorantiam? Ledesma *ibid. cap.* 9. *fol.* 46. Ipsum solum verbum *hypostbasis* nonnè per biennium fatigavit S. Sedem?

43 Diximus, quod non possent à Pontifice declarari dubia, quæ orirentur penès eas Nationes, quarum linguâ translata essent Sacra Biblia: Etenim quomodò possent definiri à Pontifice propter varietatem tot linguarum? In Concil. Florent. duæ tantùm erant linguæ Latina, & Græca, & nihilominùs qualis timor, nè in versione deciperentur Græci ob ignorantiam linguæ Latinæ? Earum Regionum Populi, si in errorem inciderent, inhærentes suis versionibus, Latinam nescientes linguam, quomodò intelligerent quid Concilia, quid SS. PP. docuerint, & quomodò audirent Pontificem corrigentem? & quomodò posset Pontifex ipsos corrigere? Merbes. *d. differt.* 3. *quæst.* 54.

44 Diximus, quod Ecclesiæ consuetudo respuit hujusmodi translationes: Ipsa enim Ecclesia consuevit semper celebrare tantummodò in tribus illis linguis, quæ in Dominicæ Crucis titulo fulserunt, Latinâ scilicet, Græcâ, & Hebraicâ, seù (ut vult Juenin *loc. cit.*) Caldaicâ: Hacquè postremâ usa est Ecclesia usquequò destructum fuit Templum: Et de facto ab Apostolis ipsis inveniri nequit exemplum Scripturæ alterius linguæ, quàm Hebraicæ, quo Idiomate scripsit Mattheus; quàm Gręcæ, quâ scripserunt Lucas, & Joannes; quàm latinæ, quâ usus est Marcus; & in unâ tantùm ex his tribus linguis legebantur Sacræ scripturæ in toto Christiano orbe: De Affricâ, testatur Augustinus *in lib. de bono, cap.* 13. & antè illum, D. Cyprianus *in serm. de orat. Dominica*, De Hispaniâ Isidorus *de divinis officiis*: De Angliâ, Beda *lib.* 1. *hist.* De Gallia, Alcuinus, & Amalarius *lib. de Divin. & Ecclesiast. Offic.* De Germaniâ, Rhabanus *lib.* 2. *de instit. cler. c.* 9. De Italiâ, patet, & tradit D. Thom. *in comment. Ep.* 1. *ad Cor. cap.* 14. id, quod etiam docet Isidorus *loco cit. lib.* 1. *cap.* 15. quos omnes citat quoquè Scortia *de Sacrificio, lib.* 1. *cap.* 12. Landmeter. *de Veter. Cleric. Monach. lib.* 2. *cap.* 83.

45 Gregorius VII. denegavit Duci Bohemo facultatem celebrandi divinum Offi-

Officium linguâ Sclavonicâ illis verbis: *Quia nobilitas tua postulavit, quod secundùm Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium: Scias, nos huic petitioni tuæ nequaquàm posse favere: Undè nè id fiat, quod à vestris imprudenter exposcitur, authoritate B. Petri inhibemus, tequè ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus*: Baron. *ad ann.* 1080. *in princ.* Merbes. *in summâ Christianâ, dissert.* 3. *par.* 3. *qu.* 54. Pac. Jordan. *lucubr. to.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 335. ubi in codice meo malè dicitur *Grego-*
44 *rius III.* Et si eam anteà Innocentius VIII. concesserat, justissima adfuit causa, de quâ Baron. *ad ann.* 880. *numer. penult.* Belarmin. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *obiect.* 6. Scortia *ubi suprà*: Eo enim tempore totum illud Regnum, ut ait Æneas Sylvius *lib. de Orig. Bohem. cap.* 13. amplexum fuit fidem; & in defectum Latinorũ minùs malum erat, Sclavonicè, quàm nullo modo celebrare; & posteà crescente Ministrorum quantitate, sequuti sunt communem totius Ecclesiæ consuetudinem, ut testatur Vermien. *Dialog. de Sacro Vernac. legen. fol.* 344. Ad hanc usquè concessionem eò faciliùs devenit S. Sedes, attentâ authoritate S. Methodii implorantis, & attentâ versione in eam linguam factâ à S. Hieronymo, ut ait Bellarm. *contr. to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15. Videatur tamen Pac. Jordan. *lucubr. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 335. ubi exponit, quonam idiomate hodiè apud eam gentem celebretur.

45 Hinc nec in Asiâ Xaverius, Banzeus Torrius, ac Riccius; neque in Affricâ Sylveria, Solanus, Babedus, Joannes, Sebastianus, & Vvaldivia, studiosissimi propagandæ fidei, curarunt, ut eorum linguis celebraretur.

46 Permittere igitur celebrationem Missæ vernaculâ linguâ, esset Ecclesiæ consuetudini adversari, imò esset Brentio, Calvino, Kemnitio, cæterisquè hæreticis, de quibus suprà, morem gerere, & eorum asseclarum pati vel irrisionem, vel jactantiam, non secus ac si Ecclesiam Catholicam docuerint modum fidei propagandæ.

47 Adversùs supradicta dici posset, quod adest decretum Concilii Lateran. sub Innoc. III. statuens, ut ubi permixti sunt populi variarum linguarum, sibi provideant de viris idoneis, qui secundùm diversitatẽ linguarũ, & rituum divina officia celebrent; quod est conforme sacræ illi sententiæ *psal.* 8. *Dominus narrabit in scripturis populorum*: undè Theodorus Balsamon interrogatus, an liceret Syris, & Armenis propriâ linguâ sacra conficere? Respondit: *Magnus Apostolus Paulus ad Romanos scribens ait: An Iudæorum tantùm Deus? nonnè & Gentium? Qui igitur rectè in omnibus de fide sentiunt, & sint Græcæ Linguæ expertes, proprio Dialecto Sacra conficient.*

48 Habemus etiam historiam Missalis Gothici, quod in ignem Toleti, ad experiendum, utrùm liceret, uti Missâ Gothicâ, projectum non est combustum, sed integrum, & illæsum inventum, undè Missa, & officium Mezarabum, quod hodiè in eâ Ecclesiâ perseverat: Mariana *lib.* 7. *cap.* 20. præcipuè *lib.* 9. *c.* 18. & de facto Apostoli variis linguis Mysteria Fidei tradiderunt, ac initio Ecclesiæ nascentis Donum linguarum cum doctrinâ coniunctum fuit; quinimò Paulus ait: *Etenim si incertam vocem de Tubâ, quis parabit se ad bellum: Ità & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodò scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.*

50 Sed respondetur, nihil obstare illud decretum sub Innoc. III. editum: Tunc enim à Latinis fuit capta Constantinopolis, & cum Latinorum, ac Græcorum permixtus esset populus, mandavit Innoc. ut darentur Sacerdotes, qui & Latinis, latinè; & Græcis, græcè celebrarent, ut patet ex act. dicti Concilii.

51 Apostoli verò utebantur diversis linguis ad instruendum, non ad celebrandum, undè si sacras scripturas vertissent, in toto Orbe diffusi, quomodò in aliquâ parte non adesset earum fragmentum, vel traditio?

52 Cæteris verò superiùs dictis respondetur, quod quamvis non expediret; liceret tamen, admitti varietaem versionum, quoties esset causa conversionis alicujus gentis; undè Clemens VIII. Russis, dum ad unionem accedere disponebantur, nil de mutandâ in divinis

linguâ opposuit: Et eò magis permissio liceret, si adessent in eâ Regione duo Idiomata, alterum vulgare; alterum eruditum non passim cognitum. In hoc enim secundo casu expediret quoquè, permitti versiones, & celebrationes Sacrorum, si adesset necessitas: P. Vercell. *de Apostol. Mission. tit. 8. qu.141. num. 10.*

53 His urgentissimis motivis introductus est ritus Mezarabicus in Diæcesi Toletanâ: Ejus namquè auctor agnoscitur partim S. Idelphonsus Archiepiscopus Toletanus, eumdemquè ritum restituit, jam ferè obliteratum Eminentissimus undequaquè Vir, Franciscus Ximenius Archiepiscopus ejusdem Civitatis, ut inter alios advertit Alvarus Gometius *lib. 2. de rebus gestis Cardinalis Ximenii.* ad quem se refert Bona *Rer. liturgicar. lib. 2. cap. 11.* Cæterùm relata historia

54 falsitatem redolet; nam quidam Hispani Authores referunt, quod cum, recuperatâ Civitate Toleti à Mauris, ingens orta esset controversia, nùm restituendus esset ritus Mezarabus, vel Romanæ Ecclesiæ introducẽdus, in ignem cum Missali Mezarabo fuisset injectum missale Romanum, hocquè flammis assumptum, illudquè illæsum servatum: Quod quàm indignum sit & scribere, & dicere, nullus non videt.

SUBSECTIO VII.

De Abusibus Sacramentorum in conficiendo ob non debitas dispositiones.

SUMMARIUM.

1 *Debitæ dispositiones ad recipienda Sacramenta aliæ sunt spirituales, aliæ corporales.*

2 *Dispositio spiritualis est status gratiæ, ob cujus defectum in Sacerdote quotidiè celebrante, vult Bordonus, induci hæresis suspicionem.*

3 *Sed quandò hoc verificetur?*

4 *Sacerdos, qui nocte præcedenti meretricatus est, & manè absquè præviâ Confessione celebravit, non punitur in Sancto Officio.*

5 *Polygamus cur efficiatur de hæresi suspectus, non verò Sacerdos pluries in die celebrans?*

6 *Qui celebrat in peccato mortali, non peccat immediatè contrà Sacramentum, quia dispositio respicit ministrum, non Sacramentum.*

7 *Videtur de hæresi suspectus, qui Missam celebrat non jejunus, & quarè? & num. 8.*

9 *Contrarium est verius.*

10 *Celebrans non jejunus, non peccat contrà finem Sacramenti, quia in aliquo casu potest Sacerdos non jeiunus celebrare.*

11 *Cur Sacerdoti non sit permissum celebrare non jejuno ad tradendum Viaticnm moribundo, benè autem ad Viaticum sumendum ab ipso?*

12 *Quæ dicta sunt de abusu Eucharistiæ ob non debitas dispositiones, militant in cæteris Sacramentis.*

1 UT ex suis principiis desumatur, an abusus ob non debitas dispositiones in conficiendo Sacramentum inducat hæresis suspicionem, animadvertendum est, hujusmodi dispositiones esse, vel spiritales, vel corporales necessariò ab Ecclesiâ requisitas:

2 Cum autem spiritales dispositiones reducantur ad statum gratiæ, vel ad conficiendum Sacramentum, vel ad ipsum suscipiendum, ob earum defectum incurri hæresis suspicionem, docet Bordon. *in Tribun. cap. 22. num. 46.* ubi ait, quod à Sacerdote, qui quotidiè celebrat, nec visus est unquàm confiteri, incurritur hujusmodi suspicio, quia videtur sentire, non esse necessarias has dispositiones contrà illud, quod definiuit S. Synodus Trid. *sess. 13. can. 11.* & operatur contrà finem institutionis Sacramenti.

3 Sed quia reverà præceptũ conficiendi, vel suscipiendi Sacramentum in statu gratiæ non involvit præceptum confitendi, nam ad hoc, ut quis teneatur confiteri, requiritur, quod adsit copia Confessarii, & sit lethali culpâ innodatus, ideò tunc tantùm fieret suspectus Sacerdos, si malâ famâ laborans, cum posset commodè confiteri, negligeret: In eo quippè casu non crederetur, ipsum tàm longo temporis intervallo lethalis culpæ labe carere: Alioquin à suspicione immunis evaderet, & quamvis

4 Sacerdotes, qui nocte antecedenti mere-

meretricati sunt, & manè absquè præviâ confessione accedunt ad celebrandum, non puniantur à S. Officio, hoc tamen procedit, quoties actus non sint sæpè sæpius iterati; vel quoties Sacerdotis sic abutentis Patria non sit de Regionibus hæreticorum; vel quoties non concurrant circumstantiæ, de quibus *suprà in Prælim.* & eâ quidem ratione; nam celebratio in peccato mortali non ex sè, sed ratione circumstantiarum ingerit hujusmodi suspicionem: Ad effectum enim eam incurrendi, tria requiruntur; primò, quod delicti atrocitas sit præcipuè contra finem institutionis Sacramenti, ut si quis utatur Sacramento tanquàm medio ad peccandum, utpotè si Confessarius fungatur officio ad sollicitandum.

Secundò, quod Sacramentum nulliter conficiatur, ut in Polygamiâ, in quâ omnia Matrimonia, præter primum, sunt irrita: Ob id non mirum, si Polygamus efficiatur suspectus de hæresi, non verò Sacerdos, qui plures eâdem die celebrat Missas, quia validè consecrat, prôut testatur Charthar. *decis. Archiep. Mediolanen.* 26. *per tot.* Pistach. *de superstit. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 23. Bordon. *in Sacr. Tribunal. tom.* 1. *cap.* 22. *qu.* 6. *num.* 8. Bayo *prax. Eccles. par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 116. quidquid dicat Gonzalez *in cap.* 3. *de celebrat. Missar. in fin.* & quod delictum eorum, qui plures Missas absquè legittimâ causâ eâdem die celebrant, non spectet ad S. Officii Tribunal, firmat Albit. *de Inconst. in fide, part.* 1. *cap.* 34. *num.* 69.

6 Tertiò, quod peccetur immediatè in ipsum Sacramentum, temerè violando ritus ab Ecclesiâ præscriptos: At qui celebrat in peccato, non utitur Sacramento, tanquàm medio ad peccandum, nàm non ex ipso Sacramento, sed ex malâ Ministri dispositione omnis culpa provenit; non fit nulliter Sacramentum, quia crimen ob deficientiam debitæ dispositionis operatur, ut illicitè, sed non ut invalidè conficiatur Sacramentum; non peccatur immediatè contrà ipsum Sacramentum, quià dispositio respicit principaliter Ministrum, non autem Sacramentum.

Hinc difficile est, quòd ob deficientiam dispositionis inducatur hæresis suspicio, quarè raro, qui conficiunt Sacramentum non debitis dispositionibus, subiiciuntur S. Officio.

7 Quò verò ad dispositiones corporales, omnes, quæ sunt necessariæ, reducuntur respectu Sacramenti Eucharistiæ conficiendi ad jeiunium, sinè quo Sacerdos celebrare nequit, cum illud præscriptum sit per Concilium Carthaginense, de quo *in c. Sacramenta, de Consecrat. distinct.* 1. & si celebret, videtur de hæresi suspectus, prôut testatur Transm. *de polyg. lib.* 3. *qu.* 2. *num.* 55. & *de denunc. qu.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. *vers. revelandus est*, ubi addit, celebrantem, aut suscipientem Eucharistię Sacramentum non jejunum revelandum esse.

Ratio est, ut dicit Alberghin. *in Man. cap.* 23. *num.* 3. quod ipse videtur assentiri hæreticorum propositioni, & præcipuè Lutheri asserentis, consultius esse sumere Eucharistiam post sumptum cibum.

8 Si enim sufficit ad inducendam suspicionem, quod quis teneat novas, & singulares opiniones in materiâ peccati contrà communes, & receptas sententias: Intrigl. *sing.* 79. *num.* 114. fortiùs fiet suspectus tenens opiniones hæreticorum, & damnatas. Quod autem sic abutens ex falsâ opinione moveatur, facilè præsumendum est, cum simus in genere delictorum, quę nec libidini, nec alteri simili passioni tribui solet, ex quo quodammodò delictum fit gravius, & videtur intrare suspicio hæresis, quæ cadit contrà Reos gravissimorum criminum: Intrigl. *ubi suprà, n.* 206.

9 His tamen non obstantibus censeo, quod celebrans non jejunus minimè reddatur suspectus, cum non operetur præcipuè contrà finem Sacramenti, nec vllo ex supradictis modis abutatur, dummodò non sit de eâ Regione, in quâ viget hæresis Lutherana; & proindè, qui non jejunus celebrat, non punitur in S. Officio, sed talis punitur pænâ arbitrariâ, ut communiter observant DD. inter quos Pac. Jordan. *lucub. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 52. Diaz *pract. crim. canon. cap.* 34. Zarola *Prax. Episcopal. par.* 1. *verbo, Missa, num.* 7. Albitius *de Inconst. in fide, part.* 1. *cap.* 34. *num.* 66.

10 Quod autem non sit præcipuè contrà finem Sacramenti celebratio sinè jejunio,

nio, patet ex eo, quod dentur casus, quibus etiam licitè possit Sacerdos non jejunus celebrare.

Siquidem Sacerdos in mortis periculo constitutus post cibum potest, ut Viaticum sumat, celebrare, si alio modo fieri nequeat, ut ait Eminentissimus de Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 15. sect. 3.* nam non plus est celebrare, quàm communicare absquè jejunio, undè dispensatus ad hoc, videtur dispensatus ad illud.

11 Nec obstat, quod minimè permissum sit Sacerdoti non jejuno celebrare ad tradendum Viaticum alicui moribundo, quia aliud est tradere; aliud est sumere Viaticum: quàpropter præceptum dandi Viaticum semper debet intelligi, quandò dari potest, juxtà ordinē ab Ecclesiâ præscriptum in hoc Sacramento conficiendo: At quia præceptum sumendi Viaticum, licet sit Divinum, imponitur tamen ei, qui sumit; non autem ei, qui tradit, ideòquè, ut sumat Sacerdos, cessat præceptum Ecclesiasticum conficiendi cum jejunio; &, vt tradat, minimè cessare debet.

12 Quæ autem hucusquè dicta sunt de abusu Sacramenti Eucharistię ob non debitas dispositiones, eò magis militant respectu cæterorum Sacramentorum, nam cum valeat argumentum de majori ad minus, licitè inferri potest, nullam hæresis suspicionem oriri ex abusu, qui ob non debitas cæremonias committitur in conficiendis Sacramentis, cum ea sint, ut superiùs innuimus, minus nobilia, quàm illud Sacramentum Eucharistiæ.

SECTIO II.

De abusibus Sacramentorum in offerendo.

SUMMARIUM.

1 *Reperitur in Ecclesiâ Catholicâ verum Sacrificium, scilicet Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.*

2 *Necessitas Sacrificii apud homines contestata vel ab ipsis gentilibus.*

3 *Necessitas Sacrificii apud Christianos ostenditur.*

4 *A Mundi primordiis Deus docuit Iudæos sacrificare.*

5 *Diversitas Sacrificiorum, & ad quid apud Iudæos, & num. 6. 7. & 8.*

9 *Omnia antiquæ legis sacrificia habentur in Sacrificio Eucharistiæ: Auctoritates S. Ioannis Chrisostomi, & S. Augustini,* & nu. 10.

11 *In Sacrificio Altaris eminenter continentur vetera sacrificia.*

12 *Sacrificium Altaris est Honorarium, Expiatorium, Impetratorium, & Eucharisticum.*

13 *Hoc sacrificium appellatur Missa, à mittendo hostiam ad Deum, ut tenent magni auctores.*

14 *Alii volunt, appellari missam à dimittendo populum, terminato sacrificio.*

15 *Missa probatur esse verum Sacrificium ex Sacerdotio Melchisedech, & ex Prophetiâ Malachiæ.*

16 *Probatur vera Sacrificii ratio in Missâ ex novo Testamento.*

17 *Item ex traditione.*

18 *Non implicat, Missam esse simul Sacrificium, & Sacramentum; quod convincitur ex ipsismet hæreticis.*

1 ANTEQUAM demonstremus, quot modis abusus Sacramenti in offerendo committatur, præmittendum est adversùs hæreticos, reperiri in Ecclesiâ Catholicâ verum Sacrificium, in quo ipse Christus incruenter offertur, qui in arâ Crucis semel se ipsum cruenter obtulit, & consequenter illud esse augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut pariter contrà ipsos hæterodoxos probat Lupus in *edict. par. 4. lib. 26. dist. 9. ar. 1.* Et sanè, quod penès nos adsit Sacrificium, res adeò clara est, ut quicumquè contrarium asserere præsumeret, insanire videretur, & in luce meridianâ cæcutire: Tanta est enim ne-
2 cessitas Sacrificii, quo possint homines aliquo modo testari, se Deum bonorum omnium Authorem agnoscere, ut Ethnici etiam (quamvis profundissimâ infidelitatis caligine obruti, quemadmodùm benè ponderat Pasqualig. *de Sacrificio Missæ, tract. 1. qu. 15. num. 2.*) naturæ lumine perspexerint, aliquod numen reperiri, à quo vita, & cætera bona promanarent; ideoquè dignum esse, in cujus honorem, & cultum ut vita ipsa insumeretur; idcircò, ut ait

Silius

Silius Italicus:

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, & fragrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Et Virgilius *in Æneid.lib.*10. piũ Æneã inducit octo Juvenes suo sacrificio immolantem: Alia hujusmodi refert Solorzanus *de Iure Ind. tom.*1. *lib.*2.*cap.*12.*à num.*54.*& cap.*14.*à num.* 73. Verùm ad hoc manifestandum animalia mactabantur, quia, ut ait Euseb.*lib.*1.*de demonstrat.c.ult.*lege naturæ introductum fuit, ut in Sacrificio animalia, vel aliquid ejusmodi commutarentur propriâ vitâ, ut etiam advertit laudatus Solorzan. *d.cap.*12.*n.*62.Igitur quantò magis
3 debemus nos Catholici, tot beneficiis à Deo decorati, hoc & agnoscere, & profiteri? Scilicet, ut non solùm per actus internos, qui propriè non constituunt sacrificium, id quod probat S.Thomas 2.2.*q.*85.*art.*3.& ex eo Scortia *de Missâ, lib.* 1. *cap.*3.*num.*2. sed etiam per rei externæ, & sensibilis consumationem, ac oblationem, Deum recognosceremus secundùm utrumquè, idest animam, & corpus, quæ sunt hominis constitutiva, à Deo tot gratiis, tantâquè excellentiâ nobilitata post Christi adventum, ut ratiocinatur Pasqualigus *dict.qu.*15.*num.*3.

4 Quinimò ipse Deus docuit usquè à mundi primordiis Judæos Sacrificia, in quibus offerendis testarentur divini Numinis, & Majestatis honorem, & supremum in universa Imperium; impetrarent peccatorum veniam, ac temporalia bona; & prò collatis beneficiis gratias agerent, ut videre est penès Beccanum *Opusc.*11.*lib.*2.*de Triplici Sacrificio, cap.* 1. *num.* 3. *de Sacrificiis legis naturæ*, quod etiam affirmat Arcudius *de Concord.Eccles. Occid.& Orient. lib.*3. *cap.*8. his verbis: *Offerebantur à Judæis Sacrificia prò peccatis, eaquè pro varietate peccatorum, & personarum varia erant. Quippè aliud offerebatur prò perjurio; aliud prò aliis peccatis: & similiter aliud prò peccato summi Sacerdotis; aliud prò peccato Regis, vel Magistratus; aliud prò peccato totius populi; aliud prò peccato privatorum hominum: Alia offerebantur ad gratias agendas prò beneficiis acceptis ad animum gratum declarandum, quæ vocabantur pacifica. Deniquè alia item pacifica prò beneficiis obtinendis.*

6 *Prima erant omnium præstantissima, quæ tributorum instar oblata in reverentiam divinæ Majestatis penitùs consumebantur, cujus non solùm usus rei, sed etiam substantia foret: Secundum locum dignitatis obtinebant Sacrificia prò peccato: Tertium pacifica prò beneficio accepto: Quartum, pacifica prò beneficio accipiendo. Quippè Deum in se maximè debemus colere, ob immensam ejus majestatem: Deindè ob offensam in ipsum commissam; tùm ob acceptum beneficium; postremò propter sperata beneficia.*

7 *Varia etiam erant secundùm subiectam materiam: Hinc dividebantur in Victimas, seù Hostias, Imolationes, & Libamenta: Victimæ erant ex animantibus, uidelicet Ovibus, Capris, Bobus, Columbis, Passeribus, & Turturibus: Imolationes ex rebus inanimis, sed solidis, ut ex Farinâ, Pane, Sale, Thure; libamenta ex rebus liquidis, ut ex vino, & aquâ.*

8 *Dividebantur quoquè eadem Sacrificia ex formâ, & modo vario offerendi: Nàm alia incruenter offerebantur; alia cruenter: horum nonnulla tota igni exurebantur, & solvebantur in fumum sursùm petentem: nonnullorum pars igni absumebatur; pars cedebat in cibum Sacerdotum; pars in escam offerentium. Quorumdam partem Sacerdotes eâdem die consumebant; nonnullorum in alteram diem reservari poterant:* Ità ex Arcudio:(Vide si vis Beccanum *loco cit. de Sacrificiis mosaicis,cap.*1.*&* 2. & Pasqualigum *ubi suprà,qu.*17. *num.*7.)

9 Hæc omnia nos etiam habemus in uno Augustissimo Eucharistiæ sacrificio, teste Beccano *eodem loc. de Sacrif. in statu gratiæ, in prælud.à num.* 3. quarè D.Chrisost. *in psal.*95.ait, quod *Lex in veteri testamento multas habebat hostias, hanc quidem prò peccatis, illam verò dictam holocautoma; aliam vocatam laudis, aliam salutaris, per multasquè alias, & varias prò his, qui in innumeris piaculis recensebantur. Omninò magnus erat, & sinè modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia nova superveniens* gra-

gratia, uno complectitur sacrificio, unam, & veram statuens hostiam: & D. Leo Papa *serm.* 8. *de Passione*, quem etiam citat Pasqualigus *eâdem qu.* 17. *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis, & sanguinis sui implet oblatio; & ità in se universa perficit mysteria, ut sicut unum est prò omni victimâ sacrificium; ità unum de omni gente sit Regnum.*

10 Sanctus quoquè Augustinus *qu.* 57. *in Leviticum*: *In multis*, inquit, *Sacrificiis, quæ prò peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum*: Et notandum, ait Laudatus Arcudius ex eodem Augustino *lib.* 10. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 20. quod homo Christus Jesus, qui in quantum formam servi accepit, Mediator effectus est Dei, & hominum, quamvis in formâ Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est; nihilominùs in formâ servi Sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne vel hac occasione quisquàm existimaret, munus sacrificandi cuilibet competere; propter hoc & Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius Corporis ipse sit Caput, & ipsius Capitis ipsa sit Corpus, tàm ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.

11 Hoc sanè Sacrificium eminenter continet vetera sacrificia: In hoc enim (prosequitur Arcudius loco cit.) offertur Christus, qui est viva hostia, & excellentissima Victima; & quia sub specie panis, & vini offertur, & sumitur, excellentiori modo habet quidquid ad rationem imolationis, & libamenti spectat. Hoc igitur sacrificium propter dignitatem principalis offerentis, & rei oblatæ, modiquè offerendi, longè præstantiùs fungitur munere omnium antiquorum Sacrificiorum:

12 Quippè est Honorarium ex parte holocausti, quoniam in eo per rem omnium excellentissimam Deum honoramus, veneramur, & colimus; est etiam Expiatorium, nam eo numen divinum placamus, & propitium reddimus, quandò prò peccatis illud offerimus: Item est Impetratorium, siquidem ipso cælestem opem imploramus, & assequimur; & cum in eo repræsentetur passio Christi, ideò aptissimũ est ad impetranda omnia bona, quæ passione suâ Christus nobis promervit: Est tandem Eucharisticum: Per illud enim debitas gratias Deo prò acceptis beneficiis, atquè adeò prò hoc eodem Sacrificio, referimus.

13 En ergò quod omnia Veteris Legis Sacrificia penès nos reperiuntur, eaquè continentur in ipso Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: Quo fit, ut tale Sacramentum *Missa* appelletur, quasi *Missio*, quia scilicet per Sacerdotem populus mittit ad Deum sua desideria, & hostiam salutiferam; & ideò in fine dicitur: *Ite, missa est*: Heduensis *de Sacram. Altaris, cap.* 18. Rupertus Abbas *lib.* 2. *de Offic. cap.* 23. Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de Sacram. par.* 8. *cap.* 14. Innocentius III. *lib.* 5. *de Missâ*, *cap.* 12. S. Thomas 3. *part. qu.* 83. *art.* 4. Sotus *lib.* 4. *sentent. d.* 13. *qu.* 2. *art.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *de Missâ, cap.* 1. Vasquez. 3. *part. disp.* 220. *cap.* 1. *num.* 8. & alii:

14 Et quamvis hanc ethymologiã minimè approbet Van Espen. *jus Ecclesiast. par.* 2. *tit.* 5. *cap.* 1. *à num.* 1. Bona *lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 1. *§.* 6. De Lugo *de Sacr. Euchar. disp.* 19. *sect.* 2. dicens, ea verba usurpari, quia tunc dimittebantur fideles, quod consonat moribus Sacerdotum Gentilium, qui, peracto Sacrificio dicebant: *Ilicet*, hoc est, *Ire licet*, ut refert Plutarchus, & Servius 6. *Æneidos*, sicut etiam Græcorum Sacrificuli, finito Sacrificio, dicebant: λαοῖς ἄφεσις, idest *populi missio*, ut notat Beroaldus *in Apuleium, lib.* 11. *de Asino Aureo*; & in eodem sensu Chrysost. missam vocat ἀπόλυσιν, idest *solutionem*, quia populus solvebatur; & Cassianus *lib.* 3. *cap.* 7: & S. Benedictus *in Reg. cap.* 17. Missam sumunt pro fine, & terminatione alicujus rei. Quia ergò in Missâ bis missio fiebat, scilicet Cathecumenorum, dictis Evangelio, & Concione, & posteà altera omnium in fine Missæ, quæ tantummodò adhuc retinetur, dum dicitur *Ite, missa est*; hanc proindè existimant Van Espen, & De Lugo fuisse eorundem verborum ethymologiam, undè sicut olim & Cathecumeni post Evangelium, & concionem, & cæteri omnes in fine Missæ dimitterentur, hodiè

diè per illa verba fideles dimittantur; de quâ re videri poterunt Gavantus *in Rubricis Miss.* Durand. *in rationali Divin. offic.* Covarruvias, 4. *variar. cap.* 22. Claud. de Sainctes *in præfatione in Liturgiam, cap.* 4. & Pasqualig. *de Sacrificio missæ, q.* 1. *num.* 5. qui in aliquâ parte adstipulatur opinioni, quam tenent Van Espen, & Cardinalis De Lugo.

Quamvis, inquam, itá prædicti sentiant, non tamen ipsis assentior; nã satis dimittitur Populus per illud verbũ *Ite*, undè alia, *Missa est*, adhibetur tanquàm ratio, quarè dimittatur, scilicet, quod jam missa est ad Deum hostia salutifera.

15 Præter allatas rationes, quæ demonstrant augustissimum Eucharistiæ Sacramentum esse verè Sacrificium, alias attulerunt DD. præcipuè in Concil. Trid. ut videre est penès Pallavic. *hist. lib.* 18. *cap.* 1. *& seq.* Merbes. *in summâ Christianâ, dissert.* 3. *par.* 3. *q.* 3. 4. *&* 5. easquè affert nuperimè Juenin. *de Sacram. tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *pag.* 402. quarum peculiares deducuntur ex Melchisedech Sacerdotio, ex Malachiæ Prophetiâ, ex novo Testamento, & ex Traditione.

Etenim quò ad Sacerdotium Melchisedech, habemus ex Sacrâ scripturâ *psalm.* 9. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, ergo Christus, de quo loquitur Regius psalmista, ipsummet Sacrificium, quod olim Melchisedech adumbraverat, obtulit: Hoc autem suis Apostolis, futurisquè eorum successoribus faciendũ injuxit Redemptor noster: *Hoc facite*, inquiens, *in meam commemorationem*.

Quò verò ad Malachiæ prophetiam clarè dignoscitur hujusmodi veritas: Inquit enim propheta: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestrâ: Ab ortu enim solis usquè ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*; undè cum unanimi omnium Patrum consensu ait August. *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 35. *Hoc sacrificium per Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedech, cum in omni loco à solis ortu, usquè ad occasum Deo jam videant offerri; sacrificium Iudæorum, de quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, jam cessasse, negare non possunt; aut alium Christum expectant*; de qua re latè apud Pasqualig. *de sacrif. missæ, qu.* 18. *à num.* 4.

16 Quò ad novum Testamentum habetur, quod Calix Sanguinis Christi prò multis effundetur in remissionem peccatorum, & quod ob hanc causam frangitur panis: Cum autem illa effusio, & illa fractio non possint intelligi de vino effuso, & de pane fracto ad bibendum, & manducandum, eò quia Mattehus referat, vinum effusum, & panem fractum non prò Apostolis tantùm, sed etiam prò aliis multis, qui non aderant, & quidem in remissionem peccatorum, igitur intelligi debet de effusione, & de fractione ad sacrificium: Patet quoque hæc veritas *ex primâ ad Cor.* 10.

17 Tandem quò ad traditionem, ipsam manifestant tot Concilia, quæ stabilierunt, hujusmodi Sacramentum esse Sacrificium, atquè demonstrant tot Patres, qui idem in omnibus Orbis regionibus seorsim docuerunt, ut apud Juenin *ubi suprà*.

18 Postremò non implicat, quod hoc Sacramentum sit & Sacrificium, & Sacramentum, quidquid blaterent hæretici, contrà quos rectè ratiocinatur Lupus *ubi suprà*, & Beccanus *loco cit. de Sacrificio in statu gratiæ, cap.* 7. *ad argumenta Novatorum, num.* 7. ex authoritate ipsorum hætherodoxorum: Plslæus enim Calvinista cum totâ Synodo Capicensi *lib.* 1. *de Eucharist. cap.* 1. expressè ait, Agnum Paschalem fuisse simul Sacramentum, & Sacrificium: Quod etiam ex Scholasticis docet D. Thomas, & plures alii: Si ergò Agno Paschali non repugnat simul esse Sacramentum, & Sacrificium, cur repugnet Eucharistiæ, non video. Nec obstat, quod in Sacramento aliquid accipiamus à Deo, & in Sacrificio aliquid ei offeramus: Nam hæc duo posse simul consistere, jam ostensum est in Agno Paschali, qui totus offerebatur Deo ad ipsius honorem, & totus comedebatur à Judæis ad illorum salutem. Idem fit in Eucharistiâ. Et sanè, si id, quod à Deo accepimus, non liceret offerre Deo, nullum foret Sacrificium: Omnia

enim, quæ Deo offerimus, à Deo accepimus, juxtà illud Paralip. *Tua sunt omnia. Et quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi*: Sic Beccanus: Contrà eosdem Hæreticos ità increparunt Catharin. *lib. de verit. incruent. Sacrific.* Pighius *lib. 2. de Hierarch. Ecclesiast. cap. 5. & controvers. 5. & 6.* Casalius *de Sacrif. Missæ*, Castro *lib. 10. adversùs Hæreses, verbo, Missa*. Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2.* Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13.* Bellarm. *lib. 1. de Sacrific. Missæ, cap. 5. & seq.* Suarez *disput. 74. de Eucharist. sect. 1. & seq.* & alii.

His ergò duobus præmissis, cum in ipso tantummodò augustissimo Sacramento Deo offeratur; erit de ejusdem Sacramenti abusu differendum, quatenùs est Sacrificium; eò magis, quia jam de ejus abusu egimus, quatenùs uti Sacramentum conficitur.

SUBSECTIO UNIC.

De abusù Sacramenti Eucharistiæ, quatenùs est Sacrificium.

SUMMARIUM.

1 *Qui offert Missæ Sacrificium absquè potestate, est suspectus de hæresi.*

2 *Ecclesia non habet facultatem instituendi Sacrificium.*

3 *Objectio de Oblationibus quarumdam mulierum.*

4 *Apud Veteres Latinos magna olim Religio in parando pane Eucharistico.*

5 *Mulieres Sanctimoniales, & pueri innocentes frumentum granatim eligebant prò materiâ Eucharisticâ conficiendâ, & alia ad idem notantur.*

6 *Mediolanensis Ecclesia decem Viros, & totidem Matronas seligit prò offerendâ materiâ Eucharistiæ.*

7 *Suspicio hæresis inducitur, si in Missâ Ecclesiæ ritus violentur.*

8 *Græci PP. antiqui consueverunt, multas offerre particulas in eodem Sacrificio, ad exprimendos diversos fines Sacrificiorum legis Veteris, quod præstant adhuc Græci, & num. 9. & 10.*

11 *Latinis quidem non licet imitari hunc Græcorum morem, & imitantes hæresis suspicionem incurrerent: Græci tamen non sunt in hoc damnandi.*

12 *Mos S. Germani offerendi panem, undè est desumpta hostia major in memoriam Corporis Virginis.*

13 *Antiquitùs erat* Eulogiarum *distributio, & quomodò?*

14 *Ecclesia nunquàm præscripsit communionem quotidianam.*

15 *Eulogiæ non tantùm in Ecclesiâ distribuebantur, sed etiam foras ad fideles mittebantur, quod posteà prohibuit Concilium Laodicenum.*

16 *Abusus offerendi Sacrificium prò Animabus defunctorum damnatorum est suspectus.*

17 *Suspectus in fide est, qui dicit, pœnas damnatorum in Inferno aliquandò mitigari Orationibus, & Sacrificiis.*

18 *Junior Græcia, non vetus, est dicto errore infecta.*

19 *Est abusus in offerendo, si offeratur Missæ Sacrificium prò Beatis, & offerens esset de hæresi suspectus.*

20 *Quomodò intelligantur Græci, quandò in Liturgiâ offerunt Sacrificium prò Sanctis.*

21 *Sensus Latinæ Ecclesiæ, quandò recitat Orationes prò Sanctis.*

22 *Duplici de causâ ex S. Augustino offerimus Sacrificium in honorem Sanctorum: Primò, ut agamus Deo gratias de illorum Victoriis; secundò, ut orent ipsi prò nobis.*

23 *Ratio quarè Sacrificium Altaris offeratur prò Sanctis, prò vivis, prò mortuis.*

24 *Nequit celebrari Missa de requie prò parvulis baptizatis decedentibus antè usum rationis, & celebrans esset suspectus.*

QUOT modis committitur abusus in conficiendâ Eucharistiâ, totidem committitur in eâ offerendâ; undè brevitatis causâ non sunt repetenda, quæ diximus.

Videamus ergò, quinam horum abusuum inducant hæresis suspicionem.

1 Ob defectum potestatis offerendi, certum est, quod qui abutitur hoc sacrificio, incidit in hæresis suspicionem, quam incurrit etiam, qui tantùm inchoat, ut dictum est.

Si enim non licèt cuiquè sinè authorita-

stitate publica alia Deo Sacrificia offerre, præter incruentum, quod in Missâ imolatur, ut probat Eminentissimus de Lugo *loco cit. sect. 1. num. 10. & 11.* Imò
2 nec Ecclesiam habere facultatem instituendi Sacrificium, probant Suarez *disp. 74. de Euchar. sect. 4.* Vasquez *disp. 223. cap. 6.* Conich. *de Sacram. qu. 83. art. 1. num. 14.* Lessius *lib. 2. de just. & Iure cap. 38. num. 27.* &, præter alios, Pasqualig. *de Sacrif. missæ, qu. 24. à num. 5.* quantò minùs licebit, offerre non præter Ecclesiæ facultatem, sed contrà Dei, & Ecclesiæ ordinem præscriptum? *Omnis Pontifex*, scribit Apostolus *ad Hebr. 5. ex hominibus assumptus est, prò hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat Dona, & sacrificia.* Hinc Epiphanius *hæres. 79.* repræhendit quasdam mulieres, quæ placentam offerebant per modum Sacrificii B. Virgini, dicens, neque Diaconos istud posse efficere:
3 At obiici potest, Sanctam Rodegundam Reginam seculo sexto (quod etiam asseritur de Matronâ quâdam Romanâ *in vitâ Gregorii*) dum esset sanctimonialis, oblationes suis manibus fecisse, illasquè locis venerabilibus incessanter dispensasse, ut testatur Venantius Fortunatus in ejus vitâ: Testatur quoquè Sirmondus, Armonicanas Mulieres communicaturas, hactenùs suam oblatam azymam offerre.

4 Vt autem huiusmodi error prorsùs diluatur, animadvertendum est, maximam fuisse apud veteres Latinos Religionem in parando Eucharistico pane, undè queritur Humbertus *in epist. ad Cerularium*, quod Græci hunc panem à quocumquè viro, seù fæminâ præparatum habeant, in tantum, ut nonnunquàm ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferant. Aliter tamen fieri consuevisse apud Græcos suâ ętate, testatur Christophorus Angelus *in libello*, quem scripsit *de præsenti Ecclesiæ suæ* (scilicet Græcę) *statu.* Hæc enim habet *Sect. 14.* de pane sacro: *Quæ ad Sacramenta conficienda pertinent, præparant, panemquè accipit Sacerdos, quem vir, vel Mulier aliqua, modò purus idem, mundaquè eadem fuerit, die antecedenti paravit: Hoc est, quilibet homo, cui tantummodò die præcedenti cum Uxore res nonfuit; aut Mulier, quæ à congressu maritali abstinuit. Hoc est, quibus nec nocte, quam dies Saturni insecuta est, nec alia à Vespere diei Veneris usquè ad tempus matutinum diei Saturni, conjugalis intercessit cohabitatio: Iste, sivè ista subactâ farinâ, panem illum Saturni, aut aliâ quâcumquè die conficit. Qui enim panem illum parare vult, purus sit, necesse est. Antequàm verò panis ille excoquatur, signaculum illi prius ligno aliquo, cui literæ hæ insculptæ: Iesus Christus vincit, imprimunt:* Cum igitur vigeret apud Latinos hujusmodi Religio in pręparando pane Eucharistico, seù hostiis, quas
5 *oblatas*, seù *oblias*, seù *oblationes* nuncupabant, Mulieres Sacrimoniales, & pueri innocentes frumentum granatim eligebant, ex quo Sacramenti materiam nitidè, & studiosè faciebant, ut patet ex Ulderico *in lib. 3. consuetudinum, cap. 13.* & ex eâdem epist. Humberti ad Cerularium: Imò eruditissimus Albaspineus *in Tractatu Gallico*, quem *de rebus Eucharisticis* conscripsit, frumenta Christi Corpori conficiendo destinata fuisse, suspicatur: Porrò hodiè quoquè hujusmodi oblatæ ex pugillo farinę fiunt à fæminis Ruthenis, teste Guagnino *de*
6 *Relig. Moscovit.* & paritèr his nostris temporibus in Ecclesiâ Mediolanensi decem viri, totidemquè Matronæ, provectæ ætatis, ab Archiepiscopo instituti, sacrificii Materiam offerre solent: nam oblationis tempore instante (utar verbis eruditissimi Mabillon. *de Azymo c. 10.*) pręcedunt illorum virorum duo, aliis succedentibus, antiquo more induti, deferentes hostias tres, & Vasculum vini: Chorum ingressi, hæc omnia Sacerdoti celebranti offerunt. Idem præstant Matronæ illæ, quemadmodùm & viri illi, totam Civitatem repræsentantes, & funguntur officio, quod olim toti populo incumbebat. Patet ergò, quod olim mulieres Sanctimoniales faciebant oblationes, hoc est hostias, & quod non sacrificia, sed materiam Sacrificii offerebant celebranti, ut disertè probat Mabillon. *loco cit.*

7 Dicendum est quoquè, suspicionem induci, si forma ab Ecclesiâ instituta violetur; nam si ritus Ecclesiæ, ut diximus, servari debent, tantò magis servandi illi, qui sunt in sacrificio principa-

cipales; ac in eis vitandi sunt errores, qui olim irrepserant, quos confutat Bellarminus *de Missâ*, *lib.2.cap.17*.

Quò ad materiam, eam varians sit etiam suspectus, prò ut constat ex iis, quæ alibi diximus.

8 Datur tamen quandoquè materię, quæ offertur, non mutatio, sed augumentum apud Græcos, ut videre est penès Arcudium *de Concordiâ*, *d.cap.9.* & penès Gabrielem Philadelphiens. *in peculiari tract. de Particulis*.

Etenim antiqui Patres Græcorum ad clariùs exprimendos diversos fines, qui diversis sacrificiis in Lege Veteri, ut suprà disseruimus, significabantur, quosquè eminenter complectitur Sacrificiū Eucharistiæ, multas consueverunt offerre particulas, sed ad modum unius Sacrificii: Et adhuc ut evidentiùs exprimerent hos fines, usi sunt particulis magnitudine inæqualibus: Sic primam paulò majorem particulam offerebant in memoriam Salvatoris, juxtà illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: Deindè alteram, & minorem particulam offerebant in memoriam, & honorem Deiparæ Virginis; tertiam, Joannis præcursoris; quartam, Apostolorum, & sic alias deinceps in aliorum Sanctorum venerationem; præsertim verò unā in honorem Sancti, cujus prò tempore Natalitia celebrabant.

9 Hunc ritum sequuntur communiter Græci, offerentes etiam particulas prò vivis, quæ rationem habent Sacrificii, vel Eucharistici, vel Expiatorii, vel Impetratorii; ac offerentes prò defunctis particulas, quæ rationem habent Sacrificij tantummodò Impetratorii, seù Satisfactorii.

10 Eædem particulæ posteà inserviunt communicantibus, & propterea ponderat Arcudius, quod Sancti Patres hunc modum offerendi fortassè excogitarunt, ut & varii fines sacrificij explicarentur; & populo nihilominùs, qui, quoties sacro intererat, communicare consueverat, minimè sacramentum deesset.

11 Qamvis tamen nobis non liceat, hanc Græcorum materiam offerre: discederemus enim ab Ecclesiâ Latinâ, & quotiescumquè constaret de pravâ opinione, de quâ superiùs, incideremus in suspicionem hæresis; eò magis, quia, Junior Græcia paululùm hac in re ab antiquâ deflectens, novas particulas excogitavit, teste Richardo Simone *in fide Orient. in notis*, *pag. mihi 263. col.2.* ubi eruditè, ut sui est moris, rem pertractat: nihilominùs non sunt damnandi Græci ritum Ecclesiæ suæ non alterantes; undè rectè Arcudius *in dict. cap.9.* invehit adversùs quemdam alioquin doctum, & pium, qui in Poloniâ suaserat cuidam nobilissimæ Matronæ Ruthenæ, ne ampliùs sumeret Eucharistiam à Presbyteris Russorum: Negabat enim, illos distribuere Corpus Domini, sed Corpus B.Virginis, S.Nicolai: *Miror*, subjungit Arcudius, *quomodò etiam non dixerit, nos exhibere Corpus vivorum*, *imò & mortuorum*: *prò his enim omnibus offerimus particulas*.

12 Hinc S.Germanus *in fine suæ Theoria in Liturgiam*, non particulas, quæ alioquin extrà Sacramentum minimè distribuuntur populo; sed panem, undè sumitur major particula in memoriam Christi, vocat Typum Virginalis Corporis, & Corpus Deiparæ. Ut enim ex purissimo sanguine Virginis formatus est Christus, ità etiam ex illo pane sumitur particula in Corpus Christi transmutanda; vndè panis ille figuram gerit Deiparæ, qui tandem in fine Missæ, non per modum Sacramenti, sed per modum panis Eulogici, populo ad Sacramentum percipiendum non disposito distribuitur, quod etiam alibi in usu extitisse, patet ex Mabillon. *de Azimo*, *cap.8*.

13 Imò, cum antiquitùs præcepta fuerit communio omnibus in Ecclesiam convenientibus, ut patet ex *Can.2. Concilii Antiocheni*, & ex *can. 8. & 10.* Apostolorum, quod etiam fuisse juxtà disciplinam Ecclesiæ Romanæ, testatur Pontifex Anacletus *ep.1. num.2.* ne tamen fideles cogerentur illis diebus, quibus percipiebatur hæc Communio: Quoti-
14 dianam enim Communionem nunquā Ecclesia præscripsit, ut luculenter probant Canonici Colonienses adversùs Hermanum Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopum Apostatam Lutheranum, & Dionysius Petavius ad Epiphanianam fidei expositionem contrà Caluabonum

bonum, aliosque; ne (inquam) illis diebus cogerentur fideles imparati sumere Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesia consuevit, Eulogias exhibere, præterquam in quadragesimâ, ne jejunium frangeretur, occasione Eulogiarum, de quibus Spondanus *anno 313.num.13.* Cabasutius *in Notitiâ Concil. in Diatriba ad synodum Laodicensem, pag. 137.*

15 Nec hujusmodi Eulogiarum distributio fieri solebat tantummodò in Ecclesiâ, verùm etiam intrà privatas fidelium ædes, ad quos deferebantur. Sæpènumerò etiam fideles privatim ad amicos procul distantes transmittebant (ut mutuæ pietatis, & sacræ charitatis symbola) quas penès se habebant, Eulogias: Concilium verò Laodicenum *can. 14.* prohibuit, transmitti has Eulogias in alias Paræcias, quamvis Balsamon, & Zonaras illud decretum interpretentur, quod prohibuisset, à fidelibus mitti Sacratissimę Eucharistiæ particulas, seù bucellas: Videndi sunt Bulengerus *in suis diatribis adversùs Exercitationes Casauboni*, & Andr. Eudem. *lib. 2. defens. Baron. cap. 15.*

Tandem quò ad tempus, locum, cęremonias, & dispositiones, consuli poterunt, quę superiùs diximus; nam prorsùs pari passu ambulant respectu abusus in offerendo.

16 Præter modos prædictos, committitur etiam abusus in offerendo, quoties offertur Sacrificium prò mortuis, quorum animas ad inferos detrusas fuisse, constat, & qui sic abutitur, est utiquè suspectus: Hurtad. *resol. Moral. tract. 5. cap. 6. resol. 51.* ubi latè; & est puniendus ab inquisitoribus: Moura *de Incant. sect. 2. cap. 2. num. 69.* ubi *à num. 7.* probat, erroneas esse opiniones eorum, qui dicunt, quosdam à pęnis inferni ex divino privilegio liberatos fuisse: Asserit etiam

17 suspectum in fide, qui dicit, pænas inferni Sanctorum orationibus, & Sacrificiis interdùm mitigari, quidquid dicant Glossa *in can. tempus 13. qu. 2.* Præpositius *in Compendio Theologiæ.* Linconiensis *in summ. Theol. in fine.* Altisiodorensis *lib. 4. in fine*, P. Petavius *tom. 3. Theol. dogmat. lib. 3. de Angel. cap. 8.* Super hac re vide Ludovic. à S. Joann. *part. 1. Summ. qu. 9. De Eucharist. art. 4. dub. 2. difficul. 4.* Bellarm. *lib. 2. de Missâ, cap. 6.* Aversam *qu. 11. de sacrific. Missæ, sect. 11. verbo secundo*, Lessium *3. par. quæst. 83. art. 1. dub. 9. nu. 47.* Marchin. *de Sacram. ordin. tract. 3. par. 2. cap. 9. num. 13.* Scortiam *de Missâ, lib. 2. cap. 2. num. 8.* & Pasqualig. *de sacrif. novæ legis, qu. 156.*

Rectè igitur Augustinus *lib. 3. de Animâ, & illius Origine, cap. 12. Noli credere, nec dicere, Sacrificium Christianorum prò iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.*

Nàm, ut inquit Leo Allatius *in dissert. 2. de libris Eccles. Græcorum: Si in inferno Origenicè tempora, non verò catholicè decurtas, & in angustissimos terminos coarctas, quid vetat itidem tibi & de æternâ beatitudine stultissimè, & quàmmaximè animabus perniciosè asserere*: Vide Dominicum de Soto *in 4. dist. 45. qu. 2.*

18 *art. 2.* In hunc errorem prolapsa est Junior Græcia, offerens Deo Sacrificium, ut animas eripiat ab Inferni gemitibus, quia, ut perperàm opinatur Gabriel Philadelphiensis, cum ad hæc usquè tempora sententia postrema, atquè universalis in peccatores lata non sit, infernus invenitur reseratus, & infinita Dei misericordia ad miserandum parata; quâpropter animæ, non tantùm ob effusas prò illis ad Deum preces remissionem accipiunt, & consolationem; sed absolutam libertatem, & liberationem à pænis. At Veterem Græciam ab hujusmodi errore purgat eruditissimè Richardus Simon, de quo suprà meminimus, *in dictis notis, à pag. 256.*

19 Diceretur quoquè committi abusus in offerendo, si offereretur Missę Sacrificium prò fidelibus, quos Ecclesia perfrui æternâ beatitudine credit: Beatorũ enim animæ nostris suffragiis non indigent, cum beatudo, quâ fruuntur, nec augeri, nec minui possit: Siquidem juxtà charitatem, quam quis habet, plus, vel minus participat de lumine Gloriæ, ut docet S. Tho. *1. par. qu. 12. art. 6.* ideoquè si diceremus, beatitudinem esse capacem incrementi, vel decrementi, cogeremur quoquè dicere, vel beatitudinem non esse charitatis præmium, vel beatos posse in statu gratiæ permanenti mereri, vel demereri: Utrumquè autem absurdum

est. Erit ergò suspectus de hæresi, qui sacrificium Missæ offerret, & prò beatis
20 oraret; & licet Græci in Liturgiâ offerant sacrificium prò Sanctis, ut docet Dominicus Macrus *in Hierolexic.* nihilominùs, pròut explicat Græcus Cabasilla, Græci offerendo sacrificium prò Sanctis, non intendunt orare prò illis, sed tantùm offerre eisdem prò nouâ gloriâ accidentali: Raguccius *de Missâ in Eccles. qu.76.nu.3.* Pasqualig. *de Sacrif. nov leg. qu.160.num.9.* Merbes. *in summâ Christianâ, dissert.3. par.3. qu.5. concl.2.*

21 In hoc sensu recitantur in nostrâ Ecclesiâ Latinâ multæ orationes, ut observat Theophyl. Rayn. *in Heter. Spirit. lib.1. sect.3. punct.2 pag.254. §. illud mihi.* Ut v. g. Oratio prosit Sanctis ad gloriam, sicut nobis prodest ad medelam; & in Secretis Missę S. Leonis oratur Deus, ut beata retributio S. Leonem comitetur: In Missâ de Communi Confessor. Pontific. dicitur: *Sacerdotes tui Domine induant justitiam.*

Hoc autem modo nequit propriè dici orari prò Sanctis, quia ad hoc non sufficit qualiscumquè carentia boni postulati; aliter dici posset orari prò Deo, cum ejus gloriam, & nominis sanctificationem poscimus: Nam ea gloria licèt extrinseca, est tamen aliquid Dei bonum, nec aliud, quàm utile. Sicquè impropriè dicitur orari prò B. Virgine, proferendo *Ave*, vel *Salve*, quasi omnis salutatio sit salutis precatio. Rem hanc acu tetigit August. dum *lib.8. de Civit. Dei, cap.27.* ait, duplici de causâ nos offerre sacrificium in honorem Sanctorum, & ut Deo vero de illorum victoriis gratias agamus; & ut orent ipsi prò nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus. Quamobrem non minùs eleganter, quàm ingeniosè inquit Arcudius: *Offerimus, sed non oramus prò ipsis. Tritum, ac celebre dictum illud: Injuriam facit Martyri, qui orat prò Martyre: Offerre autem prò Sanctis nihil aliud est, quàm gratias agere Deo prò acceptis beneficiis, hoc est prò eorum victoriis, & rebus præclarè, & fortiter gestis, atquè sempiternâ illorũ felicitate. Hoc ipsum aut est etiam offerre prò eorum cultu, & honore. Quippè hoc totam in eorum cedit gloriam, adventitiam scilicet, & extrinsecam: Item accedit illius gloria coram hominibus. Quarè unum sequitur alterum, dum etiam prò ipsis Deo gratias agimus, eos hoc modo commemoramus, & honoramus. Indè verò & aliud consequitur, ut ipsi memoriam nostri habeant in Cælo, & prò nobis orent. Quò circà offerimus prò eorum victoriis, prò eorum gloriâ, & prò eorum patrocinio invocando: Atquè is est finis, cujus gratiâ offertur Deo Sacrificium Eucharisticum prò Sanctis. Prætereà potest*
23 *afferri alia quoquè ratio, quarè idem sacrificium offeratur prò Sanctis, prò vivis, prò mortuis. Ut enim S. Augustinus scribit in lib.10. de Civit. Dei, cap.6. & lib.22, cap.10. In Sacrificio Altaris significatur Sacrificium generale, quo universum Corpus Christi mysticum, idest tota redempta Civitas offertur Deo per Christum Sacerdotem magnum. Et quoniam ad compagem hujus corporis pertinent, tùm Sancti, qui degunt in Cælo, tùm & qui existunt in purgatorio, tùm etiam, qui in terris adhuc mortales versantur, ideò cuncti suo ordine in sacrificiò Altaris nominandi sunt: Sic Iacobus Apostolus in principio fermè suæ Liturgiæ: Benefice, inquit, Rex seculorum, universæquè creaturæ opifex recipe ad te accedentem Ecclesiam tuam per Christum tuum; singulis, quod utile est, perfice:* De hac re disserunt Bellarm. *lib.2. de Missâ, cap.8.* Suarez *d.78. sect.3.* Azor. *lib.10. cap.22.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract.3. par.2. cap.9. num.2.* Scortia *de Missâ, lib.2. cap.11. num.7.* & Pasqualig. *de Sacrificio Missæ, q.160.* Hac ratione non potest celebrari Missa de Requie prò parvulis baptizatis decedentibus antè usum rationis; & qui aliter faceret, graviter peccaret, & ostenderet, se non benè sentire de eorum beatitudine, ut ponderat laudatus Pasqualig. *ubi suprà, qu.159. in fine.*

SECTIO III.

Dd abusu Sacramentorum in conferendo.

SUMMARIUM.

1 *Abusus in conferendo committitur in omnibus Sacramentis, excepto matrimonio; tamen respectu Baptismi ex defectu potestatis nullus abusus committitur.*

2 *Error Græcorum deterrimus, qui absente Presbytero, permittunt absquè baptismo decedere infantem.*

3 *Calvinus in hoc Græchizat, dum neque in extremâ necessitate Laicis baptizare permittit.*

4 *S. Athanasius puer alios pueros baptizavit, & in Concilio Lateranensi decernitur validum baptisma à quocumquè ritè administratum.*

5 *Alia Ecclesiæ decreta ad idem.*

6 *S. Stephanus P. abrogavit Canonem Firmiliani Episcopi in Concil. Iconiensi de baptismo ab Hæreticis collato reiterando.*

7 *SS. Basilius, & Athanasius, post decretum Stephani Papæ, & aliorum, mirum quod adhæserint Firmiliano.*

8 *Priscis temporibus quæstio valde implicata, an valeret baptismus collatus à non baptizato.*

9 *Intrusus à corruptoribus error inter Canones Apostolorum de iis rebaptizandis, qui à Laicis, & ab Hæreticis baptizati fuerint.*

1 HIc abusus committitur respectu omnium Sacramentorum, Matrimonio excepto; iis deniquè modis, quibus committitur in conficiendo, & offerendo.

Sed observandum, quod respectu Sacramenti baptismi ex defectu potestatis nullus committitur abusus; hocquè ob summam ergà nos Dei clementiam, quâ voluit, ut Sacramentum ad salutem necessarium à quocumquè homine in casu necessitatis validè conferri posset, quemadmodum rectè advertit S. Thom. *qu. 67. art. 3.* undè deplorandus est er-
2 ror, in quo ex imperitiâ versatur tota fermè Græcia, Ruscia, Moscovia, & quævis alia Provincia, quæ in fide Christi ritu Græco perseverat, ità ut absente Presbytero, mavult permittere, ut Infantes sinè baptismo è vitâ decedant potiùs, quàm eos salutari lavacro abluere, eò quià existimant, laicis, ne in necessitate quidem, licere hoc munere fungi, ut ait Arcudius *de concord. Eccles. occid. & orient. lib. 1. cap. 11.*

3 Calvinus quoquè huic græcorum opinioni adstipulatus est, docens *in lib. 4. instit. c. 15. §. 20. 21. & 22.* nec in extremâ quidem necessitate iis licere baptizare, qui non sunt ordinarii Ecclesiæ Ministri ad hoc ipsum vocati, & ordinati, quod etiam alibi repetit, ut videre est penès Bellarm. *de Sacram. baptism. lib. 1. cap. 17.*

Damnat propterea Sephoram uxorem Moysis, eò quià filium suum circumcidit, & ait, nos ineptè induci permittentes, baptismum tradi à laicis, tàm maribus, quàm fæminis, & sequi exemplum stultæ mulieris.

Sed quidquid impius deblateret Calvinus, habemus ex historiâ S. Athanasii, quod ipse puer existens, pueros baptizaverit: & quod baptisma illud validum fuerit: Imò in Concil. Lateranen. sub Innoc. III. *can. 1.* decernitur quod Sacramentum baptismi à quocumquè ritè collatum, proficit ad salutem,
5 & idem definitum fuit in Florent. ut constat ex decreto Eugenii prò Armenis: Cardinal. Toledo *in sum. lib. 2. c. 20. num. 7.* Valent. *tom. 4. disp. 4. qu. 2. punct. 1.* Torreblanca *Iuris spirit. lib. 2. cap. 5. num. 8.* Accunna *cap. 3. numer. 2. dist. 9.* Albaspineus *observ. 5.* & Covar. *lib. 4. var. cap. 13.*

Id ipsum anteà definiverat Synodus Constantinopolitana: Mens summorum PP. & Conciliorum in definiendo hoc dogmate fuit, baptismum non mutuare suam virtutem ab interiori Ministri dispositione, vel cogitatione, sed ab externis, & sensibilibus signis, & verbis à Christo institutis; atquè ità, quantumvis Peputianus, aut Montanista de divinis personis deliret, dummodò tres personas enumeret, quomodò enunciari Christus Dominus instituit, sufficit ad validitatem baptismi.

6 Huic Catholicæ innixus doctrinæ S. Stephanus I. Papa (quem posteà sequuti sunt Patres æquè Græci, ac Latini) Canonem Firmiliani Episcopi in Concilio Iconiensi pronunciatum, atquè à S. Cypriano in tribus Affricanis conciliis roboratum, abrogavit, de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati essent: Atquè de Cathedrâ contrarium firmavit, exclamans: *Nihil innovetur præter id, quod traditum.*

7 Mirum est, quod post decretum Stephani Papæ, post definitiones Conciliorum Arelaten. primi, & Nicæni primi S. Basilium successorem Firmiliani in Epis-

Episcopatu *epist. ad Amphiloch.* adhærere huic falso dogmati, & docere, ab hæreticis baptizatos revertendo ad Ecclesiam, esse denuò baptizandos, omnes quidem communiter, sed eos maximè, qui circà Trinitatis personas erraverunt; & magis mirandum de Sancto Athanasio, qui in *orat.3. contrà Arrianos*, non tantùm istorum reprobat baptismum, sed aliorum hæreticorum, ut refert Cabasut. *notitia Ecclesiast. sect.3. pag.66. num.5. & 6.*

Videndus etiam Arcudius *loco cit. pag. mihi 30. col.2.* ex quo discas, quantum aberraverit Sixt. Senen. *Bibl. lib.4. pag.400.* ubi dicit, Basilium nullâ unquàm, aut sententiâ, aut verbo errasse ex communi Græcorum Patrum consensu.

8 Sed nota, quod priscis temporibus quæstio fuit valdè implicata, an valeret baptismus collatus à quovis non baptizato, si isti intendant exequi, quod facit Ecclesia Catholica. Hanc quæstionem non est ausus dissolvere S. August. Loquens enim contrà Parmen. *lib.2.* ait, nec aliquid est temerè affirmandum sinè Concilii auctoritate.

Nicolaus Papa I. in responsione ad Consult. Bulgar. *c.204.* & refertur *in cap. A quodam Iudæo, de consecration. dist.4.* affirmativè resolvit propter rationem superiùs dictam, & antè Nicolaum Papam, ità decrevit Concilium Compendiens. *anno Christi* 757.

Nec solùm in hæreticis est hujusmodi baptizandi potestas, sed etiam in Gentilibus; id, quod etiam comprobatur ab exemplo S. Genesii Martyris.

Cum ergò hæc ità se habeant, elucescit, insertum fuisse in Constitutionibus Apostolicis ab Authore, qui eas corrupit, ac depravavit, Canonem, quo baptisma à laicis, & ab hæreticis collatum declaratur nullum, ut benè advertit laudatus Arcudius *ibidem*.

SUBSECTIO I.

De Sacramentorum abusu in conferendo ex defectu potestatis:

SUMMARIUM.

1 *Simplex Sacerdos nulliter confert Sacramentum confirmationis, quia Minister ejus ordinarius est solus Episcopus.*

2 *Simplex Sacerdos conferendo hoc Sacramentum est de hæresi suspectus, eò magis, quia hæretici negant, solum Episcopum esse hujus Sacramenti Ministrum.*

3 *Novatianus negavit hoc Sacramentum, quem secuti sunt Donatistæ.*

4 *Simplex Sacerdos ex Pontificis dispensatione potest Sacramentum Confirmationis administrare.*

5 *D. Gregorius, & alii Summi Pontifices simplicibus Sacerdotibus concesserunt facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis.*

6 *Adrianus VI. idem concessit, revocando sic, quod antè Pontificatum docuerat in contrarium.*

7 *Græci antè schisma utebantur potestate extraordinariâ confirmandi, quæ perpetuo usu evasit posteà ordinaria.*

8 *Simplex Sacerdos in conferendo Sacramentum Confirmationis est Minister extraordinarius; Episcopus verò ordinarius.*

9 *Episcopus ratione excellentioris potestatis solus Ordines confert, quod Sacerdoti nequit communicari.*

10 *Cum utraquè potestas, ordinandi scilicet, & confirmandi proveniat ab Ordine, cur Sacerdos possit confirmare, non autem ordinare?*

11 *Potestas absolvendi à peccatis, licet proveniat indelebiliter à charactere ordinis, requirit tamen jurisdictionem, tanquàm conditionem, sine quâ non.*

12 *Innocentius I. coercet arrogantiam Presbyterorum Eugubinorum, qui sibi arrogarant jus confirmandi.*

13 *Solus Summus Pontifex potest concedere Presbyteris facultatem confirmandi privativè ad Episcopos.*

14 *Clerici inferiores Presbyteri nequeunt esse Ministri Sacramenti Confirmationis.*

15 *Græci Sacerdotes non abutuntur Sacramento Confirmationis, dum illud administrant potestate extraordinariâ ex Pontificiâ dispensatione.*

16 *Græcis Presbyteris in Italiâ commorantibus vetitum est Sacramentum Confirmationis administrare.*

17 *Non Sacerdos, nequè Diaconus est de hæresi*

hæresi suspectus, si administrat Eucharistiæ Sacramentum.

18 *Limita in casu necessitatis.*

19 *Antiquitùs etiam Laici erant Ministri Communionis.*

20 *Attrectare hostiam, quâcumque ex causâ fiat, inducit hæresis suspicionem.*

21 *Antiquitùs Viri communicaturi, Eucharistiam manibus excipiebant, non tamen fœminæ.*

22 *Auctoritates ad hoc SS. Basilii, Gregorii Magni, & Gregorii Nazianzeni, & num. 23. & 24.*

25 *Antiquis temporibus nonnulli ob reverentiam, Eucharistiæ Sacramentum non attrectabant.*

26 *Antiquitùs Eucharistia deferebatur ab itinerantibus, quam consuetudinem modò retinet tantùm Summus Pontifex.*

27 *Qui furantur sacras particulas à fortiori sunt de hæresi suspecti.*

28 *Furans Pyxidem etiam ex solâ avaritiâ, si sacras particulas contrectet, fit de hæresi suspectus.*

29 *Laicus, vel non Sacerdos administrans Extremæ Unctionis Sacramentum, est de hæresi suspectus.*

30 *Nec Summus Pontifex dispensat, ut non Sacerdos Eucharistiam administret.*

31 *De quâdam specie Extremæ Unctionis, quam sibi ipsi, quoties Vesperi decumberet, administrabat Leopoldus Guilielmus Archidux.*

32 *An simplex Sacerdos possit benedicere Oleum Extremæ Unctionis? affirmativè tenendum, jurisdictione extraordinariâ.*

33 *Probabile esse, censent multi, cõsecrationem olei non esse de essentiâ Sacramenti extremæ Unctionis de jure divino, sed ex pracepto Ecclesiastico.*

34 *Hæc opinio falsa est ob auctoritatem Conciliorũ Florentini, & Tridentini.*

35 *Rejicitur tanquàm falsa opinio Martinioni asserentis, in casu necessitatis licitum esse in Sacramento Extremæ Unctionis uti oleo non benedicto.*

36 *In Synodo celebratâ in Monte Libano proscriptus fuit error ungendi corpora oleo à Sacerdote benedicto.*

37 *Martinioni opinio, etiamsi minus probabilis, absquè suspicione hæresis non sequenda, propter propositionem damnatam ab Innoc. XI.*

38 *Græcorum Presbyteri benedicunt Oleum Extremæ Unctionis extraordinariâ potestate ex dispensatione Ecclesiæ: & in hoc differunt ab Episcopis, qui id præstant auctoritate ordinariâ.*

39 *Græci Presbyteri, benedicendo oleum infirmorum, nullam hæresis suspicionem incurrunt.*

40 *Qui non Episcopus conferret Sacramentum Ordinis, esset de hæresi suspectus.*

1 COMMITTITUR hic abusus ab iis, qui dignitate tantùm Sacerdotali decorati, audent conferre Sacramentum confirmationis: Nulliter enim conferunt, dum solus Episcopus est ordinarius minister huius Sacramenti, ut est constans, & recepta ab omnibus sententia: Martene *de Antiq. Eccles. ritibus, lib.1.cap.2. art.3.* Bellarmin. *contr. lib.2. cap.12. tom. 3.* Saussay *panopl. Sacerdotal. lib.5. cap.3.* Merbes. *in summâ Christianâ, dissert. 2. qu. 14. conclus. 1.* ac definitum reperitur per Sacr. Concil. Trid. *sess.7. de Sacram. confirm. can.3 & sess.23. de Eccles. Hierarch. cap.4.* ideoquè talis

2 abusus, dubio procul, suspicionem hæresis inducit, eò magis, quia negant hæretici, quod solus Episcopus sit Minister Sacramenti confirmationis: Itâ Joannes Vvicleph. *lib.4. Trialogi, cap. 14.* Calvinus *lib.4. Instit. cap. 19. §. 10.* & Kemnitius *in 2. par. exam. pag. 324.*

3 His præivit, prò ut habet Saninch. *in scholâ controversisticâ, par. 2. lib.4. cap.2. art. unico,* Novatianus primus Schismaticus, qui erexit se in Antipapam contrà S. Cornel. Iste enim baptizatus in lecto, negavit hoc Sacramentum, antè ipsum usurpans Episcopatum; post Novatianum Donatistæ, & cæteri omnes, qui nullam agnoscunt differentiam inter Episcopum, & Clericum: Imò hæc hæresis fuit antiquitùs excogitata ab Arrio, ut se consolaretur, quod Episcopus factus non fuisset, teste Epi-

4 phanio *hæres. 75.* & quamvis quamplures autument, quod Sacerdos non possit Pontificiâ dispensatione confirmationis Sacramenti esse minister, nihilominùs verior sententia est, quod non careret hujusmodi potestate Sacerdos, qui

qui à Summo Pontifice obtinuisset dispensationem conferendi illud Sacramentum: Quippè, cum Episcopus ratione ordinis sit hujus Sacramenti ordinarius Minister, non implicat, quod possit esse Minister extraordinarius Sacerdos, cui inest ejusdem ordinis radix, & fundamentum: Martene *de Antiq.Ritib. dict. lib.* 1.*cap.*2.*art.* 3. Bellarmin. *d.cap.*12. Christian. *Lup. in collect. Concilior. tom.* 2. *Concil.*8. *cap.*5. *columm.*4. Altaserr. *Observat.ad epist.S.Gregor. lib.*3. *fol.*27. & 28. plurimis adductis Verricell. *de Missionibus*, *tit.* 6. *qu.* 129. Pac. Jordan. *elucub.tom.*1.*lib.*3.*tit.*2. *num.*8.

5 Hinc est, quod D. Gregorius Magnus, postquàm compressit presbyteros simplices, qui in Sardiniâ jus confirmationis administandæ sibi usurpabant, concessit, quod priùs negaverat, ut patet ex ejus *Epist.*26.*ad Januarium*, quę est 26.*lib.*3. ex quâ colligi potest, eum non suo sensu ductum sic se gessisse, sed inhæsisse usui, ac sensui anteriorum Pontificum, quem item posteà secuti sunt varii Pontifices, nominatim Greg. XIII. prò Societate Jesu in oris Indianis, necnon Adrianus VI. prò Fratribus Minoribus in iisdem oris *anno* 1521.*die* 25.*Aprilis*, ut testatur Arcudius *lib.*2.*de Confirm cap.*5.

6 Hic nota incidenter, quod ipse Adrianus, postquàm infallibilem Petri Cathedram conscendit, facto improbavit, quod antè suum Pontificatum perperàm docuerat, scilicet non posse à Summo Pontifice cōmitti simplicibus Presbyteris jus confirmationis administrandæ: Porrò ex hoc Adriani facto agnosci potest, quàm leve sit argumentum, quo Natalis Alexander probat, fallibilem esse Summum Pontificem, eò quia, dùm præfatus Adrianus Ecclesiæ præerat, Romæ excussi fuerint ejus libri, qui erroribus nonnullis scatebant, non secùs, ac si ipse Summus Pontifex eos errores Pontificiâ authoritate approbaverit, quod patet esse falsum; nam diversimodè tunc operabatur, id quod in similibus terminis de permissione Gregorii in Sardiniâ, ponderat Pac. Jordan. *elucub. dict.lib.*3. *tit.*2. *n.*6. Undè nescio quonam pacto Merbel. *in summâ Christian. dissert.*2. *qu.* 14. *concl.* 2. asserat, non posse ex dispensatione concedi simplici Presbytero potestatem conferendi confirmationem.

7 Imò ea extraordinaria potestas confirmandi, quâ Græci antè exortum schisma utebantur, diuturno, ac perpetuo usu ordinaria quodammodò evasit, ut ex Luca Holstenio ait Richardus Simon *in Fide Orient.in notis ad Gabrielem Severum*, *pag.mihi* 269. *col.*1.

8 Cum igitur simplex presbyter, quò ad jus confirmationis administrandæ in se habeat ordinis radicem, & fundamentum, in hoc ab eo differt Episcopus, quod ex commissione Pontificis simplex Sacerdos potest esse confirmationis minister, ut hactenùs monstratum est; tamen Minister ordinarius, prò ut Concil.Trid. *sess.*7. loquitur, est solus Episcopus, ut habetur ex S.Chrisost. *hom.*12. *in act.*

Hinc D. Clemens *lib.*3.*Apostolic.constitut.cap.*16. *Episcopus baptizato chrismate ungat*, & *ad Iul. epist.* 4. *Omnibus festinandum est sinè morâ renasci Deo*, & *ab Episcopo consignari*: Hoc etiam rectè ex perpetuo sensu Ecclesiæ probant Bellarm. *ubi suprà,lib. de confirm.cap.*12. Lorinus *in cap.*8.*actor.vers.*17. reiiciens secùs arbitrantes Cajetanum, ac Ferariensem, necnon Salmeronem.

9 In hoc itaquè differt Episcopus, quod excellentiorem habeat potestatem, atquè adeò absolutè, & independenter potest, itàut à quocumquè impediri minimè queat. Hujus excellentioris potestatis vigore confert quoquè Ordines: Hocquè adeò peculiare est Episcoporum, ut illud inferiori potestati communicari non possit, undè Chrisost. *hom.*11.*in ep. ad Timoth.* ait, quod solâ potestate ordinandi Episcopi præstant Presbyteris: non sic existimandum est de administratione Confirmationis, cujus potestas est in Presbyteris ratione Ordinis, sed conditionata, & imperfecta, quæ Pontificiâ dis-

10 pensatione perficitur. Nequè mirum videri debet, quod licet proveniat ex Ordine utraquè potestas & ordinandi, & confirmandi, priorem tamen nequeat habere Sacerdos, sed tantùm posteriorem; Nequè (inquam) mirum: Non enim character, ut ex Bellarm. transcribit Arcudius *loco cit. lib.* 2. *cap.* 16. est ali-

aliqua physica potentia, quæ necessariò semper, & eodem modo operetur; sed est signum Divini cujusdam pacti: Pacta autem non solùm humana, sed etiam divina possunt esse absoluta, & conditionata; undè cum Arcudio *ibidem* dicendum est, in hoc casu ordinem Presbyteratus respectu Confirmationis esse conditionatum, quod liquet ex Ecclesiasticâ praxi: Cum enim Romana Ecclesia itâ in usu habeat, nequè possit errare, per consequens itâ sentiendum est; & comprobari etiam po-
11 test exemplo potestatis absolvendi: Siquidem absolvere â peccatis est potestas Ordinis, quæ à nemine auferri valet, cum pendeat ex indelebili charactere: Postulat tamen necessariò, tanquàm conditionem sinè quâ non, ut Scholæ Philosophorum terminis utar, aliquam jurisdictionem, & propterea communiter appellatur potestas jurisdictionis, quamvis sit Ordinis: & quemadmodum ad calefaciendum aliquid, necessaria est ignis ad illud approximatio; itâ ad applicandum alicui effectum potestatis ordinis, requiritur assignatio jurisdictionis in ipsum. Verùm etiamsi hæc Ordinis potestas nullam jurisdictionem exposceret, esset pariter in Sacerdote conditionata, & tunc ea Superioris facultas, quæ modò re ipsâ in absolvendis pœnitentibus à peccatis necessaria est prò jurisdictione, requireretur pro Ordine.

12 Quamobrem cum quidam Presbyteri Eugubini temerariè sibi arrogassent jus confirmandi absquè ullâ Summi Pontificis facultate, non secùs, ac si in ipsis Ordo fuisset non conditionatus, quemadmodùm reperitur in Episcopo, eos proindè compressit Innoc. I. *in Ep. ad Decentium Episcopum, cap. 3.*

13 Nec hujusmodi dispensatio concedi potest ab Episcopis, sed ab ipso Pontifice est obtinenda, dum, quidquid sit, an antiquitùs Episcopi hanc facultatem delegare possent, ut præter alios, affirmativè tenent Arcudius *loco suprà citato*, & Christianus Lupus, de quo *suprà*, hodiè, quoniam lex universalis Ecclesiæ statuit â solis Episcopis confirmationis Sacramentum ministrari, in eâ lege Episcopus dispensare non potest, ut latè probant Verricell. *de Mission. dict. quæst.* 131. *n.* 8. *tit.* 7. Pac. Jordan. *elecub. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 7.

14 Cum itaquè potestas confirmandi Sacerdoti cōpetat ratione ordinis, nullo pacto, qui promoti non fuerint ad presbyteratum sivè Clerici, sivè Diaconi, esse poterunt Sacramenti confirmationis Ministri, prò ut etiam firmavit Fermosin. *tract.* 2. *tom.* 2. *de offic. & Sacr. Eccles. de Sacram. Confirm. in concl.* 4.

15 Quoniam igitur, ut diximus, potest Summus Pontifex dispensare cum Sacerdotibus, ut conferant hujusmodi Sacramentum, nullum videntur abusum committere Presbyteri Græci, qui non authoritate ordinariâ confirmant, sed extraordinariâ: Arcud. *loco cit. cap.* 15. Et quamvis non expresè constet de dispensatione Pontificiâ Græcis indultâ, sufficit tamen consuetudo, juxtà Fermosin. *loco cit. quæst.* 9. *num.* 13. quam consuetudinem tacitè approbavit Eugen. IV. in Concilio Florentin. *sess.* 5.

16 Sed advertendum, hoc non procedere quò ad Græcos Presbyteros in Italiâ commorantes, attentâ prohibitione Clementis VIII. *in Bullâ* 31. *Augusti* 1595. & docet Verricell. *de Mission. dicto tit.* 7. *quæstion.* 131. *sub numer.* 5. Quinimò Innocentius IV. anteà revocaverat licentiam confirmandi, quatenùs eam Sacerdotes Italo-Græci habuissent à Sede Apostolicâ; Ideòquè si ipsi cōferrerent huiusmodi Sacramentum, essent à Sacrâ Inquisitione puniendi.

17 Quò verò ad defectum potestatis conferendi Sacramentum Eucharistiæ, dupliciter abusus committitur, vel quia conferatur à sacerdote, uti Viaticum absquè Parochi licentiâ; & tunc non incurritur hæresis suspicio, ut vidimus *suprà*; vel quia conferatur à non presbytero, seù à non diacono, & eo casu certum est, quod inducitur suspicio heresis Vvicleph, & Lutheri, penès quos non datur discrimen personarum ad Sacramentorum administrationem, ut firmant Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, num.* 52. *de hæret. in* 6. Hurtad. *tom.* 1. *Resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 63. *num.* 1482. Lupus *in Edicto p.* 1. *lib.* 1. *art.* 1. *diffic.* 1. & nos *suprâ*.

18 Limita tamen, si urgeret necessitas, ut benè probat Hurtad. *ibidem*, §. 2. & antè

ipsum Henrich. Boich. *in cap. decernimus*, *num.* 3. *de Iudic.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 47. Valentia 2. *par. disput.* 6. *qu.* 10. *punct.* 1. *in fine*, Coninch. *de Sacram. qu.* 82. *art.* 3. *n.* 13. Layman. *tract. moral. lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 4. *c.* 9. *num.* 258. & 285. Reginald. *in prax. lib.* 29. *num.* 93. Suarez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. *ad finem*, Mercer. 3. *par. qu.* 72. *art.* 3. *num.* 3. Capeavilla *de Eucharistiâ*, *qu.* 6. Dum antiquitùs etiam laici com-

19 munionis ministri erant, ità ut hic ritus subsequutis seculis adeò prævaluit, ut non sinè magnâ difficultate à Conciliis abrogari potuerit, quemadmodùm firmat Martene *de Antiq. ritibus*, *cap.* 5. *art.* 1. *num.* 2. Undè malè credidit De Lugo *de Sacram. disp.* 18. *Sect.* 1. *à num.* 22. quod scilicet non posset Laicus in articulo mortis, deficiente copiâ Sacerdotis, à semetipso sumere Eucharistiam: Hallier. *de Eccles. Hierarch. pag.* 376. *versic. in more*.

20 Extrà casum necessitatis atrectare sacratam hostiam, sivè devotionis causâ, sivè ex alio motivo, semper inducit hæresis suspicionem; quarè nec Grecorum populus Sacram Eucharistiam hodiè in manus accipit, teste Arcudio *de concord. Eccles. Occident. & Orient. lib.* 3. *cap.* 59. quem sequitur P. Vetricell. *de Apostolic. Missiom. tit.* 8. *qu.* 136. *num.* 5.

21 Quamvis aliter antiquitùs fieri consuevisset: Extat enim *Canon* 101. Synodus Trullanæ, qui minimè permittit, communicantes Eucharistiam aliquo vasculo excipere, sed manibus ipsis in Crucis figuram conformatis: Hoc idem suadet Cyrillus Hierosolimitanus *Cathec. Magist.* 5. Hujusmodi ritum memorans Chrisostomus *lib.* 3. *de Sacerdotio*, non minùs veneratur redemptoris nostri majestatem, qui cum Patre sursùm sedet, sed etiam humilitatem ejus, qui omnium manibus continetur: Alicubi tamen Mulieres Sacrã Eucharistiam in linteamine excipiebant, ut docet Augustinus *serm.* 252. Imò Concilium Antesiodorense *in canone* 36. jubet, à Mulieribus nudâ manu Eucharistiam non excipi, sed linteo, quod vocat Dominicale, *in can.* 42.

22 Sic Maximus Martyr admonet communicaturos Viros, ut priùs manus abluant; mulieresque, ut linteamina mundissima deferant, ubi Christi Corpus accipiant. Scribit proindè Basilius ad Cesariam Patriciam, de quo apud Anastasium Nicenum *lib.* 99. *super Scripturis*, scribit, inquam, quod supervacaneum est ostendere, minimè grave esse, aliquem manu propriâ communionem sumere, ubi non est Sacerdos, propterea quod res ipsa longâ consuetudine probetur: Omnes enim, qui sunt in desertis Monachi, ubi non est Sacerdos, illic habentes communionem, ex se ipsis illam sumunt: Alexandriæ autem, & in Ægypto unusquisquè ex laicis, qui illic degunt, maximâ ex parte communionem habent domi suæ: Hæc Basilius, & videri potest Eusebius *lib.* 6. *cap.* 33. Nicephorus *lib.* 6. *cap.* 6. & *lib.* 12. *cap.* 41. Baronius *tom.* 1. *pag.* 472. *anno Christi* 57. & Hurtado *dict. resol.* 63. §. 2. Simile refert Greg. Magnus *lib.* 3. *Dialog. cap.* 36. de Maximiano, ejusquè sodalibus navigantibus, qui atroci tempestate jactati, clavo deperdito, malo effracto, velis laceratis, in undas dispersis, ac Nave fluctibus obrutâ, sacram in tanto discrimine sumpserunt Eucharistiam, quam penès se habebant, cujus mirificâ virtute præsenti discrimini erepti, ad portum deniquè incolumes omnes appulerunt. Secum enim fideles reportabant Sacratissimas hostias exceptas nudis manibus, si essent Viri; linteo verò, si essent fæminæ, à Sacrdotibus, easquè postmodum jejuni sumebant inter privatas preces, quam consuetudinem innuit etiam Gregor. Nazianzenus *tract. in funere Gregorianæ Sororis*, ubi perhibet, illam in conclavi suo sacram Eucharistiam asservare cum magnâ veneratione solitam, precibus aliquandò ad eam fusis, vehementi, quo illa conflictabatur, morbo fuisse libera-

25 tam. Antiquis tamen temporibus nonnulli, ob reverentiã, hoc augustissimum Sacramentum non atrectabant: Scribit enim Ambrosius *in obitu Satyri fratris sui*, eum, cum esset cathecumenus, in gravissimo Naufragii, vitæque periculo constitutum, ne vacuus mysterij è Vitã discederet, divinum ab illis, qui erant mysteriis initiati, petivisse Sacramentum, & ipsum sibi ad collum alligari fecisse orario involutum, sequè mox in medios fluctus præcipitem dedisse:

disse: Sed insigni miraculo fuisse ad littus delatum incolumen. Quantò minùs igitur decet hodiè attrectare hoc sa-
26 crosanctum Sacramentum? Imò his nostris temporibus nec illud defertur ab itinerantibus, ut moris erat, nedùm in primitivâ, sed in jàm adultâ Ecclesiâ, in quâ etiam à Cathecumenis deferebatur, quemadmodùm videre est apud Verricell. *ibidem, à num.* 1. Quinimò nec ipsis sacerdotibus licet deferre, excepto Summo Sacerdote, qui retinet antiquam consuetudinem deferendi in itinere Sacram Eucharistiam; & ad omnem irreverentiam vitandam, ait Rocca *tract. de Sacro Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus praferendo, fol.* 26. iter faciente Pontifice, Sacram Eucharistiam magno apparatu, ac comitatu vnius diei itinere Pontificem præcedere debere; & equus, vulgo *Chinea*, quæ de more Pontifici itineranti Eucharistiam præfert, ad alios usus ampliùs deservire non solet in memoriam tantæ dignitatis: Jordan. *elucub. lib.* 4. *tit.* 1, *num.* 227. *tom.* 1.

27 Si igitur attrectare Sacram Eucharistiam, etiam devotionis causâ, inducit hæresis suspicionem, quid erit dicendum de illis, qui furantur particulas consecratas, adversùs quos habemus constitutionem Innocentii Undecimi *Ad nostri*, & de quibus agitur apud Gregorium Turonensem Episcopum *in lib.* 2. *de gloriâ Martyrum, cap.* 8. cujus hic titulus: *De interitu eorum, qui ministerium Basilicæ exportaverunt*? Et quid sentiendum erit de eo, cujus irreverentiam in augustissimum Eucharistiæ Sacramentum enarrat B. Pius V. scribens Archiduci Austriæ *ep.* 1. *lib.* 2.

28 Hinc, qui Pyxidem furatur, etiam ex avaritiâ tantùm subripiendi vas aureum, vel argenteum, utiquè efficitur suspectus, contrectans particulas consecratas: Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *à num.* 68. quem sequitur Farinac. *in append. de Immunit. num.* 217.; Secus si non contrectaret, ipsas cum reverentiâ in Altari, vel Tabernaculo relinquendo: Pœnæ autem, contrà hujusmodi Sacrilegium inflictæ, habentur apud Boer. *decis.* 254. *num.* 15. *in fine* Foller. *in pract. crimin. in verbo capiat Informationem, sub num.* 11. & *in pract. crimin. Canon. cap.* 17. *num.* 53. Milleum *in practic. fol.* 74. *num.* 17. Ghirland. *de pœnis omnifar. q.* 1. *num.* 9. Clar. *in pract.* §. *Sacrilegium, num.* 4. & Ricc. *in prax. tom.* 2. *resol.* 409. & nos *in secundâ Parte.*

Quò ad abusum ob defectum potestatis conferendi absolutionem Sacramentalem, ne repetamus ea, quæ alibi diximus, Lectorem proindè remittimus ad superiùs recensita.

Nunc remanet videndum de abusu conferendi absquè potestate extremam unctionem, ac Ordines Sacros.

29 Cum de fide sit, Sacramenti Extremæ Vnctionis Ministrum esse Sacerdotem, ut firmant præter alios, Durand. *lib.* 1. *de ritibus Eccles. cap.* 20. *numer.* 3. Ægid. Connich. *de Sacram. par.* 2. *disp.* 19. *dub.* 9. Escobar. *tom.* 3. *par.* 1. *Theologiæ moralis, lib.* 22. *sect.* 1. *cap.* 4. Pac. Jordan. *elucub. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 2. *tom.* 1. Priviter *Manual. Antist. par.* 1. *potest.* 40. *num.* 12. *in fine*, Suarez *de Sacram. disp.* 43. *num.* 2. Qui ergò non Sacerdos illud confert, facto approbat id, quod fidei opponitur; ideòque fit de hæresi suspectus, eò magis, stante hæreticorum errore, quod quilibet, etiam laicus, sit minister Sacramentorū, sicut rectè ponderat Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *n.* 19.

30 Quinimò nec Summus Pontifex dispensat, ut licitè quis non Sacerdotali charactere insignitus, conferat extremam unctionem contrà jus Divinum, ac Christi institutionem: Henriquez *in Summ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Contrarietatem verò, quæ oritur ex *epistolâ primâ, cap.* 8. Innocentii Primi, satis luculenter more suo solvit Bellarmin. *de extremâ Vnctione, lib.* 1. *cap.* 9. *inter controvers. tom.* 3.

31 Sed quid dicendum de Leopoldo Guillelmo Archiduce, qui, ut refert Georg. Gobat. *in experientiis Theologico-Sacram. tract.* 8. *casu* 22. *vers.* 2. *numer.* 904. quoties vesperi decumberet, quamdam extremam unctionem sibi adhibebat cum aquâ benedictâ, & dicebat: *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat mihi Dominus, quidquid in animâ per cordis affectum, & potentias internas commisi; & quidquid in corpore per sensus externos contrà rationem, & virtutem deliqui*? Videtur enim hic usurpasse partem

tem formæ sacramentalis, & destitutum charactere Sacerdotali sibimet hujusmodi Sacramentum administrasse: At nulla lex vetat, ne verbis etiam sacratissimis, ad unum certum finem institutis, utamur cum omni reverentiâ ad alium finem pium: Sic millies Christiani utuntur parte formæ baptismalis, dum se Cruce signant.

32 An autem Oleum Extremæ Unctionis benedicere possit simplex Sacerdos? Distinguit Arcudius *de concord. Eccles. Occident. & Oriental. lib.* 5. *c.* 2. Jurisdictione ordinariâ, negat; extraordinariâ verò, affirmat: Hanc distinctionem etiam amplectuntur Henriq. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. Valent. *dist.* 8. *quæst.* 1. *punct.* 2. & alii, quorum opinionem putat probabilem Escobar. *tom.* 3. *par.* 1. *Theol. moral. lib.* 22. *sect.* 2. *cap.* 8. *Probl.* 9. *num.* 72. & rationabiliter, nam cum Ecclesia Orientis, inquit Arcudius, talem consuetudinem habuerit, & in hanc usquè diem habeat; & hoc esse verissimum Sacramentum, firmiter credat, non est putandum, in re tàm gravi, & necessariâ errasse: Duplicem affert rationem idem Vir eruditissimus: Vel enim dicimus,

33 benedictionem requiri de essentiâ Sacramenti, & tunc videtur esse dicendum, de jure Divino non scripto, sed per manus tradito, consecrationem olei spectare ordinariâ potestate ad Episcopum; extraordinariâ, & delegatâ ad presbyterum, ut in unguento confirmationis: vel dicimus, consecrationem olei non esse de essentiâ Sacramenti, per consequens non esse de jure Divino, sed ex præcepto Ecclesiastico, quam opinionem probabilem censent Victoria *in Summ. Sacram. concl.* 219. Martinus Ledesma 2. *p. in* 4. *sentent. q.* 31 *art.* 6. quos citat quoquè Naironus *in Evopliâ, p.* 2. *pag.* 213. & eam non omninò esse improbabilem, affirmat Nicolaus Serrarius *in opusc. de Extr. Unction. c.* 7. *n.* 83. Fermosin. *de offic. & Sacr. Eccles. tom.* 2. *de Extr. Unctione, quæst.* 3. *num.* 12. In eam quoquè inclinare videntur Cajetan. Durand. & Paludan. qui duo postremi dicunt, Papam posse ungere oleo non consecrato; ex quo necessariò consequitur, esse de necessitate præcepti, non Sacramenti: Ratio illorum est, quia *Iacobi* 5. exprimuntur materia, forma, & Minister, sinè mentione benedictionis olei: sed hujusmodi opi-

34 nio falsa est, cum sit benedictio de essentiâ Sacramenti ex jure Divino non scripto, sed per manus tradito, idq; probatur, quia huic traditioni innixum Concilium Florentinum *in Instructione Armenorum*, definivit, materiam Sacramenti Extremæ Unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum, quod etiam declaravit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. Hujusmodi materiam exigit quoquè Gabriel. Qlai *in tract. de Sacram. cap.* 1. Martene *de antiquis ritibus, lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 3. *num.* 7. Pac. Jordan. *elucub. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 10. *& seqq. tom.* 1. Fermosin. *de offic. & Sacr. Eccles. tom.* 2. *de Extrem. Unct. quæst.* 2. *num.* 7. Priviter. *Manual. Antistit. par.* 1. *potest.* 40. *num.* 12. Merbes. *in Summâ Christianâ, dissert.* 5. *quæstiunc.* 16. & rationabiliter, quia cum oleum sit materia hujus Sacramenti, quâ Christus non est usus, antequàm ad usum Sacramenti applicetur, necessariò consecranda est: Fermosin. *ubi suprà*, *& de Sacram. Confirmat. quæst.* 2. *n.* 28. *in fine, tom.* 2. D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 3. Ledesm. *q.* 31. *art.* 5. Reginald. *lib.* 28. *num.* 50. quos sequitur Escobar *tom.* 3. *par.* 1. *Theol. moralis, lib.* 22. *sect.* 2. *cap.* 8. *probl.* 8.

35 Nec attendenda est opinio Martinioni *de Sacram. tom.* 5. *disput.* 65. *sect.* 3. asserentis, in casu necessitatis licitum esse oleum non benedictum, cujus opinio fundatur in eâ, quæ firmat, benedictionem non esse de essentiâ Sacramenti, sed de necessitate præcepti: Cum enim hoc fundamentum, cui innititur Martinionus, non subsistat: Nunn. *in* 3. *par. tom.* 2. *quæst.* 29. *art.* 6. *concl.* 1. Suarez *disput.* 49. *sect.* 1. *num.* 6. Escobar *tom.* 3. *par.* 1. *Theol. moralis, lib.* 22. *sect.* 2. *cap.* 8. *Probl.* 8. *num.* 69. Fermosin. *de offic. & sacr. Eccles. tom.* 2. *de extrem. unct. qu.* 2. *num.* 13. *&* 14. Ità Martinioni opinio est prorsùs reiicienda, tanquàm temeraria, & errori proxima, ut inquit Pi-

36 gnatell. *to.* 2. *consult.* 70. *Miscell.* Hinc rectè sub anathematis pœnâ in Synodo celebratâ in Monte Libano *anno* 1596. coram Hyeronymo Dandino proscriptus fuit error ille: *Ad eorum, qui moriuntur inungenda corpora, oleum ab Episcopo in die Cœnæ Domini consecratum*

non

non adhiberi, *sed illud*, *quod simplex quisquè Sacerdos tunc benedixerit*. Quamvis tamen usus Græcorum, qui vigebat antè schisma, non damnetur; imò approbetur à Clemente VIII. prò ut testatur quoquè Pignatell. *tom.5.consult.62.*

37 Posset etiam dici, quod opinio Martinioni, etsi non esset temeraria, sed tantùm minùs probabilis, quicumquè eam sequeretur, non excusaretur à suspicione hæresis, stante Innocentii XI. decreto, quo jubetur, sequendam in Sacramentorum administratione probabiliorem opinionem; eò magis, cum hæretici irrideant hujusmodi benedictionem Episcopalem, teste Alphonso de Castro *adversùs hæreses, verbo extrema unctio, fol.* 430. 2. *col. vers. ex quâ sententiâ*, Juenin. *de Sacramentis to.* 2.

38 *dissert.7.q.3.cap.1.pag.*783.*col.*2. & licet Græcorum Presbyteri non differant ab Episcopis, cum ipsi & confirmationem conferant, & hoc oleum, sicuti, & Cathecumenorum benedicant; tamen præter cæteras differentias magnum adest discrimen inter prædictos circà munus benedicendi. Etenim Episcopus benedicit ex officio, ad eumque spectat primariò, & ordinariè; presbyter verò extraordinariè, & ex dispensatione Ecclesiæ. Ità etiam Rex ex officio multa præstat, quæ Pro-Rex ex delegatione Regiâ exequitur, ut advertit Arcudius.

39 Nullam igitur suspicionem incurrunt Græci, si oleum Infirmorum benedicunt, quod tunc temporis faciunt, quandò æger ungendus est. Undè Clemens VIII. super eorum ritibus ait apud eosdem Arcudium *loco cit.* & Escobar *ubi suprà*, *Probl.* 9. *Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea sancta præter Chrisma ab Episcopis Diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsâ oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur, seù benedicantur.*

40 Sacramentum verò Ordinis minimè conferri potest, nisi ab Episcopo, ut omnes ex Concil. Tridentino *sess.* 23. *cap.4.& can.* 7. ultrà S. Thom. *in suplem.3.p.q.38.art.*1. & Marchin. *tract.*1. *par.* 2. *cap.* 1. & 2. fatentur, exceptis hæreticis, quorum argumenta diluit Bellarminus *de Sacramentis in genere lib.*1.*cap.*25. Ideòquè, qui non Episcopus auderet, hoc Sacramentum conferre, ex jisdem rationibus, quas suprà sæpè recensuimus, erit vehementer suspectus de hæresi.

SUBSECTIO II.

De Sacramentorum abusu in conferendo ob non debitam materiam.

SUMMARIUM.

1 *Conferens baptismum non in aquâ naturali, est de hæresi suspectus.*

2 *Lutheri error est, adhiberi prò materiâ Sacramenti Baptismi quidquid potest habere rationem balnei: Idipsum Calvinus, & alii sentiunt.*

3 *Anglorum error priscus erat, Baptismum administrare in aquâ rosaceâ.*

4 *Alii antiquiores respuerunt à Baptismate aquam omninò.*

5 *Nullus est error, conferre Baptismum cum aquâ calefactâ, quod Græci faciunt.*

6 *Non est de essentiâ Baptismatis, quod aqua sit benedicta, quod exemplis probatur.*

7 *Benedictio aquæ in Baptismo est ab Ecclesiâ præscripta.*

8 *Utens aquâ non benedictâ in Baptismate, non faceret contrà finem Sacramenti, nec eâ uteretur, tanquàm medio ad peccandum.*

9 *Hæreticorum Blasphemiæ circà Sacramentum Confirmationis.*

10 *Qui pluribus particulis communicat fideles, abutitur Sacramento Eucharistiæ ob non debitam materiam, & fit de hæresi suspectus.*

11 *Qui tradunt Communionem sub utrâquè specie, sunt de hæresi suspecti.*

12 *Petrus Deserdius fuit primus, qui de necessitate præcepti Divini dixit, esse communionem sub utrâquè specie, quem secuti sunt Hus, Lutherus, & alii.*

13 *Ecclesia per longum tempus vetuit, tradi communionem Laicis sub utrâque specie, imò fuit in Ecclesiâ consuetudo immemorabilis non tradendi laicis communionem sub utrâque specie.*

14 *Mi-*

14 *Miracula confirmant veritatem Catholicam de communione sub unâ tantum specie.*
15 *Non assequitur majorem gratiam, qui sub utrâquè specie communicat.*
16 *An esset suspectus de hæresi Sacerdos, qui post primam absolutionem communicantibus præberet de Vino calicis? Negativè, sed omninò abstinendum.*
17 *Ecclesia justissimis de causis vetuit Laicis communionem sub utrâquè specie.*
18 *Præcipuè ob periculum effusionis sanguinis.*
19 *In lege Veteri erat in Sacrificiis necessaria separatio Sanguinis à Victimâ.*
20 *Concilium Claramontanum prohibuit Laicis Communionem sub unâ tantùm specie.*
21 *Sic Gelasius Papa statuit, ut singuli fideles sub utrâquè specie communicarent.*
22 *Calicis usus in priscâ Ecclesiâ ex multis documentis probatur.*
23 *Auctoritas S. Cypriani idipsum persuadet.*
24 *Esset suspectus de hæresi, qui Sacramentalem absolutionem absentibus impertiretur confessis per epistolam ob decretum Clementis VIII.*
25 *Secluso Decreto Clementis VIII. tàm Confessio, quàm absolutio Sacramentalis per epistolam, videtur de jure Divino damnata, & num. 29.*
26 *Modus confitendi per epistolam nunquàm fuit in usu in Ecclesiâ.*
27 *Historia Eusebii Cæsariensis de presbytero, qui per puerum misit particulam ad senem Serapionem, quomodò intelligenda?*
28 *Patres Concil. Duriacensis absolverunt Robertum Episcopum Cenomensem absentem, non quidem à peccatis, sed à pœnis Canonicis.*
29 *Opinio de absolutione Sacramentali absenti dandâ amota fuit à libris Patris Suarez.*
30 *Non tradit extrèmam unctionem cum oleo non benedicto, qui benedicto successivè adderet non benedictum excedens benedictum.*
31 *Novitas introducta in admixtione olei non benedicti cum benedicto à quodam Sacerdote.*
32 *Abusus in conferendo nulliter Sacramentum Ordinis inducit hæresis suspicionem.*
33 *Materia Sacramenti Ordinis diversa est prò diversitate uniuscujusquè Ordinis.*
34 *Christus Dominus non instituit in individuo materiam singularem Ordinum.*
35 *Quod specialiter verificatur in materiâ Ordinis Presbyteratus, quæ diversa est in Ecclesiâ Græcâ, & Latinâ.*
36 *Neutra Ecclesia carpenda est ob usum diversitatis materiæ in collatione Ordinis Presbyteratus.*
37 *Ecclesia Latina prò materiâ Ordinis Presbyteratus determinavit in individuo porrectionem instrumentorum, & manuum impositionem.*
38 *Manus impositio non videtur necessaria in tradendâ potestate suprà corpus Christi verum.*
39 *Duplex est manuum impositio.*
40 *Quænam manuum impositio ex illis tribus omissa redderet nullum Sacramentum.*
41 *Gregorius Nyssenus narrat, Gregorium Thaumaturgum fuisse absentem in Episcopum consacratum, adeoque absquè manuum impositione.*
42 *Relatio Gregorii Nysseni non intelligitur de consecratione, sed de precibus adhibitis ad persuadendum Thaumaturgum, ut Episcopatum acceptaret.*

1 RATIONE baptismi committitur abusus ob non debitam materiam, si conferatur hoc Sacramentum materiâ diversâ ab aquâ simpliciter dictâ, & naturali, ut proindè hæc habenda sit tanquàm certa traditio firmata à Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 2. *de Bapt.* scilicet materiam Baptismi esse aquam simplicem, & naturalem: Qui ergò aliâ uteretur aquâ, nisi simplicitas excusaret, incurreret suspicionem hæresis:
2 Lutherus enim *in Symposiacis*, *cap.* 17. interrogatus, nùm deficiente aquâ, quævis materia usurpari ad Baptismum posset, respondit, quidquid rationem balnei habet, venire nomine aquæ

aquæ à Christo in Baptismi materiam designatæ, itàut, Judice Luthero, non modò lac, oleum, & vinum, sed etiam lotium asininum (proh spurcam inquinationem!) idonea sit Baptismi Christiani materia: Eumdem errorem Calvino tribuunt Fervardentius *in appendice ad* Alphonf. de Castro, *verbo Baptismus, hæresi* 1. & Pomel. *epist. 2. ad S. Cyprianum, & ad cap. 1. Tertull. de Bapt. n.* 3. Idipsum apertè definivit Beza, ut patet ex ejus *epist. ad Thomam Tillium*.

3 Hinc abjiciendus est error priscorum Anglorum, quos refert Ægidius 1. *part. quæst. 66. numer.* 96. curare, baptismum administrari liberis suis assumptâ aquâ rosaceâ, & quidem solis vestibus aspersis, ne quâ molestiâ tenerrimam ætatulam affici contingeret.

4 Non defuerunt antiquiores errores aquam respuentes à Baptismo, eò quià Christus se aquam esse vivā asseruit, & proindè supervacaneā esse in Baptismo conferendo aquam adhibere, ut Pauliciani, teste Euthimio *in 2. par. Panopliæ, titul.* 21. Vel ut Manichæi, qui aquam creatam fuisse, sicut omnes res corporales, non à Deo, sed à Dæmone, credebant, teste August. *lib. de hæres. cap.* 46. cui errori innitebantur quoquè Seleuciani, & Hermiani, pròut videre est penès Augustinum, *ibidem, hæres.* 59.

5 Si verò conferatur baptismus cum aquâ calefactâ, nullus prorsùs committitur abusus, cum non referat, an sit calida, vel frigida, sicut declarat Concil. Florent. *in Decreto Armenorum*: Imò laudandi sunt Græci, eò quòd aquam calefaciant, cum soleant infantes totos in aquam mergere, ne pereant, ut declarat Arcudius *de concord. Eccles. Occident. & Orient. lib. 1. cap. 8.*

6 Nec est de essentiâ, quod aqua benedicatur: Nam, ut benè ponderat Escobar. *Theol. moral. tom. 3. p. 1. lib. 22. sect. 2. cap.* 8. *Probl.* 8. non esset ità obvia hujus Sacramenti materia, ut exigit ejus necessitas: Idipsum probatur etiam exemplis: Puer enim Athanasius aquâ non benedictâ pueros baptizavit, ut habetur in Ecclesiasticâ Historiâ; & Philippus Eunuchum simplici aquâ, eâquè frigidâ, quæ illi in viâ occurrerat, abluit, ut patet *ex cap.* 8. *Actor.* Imò Principem Apostolorum baptisma in Tyberi administrasse, Auctor est Tertullianus *de Bapt.* ubi hæc scribit. *Nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes inter Iordanem, & quos Petrus in Tyberi tinxit.*

7 Est autem benedictio aquæ, ut benè ait Arcud. *loco cit. lib.* 1. *cap.* 1. ex præscripto, & ritu Ecclesiæ, & de ratione quâdam congruâ, quæ tùm ad ornatum Sacramenti, tùm etiam ad imitationem Christi Domini spectat, qui præsentiâ suâ, & vivifico contactu consecravit fluenta Jordanis, & proindè antiquitùs invaluit usus benedicendi aquam, ut latè probant Viceeomes *de antiq. Baptism. ritib. lib.* 1. *cap.* 14. Martene *de ritib. tom. 1. cap. 1. art. 14. num.* 2.

8 Abusus ergò ex eo, quod baptismus conferatur aquâ non benedictâ, nec primariò est contrà finem illius Sacramenti, nec per eum abusum quis dicitur uti Sacramento, tanquàm medio ad peccandum, sed tantùm Ecclesiæ ritum violare, quod nisi adsit apertus contemptus, vel alia circumstantia relevans, non inducit hæresis suspicionem.

9 Respectu confirmationis, qui essentialiter peccat in materiâ, dum hujusmodi Sacramentum confert, præsumitur malè sentire cum Calvinistis, qui per irrisionem asserunt, ocreas suas perungere hoc Chrismate, sicut testatur Bellarmin. *de Sacram. Confirm. lib. 2. c.* 8. Nec mirum, si Calvinistæ ità insaniant, nam eorum iniquus Auctor *lib. 4. Institut. cap.* 19. §. 6. dixit, eos, qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurare; Christum abnegare; partem non habere in Regno Dei.

10 Abutitur in conferendo Eucharistiæ Sacramento ob non debitam materiam, qui communicat fideles pluribus particulis, ac efficitur suspectus de hæresi, ut infertur ex Sallel. *de Mater. Tribunal. S. Officii, lib. 1. reg. 150. num.* 137. & 178. Fermosin. *allegat. Fiscal. p. 3. qu. 4. n.* 13. & Transm. *de denuntiat. qu.* 4. *cap.* 5. *num. 8. §. item*, ubi ait, sumentes plures particulas, vel majores, (dummodò id titulo necessariæ consumationis non fiat) esse revelandos; ergò etiam, qui eas conferunt: Ratio est, quià per uberiorem, vel grandiorem specierum

rum

rum usurpationem sternitur via ad errorem de Christo partibiliter in Eucharistiâ locato;itàut plus aliquid de Christo recipiatur, quò species sunt uberiores, aut grandiores. Rudis enim quisquè, ubi animadverteret, à peritis captari tales species, existimabit, id eos idcircò facere, quò plus Christi accipiant, sicquè detruderetur in errorem. Undè non immeritò Hispani quæsitores, referente Henriques *lib.8.cap.* 43. damnarunt complurium simul hostiarum porrectionem eidem factam; imò illam prorsùs proscripsit Sanctissimus Pontifex Innoc.XI.13. *Februarii* 1679.

11 Ità pariter, qui tradunt communionem sub utrâquè specie, ut liquet ex *epist.*9. *lib.*2. B. Pij V. ubi mandat Episcopo Pataviensi, quod nullo modo concedat communionem sub utrâquè specie, etiamsi subeundum sit martyrium. Siquidem nil magis objiciunt hęretici, cum apud suos Romanam Ecclesiam accusant, quàm quod contrà expressum Dei mandatum privaverit populum usu Calicis: Sed nullum fuisse unquàm præceptum divinum, probat Escobar. *tot.*3.*par.* 1.*Theol. moralis lib.*20.*sect.*2.*cap.* 19. *Probl.* 111. Primus

12 autem, qui hunc errorem dessiminavit, fuit Petrus Dresdius Pragæ in Bohemiâ pędagogus, qui vixit seculo decimoquarto desinente: Antè enim nullus appellari potest Auctor, qui hanc hæresim in medium protulerit. Petrum autem Dresdium sequuti sunt Joannes Hus, cujus etiam Secta fuit illa Calixtinorum, Carlostadius, Lutherus *in lib. de Saxonica Visitatione*, & Calvinus, qui *in lib.*4. *Instit. cap.*17. §.47. scripsit, ex officinâ Diaboli prodiisse constitutionem, quæ dimidiam Cęnæ partem Dei populo, vel furata est, vel rapuit. Hos omnes latè recensent, & eruditè refutant Bellarmin. *de Euchar.lib.*4.*cap.*20.*& seq.* & Juenin. *de Sacramentis,tom.*1.*à pag.*381.

13 At Ecclesia, quæ est infallibilis, vetuit per longum temporis spatium, ne traderetur laicis communio sub utrâquè specie, ut patet ex Conciliis Constantiæ, ac Basileæ. Imò antè dicta Concilia immemorabilis fuit consuetudo non tradendi omnibus communicantibus Calicem; Nimirùm quia dogma Catholicum semper viguit, quod totus Christus continetur sub unicâ specie, pròut definierunt Concilia prædicta, unâ cum Concilio Tridentino, & conformiter ad hæc, Ecclesia exponit super Altaria, & defert processionaliter Corpus Christi adorandum sub solâ panis specie: Quod juremeritò practicatur, ut à fidelium mentibus arceatur error docentium, non totum, & integrum Christum, sed dumtaxat dimidiatum contineri sub singulis speciebus, & ut caveat periculum effusionis sanguinis. Hinc Rodulphus Abbas S.Tudonis cecinit:

Hìc tibi cautela fiat, ne, Presbyter, ægris
Aut sanis tribuas laicis de sangnine Christi:
Nam fundi posse leviter, simplexquè putaret
Quod non sub specie sit Iesus totus utrâquè.

14 Catholicam veritatem prædicto errori contrariam Deus non semel testari voluit miraculosis eventibus, inter quos ille, quem narrat Alexander Alensis Doctor irrefragabilis dictus, *par.*4.*q.*11. *membr.*2. *art.*4.§.3. verbis sequentibus: *Barnabas Vir religiosus quibusdam petentibus, & instantibus, ut sub utrâquè specie Sacramentum sumerent, cum faceret fractionem hostiæ, concavum patenæ totum visum est repleri sanguine, ad quod obstupuerunt ipse, & circumstantes. Sed cum conjungeret partes hostiæ, totum visum est reintrare, & sic petitioni, & tentationi illorum penitùs satisfactum fuit.*

15 Non ergò dicatur, majorem gratiam assequi, qui communicatur sub utrâquè specie; nam ritus diversitas, sicut substantiam minimè alterat, ità nec effectum; nec Ecclesia vetasset usum Calicis, si hoc pacto Laicis adimeretur gratiæ augumentum: Sic ex Salmerone, Cardinalis Pallavicinus *hist. lib.* 17. *cap.*6.

Igitur de his omnibus ambigere videtur, qui exibet communionem sub utraquè specie, ac convenire cum hæretici; ideòquè utiquè est de

16 hæresi suspectus. Sed quid dicendum, si Sacerdos, qui è Calice suo post primam præcipuè ablutionem, in quâ ordinariè loquendo remanent aliquæ guttæ sanguinis, præberet Vinum

num iis, quibus præbuit Corpus Christi: Quod in usu venire in aliquibus Germaniæ Diœcesibus, testatur Georg. Gobat. *in experientiis Theologico-Sacramentalibus*, *tract.4.casu primo num.21.* Nullam quidem incurreret hæresis suspicionem, quia non diceretur communionem exhibere sub utrâquè specie: Nec hujusmodi Vini sumptione è Calice abluto sequerentur illa incommoda, quæ Concilia prohibentia communionem sub utrâquè specie considerarunt: Cæterùm omninò abstinere deberent Sacerdotes ab illâ rudi, & heteroclitâ praxi, ne rudes, & idiotæ Christi Sanguinem in eo se sumere crederent, & itâ vetarunt Constitutiones Diœcesis Constantinien.*par.2.tit.8.num.11.*apud laudatum Gobat. *n.* 25.

17 Redeundo iàm ad principale assumptum, dubitari nequit, Ecclesiam justissimis de causis laicis usum Calicis prohibuisse, tùm quià aderat consuetudo jàm approbata, quam non abrogari,decrevit Concilium Constantiense, tùm quià primus, qui cæpit tueri usum communionis sub utrâquè specie, fuit, ut diximus, Petrus Dresdensis Vvaldensium leprâ infectus, qui proindè sanguinis cum corpore concomitantiam inficiabatur; tùm quia cæteri hæretici usum communicandi sub unicâ tantùm specie vellicant, ut ajunt,ex defectu potestatis in Ecclesiâ ipsam consuetudinem permittendi, ac jubendi; tùm quia non omnibus poterat tradi Calicis usus, ut abstemiis,& degentibus in regionibus, quæ Vino carent. Non enim Deus instituit hoc sacramentum sub pane, & aquâ, prò ut utiquè fecisset, si necessarium decrevisset sub
18 utrâquè specie suum corpus tradi; tùm tandem, quià Calicis usus, si omnibus daretur in tantâ fidelium multitudine, vix evitari posset ejus eversio, & exindè Sanguinis effusio, necnon irreverentia, quod evidenter patet ex iis, quæ suprà adnotavimus de Græcorum irreverentiâ circâ hoc Sacramentum; Hinc Sacra Congregatio supremæ Inquisitionis *sub die* 4.*Septemb.* 1603.prohibuit Italo-Græcis sub utrâquè specie communicari. Quinimò Maronitæ,qui adhùc tribuunt communionē sub utrâquè specie, ut testatur sæpè laudatus Naironus, postquàm cæperunt Maumethanorum Principum jugo premi, eò magis aliud agnoverunt periculum tradendi communionem sub utrâquè specie, ideoquè apud eos magis invaluit mos præbendi sub unicâ tantùm specie Eucharistiam ægrotis, cæterisquè, qui adire nequeunt Ecclesiam.

19 Ultrà supradictas rationes recensitas, addi potest, quod advertit Arcudius *de concor. Eccles. Occid. & Orient. lib.3. cap.*52. separationem scilicet sanguinis à Victimâ in lege veteri fuisse necessariam ad rationem sacrificii, sicut diximus de sanguine in Sacificio Missæ; At à laicis sumitur Eucharistia, non ratione Sacrificii, sed ratione Sacramenti:Vndè si necessarius est Celebranti Calicis usus ad exprimendum Sacrificium, parùm congruet laico, qui non offert, ut Sacerdos, Deo Sacrificium.

20 Non obstat, quod Concilium Eucumenicum Claramontanum, cui præsedit Vrbanus Papa II.prohibuisset communionem sub unâ tantùm specie Sacramenti *in Can.*28. nam in rebus disciplinæ, vel facti, aut personarum verificatur sententia Augustini *lib.2. de Baptis.cap.3.Ipsa*, inquit, *plenaria Concilia sæpè priora à posterioribus emendantur*, *quum aliquo experimento rerum aperitur*, *quod clausum erat*, *& cognoscitur*, *quod latebat*: Gelasius quoquè
21 *de consecrat.dist.2.c.comperimus*,statuit, ut singuli sub utrâquè specie communicare tenerentur; sed hoc non præscripsit, quià necessaria esset communio sub utrâquè specie, verùm quia Minichæi tunc temporis Romæ degebant, qui Vinum execrabantur; ut autem ipsi dignoscerentur, statuit communionem sub utrâquè specie. Sic S. Leo Papa *Serm. 4. in Quadrag.* observari præcipit in Synaxibus Manichæos,quatenùs indiscriminatim cum fidelibus in sacro pane communicabant, sed à vivifico Calice semper abstinebant: Cæ-
22 terùm, ut verum fateamur, Calicis usum penès laicos communicantes fuisse priscis Ecclesiæ temporibus,probant pervetusta, atquè gravissima documenta, ac Patruum auctoritates, quarum aliquas profert Joannes Baptista Casalius *de Veteribus Christianorum Ritibus*,

bus, par. 2. cap. 11. pag. 86. & 87. & cap. 20. pag. 17. apud quem de Beato Rhenano *in Scholis ad Tertullianum*, invenitur usus cannæ, seu fistulæ, quâ communicantes haurire consueverant è Calice Dominicum sanguinem, quiquè Rhenanus citat *ibidem* libellum *de veteribus Thesauris Ecclesiæ Moguntiensis*, mentionem facientem de præfatâ fistulâ. Ur-
33 get pariter auctoritas S. Cypriani, qui *Epist. 56. ad Tiberitanos*, assignans rationem, cur suo tempore daretur Eucharistia sub specie Vini, ait: *Considerantes se quotidiè sanguinem Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum Sanguinem fundere*: Ut autem incommodum effusionis Sanguinis, & alia suprà recensita evitarentur, præcepit Zosimus Papa *ann.* 48. ut nullis poculum in publico propineretur, nisi tantùm in Cellis fidelium, & maximè Clericorum, ut refertur *tom.* 1. *Concil. ad præd. annum*.

24 Quò verò ad Sacramentum Pœnitentiæ, diceretur de hæresi suspectus, qui absolutionem impertiretur à peccatis per epistolam confessis, cum hæc non possit dici debita materia post Decretum Clementis VIII. quod prohibet absenti per litteras confiteri, & absolutionem impertiri, licèt priùs non modica fuerit quæstio, an hoc fieri posset: Posteà verò attento dicto Decreto, dubium non est, quin concedi non liceat hujusmodi absolutio, ut latè docet, cæteris omissis, Morin. *de pænit. lib. 8 cap. 25. num. 17 & 18.* & quod Sacerdos dicto decreto contradicens puniatur ab Inquisitoribus, dixit Fermosin. *alleg. fiscal. par. 3. q. 4. num.* 16.

25 Imò secluso etiam dicto Decreto Clementis VIII. de jure Divino tàm confessio, quàm absolutio Sacramentalis per Epistolam, damnata videtur: Etenim Jus divinum ad validitatem Sacramenti confessionis requirit prò capacitate subjecti, cui facienda sit peccatorum absolutio, interiorem cordis dispositionem, de quâ confessarius habeat certitudinem moralem: Verùm, quià homo quamdiù peregninatur à Domino, perpetuæ obnoxius est mutationi, hinc est, quod quamvis qui sua scribit crimina, ac petit absolutionem, talem habeat dispositionem eo actu, quo scribit; nihilominùs, ut ritè perficiatur hoc Sacramentum, exigitur hæc dispositio eo tempore, quo confessarius impertitur absolutionem. Sed ex quonam Confessarius sibi persuadere potest, hujusmodi dispositionem per-
26 mansisse in pœnitente? Probatùr etiam, tùm quià modus sic confitendi nusquàm fuit in usu; tùm quià Ecclesia quarumdam opinionem, qui admittebant, ità posse peragi hoc Sacramentum, penitùs proscripsit. Quod autem nusquàm in usu extitisset modus sic confitendi, patet ex eo, quod contraria praxis nullo exemplo comprobari potest. Quamvis
27 enim Eusebius *in hist. lib. 6. c. 36.* ex S. Dionysio Alexandrino *in ep. ad Fabianũ Papam*, referat, quod ægrotans Presbyter puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os Serapionis Senis, & in extremis laborantis infunderet, quam puer secum adferens, abiit: Cui iam appropinquanti, priusquàm cum eo, quod gestabat, intraret ædes, Serapion voce recuperatâ dixit. *Venisti Fili? Tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire.* Particulam igitur puer, quàm apportarat, madefactam in os senis infundit: Atquè ille, simul atquè eam pedetentim per fauces dimiserat, illicò extremum spiritum edidit. Quamvis, inquam, hoc referat Eusebius, & quamvis Serapion in horrendum idololatriæ crimen incidisset, nec antè morbum absolutionem obtinuisset; nihilominùs non potest hinc inferri, ab eodem Presbytero absente fuisse absolutum: nam, ut superiùs diximus, obligatio confitendi antè Sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem urget, quotiescumquè adest Confessariorum copia; alioquin sufficit, ab eo, qui hoc augustissimum Sacramentum suscipere vult, fieri, quod ex parte suâ est, scilicet conteri: Nam eo casu, ut angelicè docet S. Tho. *in 4. sent. dist. 17 qu. 3. art. 3. Quæstiunc. 2. ad* 1. etsi Sacramentum Pœnitentiæ perficere non possit, ut faciat, id quod est ex parte Sacerdotis, absolutionem scilicet; tamen defectum Sacerdotis Summus Sacerdos supplet: Cui autem implicat, id præstitum fuisse à Serapione? Imò,

Imo, ut testatur idem S.Dyonisius, sollicitè expostulabat Sacerdotem, cui suū crimen confiteretur; quamobrem patet, in ejus contritione inclusum quoquè fuisse vehemens absolutionis votum.

28 Pręterea absolutio ea, quam scripto Patres Concilii Duziacensis sub Joanne VIII. celebrati, impertiti sunt Roberto Cænomatensium Episcopo, intelligi debet de absolutione à pœnis Canonicis, ut probat Juenin *de Sacramentis*, *tom.2. à pag.729.*

Quod verò Ecclesia penitùs proscripsisset eorum opinionem, qui asserebant, licere confessionem peragi per Epistolam, patet ex superiùs recensitis.

29 Addi quoquè potest ex Decreto Pauli Papę V. *die 14. Iulii, anno* 1605. huiusmodi opinionem amotam fuisse à libris P.Francisci Suarez, utpotè anteà damnatam à Clemente VIII: At nisi prohibitio confitendi per literas inducta fuisset à Jure Divino, non est verisimile, prò ut advertit Juenin. *loco superiùs laudato*, quod Ecclesia voluerit facere irritam absolutionem, quæ in casu necessitatis post baptismum lapsis summæ alioquin esset utilitatis.

Respectu autem extremæ unctionis, illâ abuti videtur, qui eam tradit cum oleo non benedicto, juxtà superiùs recensita.

30 An autem dicantur tradere extremam unctionem cum oleo non benedicto, qui ipsi benedicto paulatim deficienti oleum non benedictum successivè addunt, itàut hoc longè superet primam quantitatem: Super hoc quęstionē excitat Verricceil. *de Apostolic. Mission. tit.* 10. *q.*167. & Fermosin. *de offic. & Sacr. Eccles. to.2. de Sacram. extremæ unctionis, qu.*2. *numer.*16. *&* 17. & resolvit negativè, proindequè talem Sacerdotem non invalidè, nec illicitè Sacramentum conferre, quia dignius trahit ad se minùs dignum, &ità servat communis Ecclesiarum praxis, ut testatur Quintanaducna *in appendice post tract.9. pag. 2. verbo sententias*, quamvis contrariæ opinionis, utpotè tutioris.

31 Sed quid dicendum de quodam Sacerdote, cujus meminit Jacobus Marcant. *in suis resolut. pastoral. tract. 6. de Sacram. cap.4. in fine*, qui cum misceret Olea Sacra, his verbis utebatur: *Hæc comixtio Olei non consecrati cum consecrato pariter fiat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Censerem, hunc Ministrum reum omninò esse periculosæ novitatis, quia nescitur, ubinam hanc formam didicerit. Non enim aut Christus, aut Christi sponsa Ecclesia huic precationi fusæ à simplici Sacerdote tribuit vim faciendi sacrum è non sacro.

32 Nunc remanet videndum de abusu in Collatione ordinis Sacerdotalis ex defectu materiæ.

Hunc autem inducere hæresis suspicionem, nemini dubium esse potest, quoties admittamus hujus Sacramenti nullitatem cum tantâ Ecclesiæ jacturâ, & proindè cum tantâ Criminis atrocitate, suspicionem inferre: Si enim rectè Presbyter non est ordinatus, nulliter consecrat; nulliter cætera Sacramenta magno cum Christifidelium damno ministrat. Cum autem qualitas ministri, qui est Episcopus, non facilè admittat delicti hæresis suspicionem, quoties circumstantia clara, & aperta non concurrat, seu apertus contemptus, præsumi debet in materiâ defecisse propter inadvertentiam.

33 Ut verò pateat, quot modis committantur abusus ex defectu materiæ in collatione Sacramenti Ordinis, animadvertendum est, materiam in eo diversam esse, juxtà qualitatem cujuscumque Ordinis sub eodem Sacramento comprehensi: Siquidem Ostiariatus adæquata materia est clavium traditio: Concil. Carthaginense IV. *can.*9. Martene *de antiq. ritib. tom.* 2. *cap.*8. *art.* 8. *numer.* 5. Morin. *de sacr. ordin. par.*3. *exercit.* 11. *cap.* 5. *num.* 7. Merbes. *in Summ. Christian. dissert.*6. *quæstiunc.* 24. Hallier. *de sacris elect. & ordinat. par.* 2. *sect.*2. *c.*2. *artic.*1. §.19. *pag.*455. Exorcistatus, sunt libri exorcismorum: Concil. Carthaginense IV. *can.* 7. Martene *de ritibus tom.*2. *cap.*8. *art.*8. *num.* 13. Hallier. *loc. cit.* & Merbes. *d. dissert. 6. quæstiunc.*71. Lectoratus, est traditio codicis sacrarum literarum: Concil. Carthag. IV. *can.* 8. Martene *de ritib. n.* 11. *ubi suprà*, Hallier. *ubi suprà*, & Merbes. *loc. cit. quæstiunc.*26. Acolythatus, est traditio candelabri cum cereo extincto, &

Vrceoli vacui, ut ex eodem Concil. Carthaginense IV. *can. 6.* Martene *de antiq. ritibus, tom. 2. cap. 8. art. 8. num. 14.* Merbes. de quo suprà, *quæstiunc. 34.* & Hallier. *d. artic. 1. §. 18. pag. 454.* Subdiaconatus, est traditio libri epistolarum, & calicis vacui cum patenâ vacuâ superimpositâ: Concilium Carthaginense IV. *can. 5.* Morin. *de sacr. Ordination. par. 3. exercit. 7. cap. 2. num. 7. & exercit. 12. cap. 1.* Martene *de ritib. tom. 2. cap. 8. art. 8. num. 15. & 16.* Escobar. *Theol. Moral. tom. 3. par. 1. lib. 23. sect. 2. cap. 9. Probl. 27.* Hallier. *d. artic. 1. §. 16. pag. 452.* & Merbes. *ubi suprà, qu. 38.* Diaconatus, sunt libri Evangeliorum traditio, & manuum impositio: Martene *de ritibus, ubi suprà, art. 9. num. 2. 3. 4. 5. & 7.* Escobar *ubi suprà, Probl. 26.* Hallier *loco cit. §. 18. pag. 448.* quamvis Merbes. *d. dissert. 6. quæstiunc. 49.* prò materiâ Diaconatus admittat solam manuū impositionem. Demùm Presbyteratus materia est calicis cum vino, & patenæ cum hostiâ traditio, ac manuum Episcopi impositio: Martene *ubi suprà, à num. 10. usquè ad finem*: Escobar *loco cit. Probl. 23.* ubi plures congerit: Nonnulli tamen solam impositionem manuum exigunt, de quâ opinione Merbes. *ubi suprà, quæ-*

34 *stiunc. 51.* Sed hac in re illud præcipuè observandum est cum Card. Bellarmin. *de ordine, cap. 9. in fine*, Comitol. *lib. 1. respons. moral. q. 2.* Scildere *de conscientiâ, tract. 2. num. 114.* Christum Dominum non instituisse in particulari, seù in individuo materiam singulorum ordinum: Quomodò enim potuisset v. g. instituere librum epistolarum prò materiâ Subdiaconatus; & Evangeliorum prò materiâ Diaconatus, si tunc hujusmodi libri non extabant? Sed aliquorum tantùm in genere, mandando Apostolis, ut in particulari usurparent cæremoniam exteriorem, quâ prò diversitate temporum significaretur officium cujuscunque Ordinis.

35 Hæc theoria specialiter verificatur in ordine Presbyteratus, cujus materia non videtur uniformis in Ecclesiâ Latinâ, & Grecâ: Verùm difformitas est tantùm physica, non autem moralis; nam Christus Dominus, ut mòx dicebam, & pulchrè explicat Dicastillo *tom. 1. in 3. p. tract. 1. disput. 1. de Sacram. in genere, dubio 20.* itemquè Amicus apud Dianam *part. 8. tract. 1. resolut. 42.* instituit, & ordinavit, ut Sacramentum Ordinis Presbyteratus conferatur tali usu alicujus rei, ut per verba adjuncta significetur potestas ordini annexa: Quænam autem debeat esse illa res, non determinavit, sed judicio

36 Ecclesiæ commisit. Hinc orta est diversitas materiæ in conferendo hoc Sacramento; ità ut vellicari nequeat Ecclesia Romana ex singulari Salvatoris privilegio erroris nescia; nec Affricana, quæ tot Doctores, clarissima lumina, protulit; nec Græca, tàm antiqua, totque Sanctis decorata, quamvis aliquibus aliter hac de re visus sit; sed ejusmodi Scriptorum ingenium, apud quos vili veneunt hæreses, depingit Lucas Holstenius: *Luctuosum schisma*, inquiens, *quod Orientis, & Occidentis Ecclesias dudum disiunxit, illis potissimum imputandum est, qui Christianâ charitate posthabitâ, disputandi pruritu omnia in quæstionem, & controversiam adduxerunt, & quæ diverso ritu apud partem adversam aguntur. His nulla, vel exigua veritatis cura, sed unum vincendi studium, ut ex suâ consuetudine, vel opinione aliis legem præscribant. Illud autem miserâ, & afflictâ fortunâ durissimum, & iniquissimum habet, quod insultantium ludibriis impunè pateat*: Non sunt igitur Orientales in hoc damnandi, imò debent ritum suum servare, ut ait Pignattell. *tom. 3. consult. 60.*

37 Hoc præmisso, rimari oportet, quānam Presbyteratus materiam Ecclesia latina determinaverit in individuo; quamnam Ecclesia Affricana; & quamnam Ecclesia Græca: In Romanâ designata fuit porrectio Instrumentorum, præter impositionem manus, quâ utebantur Apostoli, teste Nairono *in Evopliâ, part. 2. pag. 231* Juenin. *de Sacramentis, tom. 2. pag. 823. col. 1. circà medium*, Martene *de ritibus antiqu. tom. 2. cap. 18. art. 9. à num. 10. usquè ad finem* & latè Hallier. *de sacris electionib. & ordinat. part. 2. sect. 2. cap. 2. art. 1. §. 1. pag. 427.* In Affricanâ, & Græcâ, sola impositio manus, teste Arcudio *loc. cit. cap. 4. lib. 6.*

38 Adhùc una manet difficultas, & est, quod cum impositio manuum fiat ad tradendam potestatem in Corpus Mysticum Christi per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur*, non videtur de essentiâ quò ad potestatem in Corpus verum Jesu Christi, & de facto antè hanc manuum impositionem, Sacerdos peregit Sacrificium cum Episcopo, simulquè cum eo consecravit.

39 Sed animadvertendum est, triplicem esse impositionem manuum in ordinis Sacerdotalis collatione; primam nempè, quæ fit statim post litanias ab Episcopo silente, & à Presbyteris adstantibus; secundam, quæ immediatè post illam priorem impositionem fit ab omnibus Sacerdotibus adstantibus, & ab Episcopo, qui super Diaconũ in Presbyterum ordinandum Divinam Omnipotentiam invocat; tertiam demùm, quæ post communionem fit ab Episcopo solo dicente: *Accipe Spiritum sanctum; &c.* Merbes. *in Summ. Christian. dissert.* 6. *quæstiunc.* 52. quarum prima, & secunda potiùs una videntur esse, & propterea duabus tantùm vicibus imponi manus in collatione Sacerdotii, dixerunt Hallier. *de sacr. elect. & ordin. part.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 14. *pag.* 445. Francisc. Maria Campioni *in instruct ordinand. cap.* 42. *num.* 4. Piscara *prax. cæremon. lib.* 2. *sect.* 15. *cap.* 8. Earum vero prima fuit, & est de essentiâ materiæ Prebyteratus; secunda, quam tertiam vocat Merbesius, est necessaria ad tradendam potestatem absolvendi, & utiquè dividi potest, & dari successivè, quandò & Christus Dominus tales potestates non eodem tempore dedit Apostolis, sed alteram in ultimâ cænâ; alteram post resurrectionem, ut inquit Arcudius *loc. cit. lib.* 6. *cap.* 4. *de Presbytero*, & post eum Escobar. *ubi suprà, probl.* 24.

40 Qui ergò omitteret primam manuum impositionem, abuteretur quidem Sacramento, illudquè nulliter conferret; ideoquè ordinatio esset reiteranda; & de facto nõ multis ab hinc mensibus dubitatum fuit, an essent reordinandi, qui ab Episcopo manus infirmas habente, adeòut ipsis uti non poterat, ordinati fuerunt? Super hac quæstione calamo suo eruditissimo scripsit jussu Sanctissimi Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Marcellus Severolus, affirmativam partem amplectens, ac quæstio resoluta fuit, juxtà illud doctissimi Viri Votum.

41 Sed objici potest, Gregorium Thaumaturgum longo itinere dissitum, consecratum fuisse Neocæsariensem Episcopum à Phædimo Amascensium Antistite, ut narrat Gregorius Nyzenus *in ejus vita*: Materia verò Episcopatus cum sit impositio manuum, ut probat latè Juenin *de Sacramentis, tom.* 2. *pag.* 877. & eam agnoscunt Rituales omnes tàm Græci, quàm Latini, quemadmodum latè docet Morin. *de Sacr. ordinat. part.* 3 *exercit.* 2. *cap.* 1. si omitti potest in conferendo Episcopatu, omitti quoquè poterit in conferendo Presbyteratu, cum par sit in utroquè ratio: Adde quod scribit Metaphrastes *in vitâ Danielis Stylitæ apud Surium*, Sanctissimum illum virum, licet absentem, inauguratum fuisse Sacerdotem à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, ità ut recitante Archidiacono preces, Populo aclamante, ipsi absenti manus per Gennadium imposuerit. Verùm, ut

42 ait etiam Juenin *ubi suprà, pag.* 424. *columna* 1. Gregorius Nyzenus intellexit non de consecratione, sed de precibus, quibus Episcopus, & Populus Thaumaturgum inflexit ad Episcopatum suscipiendũ; undè testatur idem Nyssenus, Gregorium Thaumaturgum non objisse Episcopatus officium, nisi, ut ait, omnibus post hæc, quæ fieri solent, legittimis, seù solemnibus in eo peractis. Metaphrastes verò, ut põderat idem Juenin, vel in facto erravit, vel intellexit non de consecratione Danielis, sed de electione factâ tùm à plebe Constantinopolitanâ, tùm à Gennadio Patriarcha.

SUB-

SUBSECTIO III.

De Sacramentorum abusu in conferendo ob non debitam formam, locum, tempus, Cæremonias, & dispositiones.

SUMMARIUM.

1 *Recensentur Sacramentorum formæ, quæ per abusum possunt alterari.*

2 *Abusus hujusmodi alterationis inducit hæresis suspicionem, quia pervertuntur fines Sacramentorum.*

3 *Hæreticorum in hoc fuerunt errores, præcipuè Lutheri, qui nulla verba in Sacramentis requiri, dixit: Verùm ex singulari Dei providentiâ ferè nullus Hæreticorum veram baptismi formam inficiatus est.*

4 *Abusus in alterandis Ritibus Romanæ Ecclesiæ, inducit hæresis suspicionem.*

5 *Græcorum Ecclesia Catholica pronuntiat formam Sacramenti in tertiâ personâ, & cur?*

6 *D. Augustinus superbis Ministris, gloriantibus de sanctitate Sacramentorum ex sanctitate Ministri, opponit humilem loquendi modum Christi.*

7 *In Græcâ, & Affricanâ Ecclesiâ forma pronuntiatur in tertiâ personâ ad illum errorem evitandum.*

8 *Si quis inter Latinos vteretur illâ formâ in tertiâ personâ, præciso contemptu, non esset de hæresi suspectus.*

9 *An Sanctus Sylvester in tradendo sacramento confirmationis Constantino usus sit formâ Græcorum?*

10 *Græci Iudaizantes, nolebant Baptizari pueros antè octiduum; nec Mulieres menstruatas.*

11 *Aliorum Græcorum superstitio, qui tantùm adultis Baptismum conferri volunt.*

12 *Ludovicus Vives reiicitur, qui tenet, olim Baptismum non nisi adultis fuisse concessum.*

13 *Contrarius vsus Ecclesiæ rationabilis probatur.*

14 *Et in hoc exituit diuina ergà nos Clementia, ut docet S. Cyprianus.*

15 *Qui Baptismum vult differre, de Anabaptistarum, & Lutheranorum hæresi ostenditur suspectus.*

16 *Reiicitur Bordonus cum Passerino contrarium sentientes.*

17 *Qui die Veneris, & Sabathi comedit carnes, est de hæresi suspectus, si credat, id non esse peccatum.*

18 *A fortiori erit suspectus, qui contrà generalem Ecclesiæ consuetudinem differt Baptismum.*

19 *Orientales, qui Baptismum Masculorum differunt ad diem quadragesimum, & fæminarum usquè ad octagesimum cur non sint de hæresi suspecti.*

20 *Est pariter de hæresi suspectus, qui infantes adhuc in utero existentes baptizat, & damnatur in hoc Cajetani opinio.*

21 *Baptismi capax est ille tantùm, qui ab aquâ potest aspergi.*

22 *Scrupulus quorumdam ignavorum, qui censuerunt, Ecclesiasticâ sepulturâ privandum, qui in ventre Matris baptizatus fuit educto tantùm bracchio.*

23 *In necessitate qualibet pars corporis potest ablui aquâ baptismali, etiamsi esset tantùm digitus, imò etiamsi essent Capilli.*

24 *An adhuc esset in dicto casu validus Baptismus, si bracchium retraheret infans post ablutionem.*

25 *Abusus Sacramentorum Confirmationis, & Eucharistiæ.*

26 *Licet tradant Græci Eucharistiam Infantibus, id tamen Latinis vetitum est, & num. 27.*

28 *Græci retinent adhuc hunc usum tradendi infantibus Eucharistiam.*

29 *Prædictâ consuetudinem in Ecclesiâ Romanâ non fuisse conformem, ostendunt duo contraria exempla.*

30 *In primitivâ Ecclesiâ parvuli confirmabantur propter frequentes persecutiones.*

31 *Adhuc hodiè Græci Sacramenta confirmationis parvulis tribuunt.*

32 *Baptismus parvulorum indebitè protrabitur à Græcis, ut, qui baptizantur, magis dispositi sint ad receptionem Sacramentorum Eucharistiæ, & Confirmationis.*

33 *Deplorabilis Græcorum consuetudo differendi pueris Baptismum, ut expectetur patrinus peregrè profectus.*

34 *Quid dicendum, si à Latinis hodiè cum*

cum Baptismo darentur Confirmatio, & Eucharistia?

35 *Orientales hodiè præbent pueris Eucharistiam sub specie Vini.*

36 *Vsus dandi pueris Eucharistiam miraculo comprobatus.*

37 *Non inducitur hæresis suspicio ob non servatas Cæremonias in Sacramentorum collatione.*

38 *Limita, si baptizans esset de hæreticorum regione, ac omitteret nominis impositionem.*

39 *Mos dandi nomina in Baptismo est antiquissimus.*

40 *Limita etiam, si quis non imponeret filiis nomina Catholicorum, sed Hæresiarcharum.*

41 *Qui Baptizatis imponit hæc nomina, velle præsumuntur, ut baptizati imitentur hæreticorum facta.*

42 *Iudæus effectus Christianus esset suspectus, si suum priscum nomen retineret.*

43 *Non esset suspectus de hæresi, si quis in Baptismo non adhiberet Patrinos.*

44 *Limita, si adesset contemptus.*

45 *Nec suspectus esset, qui aquam prò Baptismo adhiberet non benedictam, vel non trinâ mersione baptizaret.*

45 *Cur Concil. 2. Generale Eunomianos rebaptizari præceperit, qui unicâ tantùm mersione fuerint abluti?*

46 *Gregorius Magnus cur mandavit, ut in Hispania unicâ tantùm mersione baptizaretur.*

47 *Non esset suspectus, qui baptismum conferret non mersione, sed infusione, vel aspersione: Potest enim Baptismum mersione conferri.*

48 *Potest etiam Baptismus infusione conferri Christi exemplo, quod practicatur apud Ministros Græcos.*

49 *Aspersione potest conferri Baptismus, quâ Apostolis multa millia facilè fuit baptizare.*

50 *Nequit dici suspectus, qui vel nominis impositionē, vel aliam cæremoniam omitteret in Confirmatione.*

51 *Potest tamen occurrere aliquam circumstantiam, quâ attentâ, orietur hæresis suspicio in dicto casu.*

52 *Nec esset de hæresi suspectus Sacerdos, qui in tradendâ Eucharistiâ, vel absolutione, non adhiberet consueta verba, &c.*

53 *Si in administrandâ extremâ unctione quis non ungeret membra quinque sensuum, esset suspectus.*

54 *Vnctio quinque sensuum servatur apud Catholicos, tùm Latinos, tùm Græcos: Quid de Syris dicendum?*

55 *Syri utuntur duplici unctione: unâ, devotionis gratiâ; alterâ sacramentali, quâ Sacerdos ungit septem Corporis partes.*

56 *Si Episcopus in collatione Presbyteratus omittat manuum unctionem, non est de hæresi suspectus: Dummodò aliqua circumstantia non interveniat.*

57 *De aliis abusibus remissivè.*

1 OB non debitam formam in conferendo committitur abusus, quoties ipsa alteretur, sivè sit baptismi, quæ est: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Sivè confirmationis, quæ continetur sub illis verbis: *Signo te signo Crucis; confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Sivè pænitentiæ, quæ exprimitur per ea verba: *Absolvo te à peccatis tuis*: Sivè extremæ unctionis, quæ sic se habet: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, gustum, &c. deliquisti*: Sivè tandem Ordinis Sacerdotalis, quæ ità exponitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* quod identidem dicendum est de cæterorum ordinum formâ.

2 Hic porrò abusus utiquè hæresis suspicionem inducit, quod comprobat eadem ratio, quâ materiæ alterationem in conficiendo, ac conferendo, & formæ mutationem in conferendo hujusmodi suspicionem ingerere, stabilivimus.

Pervertuntur enim principaliter fines Sacramentorum maximo cum Christi-fidelium damno, quoties substantialiter forma alteratur; necnon ritus Ecclesiæ violantur, prout etiam evenit in mutatione accidentali: Postremò non

3 desunt hæreticorum errores, quorum imitatio inducit hanc suspicionem.

Siquidem Martinus Lutherus, quippè, qui omnium audacissimus extitit, novam hæresim excogitavit, videlicet non requiri certa verba in Sacramentis, contrà quod doctissimè Bellarmin. *de Sacram. in genere, lib. 1. cap. 21.* Sed vide singularem Dei providentiam, ne innume-

numerabiles infantes pereant: Quamvis ità generaliter tenuisset Lutherus, cui parùm absimiles cæteri videntur hæretici, attamen ferè nemo veram baptismi formam, quò ad praxim inficiatus est, ut ponderat idem Bellarmin. *de Sacram. Baptis. lib.* 1. *cap.* 3. Martene *de Antiqu. Eccles. Ritib. tom.* 1. *cap.* 1. *art.* 14. *num.* 22. *circà finem*, Vicecomes *de Antiqu. Baptism. Ritib. lib.* 4. *cap.* 5. Igitur si nec hæretici prædicant, in praxi formam Baptismi substantialiter alterandam, qualisnè impietas excogitari potest, quæ in conferendo baptismo formam substantialiter mutet? & licet hujusmodi mutatio in baptismo, omniũ Sacramentorum necessariissimo, maximè damnanda foret, non parva tamen esset eorum contumacia, qui non servatâ debitâ formâ, & proindè nulliter conferre auderent cætera Sacramenta.

4 Prætereà ritibus ab Ecclesiâ Romanâ alienis alteratur Sacramentorum forma in conferendo; & quià ipsis utuntur Schismatici, qui deprecatoriè formam adhibent, quicumquè eorum morem sequeretur, eorum errores imitari præ-

5 sumeretur: Hæc tamen non militant adversùs Græcorum Catholicorum Ecclesiam: Ipsa enim enunciativè formam in tertiâ personâ exprimit, non quià Græci de se ipsis modestè sentiant, juxtà Gabrielem Philadel. *in libell. de Sacram.* sed quià ex eis non defuerunt in Oriente, necnon etiam posteà in Affricâ, qui Sacramenta prò Ministrorum meritis meliùs, seù deteriùs confici, credebant: Quamobrem superbis

6 illis Ministris S. Augustinus *Serm. de Muliere peccatrice*, qui est *in lib.* 50. *homiliarum*, *cap.* 7. obiicit modestum, ac humilem loquendi morem, quo Christus usus est, dum peccatrici mulieri peccata dimisit: Observat, Salvatorem in primâ personâ non dixisse: *Ego remitto tibi peccata*; sed in tertiâ: *Remittuntur ei peccata*: *Medicus bonus*, subjungit Augustinus, *ægros non solùm præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat: Futuri enim erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto; Ego justifico; Ego sano, quoscumquè baptizo.*

Ità enim isti merito Sanctitatis, quâ gloriabantur, remissionem peccatorum adscribebant, & per consequens se ipsos primarios quodammodò Authores Sacramentorum conficiendorum constituebant, ut benè ait Arcud. *de Concord. lib.* 1. *cap.* 8.

7 Ad evitandum igitur hunc errorem penès Græcorum, & Affricanorum Ecclesiam introducta fuit ea forma per tertiam personam enunciativa, quâ modò utuntur, Concilii Florentini, totiusquè Ecclesiæ Catholicæ permissu.

8 Hoc tametsi permissum sit Græcis, nec per se inducat hæresis suspicionem in Latinis, si quis eorum illud servaret in Sacramentis conferendis, quoties tamen non adesset contemptus, & prava opinio, eo modo, quo diximus suprà: Nihilominùs Ecclesia Romana, excepto extremæ vnctionis Sacramento, in quo adhibet formam deprecatoriam, ut vidimus, & convenit cum Ecclesiâ Grecâ, teste eodem Arcud. *ibidem. lib.* 5. *cap.* 5. semper confert, & conferri vult Sacramentum per formam enunciativam in primâ personâ, scilicet per illa verba: *Ego te baptizo*; *signo*; *absolvo, &c.*

9 Non obstat, quod S. Silvester Sacramentum Confirmationis eâ formâ, quâ utuntur Græci, Constantino contulisset, pròut testatur ipsiusmet Constantini edictum: Potuit enim Summus Sacerdos variare ritum: Præterquam quod edictum illud verumnè, an apogryphum sit, viri docti ambigunt; & fortassè ejus edicti Author, quem credunt fuisse Balsamonem, voluit Gręcorum morem sui temporis referre.

Cæterùm abusus in conferendo Sacramento ob non debitum locum vix committi potest.

10 Quantùm ad non debitum tempus breviter pertranseo Judaicam Græcorum superstitionem apud Humbertum Cardinalem *Dialogo contrà Græcorum calumnias in fine*, qui pueros, specie analogiæ cum typo veteri, nolebant baptizari antè octiduum à nativitate, etiamsi interim morirentur; & mulieres paganas, vel menstruatas, etiamsi moribundas, vel in partu periclitantes, baptizare detrectabant, specie reverentiæ in Sacramentum.

11 Sed magis arridet Sectariis alia illorum superstitio, qui adultis tantummodò baptismum conferre volunt: Fuit enim Vvaldensium hæresis duodecimi

secu-

ſeculo excogitata, quod non liceret Infantibus baptiſmum tradere, ut teſtatur Ermengādus *in opuſculo contrà Waldenſes, cap.*12. Eumdem errorem amplexus eſt Henricus, Petri Bruis hæretici ſucceſſor, ſicut videre eſt apud Div. Bernardum *Ep.*240. Hanc hæreſim poſteà renovarunt Anabaptiſtæ, aliiquè heterodoxi, quemadmodùm docet Beccanus *de controverſ. lib.*3. Illorum errori videtur etiam adſtipulari Eraſmus *in præfat. paraphr. in Matth.* & Cajetanus, qui, referente Joanne Ekio *in Indice errorum illius*, dicit, duos eſſe Baptiſmi comites, ſcilicet præcedentem, & ſubſequentem doctrinam; ideò infantes non perfectè baptizari; & Ludovicus Vives *annot. in cap.* 27. *lib.* 1. *de Civit.*
12 *Dei*, ubi nimis imperitè ſcripſit, neminem olim baptiſmo initiatum fuiſſe, niſi adultum: Siquidem, licet videatur viguiſſe olim in quibuſdam Eccleſiis, ut nemo tingeretur ſacris Undis in infantiâ, extrà mortis periculum: Barboſa *de Parocho, par.*2. *cap.* 18. *n.*14. Attamen, teſte Bellarmino *de Baptiſmo, lib.*1. *cap.*8. contrarius uſus fuit multo cōmunior, & ſuis ſeculis receptus: Vicecomes *de antiq. Baptiſm. Ritib. lib.*2. *c.*1. & definitum fuit per Concil. Trident. *Seſſ.*7. *can.*12. 13. & 14. *de Baptiſ.* damnando prædictos hæreticos; quemquè uſum ſemper in Eccleſiâ ſervatum, ab ipſis Apoſtolis originem traxiſſe, docuit S. Auguſtinus *lib.* 10. *de Geneſ. cap.* 23. idipſum anteà tradidit Origenes *lib.*5. *cap.*6. *ad Rom.* dicens: *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit, etiam parvulis baptiſmum dare;* & Concil. Mileuitano contrà hoc negantes, placuit, ut qui parvulos recentes ab uberibus matris baptizandos negat, anathema ſit, ut latè probat Vicecomes *de Baptiſm. Ritib. dict. lib.*2. *cap.*1. Martene *de Antiq. Ritib. lib.*1. *cap.*1. *art.* 8. *per tot.* Merbeſ. *in ſummâ Chriſtianâ, par.*3. *quæſtiunc.* 23. *pag.*81.

13 Rectè quidem egiſſe, & agere Eccleſiam, ſatis comprobatur ex eo, quod nemo, niſi renatus fuerit ex aquâ, &c. non poteſt ingredi Regnum Cœlorum: At credendumnè, voluiſſe Deum tot infantes perire, quot in tali ætate moriuntur? Non equidem: Audi quàm clementiſſimè exclamet: *Sinite parvulos venire ad me; talium eſt enim Regnum Cælorum*, quem locum de Baptiſmi Myſterio accipiendum eſſe, voluere ſcriptores, ut obſervat Joannes Baptiſta Caſal. *de Veter. Chriſtianorum ritibus, par.*1. *cap* 5. *pag.*26. *lit. B.* Ità Cornel. à lap. *in cap.* 19. *Matth. num.*14. Vide Coriolan. *hiſtor. Eccleſ. pag.*123. Lantmeter *de Veteri Clerico, lib.*2. *cap.*7. & Torreblanc. adversùs hæreticorum errorem, quod Sacramenta non conferant juſtificationem ex opere operato, *lib.*2. *Iuris ſpirit. cap.*
14 2. *num.*12. Nec aliter decebat divinam ergà nos clementiam, nam, ut ait Cyprianus *epiſt. ad fidum*, quæ eſt ferè tota de baptizandis infantibus, ſi in graviſſimis delictoribus, verba ſunt Cypriani, & in Deum multum antè peccantibus, cum poſteà crediderint, remiſſio peccatorum datur; & à Baptiſmo, & à gratiâ nemo prohibetur, quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus, nihil peccavit, niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquę primâ nativitate contraxit? Meritò proindè exclamat S. Auguſtin. *Serm.*10. *de Verbis Apoſt. Accomcdat Mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut confiteantur.*

15 Qui ergò vult ità diù differre, videtur Anabaptiſtarum, necnon etiam Lutheri leprâ infectus: Cenſuit enim impius ille, infantes non eſſe baptizandos antè annum diſcretionis, in quem errorem inciderunt alii de hęreſi ſuſpecti: Suarez *in* 3. *par. qu.* 68. *art.*10. *diſp.* 25. *ſect.*2. ideò eſſet ſuſpectus de hæreſi, qui multum differt, & maximè, ſi ejus Patria eſſet de Regione erroribus contrà Catholicam fidem infectâ.

16 Non obſtat, quod dicit Bordon. *in Trib. cap.* 22. *num.* 3. & tradit etiam Paſſerin. *in cap. ut Inquiſitionis, num.*61. *de hæret. in* 6. quod hæc dilatio non inferat hæreſis ſuſpicionem, cum nullum extet præceptum divinum baptizandi antè annum diſcretionis, undè Gregorius Nazianz. *in ſerm. de Baptiſmo*, exhortatur, baptiſmum infantium differri uſquè ad triennium, ut per ſe ipſos aliqua reſpondere poſſint: Tertullianus quoquè *lib. de baptiſmate*, cenſet illud differendum ad annos diſcretionis,

nis, vt habeatur melior diſpoſitio ad ipſum ſuſcipiendum : Undè ad illa verba: *Sinite Parvulos ad me venire*, inquit: *Veniant ergò, dum adoleſcunt; veniant, dum diſcunt, dum quò veniant, docentur; fiant Chriſtiani cum Chriſtum noſcere potuerint*, non obſtat,inquam, quia quamvis non adſit præceptum Divinum; adeſt Jus Eccleſiaſticum introductum à receptâ Eccleſiæ conſuetudine, ut dicit Suarez *in 3.par.quæſt.68.art.10. diſp.25.ſect. 2. verſ. ultimo ergo addendum eſt*.

17 Quâ propter, ſicut redditur ſuſpectus, qui comedit die Veneris, & Sabathi contrà conſuetudinem, & ritus approbatos Eccleſiæ carnem, itàut, ſi credat, non eſſe peccatum, & non alleget prò excuſatione cauſam ſanitatis, uti ſuſpectus de hæreſi vehementer puniri poſſe ab Inquiſitoribus, doceant Ricci *in prax.Aur.par.1.Reſol.*433.Carena poſt Pegnam.*tit.de edenda carn.tit.* 15.§.3.*num.*9.Farinacc.*de hæreſ.qu.*178. *num.*80. Trullench. *oper.moral.lib.1.cap.2.dub.3.nu.* 11.Fermoſin.*tract. criminal. ad textum in c. cum Chriſt. tract.* 2. *qu.*7. *num.*1. 2.& 3. Triviſan. *lib.* 2. *deciſ.66.num.*2.

Item tali ſuſpicione laborat, qui comedit in his locis, in quibus non adſit in contrarium conſuetudo, in vigiliis de præcepto ova,& lacticinia;quarè lib. Paſqualig. cui titulus *Praxis Ieiunii*, damnatus fuit propter temerariam, ac ſcandaloſam opinionem, quod hujuſmodi comeſtio ſit licita, ut teſtatur Eminentiſſimus Albitius *de Inconſtantiâ in fide, cap.*30. *num.*171.

18 Ità & magis erit ſuſpectus, qui contrà generalem Eccleſiæ conſuetudinem differt baptiſmum, & malè ſentiret de hujuſmodi optimâ conſuetudine, quæ ſi non adeſſet, tot infantes perirent, quot moriuntur antè diſcretionis uſum; ac malè ſentiret de poteſtate ipſius Eccleſiæ, putans ab eâ non potuiſſe cum hac adcò rationabili causâ induci hanc conſuetudinem.

19 Orientales verò, qui differunt maſculorum baptiſmum ad quadrageſimum diem, & fæminarum ad octageſimum, ut teſtatur eruditiſſimus Naironus *in Evoplia, pag.* 125. quamvis non ſint laudandi propter periculum
perpetuæ damnationis, non ſunt tame
de hæreſi ſuſpecti, eò quia ità bapti
mum protrahunt, nam putant, requi
hujuſmodi temporis ſpatium ad me
brorum aliqualem conſoliditatem,
proindè ipſis infantibus aliquod i
mineat periculum ex baptiſmo, que
Syri, ut plurimùm, trinâ immerſio
conferunt.

20 E contrà qui non vult expectare
fantes, ut exeant ab utero materno,
adhùc in ipſo exiſtentes baptizat,
titur Sacramento, & efficitur ſuſpe
Nam Cardinalis Cajetani opinio
baptiſmum conferendo pueris in u
exiſtentibus, tanquàm hereticalis
natur à Dominico Soto, & fuit à B
Pio V. veluti indigna tanto Theol
ab ejus libris expuncta: ſiquidem
ponitur illi veritati: *Niſi qui ren*
fuerit, ut notat Eminentiſs. Pall
hiſt. lib.9. cap.8. num. 4. *&* 5. Non
men me latet, quod nativitas, à
renaſcimur per baptiſmum, propr
Pignatello ex Div. Thoma *tom.* 1.
*ſult.*153. exiſtimetur illa, quâ na
tes in vtero contrahimus peccatum
ginale, cum uſitatum ſit in ſacrâ S
turâ, vocem *natum* accipi pro *g*
Matth. *cap.*1. *de quâ natus eſt Ieſus*
cè autem habetur, *genitus*: Sed ve
quæ plures ſignificatus habere po
intelligi debent juxtà ſubjectam m

21 riam.Verùm,ut quis ſit baptiſmi c
oportet, quod poſſit tangi, vel a
ab aquâ. Quoties autem fætus
Matris uterum, quòad omnes p
clauditur, non percipio,quomodò
gi, & aſpergi ab aquâ poſſit, ut
obſervat Campanil. *Diverſor. jur.*
*Rubr.*1. *num.* 97. undè communi
ſententia, quod pueri non nati
poſſint in matris utero baptizari
deric. Acunha *in cap.Baptizari,nu*
*diſt.*5. Guilelm. à Monte Laud. *in*
*mentin.*1. *de ſumma Trinit. verſ. ad*
Ricc. *collect.* 2133. *par.* 6. Camp
diverſor. jur. canon. rubr. 1. *numer.*

22 Non prætereunda hic quorum
Anomalia pietatis, qui apud The
Rainald. *tom.* 10. *in Heterocl. ſpiri*
*ſect.*1. *num.* 11. cenſuerunt,Eccleſi
câ ſepulturâ privandum eſſe cad
puelli, eò quod è ventre matris ed
bracchio,in iſto baptizatus eſt;mox

rò re-

rò retraxit, & absquè alio baptismate decessit, postquàm fuerat è ventre Matris extrusus.

23 Nequè enim validitati illius baptismi officere potuit solius brachii, non capitis ablutio, quia in necessitate quælibet pars corporis occurrens perfundi potest, quod de bracchio nullo modo debet videri ambigendum, & firmant Acun. *d. dist.* 5. *cap.* 3. *in fine*, Cappell. Tholosan *decis.* 156 *per tot.* Franc. Marc. *decis. Delphinat.* 951. *num.* 14 *par.* 1. Campanil. *diversor jur. can. rubr.* 1. *num.* 98. Imò de digito idem statuit Vasquez. 3. *p. d.* 145. *num.* 18. Fermosin. *de offic. & sacr. Eccles. tom.* 2. *ad cap.* 1. *de Sacram. non iterand. q.* 3. *num.* 16. quia quæcumquè pars abluitur, verè homo dicitur ablui per synecdochem. Pariter ablutio capillorum censetur ad baptismum sufficere, quia licet non vivant, ratione eorum homo ablutus dicitur:Ità tradit Vasquez citatus *num.* 31. & Ægid. 3. *p. q.* 66. *num.* 38. perperàm reclamante Bonacin. *quæst.* 2. *de bapt. punct.* 3. *num.* 21.

24 Multò minùs officere potest validitati Baptismi retractio bracchij illius infantis jam aquâ perfusi, quia baptismus, ex quo validus est, nequit irritari per quidlibet subsequens: Hanc tamen constituunt differentiam supracitati Auctores, quod si puer emittit caput, & baptizetur, quoties vivat, non ei baptisma iterandum sit: si verò aliam partem emiserit, ac in eâ fuerit baptizatus, sit rebaptizandus cum conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, ut præter Marc. *decis. ubi mox*, observat Cappell. Tholosan. *d. decis.* 156. *num.* 2.

25 Dicuntur etiam abuti ob non debitum tempus, qui paruulis Sacramentum Confirmationis, & Eucharistiæ tradunt, eosquè damnat Arcudius *de concord. lib.* 1. *cap.* 13. & rationabiliter; nam in eâ ætate non tradi hæc Sacramenta, postulat tantorum mysteriorum dignitas, potissimùm Eucharistiæ, quæ Regem gloriæ in se continet; Renuit infirmitas, & imbecillitas infantium, & puerorum, qui illa sinè dispositione perciperent; efflagitat periculum, cui præsertim exponitur Eucharistia, ne ab infantibus sumpta non retineatur.

26 Et quamvis Græci soleant infantes baptizare, ac ipsis Confirmationem, Eucharistiamquè tradere, minimè nobis Latinis licet; tametsi infantium communio antiquioribus temporibus in usu extitisset in Ecclesiâ Romanâ: Postquàm enim Alcuinus Bedæ discipulus, Præceptor itē Caroli Magni, quo imperante floruit, *in lib. de divin. offic. cap. de Sabbatho Sancto Paschatis*, usū illum memoriâ dignū retulisset, hisce verbis: *Pontifex ergò* (sunt ejus verba) *egreditur à fonte in Sacrarium habens ibi impositam Sedem, vel in Ecclesiâ, ubi voluerit, & sedet in eâ, ut cum vestiti fuerint infantes*, qui nimirùm immergebantur in aquam, ut eos modò immergunt Græci, *confirmet eos*; postquàm, inquam, hæc rutilisset, subjungit de Eucharistiâ *infrà in eodem capite*, cavendum esse, nè infantes lactentur, aut ullum cibum capiant, antequàm communicent; hæc sunt illius verba: *De parvulis providendum est, nè postquàm baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, nequè lactentur sinè multâ necessitate, antequàm communicent Sacramento Corporis Christi*, quod etiam refert Marten. *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 18. *num.* 14. *in fine*, ac antiquitùs consuevisse infantes communicari, probat idem *d. lib.* 1. *cap.* 14. *art.* 10. *num.* 14.

27 Sed quod fieri consueverat, non est hodiè faciendum, cum Ecclesia habeat potestatem variandi, quæ non spectant ad Sacramentorum substantiam, & quæ à conditione temporum pendent: In primitivâ Ecclesiâ, quandò minor erat fidelium numerus, faciliùs poterant vitari incommoda, quibus illa consuetudo pueros communicandi exposita est; postmodùm crescente numero fidelium, & refrigescente charitate, cum Sacramenta minori curâ, ac diligentiâ administrarentur, magis ad decentiam, & reverentiam Sacramenti expedire, & conducere visum est, si paruulis antè usum rationis Sacramenta denegarentur, quam si aliquali utilitate ipsis provide-
28 retur: Græci tamen adhùc retinent hunc usum tradendi infantibus hoc Sacramentum: Martene *de ritib. loco suprà citato, d. num.* 14. sed longè meliùs facerent, si vellent se in hac re conformes reddere Romanæ Ecclesiæ, ut ait Arcudius *lib.* 3. *cap.* 40. Ut enim illam consuetudinem illis temporibus in usu habitam Concil. Trid. minimè damnat, ità

Sf 2 his

his temporibus minimè laudat ; imò potiùs à se rejicit, & condemnat, licèt apud Græcos esse in usu, fortè toleret.

29 Cæterùm præfatam consuetudinem Ecclesiæ Romanæ non penès omnes uniformiter practicatam fuisse, ostēdunt duo contraria exempla: Puerum Achaz, qui nondùm septennium expleverat, nè in morte quidem post confessionem admissum esse ad communionem, quam ardentissimè expetebat, scribit Cantipratanus *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 7. propter Concilii (ut ait) vetitum, ne Eucharistia in tali ætate puero conferreretur, id quod *ex cap. omnis utriusque sexus* edito *in Concil. Lateran. sub. Innoc. III.* accipit *ibi* Colvenerius : è contra puellam vix septennem in morte refertam esse divino hoc cibo, firmat Philippus Berlaymont *in Parad. Puer.* 3. *part. cap.* 1. §. 14.

30 In primitivâ Ecclesiâ parvuli quoquè confirmabantur propter frequentes persecutiones, ut testatur P. Verricell. *de Apostol. mission. tit.* 7. *qu.* 126. *num.* 3. & nuperrimè Canonicus Naironus *loco sæpè laudato, pag.* 129. *& seqq.* Sed hodiè cum nec furat persecutio ; nec adsit raritas Episcoporum, qui confirment, protrahi potest hoc Sacramentum.

31 His tamē non obstantibus, Græci nunc etiam Confirmationis Sacramentū pueris conferunt: Leo Allatius *de perpet. consention. Eccles. Orient. & Occident. lib.* 3. *cap.* 18. quod etiam fit ab Orientalibus Syris, ut refert idem Naironus *ubi su-*

32 *prà, pag.* 128. Insuper, ut optimè animadvertit Arcudius, approbari minimè potest, Baptismum protrahi à Græcis, ut, qui baptizantur, magis dispositi sint ad Confirmationis, & Eucharistiæ Sacramenta suscipienda, quæ ipsis præter Baptismum ministrant : Ex quo fit, ut sæpè pueros duorum, vel quatuor annorum salutari Lavacro expiare soleant : *Ego*, de se loquitur Arcudius, *quandò sacro fonte lustratus fui, ejusmodi ætatis eram, ut planè meminerim*: Aliquandò, audi deplorabilem consuetudinem, parentes puerorum, dum affinitate spirituali amicos sibi devincire cœpiunt, eos absentes, & peregrinantes libenter expectant, ac baptismum differunt, contrà quod plures adsunt Constitutiones Ecclesiasticæ, & Synodorum sanctiones, quas congerit, & refert Martene *de antiqu. Ritib. lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 8. *n.* 11.

34 Si autem apud Latinos hodiè infantibus cum baptismo traderentur hæc duo Sacramenta, Confirmationis scilicet, & Eucharistiæ, crederem esse ponderandas circumstantias, quas diximus suprà de consecratione super pane fermentato ; nam quâlibet earum remotâ, nullam crederem incurri hæresis suspicionem, ob duplicem rationem, quarùm prima est, quia usus, qui adhuc viget penès Græcos, cæterosquè Orientales, non habet fundamentum in hæresi ; sed originem fortasse traxit ex eo, quod in primævâ Ecclesiâ, adultis baptismus conferebatur, & unà cum hoc Sacramento ministrabantur continuatâ actione etiam alia duo, Confirmationis nempè, & Eucharistiæ : Idem mos deinceps observatus etiam est in pueris, & usquè ad præsentem diem observari apud Orientales, testatur Naironus *loc. cit. pag.* 131. *&* 193. ubi addit, quò ad communionem, eam præberi pueris sub unicâ specie, scilicet Sanguinis: nam Sacerdos intingit Sanguine extremum digitum, illumquè suggendum exhibet puero. Hoc autem ità fit, tùm quia Orientales æquè Sacramenta recipi existimant sub unicâ specie, ac sub duplici ; tùm quia pueri solidum cibum sumere non valent.

36 Secunda ratio est, quia pueri propter innocentiam, nullum ponunt, nequè ponere possunt obicem, idcircò Sacramentum infallibiliter confert illis gratiam ; quæ res miraculo comprobata est Constantinopoli tempore Justiniani Imperatoris, & Menæ Patriarchæ, teste Eugenio *Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 36. Ipsum audiamus: *Vetus consuetudo Constantinopoli fuit, ut si quandò multæ particulæ Sacratissimæ Eucharistiæ superessent pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, qui eas manducarent. Contigit, ut puer quidam Iudæi opificis vitrarii cum condiscipulis admissus his reliquiis Sacramentorum participaverit, hic domum regressus, patri causam moræ sciscitanti puer simplex, & innocens rem, uti erat, significavit. At ille furore excandescens acceptum puerum in*

in vitrariam fornacem coniecit accensam: Mater inscia rei, puerum toto triduo conquisitum flebiliter in mariti officinâ compellat, cui puer de fornace respondit: tùm mater ad ostium clibani accurens, puerum inter flammarum vortices illæsum conspicit, qui se à quâdam eximii decoris muliere servatum, asseruit, quæ ad eum crebrò veniens, etiam cibum, quoties esuriebat, allatum erogabat. Id miraculũ protinùs Iustiniano Imperatori perlatũ est, qui puerum, & matrem Sacro baptismo lubentes ablui, curavit: Patrem autem in suâ impietate pertinacẽ crucis suspendio damnavit, id, quod etiam memorat Escobar *tom. 3. part. 1. Theol. moralis, lib. 20. sect. 2. cap. 13. probl. 39.*

37 Similiter ex se nullam videtur inducere hæresis suspicionẽ abusus in conferendo Sacramento ob non debitas cæremonias: Quis enim suspectũ esse dixerit eum, qui in Baptismo ministrando nomen baptizato non imponeret? Potest tamen dari casus, ut hic quoquè suspectus fiat, nempè si concurrant alterutra duarum circumstantiarum, quarum altera est, si qui debet nomẽ impo-
38 nere, fuerit de hæreticorũ regione, à quibus hæc nominis impositio diridetur, eò quod Apostolorum tempore putent, hujusmodi nominis impositionem non fuisse usitatam, quia Eunuchus Reginæ Candacis semper vocatus sit Eunuchus, tàm antè, quàm post baptismum, prout observat impius Illyricus *cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 497.* & notat Bellarmin. *de Sacram. bapt. lib. 1. cap. 26.* Decipiunt
39 profectò hæterodoxi, nã mos dandi nomina in Baptismo antiquissimus est, ut habetur in Concilio Carthaginensi IV. *can. 85. Baptizandi nomen suum dent*, & probat Casal. *de veter. Christ. Ritib. par. 2. cap. 5. pag. 37. litt. B.* Martene *de antiq. ritib. lib. 1. cap. 1. art. 10. numer. 1.* Vicecom. *de antiq. Baptism. Ritib. lib. 2. cap. 12.* Eò magis, quià cum baptisma traderetur adultis ad fidem accedentibus, oportebat, ut novi nominis impositione test..rentur, exuere veterem hominem; quâ de causâ omnes nudi hujusmodi lavacro abluebantur: Imò nudabantur etiam mulieres, sed earum pudori consulebant Diaconissæ: Francisc. de Roye in *institut. Iuris Canon. libr. 2.*
40 *tit. 3. pag. 175.* Altera circumstantia est, si quis filiis non imponat Catholicorum nomina, sed illorum, qui fuerunt hæreticorum antesignani, ut Lutheri, Calvini, &c. Tunc enim se redderet vehementer suspectum de hæresi, ut tradit Passerin. *in d. cap. ut Inquisitionis, nu. 61. in fin. de hæret. in 6.* Bordon. *in Tribun. cap. 22. num. 6.* quià præsumeretur approbare Sectam illorum, & velle, suos filios imitari, & sequi illorum perversa dogmata. Confirmatur id, nam, ut habetur in Cathechismo *de Baptism. sect. 75.* nomen baptizato imponendum desumi debet ab aliquo, qui propter excellentem animi pietatem, & religionem, in album Sanctorum relatus sit: Ità enim facilè fiet, ut unusquisquè, ob nominis similitudinem, ad Sanctitatis, & virtutis imitationem excitetur, ac prætereà eum, quem imitari studeat, in protectorem sibi asciscat, eiquè preces dirigat prò salute, tùm corporis, tùm
41 animæ: Ubi è contrà, qui baptizatis nomina hæreticorum imponunt, præsumuntur velle, ut illi, quibus talia nomina indiderunt, hæreticorum facta imitentur, non secus, ac si in dogmatibus, & erroribus eorum contineatur veritas ad salutem. Undè in Syn. Nicęna *Can. 30.* Gentilium nomina filiis imponere, fuit vetitum, quod & à S. Chrysostomo significatur *hom. 22. in cap. 4. epist. ad Corint.* Vicecom. *de baptism. Ritib. lib. 2. cap. 13. in fine*, Martene *de Ritib. d. cap. 1. art. 10. num. 7.* ubi in fine affert decretum Concilii Burdigalensis *anni 1582.* quod asserit, nomina Sanctorum Patrum veteris testamenti affectare, hæreticorum esse, quod etiam advertit Merbes. *in Summa Christiana par. 3. quæstiunc. 26. pag. 86.* Quarè isti diligenter interrogandi sunt, quo fine similia hæreticorum nomina imposuerint, & severè puniendi, juxtà gravita-
42 tem præsumptionis: Idem dicendum de Judæo, si effectus Christianus retineret nomen judaicum antiquum, ac eo post baptismum assumptum uteretur: Ex hoc enim argueretur amor, & affectus ergà Judaismum, cumquè approbare præsumeretur, ut docet Cravett. *consil. 73. à num. 14.* Francisc. Vivius *lib. 2. comm. opin. opin. 193. versicul. & nomen turpe est demum*, Transmiera *de Polygamia lib. 1. cap. 6. quæst. 14. num. 15.*

Quis

43 Quis pariter contenderit, hæresis suspicione damnandum illum ob non debitas cæremonias, qui conferret Sacramentum Baptismi, omissâ cæremoniâ susceptorum: Eorum enim munus apud nonnullos penè superfluum habetur, eò quod in terris Catholicorum Patrini nō teneantur instruere eos, quos de Sacro Fonte susceperunt, ut docet Fagnan. *in c. damnamus, n. 47. de summa Trinit.* Imò in veteri Ecclesiasticâ Historiâ nulli occurrunt Patrini, qui in baptismate adultis dati fuerint. Non enim Ammonius solitarius quasi Patrinus, sed quasi catechistes datus est Rufino Præfecto, cum baptizatus est, ut notat Francisc. de Roye *in institut. juris canon. lib. 2. tit. 3. pag.* 175. Ego tamen censeo, hujusmodi quidem cæremoniæ omissionē non inducere hæresis suspicionem, quoties non interveniat contemptus, eâ ratione adductus, non quia susceptorum munus supervacaneum sit; sed quia non est de necessitate Sacramenti: Merbes *in summa Christian. part. 3. quæstiunc.* 24. *pag.* 83. licet tamen sit de congruo, propter antiquam Ecclesiæ consuetudinem sapientissimè introductam, ut ipsi spondeant prò puero, illum inviolabiliter observaturum promissiones Deo factas in recipiendo baptismate, undè D. Augustinus *in serm.* 163. *de temp. Vos autem tàm viros, quàm mulieres, qui filios baptismate suscipitis, moneo, ut cognoscatis, vos prò illis apud Deum fidejussores extitisse, quos de sacro fonte suscepistis*. Quis
45 notaverit uti suspectum eum, qui conferret idem baptismi Sacramentum non servato benedictionis aquæ ritu, de quo suprà? Quis crediderit hæresi infectum eum, qui non trinâ mersione ablueret baptizandum? Quamvis enim Concilium Secundum generale *c.* 7. inter alias causas, cur Eunominiani à Catholicis rebaptizari debuerint, eam referat, quod unicâ immersione baptizati fuerint; attamen hoc decrevit Concil. quoniam Eunomius recusabat adhibere trinam immersionem, ne hac cæremoniâ æqualitatem personarum in essentiâ ostenderet, quamobrem peccabat contrà formam baptismi: E converso non igno-
46 ramus, Gregorium Magnum *lib. 1. epist. 41. ad Leandrum*, mandasse, ut in Hispaniâ unicâ mersione baptizaretur, quia Arriani ad significandas tres naturas trium personarum trinâ mersione abuti cæperant, quam divi Gregorii jussionem posteà confirmavit Concil. Toletan. IV. *cap.* 6. Martene *de ritib. lib. 1. cap. 1. art. 14. num.* 8. Merbes. *in summa Christiana, part. 3. dissert. 1. de Baptismo, qu. 11. quæstiunc. 16. pag.* 76. Audiamus ipsum Gregorium: *De Trinâ verò mersione* (inquit) *baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in unâ fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur; quod si quis fortè etiam prò summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquas mergere, qui dum in tribus subsistentiis una substantia est, repræhensibile esse nullatenùs potest, infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quandò & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in unâ potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usquè ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse, non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumquè, quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vivisse glorientur.*

47 Quis deniquè prætenderit esse de hæresi suspectum, qui confert baptismum, non mersione, sed infusione, & aspersione; & è contrà? Siquidem, ut ait sæpè laudatus Arcudius *lib. 1. cap.* 10. Æquè benè baptismus trifariàm potest absolvi, vel immersione, idquè denotat nomen baptismi: Quæ quidem immersio, & emersio consepelitionem, & resurectionem cum Christo significat: Et si trina sit, mysterium indicat Sanctissimæ Trinitatis; si una, unitatem Deitatis, præsertim apud Catholicos; Vel ef-
48 fusione, juxtà illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; & hoc modo baptizatus fuit Christus, nam Joannes super caput Christi superemines aquæ, effudit aquam, & eum baptizavit: hæcquè est opinio communis, picturis quoquè expressa, & consentanea: Atquè in Græcia

ciâ non paucos meminit laudatus Arcudius se vidisse, præsertim adultos æquè Judæos, atquè Turcas ad fidem Christi conversos baptizari per effusionem;
49 Vel deniquè per notabilem aquæ aspersionem, de quâ illud Regium Davidicum intelligi potest: *Asperges me Domine hysopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor*. Undè Cyrill. Hierosolomyt. 3. *Cathechesi* sic exorsus est: *Lætentur Cæli, exultet Terra propter eos, qui aspergendi sunt hysopo, & mundandi hysopo spirituali*; quâ videlicet aspersione facile fuit Apostolis multa millia hominum baptizare, idquè sinè aliis Cæremoniis, quas iidem Apostoli, eorumvè suppares, aut alii Pontifices posteà instituerunt, simplici quoquè usurpatâ formâ, ità ut Apostoli, eorumque discipuli seorsim pronunciaverint: *Ego vos baptizo*, vel: *Baptizentur Servi Dei*, & plures aquâ simul asperserint: Præsertim cum & S. Cyprianus, aspersione posse fieri baptismum, probet ex aquâ purificationis, quæ etiam aspersionis dicebatur, eratque Typus Baptismi.

Apostolos itaquè tot millia hominum, & Regna integra, & amplissima imperia eodem modo aspersione baptizasse, nedum verisimile, sed etiam certum esse videtur.

Sic Syros promiscuè trinâ aspersione uti, seù immersione in fontem baptizare, testatur Naironus in *Evopliâ p.2.pag.*123.

50 Nec poterit dici suspectus, qui Confirmationis Sacramentum confert, dummodò servet cæremonias essentiales ungendi, & signandi frontem cruce, licet omittat nomen ejus, qui confirmandus est; vel pacem non tradat in signum acceptæ gratiæ Spiritus Sancti; vel non cedat confirmatum, ut intelligat, se contrà ignominiam, & verbera prò Christo ferenda patientiâ præcipuè armandum.

51 Hæc tamen sunt intelligenda, nisi manifestè conspiciatur in hujusmodi omissione circumstantia suspicionis inductiva, quæ, quamvis maxima debeat esse propter qualitatem ministri Sacramenti Confirmationis, potest tamen dari, quia non desunt hæreticorum errores contrà has cæremonias, ut videre est penès Bellarmin. *de Sacram. Confirm. lib.* 2. *cap.* 12. *in fine*, & apud Martene *d. cap.*1. *art.*14.

52 Quomodò etiam dici poterit de hæresi suspectus Sacerdos, qui in tradendâ Eucharistiâ, vel in impartiendâ absolutione non adhibet consueta verba, dummodò non adsit contemptus, & dummodò respectu Sacramenti Pœnitentiæ
53 servetur forma? Si quis verò in ministrando Sacramento Extremæ Unctionis non ungeret infirmi membra, in quibus resident quinque sensus, putans, hujusmodi unctionem non esse necessariam, quià præsumeretur, eam contemnere, fieret suspectus: nam hæc est de essentiâ, & præscribitur à Concil. Florent. ut probat Bellarmin. *de extrema unct. lib.*1. *cap.* 10. *in fin.* Fermosin. *de offic. & sacr. Eccles. tom.* 2. *de Extrem. Unction. quæst.*4. *à num.*12. *usquè ad.*19. & etiam ex antiquis Codicibus probat eruditè Martene *de ritib. lib.* 1. *cap.* 7. *art.*3. *num.*8.

54 Hinc est, quod talis unctio apud omnes Catholicos servatur, non tantùm Latinos, verùm etiam Græcos, Maronitas, cæterosquè Orientales; & quamvis Syri eorum, qui Sacræ lampadis unctionem suscipiunt, inungant tantùm corporis partem morbo affectam, non tamen putandum est, id peragi ab eis contrà prædictum Sacramenti Extremæ Unctionis ritum; siquidem duplici unctione utuntur, quarum altera fit devotionis causâ, nec in ipsâ Sacramenti forma exprimitur, & est ea, de quâ
55 modò loquuti sumus: Altera verò fit per modum Sacramenti, & in ipsâ, ut testatur eleganter Naironus *loco sæpè laudato, pag.* 211. ungit Sacerdos septem corporis partes, nimirùm ægri frontem, mentum, ambas genas, ità ut fieri videatur in capite ad modum crucis, deindè pectus, tùm manus, idquè ex utrâquè parte, postremò pedes: Ungitur pectus, ut subjungit idem Naironus, ob contentum cor, ex quo oriuntur cogitationes, undè Christus Dominus *Matth.* 15. *De corde exeunt cogitationes, mala, homicidia, adulteria, fornicationes, falsa testimonia, blasphemia*; unguntur omnes capitis partes, quià in capite collocati sunt præcipui corporis sensus.

56 Similiter si in collatione Ordinis Presbyteratus prætermittat Episcopus unctio-

unctionem manuum Sacerdotis initiandi, non sit suspectus de hæresi, tanquàm Sectator opinionis Kemnitii, qui *in 2. p. exam. pag.* 1171. *& seq.* damnat hujusmodi unctionem, eamquè appellat Ritum Judaicum; & pariter Calvini, qui non absimiles ineptias effutiit *in lib.* 4. *Instit. cap.* 19. §. 30. *&* 31. Hoc tamen semper repetendum, dummodò in hujusmodi prętermissione maxima non interveniat circumstantia.

57 Postremò quò ad abusum in conferendo propter non debitas dispositiones, idem dicendum, quod suprà innuimus, ubi egimus de tali abusu in conficiendo.

Præter prædictos abusus, nonnulli alii considerari possunt in conferendo Sacramentum, vel quià incapax sit subjectum, cui confertur; vel quià non debito fine conferatur; vel quià conferatur non adimpletis iis, ad quæ Minister exindè tenetur.

SUBSECTIO IV.

De Sacramentorum abusu in conferendo subjecto incapaci.

SUMMARIUM.

1 *Subjecto incapaci tribuunt Sacramentum, qui baptizant, vel irrationalia, vel inanimata.*

2 *Isti tales, sicut Sortilegi, sunt de hæresi suspecti, & ob hujusmodi factum hæreticale torquentur super intentione.*

3 *Incidunt in hæresis suspicionem, qui iterant sacramenta characterem imprimentia.*

4 *Rationes plures, cur semel baptizatus non sit capax alterius Baptismi.*

5 *Qui Baptismum reiterat, quomodò, secundùm dictum Apostoli, iterùm Christum crucifigat?*

6 *Si non appareat, aliquem fuisse baptizatum, potest reiterari Baptismus.*

7 *Quoties prudenter dubitatur de Baptismo, is potest reiterari.*

8 *In tali casu peccaret mortaliter, qui reiteratione differret, si post diligens examen dubium remaneret.*

9 *Si prudens non esset dubitatio, tunc non posset reiterari Baptismus, etiamsi de eo non suppeterent testimonia.*

10 *Synodus Trullana decrevit, debere baptizari, quoties non inveniuntur testes de recepto Baptismo.*

11 *Sed hoc intelligitur in Terris Hæreticorum.*

12 *Non est prudens dubitatio, eò quod Baptismus ab Obstetrice fuerit collatus, & num.* 13.

14 *Non obstat, quod in eis quandoquè sit, vel malitia, vel ignorantia.*

15 *Tertullianus notatus, dum mulieribus non facit facultatem baptizandi.*

16 *Nec sunt rebaptizandi Infantes, etiamsi Obstetrices asserant, se non abluisse caput puerorum, sed vel pedem, vel manum.*

17 *Hodiè, ob damnatam ab Innocentio propositionem, reiterandus Baptismus in dubio de valore.*

18 *Respectu puerorum, qui sunt expositi, non est prudens de valore Baptismi dubitatio.*

19 *Hoc tamen intelligitur, si contingat in terris Catholicorum; secùs Infidelium.*

20 *In levi suspicione sufficit Baptismus flaminis.*

21 *Non est prudens dubitatio de valore Baptismi, si ea proveniat, eò quod Minister fuerit Hæreticus.*

22 *Agrippinus Episcopus Carthaginensis fuit primus ex PP. antiquis, qui Baptismum ab Hæreticis susceptum, reiterari præcepit.*

23 *Agrippinum secutus est S. Cyprianus in errore, sicut & in Episcopatu Carthaginensi.*

24 *Præcessit tamen Cyprianum in eo errore Firmilianus Iconis Episcopus.*

25 *Impellente Firmiliano S. Cyprianus pugnam aggressus est adversùs Sanctum Stephanum Papam, celebratis Synodis.*

26 *Episcopi harum Synodorum mutarunt sententiam, & resipuit quoquè Firmilianus: Sed an S. Cyprianus resipuerit, dubium est.*

27 *An in eumdem errorē impegit S. Basilius cum SS. Athanasio, Optato Milevitano, & Cyrillo Alexandrino?*

28 *Ratio præcipua erroris S. Cypriani, & aliorum sequacium.*

29 *Illi PP. errarunt, quia non perceperunt, Ministrum Sacramenti esse tantùm instrumentum.*

Non

30 *Non est Baptismus iterandus ex eo quod in ipso gratia non infundatur, nam character imprimitur.*

31 *Maimburgus carpit Sanctum Stephanum Papam, quod in decreto circà PP. Carthaginenses erraverit in fide: Sed ille hallucinatur, & n. 32.*

33 *Ut baptizentur illi, qui ab Hæreticis sunt baptizati, advertendum, an adsit defectus materiæ, vel formæ, vel intentionis Ministri.*

34 *Sac. Congregatio decrevit, Colchos, & Iberos esse rebaptizandos, non quia baptizati à Schismaticis, sed quia error in materiâ.*

35 *Ritus Baptismi Colchorum, & Iberorum describitur.*

36 *Perpendendæ sunt circumstantiæ, ex quibus resultat intentio necessaria in Ministro.*

37 *Si ignoretur, an fuerit baptizatus ille, qui ortus est ex infidelibus, perpendantur circumstantiæ.*

38 *Iterantes Sacramentū Confirmationis, illud tribuunt subjecto incapaci, quia hoc non est iterabile.*

39 *Hæc veritas probatur auctoritate Concilii, & Patruum.*

40 *Ratio id ipsum persuadet, quia character est indelebilis.*

41 *Quo sensu PP. Græci statuerint, Hæreticos iterùm esse inungendos?*

42 *Incapaci subjecto datur Sacramentum Confirmationis, si detur non baptizato.*

43 *Eucharistia datur subjecto incapaci, si pluries eâdem die detur eidem subjecto.*

44 *Hujusmodi abusus non inducit hæresis suspicionem.*

45 *Rectè decrevit Alexander II. à Sacerdote unam tantùm Missam in die esse celebrandam.*

46 *Festis diebus Parochus potest duas Missas celebrare.*

Subjecto incapaci traditur Eucharistia, si detur alicui antè usum rationis: Ibid.

Item, si Eucharistia Enurgumeno tradatur.

47 *Eucharistia aliquando liberavit Energumenos.*

48 *Non expedit tamen, Eucharistiā Energumenis tradere.*

49 *Tradere Eucharistiā cadaveri, est tradere incapaci.*

50 *S. Gregorius Magnus narrat, datam fuisse Eucharistiam puero defuncto.*

51 *Dubitatur de validitate hujus historiæ, quæ si vera est, extraordinaria est.*

52 *Sortilegus est, qui anserem communicaret ad inveniendum thesaurum.*

53 *Prodigium Sacræ Eucharistiæ sacrilegè positæ in ollâ cum buffonibus.*

54 *Subjecto incapaci datur Extrema Unctio, si rei inanimatæ detur.*

55 *Item suspectus esset de hæresi, qui sano Extremam daret unctionem.*

56 *Græci Extremam unctionem sanis conferunt.*

57 *In hoc abusu sunt Græci inexcusabiles.*

58 *Rationes contrà Græcos.*

59 *Ex hujus Sacramenti institutione habetur, quod sanis non debet dari: Hinc probibitio Concilii Carnotensis.*

60 *Concilium Tridentinum decrevit, Extremam Unctionem esse dandam in extremis constitutis.*

61 *Senibus non ægrotis extrema Unctio danda ex Concilio Mediolanensi sub S. Carolo.*

62 *Non omnes Græci profitentur errorem dandi Extremam Unctionem sanis.*

63 *Damnatis ad mortem non administratur Extrema Unctio, quia infirmi non sunt.*

64 *Cur conferre Extremam Unctionem sanis, vel levi morbo affectis sit superstitiosum?*

65 *Detestabilis quorumdam impietas respuendi in morte Extremam Unctionem.*

66 *An extrà Sacramentum possit esse licitum, uti oleo Extremæ Unctionis ad ungendos ægrotos, &c.*

67 *Ex concessione Innocentii I. laicus potest ungere oleo ab Episcopo benedicto.*

68 *Ex ordine Romano id ipsum probatur.*

69 *S. Genuefa contrà Dæmoniacum utitur sacro oleo.*

70 *Idipsum fecit S. Euthychius Primus Constantinopolitanus.*

71 *Aliud exemplum S. Vdalrici Episcopi Augustani.*

72 *Item exemplum Sancti Gothardi Episcopi.*

73 *Sed non licere uti oleo Extremæ Unctionis extrà Sacramentum, persuadetur.*

74 *Facta in contrarium procedunt de oleo bene-*

benedicto à simplici Sacerdote, vel privatim ab Episcopo.

75 *Non est illicitum, uti oleo lampadis alicujus Sancti ad ægrotos ungendos.*

76 *Sacramentum Ordinis datur incapaci, si conferatur mulieribus, secundùm Hæreticorum errores.*

77 *Quintiliani Hæretici Sacerdotium fœminis dabant.*

78 *Fæminæ Diaconissæ quænam erant in Ecclesiâ primitivâ; Eorumque officium in Ecclesiâ?*

79 *An Diaconissæ ordinarentur per manuum impositionem?*

80 *Presbyteræ mulieres quænam dicebantur?*

81 *Qui reiterat Ordinem, confert illum subjecto incapaci.*

82 *Ordinatus à falso Episcopo esset reordinandus; saltem sub conditione.*

83 *Prædicta procedunt etiam quoàd Ordines Minores.*

84 *An possit licitè reiterari prima Tonsura?*

85 *Non potest reiterari, etiamsi illa non esset ordo.*

1 SUBIECTO incapaci conferre Sacramentum dicuntur ii, qui baptizant vel res inanimatas, utpotè monetas, ut redeant in crumenam; vel animalia irrationalia ad inveniendos thesauros, vel ad necem alicui causandã, ut (sicuti eleganter scribit Candidus Brognolus *de Maleficiis*, *tom.*1.*disput.*4. *num.*742.) applicatione elementi cæteros vivificantis mortem inferant iis, quos perire

2 volunt: Quamobrem sicuti sortilegos demonstravimus de hæresi suspectos, istos quoquè hac labe infectos esse, dicunt Simanch. *de Catholic.tit.*62.*rubr. de sortileg.n.* 3.*vers.de baptizante Cadaver*, Farinacc.*de hæresi*, *quæst.*181. *num.* 24. Martin. del Rio *lib.*3.*par.*1. *quæst.*3. *sect.*1. *vers. mox subdit*, Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *numer.* 6. Passerin. *in cap. ut Inquisitionis*, *num.*50. *de hæretic. in.* 6. Aug. Triumph. *de potest. Eccles. quæst.*28.*art.* 3.§. *Respondeo, in fin.*

Imò, cum hoc sit factum hæreticale, ac sapiat hæresim, quidquid asserat Sanctus Antoninus, quem refert Farinac. *ibidem*, *num.*26.in S. Officio torquentur super intentione; & quamvis non appareat de errore in eorum intellectu, nihilominùs ipsis iniungitur abjuratio de vehementi; Farinac. *ibidem*, *n.* 26.& 27.

3 Subjecto incapaci conferre Sacramenta ex eâdem ratione dicuntur, qui Sacramenta characterem imprimentia iterant; Hinc est, quod qui rebaptizant scienter, non solùm committunt grave Sacrilegium, & inexpiabile facinus, ut loquuntur S.Leo Papa relatus *in cap.cum itaquè*, *de consecrat.dist.*4. sed incidunt in hæresis suspicionem: Farinac. *qu.*181.*n.*23.Bordon. *in Tribun. cap.*21. *à num.*1. Fermosin.*tract.criminal.de hæret. qu.*1.*num.*11. *tract.* 2.Menoch. *de præsumpt.lib.*5.*præsumpt.*6. *num.*7.Passerin. *in d. cap.ut Inquisitionis*, *num.*57. & *seqq.*& De Angel. *de delict.part.*1.*c.*63. *num.*23. ubi ait, rebaptizare pueros, hæresim sapere.

Baptizatus enim semel, non est capax novi baptismi: *cap. non licet*, *de consecrat.distinct.* 4. Concil. Tridentin. *de baptism.can.*11.*sess.*7. Tùm quia baptismus est quædam regeneratio, ac natiuitas: *cap.* 1. *de consecrat. dist.* 4. Undè quemadmodùm homo non potest, nisi semel nasci naturaliter, ità nec spiritualiter: Sayr *in Thesaur.cas. conscient.lib.* 4.*cap.*8.*num.*1. & Torreblanc. *Iuris spirit.lib.*2.*cap.*4.*num.*45. latè Eminentissimus Albitius *de Inconstant. in Fide*, *cap.* 33 *à num.*7. Tùm quia primarium baptismi objectum est peccatũ originale: At illud semel deletum, non redit iterùm: Juenin *de Sacramentis*, *tom.*1. *pag.*125.*col.*2.*post medium*; quarè Apostolus *ad Hebræos* 6. *Impossibile est*, *eos*, *qui semel sunt illuminati*, *denuò renovari*

5 *ad pænitentiam*: Tùm quià significatur per baptismum, quod Christo commorimur, & consepelimur, qui semel tantùm prò nobis mortuus est, ac sepultus; undè à Sacerdote, dum baptismo abluimur, Crucis signo consecramur, ut pariter docet Juenin *ubi suprà*, & propterea, qui baptismum reiterat, iterùm Christum crucifigit, ut inquit Albitius *de Inconst.in Fide*, *cap.*33.*nu.*9. ex Suarez *in* 3.*par.qu.*71.*disp.*31.*sect.*6. *to.*3. id quod longè antè Suarez, docuit Div.Ambros.*contrà Novatianos*, *lib.* 2. *de pænitentiâ*, & tradunt quoquè Torreblanc. *loco cit.* Franciſc. de Roye *Instit.*

Institut. Iuris canon. lib. 2. tit. 3. pag. 179. vers. Baptismus in formâ Ecclesiæ: Crucifigere autem Christum vanè, & superfluè, quandò ipse voluit, ut Redemptioni nostræ inserviret sua Crucifixio, est jure meritò contrà Canones, ut patet ex toto titulo *de baptismo, & ejus effectu, & de consecratione, dist.* 4. Sayr. *in Thesaur. cas. conscient. lib. 4. cap. 8. nu.* 1. ac proindè adversatur primario fini Institutionis Sacramenti; ideòquè inducit hæresis suspicionem, & eò magis, si rebaptizans putat, quod tale subjectum sit baptismi capax, nam credit per consequens, baptismum priùs susceptum fuisse inefficacem, & sic malè sentit de Sacramento: Torreblanc. *Iuris spiritualis, dict. cap. 4. num.* 45. Alberghin. *cap.* 18. *sect. 2. §. 1. num.* 10.

Dantur tamen casus, quibus reiterari potest baptismus, putà si non appareat, aliquem fuisse baptizatum, ut habetur *in cap.* 84. *Concil. Toletan. & in Concil. Carthag. cap.* 5. de quo *in cap. placuit, de consecr. dist.* 4. & esse antiquum Ecclesiæ ritum, probat Martene *lib. 1. de Ritib. cap. 1. art. 16. num.* 8. Sed eo casu adhibenda est maxima diligentia, dummodò non immineat periculum mortis, ut videre est apud S. Leonem Papam *in epist.* 37. *ad Leonem Episcopum Ravenaten.*

7 Et quotiescunquè dubitatur, an quis fuerit baptizatus, ac prudens fuerit hujusmodi dubitatio, tunc reiterari debet: D. Thom. *p. 3. qu.* 68. *artic.* 11. *& sentent. 4. dist. 6. qu.* 2. Abb. *in cap. de quibus, num. 2. de baptism.* Valent. *par. 3. disp. 4. qu. 1. punct.* 4. Ledesm. *in summ. part. 1. de baptism. c. 5. concl. 2. dub.* 1. Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. Tom. 2. ad cap. 1. de sacram. non iteran. qu. 3. num.* 21. & reiteratio fieri debet cum conditione, juxtà consuetudinem, quæ apud Latinos inolevit seculo octavo, ut probat Juenin *de Sacramentis, tom. 1. pag. 13. col. 2. in fine*, ac præscriptam fuisse à Joanne XXII. tradit Martene *de Antiqu. Eccles. Ritib. cap. 1. art. 16. num. 9. lib.* 1. & habetur *in cap. 2. de baptismo*: Imò post debitam perverstigationem veritatis, stante rationabili dubio, reus erit peccati mortalis, qui reiterationem baptismi differret: Quintanadvena *Singul. tract. 1. sing. 14. num.* 3. post Suarez *disp. 32. sect.* 2. Vasquez *disp. 149. cap.* 4. Debet tamen hujusmodi dubitatio esse facti, & non Juris, ut benè advertit Torreblanca *loco cit. num.* 43.

9 Si autem prudens non fuerit dubitatio, ut si quis inter Christianos natus ex Parentibus Christianis pervenerit vsquè ad justam ætatem, & nihilominùs nulla baptismi ab eo recepti suppetant testimonia, tunc non deberet reiterari baptismus: Innoc. *in cap. veniens, de Presbytero non baptizato*, & plures alii, quos recenset Torreblanca *ubi suprà, num.* 42. Card. de Lugo *de fide, disp. 1. sect. 13. num.* 321. Ob præfatam enim circumstantiam præsumitur, quod fuit baptizatus, quæ præsumptio non destruitur, nisi evidentissimis in contrarium argumentis: Bauni *de Sacram. tract. 2. de baptism. qu.* 17. Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. tom. 2. ad cap. 1. de Sacram. non iterand. qu. 3. num. 12. &* 13.

10 Non obstat, quod seculo 7. Synodus in Trullo declaraverit, quoties non inveniuntur Testes firmi, qui citrà omnem dubitationem affirment, fuisse Infantem baptizatum, debere citrà omnem hæsitationem baptizari, id quod pariter declaravit Gregorius Magnus *lib. 12. Epist.* 37. illis uerbis: *Hoc ritè tenere debetis, quod & nos ab Antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tàm de Baptismo aliquorum, quàm de Confirmatione, quàm de Ecclesiarum Consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus certa ratio habetur, ut baptizentur tales, vel confirmentur, atquè Ecclesiæ canonicè consecrentur, ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat; quoniam non monstratur iteratum, quod certis indiciis non ostenditur ritè peractum. Hæc nos vobis tenere, & mandare docemus, &c.* & ratio est, quia non intelligitur iteratum, quod nescitur esse factum, prout præter illum Sanctissimum Pontificem, inquit quoquè S. Raymundus *lib. 3 summa, tit. de ætat. ordin.* §. 1. & post eum Torreblanc. *eodem. cap. 4. num.* 44. Non obstat, inquam, quo-

11 niam in hujusmodi casu supplet baptismus flaminis in eo, qui nescitur, an sit baptizatus, & optat se baptizari: Quod autem præscribitur à dictâ synodo, & à Gregorio Magno, intelligi debet, locum sibi vindicare in Terris hæreticorum; vel fortassè in illis, in quibus

bus permixti cum Catholicis degunt hæretici.

12 Prætereà non erit censenda prudens dubitatio, quæ oritur ex eo, quod baptismus fuerit collatus ab Obstetricibus, quià vel propter ignorantiam in materiâ, & formâ quandoquè errant; vel propter malitiam, si sint maleficæ, invalidè baptizent, pròut videre est apud Dianam *p.5.tract.13.Miscell.resol.86.& p.9.tract.6.Miscell.resol.25. vers.verùm.*

13 Etenim, quidquid sit in partibus infidelium, certum est, quod in partibus fidelium non sunt rebaptizandi pueri, quos Obstetrices baptizaverint, nam, ut suprà diximus, requiruntur evidentissima in contrarium argumenta ad tollendam præsumptionem validitatis baptismi: Diana *dicta resol. 86. versic. sed quidquid, & dicta resol.25.* & Gabriel. à S. Vincentio *de Sacram. baptismi, disp.2. qu.2. vers. vndè non placet*: Imò Cathechismus Romanus *in tract. de baptismo, & ejus effectu in fine*, improbat praxim rebaptizandi etiam sub conditione baptizatos ab Obstetricibus.

14 Nec obstat, quod quandoquè illæ fæminæ errant propter ignorantiam, vel nulliter baptizent propter malitiam; nam malitia non præsumitur; ignorantia autem nec præsumitur ex eo, quod Obstetrices à Viris Doctis interrogentur, & examinentur individualiter de omnibus necessariis ad collationem, & ad valorem baptismi, & si rectè respondeant, ac nullus inveniatur error, non reiteratur baptismus, sed tantùm supplentur in Ecclesiâ solemnitates.

15 Qamobrem notandus est Tertullianus, qui *in lib. de Baptismo*, mulieribus etiam cum necessitas urget, baptizandi facultatem non facit: *Petulans autem mulier*, inquit, *quæ usurpavit docere, utiquè non etiam tingendi jus sibi pariet, nisi quæ nova bestia evenerit, similis pristinæ, ut quemadmodùm illa baptismum auferebat, ità aliqua per se eam conferat*, & posteà sic prosequitur: *Quàm enim fidei proximum videretur, ut is* (de Paulo Apostolo loquitur) *docendi, & tingendi daret fæminæ potestatem, qui ne docere quidem constanter mulieri permisit*; Ipse tamen Tertullianus excusatur à Juenin *de sacramentis, tom.1. pag.80. in princip.* quod nempè intellexerit de Ministerio publico, & solemni baptizandi, non autem de privato, urgente necessitate, prò ut etiam Tertulliano relato, declarat Martene *de Ritib. Eccles. lib.1. cap.1. art.3. n.6.*

16 Amplia, quod non sint rebaptizandi, etiamsi Obstetrices asserant, se abluisse pedem, vel manum, non autem caput puerorum, quos baptizarunt: Trullench. *de Sacram. lib.2. cap.1. dub.3. nu.9.* Validus est enim baptismus, si aqua tangat reverà aliquam Corporis partem, quàmvis in hoc casu, ad evitandos scrupulos reiterari posset baptismus sub conditione, ut tenet idem Trullench. & alii, quos suprà appellavimus. Ho-

17 diè verò, quià habemus Innocentii XI. propositionem, quod circà sacramentorum valorem tutiorem partem sequi debeamus, quoties iterari posset Sacramentum, esset omninò iterandum ad ponendum in tuto ejus valorem.

18 Pariter non est prudens dubitatio, quæ oritur respectu puerorum, qui sunt expositi cum schedulâ collo alligatâ, licet non constet aliundè de eorum baptismo; nam tunc tenendum prò certo, parentes puerorum, vel quemvis alium, qui scriptum confecit, voluisse reiterationem baptismi evitare: Ochagavia *de sacram. baptismi, qu.11. num.8.* Diana *par.9. tract. 6. Miscell. resol. 85. vers. sed aliqua*, latè Torreblanca *Iuris spiritualis, d.cap.4. à num.35.*

19 Quod tamen intelligendum est, si hoc contingat in terris Catholicorum, secus si cum Catholicis sint permixti Infideles, vel Judæi, quia tunc reiterandus esset baptismus sub conditione: Diana *ibidem*, Baucius *opusc.3. de Miscell. pract. cas. conscient. qu.180. vers. displicet hæc opinio.*

20 Nec dicatur, quod cum baptismus sit adeò necessarius, ut sinè ipso impossibile sit ingredi Regnum Cœlorum, & consequenter, quod quævis umbra, vel levis suspicio sufficiat ad rebaptizandum, nam mihi videtur optima ea opinio, quod quotiescunquè prudenter quis creditur baptizatus, etiamsi reverà in se non esset baptizatus, tunc suppleret, ut suprà diximus, baptismus flaminis.

Item

21 Item minimè esset prudens dubitatio, quidquid dicant Molan. *in suâ praxi, tract. 4. cap. 3. num. 30.* & Diana *part. 9. tract. 6. resol. 55. Miscell.* quæ provenit ex qualitate Ministri baptizantis, putà, quod sit hæreticus; ideò inoleuit praxis non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis, sed factâ hæresum abjuratione, ipsos absolvendi, ac Catholicæ Ecclesiæ incorporandi, quam praxim canonizavit Sac. Cong. Concil. *sub die 19. Aprilis 1570.* prout testatur Card. de Lugo *in responsione morali, lib. 1. num. 2.* latè Merbes. *in summâ Christana, par. 3. qu. 17.*

22 Non defuerunt tamen ex Antiquis Patribus, qui hoc Sacramentum ab hæreticis collatum iterarent: Primus hujus erroris auctor extitit Agrippinus Carthaginensis, qui floruit desinente seculo secundo; undè Vincentius Lirinensis *commonit. 1. cap. 9.* inquit: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contrà divinum Canonem; contrà universalis Ecclesiæ regulam; contrà sensum omnium consacerdotum; contrà morem, atquè instituta Majorum, rebaptizandum esse, censebat. Quæ præsumptio tantum malum invexit, ut non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præberet erroris.* Huic errori approbato à Concilio Affricano, cui præsedit ipse Agrippinus, ut testatur Cyprianus *ep. 71. ad Quintũ*, adstipulari videtur Tertullianus, eidem Agrippino coævus *in lib. de baptismo.*

23 Agrippini non tantùm, post multos annos, dignitatem, verùm etiam opinionem assequutus est Sanctus Cyprianus: undè virgulâ censoriâ notandus Eusebius *lib. 7. hist. cap. 2.* ubi ait, quod primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, non nisi per baptismum ab errore priùs emundatos admittendos esse,

24 censuit. Quinimò S. Cyprianum in eodem errore præcedere voluit Firmilianus Iconii Episcopus, qui cum celebraretur Episcoporum Orientalium Concilium, falsum illud dogma stabilire conatus est, & proindè à Stephano Papa damnatus scripsit ad S. Cyprianum epistolã, quæ est inter illas S. Cypriani 75. in eâquè conqueritur de S. Stephano Papa, quod eâ de re legatos suos audire noluerit, nec eosdem ad communionem admittere. His omnibus impel-

25 lentibus, S. Cyprianus pugnam adversùs S. Stephanum aggressus est, atquè ad tutandam Agrippini, & Firmiliani opinionem complures Synodos indixit: Sed ipsas reprobavit Stephanus Papa, quem proindè idem Cyprianus *in epist. 74. ad Pompeium Sabatiensem in Affricâ Episcopum*, tùm superbiæ, tùm imperitiæ, tùm imprudentiæ insimulavit; eidemquè notam inussit, quod hæreticorum causam contrà Dei Ecclesiam asserere, conaretur.

26 Episcopos Affricanos, qui in Conciliis eamdem cum S. Cypriano sententiam tutati fuerant, mutasse postea ipsam, scribit S. Hieronymus *contrà Luciferianos*: Pariter resipuisse Firmilianum, & S. Dionysium, hujus litteræ scriptæ ad S. Stephanum his verbis testantur: *Scito, frater, Orientales, atquè etiam ulteriores Ecclesias, quæ anteà dissidebant, ad unionem esse reductas*: sed an S. Cyprianus resipuerit, dubium est: Affirmativè tenet Ludovic. Bail. *in sum. Concil. to. 2. pag. 13.* ex S. Hieronym. *loco citato*: de hujusmodi tamen resipiscentiâ dubitat S. Augustinus *lib. 2. de baptism. contrà Donatistas 14. & epist. 48.* his verbis: *Et fortè factum est, sed nescimus: Correxisse autem sententiam istam non invenitur. Non incongrueuter tamen de tali Viro existimandum est, quod correxerit.*

27 Postremò in eumdem erroris lapidem impegerunt non solùm Basilius Magnus, ut patet ex ejus *Epist. 1. ad Amphilochium*, c. 1. Sed & Athanasius (quemadmodùm videre est apud ipsum *in serm. 3. contrà Arianos*) & Optatus Milevitanus (sicut ait ipse *lib. 1. contrà Parmenianum*, quamvis contrarium sentiat Natalis Alexander, in hoc reprobatus à Juenin *de Sacramentis, tom. 1. pag. 87. col. 1. post medium*) & Cyrillus Alexandrinus (queadmodùm elucescit ex ejus *Præfat. in Catacheses*) & Dionysius Alexandrinus, teste Eusebio *lib. 7. hist. Eccles. cap. 6.* quod etiam firmat Hieronymus *de scriptoribus Ecclesiasticis*, licet contrarium pateat ex laudatâ S. Basilii Epistolâ.

Ratio

28 Ratio præcipua, quæ ipsum Cyprianum moverat ad iterandum hujusmodi Sacramentum, fuit, quia cum in collatione baptismi nedùm character imprimatur, sed etiam gratia Spiritus Sancti infundatur, quomodò, ait ipse, poterant hæretici Spiritus Sancti gratiam aliis impertiri, à quâ ipsi exciderant? Verùm huiusmodi ratio nimis probat, nam nec validus esset baptismus, qui conferretur à ministro, quoties non esset in
29 statu gratiæ: Igitur in hoc errore versabantur illi Patres, quoniam non ponderabant, Ministrum Sacramenti agere tantùm uti instrumentum, cui effectus assimilari non debet, sed causæ principali, quæ est ipse Deus: Et quamvis qui petit ab hæretico nominatim denuntiato baptismum, gratiam nullam accipiat, hoc provenit, quia ipse, utpotè credens hæretico, ponit obicem infidelitatis; quòcircà Infantes, ut rectè advertit Arcud. *de concord.lib.2.cap.11.* quia nullam habent indispositionem, neque sunt apti ad ponendum obicem, si ab hæreticis debitâ formâ, & debitâ materiâ baptizentur, nedùm Characterem, sed etiam gratiam nanciscuntur, ut pluribus relatis, probat eruditè Martene *de Ritib.cap.1.art.3.num.7.8. & 9.* & multorum Conciliorum auctoritate, docent Coriolan. *in summ.Concilior.annot. ad can. 46. Apost.* & Addit.ad Rox. *de Incompatibil. Regnor. tom.1. ad introduct.num.39.& 40.*

30 Prætereà non est iterandum baptisma ex eo, quod non infundatur hujusmodi gratia: Siquidem attenditur character, quem sicut impressum non delet amissio gratiæ, ità minimè impedit, quominùs imprimatur; & proindè Nicolaus I.Papa quòad Judęos ad consulta Bulgarorum respondit in hæc verba: *A quo nescitis, utrùm Christiano, an Pagano, multos in Patriâ vestrâ baptizatos, & quid indè sit agendum, consulitis: Hi profectò, si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in ritibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (unum quippè idem est, ut S.Ambrosius exponit) constat, non esse denuò baptizandos.*

31 Maimburgus in decreto Stephani Papæ contrà Patres Carthaginenses carpit eumdem Pontificem, quod in fide erraverit, quia multi hæretici in formâ baptismi errant circà mysterium Trinitatis; adeoquè ad Ecclesiam revertentes, necesse est non tantùm, quod abjurent, sed quod rebaptizentur.

32 Verùm hallucinatio Maimburgi est evidens, quia baptismus cum errore Sanctissimæ Trinitatis in fide est nullus: Undè si aliquis sit baptizatus, & ad Ecclesiam revertatur, non dicitur rebaptizari, quia terminus iste *rebaptizari* importat repetitionem actus validi.

33 Hinc advertere oportet, ut baptizentur illi, qui ab hæreticis baptizati sunt, an adsint circumstantiæ, ex quibus appareat defectus materiæ, vel formę, vel intentionis in Ministro? ideò totam quæstionem circà reiterationem baptismi ab hæreticis collati reduxit ad quid facti Torreblanc. *Iuris spiritualis, lib. 2. cap.4.num.43.*

34 Et proindè si Colchi, & Iberi venientes ad fidem sunt baptizandi, vt decrevit Sacra Congregatio, teste P.Vericell. *de Apostol.Miss. quæst. 111. sect.2.* hoc provenit, non ex eo quia ab hæreticis Schismaticis baptizati fuerint, sed ex eo, quia in eorum baptismo adest defectus in materiâ; nam illud Sacra-
35 mentum hoc modo conferunt: Paratur convivium in Cellâ vinariâ, in quâ baptizandus est infans; ad eum locum accedit Sacerdos, & ibi antè epulas induitur sacris vestibus, deindè ex græco Rituali multas nimiâ velocitate legens percurrit preces, inter quas baptismi formulam necessariam, perindè ac si una esset ex precibus Græci ritus, pronunciat Iberico Idiomate, sicut & cæteras preces: Cum autem Sacerdos profert baptismi formam, tunc Infans nec à Sacerdote, nec ab alio abluitur, sed Sacerdos expletis precibus, exuit se Sacris vestibus, & discedit, post cujus discessum Infans suis vestibus exuitur, & à Patrino in toto corpore inungitur Sacro Chrismate, quod *Myrin* vocant; posteà à circumstantibus magno elapso temporis intervallo Infans totus aquâ abluitur: Ex his apparet, quod non servatur conjunctio moralis inter prolationem verborum, & ipsam materiam, & per consequens nullum esse huiusmodi baptismum: Siquidem illum invalidè ministrari, si mora excedat tempus, quo pro-

pronuntiaretur oratio Dominicalis, docuit Escobar Mend. *Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 8. *sect.* 2. *probl.* 17.

36 Perpendendæ sunt etiam circumstantiæ, ex quibus resultat intentio, quæ in Ministro necessaria est, & sinè quâ Sacramentum irritandum est: Nec obstat, quod Innoc. IV. teste Angelo *in suâ summâ*, sentiat ad veritatem Sacramenti non requiri, ut Minister sibi in mente præfigat, ab ipso fieri, quod facit Ecclesia, dummodò intendat baptizare, quia quicumquè intendit baptizare, intentionem habet faciendi, quod facit Ecclesia; & licet circâ illa, quæ concernunt substantiam actionis, oppositam habeat intentionem, eò quod credat, eam Cæremoniam carere virtute justificandi, tamen circà effectum illius actionis habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, eò quod intendat baptizare: Ità adversùs Kemnitium, Bellarmin. *de Sacram. in gen. lib.* 1. *cap.* 28. Secùs verò id se haberet, si Minister in hujusmodi intentione baptizandi errorem suum ità conciperet, ut nollet sacramentum ministrare, nisi cum suppositione illius erroris, pròut faciebat Eunomius, *ut suprà*.

37 Idem contingeret, si in prolatione formæ error contrà veritatem Sacramenti exprimeretur.

Expositarum verò circumstantiarum consideratio adhiberi debet, quoties agatur de aliquo, qui ortus sit ex Parentibus Infidelibus, & ignoretur, an fuerit baptizatus, argumento textus *in cap. cum itaquè, & cap. si nulla, de consecr. dist.* 4.

38 Ex eâdem ratione dicuntur conferre Sacramentum subjecto incapaci, qui sacro Chrismate perunctos, iterùm confirmant, atquè isti sunt de hæresi suspecti: Bordon. *in Tribunal. Iudic. cap.* 22. *num.* 2. cum veritas Catholica doceat, non esse hujusmodi Sacramentum iterandum: Dicit enim Apostolus *cap.* 6. *ad Hebr.* quod debemus tendere ad perfectionem, & non rursùs jacere fundamenta, qualia sunt baptismus, & manuū impositio, quam Chrysostomus, Theodoretus, Theophilatus, aliiquè dicunt, significare Confirmationem: Nec etiam apud Judæos unctio Chrismatis multiplicabatur, quamvis figuram nostræ gereret, undè semel Sacerdotes, Prophetæ, & Reges ungebantur; & si quandoquè Reges à Regno exularent, redeuntes ad illud non denuò ungebantur.

39 Patet quoquè hæc veritas ex Concilio Tarraconensi, & ex decreto Greg. II. apud Gratianum *dist.* 5. *de consecr. c. dictum est*, *&* *c. de homine*, quibus adde Concil. Florent. *in Instruct. Armen.* & Trid. *sess.* 7. *can.* 9. Idem patet ex PP. nam Cyprianus, seù, quicumquè est Author, *in serm. de ablutione pedum*: *Baptismum repeti*, inquit, *Ecclesiasticæ prohibent regulæ*: *Nemo sacros ordines semel datos, iterùm renovat*; *Nemo Sacro Oleo lita, iterùm linit, aut consecrat*; *Nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat Sacerdotum, quia contumelia esset Spiritus Sancti, si evacuari posset, quod ille sanctificat*; *vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit*; & confirmat August. *lib.* 2. *contrà literas Petilani, cap.* 104. apertè docens, Sacramentum Chrismatis semel datum permanere etiam in pessimis, nec unquàm aboleri, ex quo manifestè sequitur, repeti non posse: similia docet Rabanus *lib.* 1. *de instit. Cleric. cap.* 30. Amalarius *lib.* 1. *de Offic. Ecclesiasticis, cap.* 7. & alii recētiores: Ità Bellarmin. *de Sacram. confirm. lib.* 2. *cap.* 11.

40 Præter has authoritates, assignari potest ratio, quia scilicet character est indelebilis, ideòquè, prosequitur idem Bellarmin. iterari nequit; & sicut, ut ipse imprimatur, voluntas non requiritur, modò velit quis suscipere Sacramentum, ità per contrariam voluntatem character non deletur.

41 Non obstat, quod SS. PP. Græci statuerint, nonnullos hæreticos iterùm inungendos esse: *Nam eos*, ait Arcudius *loco cit. intelligunt*, *qui anteà nunquàm essent confirmati*: *si autem alicubi hæreticorum* χειροτονίαν, *ut minùs rectè factam aspernantur*, *&* *reiiciunt*, *eam intelligas, ubi non sit verum Sacerdotium, ut non est modò apud Lutheranos*, *&* *Calvinistas ex defectu Episcopalis characteris*. Undè *Canon Apostolicus* 64. *Bis ordinatus per manuum impositionem unà cum eo, qui ordinavit, deponitur, nisi manus prior fuerit hæretica*.

Dice-

42 Diceretur pariter conferri Sacramentum Confirmationis subjecto incapaci, quotiescumquè illud traderetur homini non baptizato: Torreblanc. *Iuris spirit. lib. 2. cap. 7. num.* 31. Ageret enim contrà praxim Ecclesiæ Latinæ per duodecim secula priora nunquàm interruptam, quâpropter, qui tali subjecto hoc Sacramentum exiberet, participaret de errore illius presbyteri, adversùs quem conquestus est Sanctus Bonifacius ad Zachariam Papam, à quo rescribente ad eumdem Bonifacium præfatus Presbyter damnatus fuit.

43 Quò ad Sacramentum Eucharistiæ, quamvis iterari possit, attamen si quis eâdem die illud pluries alicui conferret, diceretur Sacramentum conferre subjecto incapaci, ac videretur esse suspectus de hæresi; eò magis, si ad hoc non induceretur ab avaritiâ, quâ impelluntur quandoquè Sacerdotes ærucatores ad celebrandum plures Missas eâdem die, ut stipes diversas lucrentur:

44 Hujusmodi tamen abusum putat Bordon. *in Tribun. cap. 22. num.* 8. non inducere hæresis suspicionem, & dixit etiam Bayo *prax. Eccles. lib. 2. cap.* 116. *per tot.* Imò testatur laudatus Bordon. Papam Leonem III. eâdem die aliquandò septies, interdùm novies celebrasse missam, id quod narrant quoquè Walfridius Strabo auctor fide dignissimus, qui obiit *anno* 849. *de rebus Ecclesiast. cap.* 21. Durandus *in ration. lib. 4. cap.* 1. Scortia, & Pasqualig. *locis infrà citandis*: Et hunc usum multoties in die communicandi viguisse usquè ad XI. seculum, innuit Petrus Damiani *lib. 5. quæst.* 18. ubi ait, differendum esse in Missarum fine ad perfundendum calicem, si eodem die Sacrificium vult denuò offerri.

45 Verùm quantò rectiùs Alexander Papa II. relat. à Gratian. *de consecrat. dist.* 1. *cap. sufficit*, decernit, quod Sacerdoti satis sit, unam Missam in die unâ celebrare, quià valdè felix est, qui unam dignè celebrare potest; & de facto hodiè Sacri Canones proscribunt usum pluries in die offerendi Sacrificium: Paludanus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. concl.* 4. D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 5. Sylvester *verbo, Missa* 1. *quæst.* 7. Victoria *in summ. num.* 96. Navarr. *in manual. cap.* 25. *num.* 97. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. Reginald. *lib.* 29. *praxi fori pœnit. cap.* 29. *sect.* 4. *quæst.* 4. *num.* 17 Scortia *de Missa, lib. 2. cap.* 15. Escobar *Theolog. Moral. tom. 3. par. 1. lib. 21. c. 19. sect. 2. Probl.* 46. & 51. Pasqualig. *de sacrif. Missæ, quæst.* 368. Bordon. *in Tribunal. Iudic. cap. 22. num.* 8.

46 Addit tamen idem Bordon. *ibidem*, decisum fuisse, quod Missas duas festis diebus posset Parochus ob defectum Sacerdotum ex concessione Ordinarii celebrare: De hac re latè Pac. Jordan. *tom. 1. lib. 4. tit. 1. à num.* 76. usquè ad *num.* 81.

Similiter diceretur subjecto incapaci Sacramentum exhibere, qui Eucharistiam traderet alicui antè rationis usum, de quâ re satis suprà, & latè Juenin *de Sacram. tom. 2. pag.* 328. *post medium*, & Escobar. *Theol. Moral. tom. 3. p. 1. libr. 20. sect. 2. cap. 13. Probl.* 39.

47 Ad hujusmodi reducitur quoquè ille abusus, qui committitur, quoties hoc Sacramentum traditur Energumenis, quos adeò vexare solet Dæmon, ut eos privet rationis usu: In hoc tamen casu nulla incurritur hæresis suspicio, tùm quià hic abusus nullum habet fundamentum in hæresi; tùm quia quondam permissa fuit Energumenis communio, ut inquit Concil. Arausican. *can.* 24. ut talis Sacramenti virtute ipsi se muniant ab incursu Dæmonum, quo infestantur, & ut liberentur: Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. tom. 2. de Sacram. Confirm. quæst. 13. num.* 11. Francisc. de Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 4. num.* 22. Escobar. *ubi suprà, Probl.* 50. Cabasut. *Notit. Ecclesiast. in Concil. Eliberin. seu Illiberitan. num.* 15. *can. 29. pag.* 74. Theophil. Rainaud. *Heterocl. spiritual. par. 2. punct. 4. num.* 45. Merbes. *in summa Christiana, dissert. 3. par. 2. quæst. 18. quæstiunc. 16. pag.* 353. Etenim, quemadmodùm animadvertit Abbas Serenus apud Cassianũ *collation.* 7. *c.* 29. & 30. magis inimicus insultabit obsesso, cum eum à cælesti medicinâ videat segregatum; tantòquè diriùs, ac frequentiùs attentabit, quantò eum à spirituali remedio longiùs senserit abdicatum:

48 E contrà quosdam Energumenos ab infestu Dæmonis liberatos fuisse, patet ex eodem Cassiano *d. cap.* 3. & ex Prospero Aquinatico, si tamen is est Auctor, *in libro de prædicationibus, cap.* 6. quem etiam citat prædictus Escobar.

cobar. *loco cit.* Sed audiamus ejus verba, quæ digna sunt, ut hic recenseantur: *Quædam Iuvencula*, ait, *Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lavans, Simulachrum quoddam Veneris impudicè respiceret, & se ipsam eiquè consimilans, domicilium se Diabolo præbuit, statim ille Leo, qui rugiens circuivit, quem quærebat, invenit: Meatus igitur ipsius gutturis occupans, nullum cibum, nullumquè potum traiiciens, per septuaginta fermè dies, totidemquè noctes, jejunium sibi Diabolus ex capto, possessoquè vase exibuit: Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spatium auferri posse sperantes, dum juge malum ulteriùs tolerare non possent, simul cum filiâ sese ingesserunt Sacerdoti, quæ acta erant, fideliter intimantes; Hoc tantùm puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ sibi ore nescio quid infunderet. Per duas sanè hebdomadas nihil cibi, vel poculi sumens, in Monasterio mansit: Accidit autem, ut quintus decimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum Sacerdote, ut matutinum illic Sacrificium solito offerretur: Puellam Præpositus ad Altare perduxit. Peracto itàque Sacrificio, cum eadem brevem particulam Corporis Dominici tinctam à Sacerdote perciperet, semihorâ mandens traiicere non valuit, nondùm illo fugato, de quo dicit Apostolus: Quæ constantia Christi ad Belial? Manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote, nè sanctum proiceret, à quodam Diacono sugestum est, ut Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret, quod ut factum est, statim ut locum illum, quem Diabolus obsederat, Salvatoris Imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutisse, puella clamavit: Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod post octoginta & duos dies Diabolo expulso, puella de potestate fuerat erepta inimici.*

48 Porrò licèt nobis persuadere possimus, non incurri hæresis suspicionem ab eo, qui tradit Eucharistiam Energumenis, non indè credendum est, expedire, ut ipsa his conferatur: De ipsis enim est eadem ratio habenda, ac de aliis Amentibus, pròut docet Sanctus Doctor *3. p. q. 80. art. 9.* At Ecclesia posterioribus temporibus hoc Sacramentum non elargitur, nec Infantibus, nec Amentibus ob defectum pietatis, ac reverentiæ, quæ tanto mysterio debentur, quam rationem adducit S. Thomas *ubi suprà*.

45 Diceretur pariter, subjecto incapaci Eucharistiam tradere, qui ipsam exhiberet cadaveribus, ac præsumeretur de hæresi infectus, tanquàm sortilegus, vel tanquàm malè sentiens de hoc Sacramento: Ageret enim præter tùm Christi institutum, eò quia mortuorum corpora non possunt accipere, nec comedere; tùm præter Ecclesiæ Canones, nempè sextum Concilii Carthaginensis, & octuagesimum tertium Synodus Quini-Sextæ. Sed obijci

50 potest id, quod narrat Gregorius Magnus *libr. 2. Dialog. cap. 24.* Quâdam die, ait ille, dum quidam puerulus Monachus Parentes suos ultrà quàm deberet diligens; atquè ad eorum habitaculum tendens, sinè benedictione de Monasterio exiisset, eâdem die mox ut ad eos pervenit, defunctus est: Cumquè esset sepultus, die alterâ projectum foràs corpus ejus inventum est, quod rursùs tradere sepulturæ curaverunt; sed sequenti die iterùm projectum exteriùs, atquè inhumatum, sicut priùs, invenerunt: tunc concitè ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu suâ protinùs communionem Dominici Corporis dedit, dicens: *Ite, atquè hoc Dominicum Corpus super pectus ejus cum magnâ reverentiâ ponite, & sic sepulturæ eum tradite.* Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultrà projecit. At

51 responderi potest, quod hujusmodi historia extraordinaria est, idcircò ex eâ nulla desumi potest regula, quæ ordinarias actiones nostras dirigat. Præterquàm quod de ipsius historię veritate dubitari posset, citrà tanti Doctoris contemptum, eò quod complures ex aliorum narratione retulit, in quo tamen perperàm Dupin hunc Sanctissimum Pontificem virgulâ censoriâ notat, tanquàm nimis credulum; nam hujusmodi viri id, quod non esset credendum, potiùs admittunt, quàm credant, mentiri posse pios viros, à quibus Gre-

gorius eas historias didicit, quarum ipse testis non extitit.

52 Sed quid de eo, qui ad inveniendos thesauros anserem communicaret, vel aliquod aliud animal brutum? Esset tanquàm sortilegus, ob tantam hujus augustissimi Sacramenti irreverentiam, vehementer suspectus. Hujusmodi plusquàm sacrilegi homunciones, sicut Donatistarum imitantur impietatem, ità cum eisdem prodigiosis animadversionibus coerceri merentur: loquens enim Optal. Milevit. *lib. 2. contrà Parmenianum*, sic increpat: *Ut omnia Sacrosancta vestri Episcopi violarunt, jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sinè signo Divini Iudicii; nam iidem canes accensi rabie ipsos Dominos suos, quasi latrones Sancti Corporis reos vindice dente, & tanquàm ignotos, & inimicos laniaverunt*. Huic adjun-
53 go non minùs stupendum, sed recentius exemplum ex Sprengero *par. 2. quæst. 1. cap. 22.* Quædam mulier cum Sanctissimam Eucharistiam in domum ex communione delatam inclusisset in ollam, in quâ erat bufo, & in stabulo occultasset, accidit, ut Mercenarius quidam illac iter faciens audiverit vocem infantis ejulantis: veritus proindè, nè ab aliquâ Meretrice ibidem tumulatus infans esset, rem ad Præsidem detulit: Is ad locum cum satellitio accedens, deprehendit ollam cũ muliere, quæ quæstioni, & torturæ exposita, facinus suum confessa est.

Respectu verò Sacramenti Pœnitentiæ jam diximus, non esse materiam aptam Confessionem peccatorum per epistolam; qui ergò sic confitenti impertiretur absolutionem, eam traderet subjecto incapaci, & per consequens incurreret hæresis suspicionem.

54 Similiter dicitur quis conferre Sacramentum subjecto incapaci, qui oleum Extremæ Unctionis ministrat alicui rei inanimatæ, utpotè statuæ; talisquè Sacerdos erit suspectus, quia hujusmodi actus naturâ suâ præsefert aliquid, quod est hæresis manifesta: Martin. del Rio *disquis. Magic. libr. 5. sect. 15. vers. dico quarto*. Sic
55 etiam, quia benè valens non est subjectum capax, ut oleo Extremæ Unctionis ungatur, qui impertiretur hoc Sacramentum non ægroto, utiquè esset suspectus de hæresi, nisi ex simplicitate excusaretur: Repræhendit proindè Arcudius *loco cit. lib. 5. cap. 4.* Græcos, qui feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ benevalentes ungunt hoc oleo; & majori adhùc reprehensione digni sunt Græci, tùm quià id sordidi quæstus gratiâ peragunt; tùm quià hujusmodi, quod est Sacramentum vivorum, mortuis conferunt, illis scilicet, qui lethalibus culpis innodantur. Quin Simeon, quem allegat idem Arcudius, audet pronuntiare, quandoquè hoc oleo Christum Dominum unctum fuisse ab eâ, ut inquit Simeon, meretrice, quam describit Lucas, *quæ etiam Salvatorem lachrymis irrigabat, & pedes ejus ungebat, & capillis suis abstergebat, quod sanè pœnitentiæ oleum est: meritò ipsi à peccatrice oblatum, quo & ipsa per capillos, quibus abstergebat, uncta, multorum peccatorum re-*
56 *missionem obtinuit*. Sed omissis hujusmodi Simeonis ineptiis, animadvertendum est cum Nairone, quem non semel appellavimus, quod Goar in suo Euchologio contendit, non esse Græcos eâ notâ dignos, quam ipsis inurrit Arcudius. Verùm nemo inficiari potest, tradi à Græcis hoc Sacramentum, etiam benè valentibus, de quo usu testatur præter alios, Leo Allatius, Græcorum Rituum peritissimus, *lib. 3. de Eccles. Occidentalis, & Orientalis consensione, cap. 16.* quia ab ipsis Græcis existimatur tempus, in quo oporteat suscipere Euchæleon, totam esse mortalium vitam post peccatum, usquè ad extremum spatium, ut ait Job Monachus *in contemplatione septem Ecclesiæ mysteriorum*. Hoc enim Sacramentum remissionem præteritorum peccatorum largitur, aut sordes animæ inhærentes expurgat, quemadmodùm loquitur Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus *in sua censura adversus Augustanam Confessionem, lib. 1. cap. 7.* Imò hanc apud Græcos praxim nec inficiatus est ipse Goar, ut videre est *in ejus notis ad sancti Olei officium*. Cum
57 ergò dubitari nequeat de hujusmodi usu, non possumus Græcos excusare, quoties hoc oleo benè valentes inungunt: Nequè enim rationes ipsorum

rum quidquàm relevant: Dicunt ipsi, quod S. Jacobus, dum jubet, ut infirmi ungantur, sanos non excludit; & quomodò eos excludere potuit, quoties mente infirmi sunt, quæ major est infirmitas, quàm ea Corporis? Origenes quoquè *homil.* 18. *in Leviticum*, credidit, sanis corpore, sed infirmis mente tradendum esse, tàm Pœnitentiæ, quàm Extremæ Unctionis Sacramentum: *Est adhùc*, inquit, *septima, licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator stratum suum in lachrymis suis, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die, ac nocte, & cum erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundùm eum, qui ait: Dixi pronunciabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apostolus dicit, si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini.*

58 His tamen non obstantibus contrà Græcos militant sequentes rationes; tùm quia Eugenius IV. dùm Armenos instruit, ait, extremæ Unctionis Sacramentum, non nisi infirmo dari debere; tùm quià Jacob meminit tantummodò infirmorum, quibus solis antiquitùs traditum fuit hoc Sacramentum, & exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sa-

60 nabant; ex quâ Apostoli institutione eruitur, hujusmodi Sacramentum ad curandos corporis, & animæ morbos, & ad restituendam sanitatem institutum tantummodò fuisse, & ideò eo capaces non possunt esse, qui nullâ corporis infirmitate laborant: Hinc Synodus Carnotensis *anno* 1526. prohibet Extremorum Unctionem dari adultis sanis, quià eos nihil prodesset, cum sit Sacramentum prò infirmis solùm institutum; & posteà pariter Concilium Trid. *sess.* 14. adversùs Lutherum *in lib. de captivit. Babyl.* Calvinum *lib.* 4. *Instit. cap.* 19. aliosquè hæreticos, declaravit, hanc Unctionem esse infirmis adhibendâ, illis verò præsertim, qui tàm periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti

61 videantur; id, quod probant etiam Pac. Jordan. *elucub. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 15. *to.* 1. Martene *de Ritibus, cap.* 7. *art.* 1. *per tot. tom.* 2. & reprobato Calvino, Fermosin. *de offic. & Sacr. Eccles. tom.* 2. *de Sacram. Extrem. Unction. qu.* 9. *num.* 25. & 29. Landtmer. *de veter. Cleric. monach. cap.* 95. *vers. habes hìc expressa*, Canisius *de jur. can. ad lib.* 5. *decretal. in* 6. *lib.* 1. *tit.* 7.

61 Et quamvis senibus etiam non ægrotis conferri debeat Extrema Unctio, ut docuit S. Carolus *in* 4. *Concil. Mediol. tit.* 6. *de Extremâ Unctione*, ut etiam ponderat Merbes. *in Sūmâ Christianâ, dissert.* 5. *quæstiunc.* 6. Non sequitur, sanos esse eâ ungendos: Cui enim dubium esse potest virium defectum, quo laborant homines senio confecti, non esse adeò gravem infirmitatē, ut credantur ipsi in diem morituri, quemadmodùm cæteris omissis, docent Zacch. *quæst. medic. legal. tit.* 1. *quæst.* 9. *num.* 69. Narbon. *de ætat. human. anno* 80. *q.* 6. *num.* 3. & 4. Antonell. *de tempore legali, lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 3. *in*

62 *fine*. Notandum superest, non omnes Græcos eumdem profiteri errorem; Nam Manuel Caleca disertè arctat hoc Sacramentum ad ægros in extremis laborantes, & idem habent Joannes Natanael, & Gabriel Philadelphiensis apud Arcudium *lib.* 5. *cap.* 4. *de concord.* & proindè damnatis ad mortem hoc Sacramentum non ministratur, cum illi infirmi non sint: Landtmeter. *de veter. cleric. monach. d. cap.* 97. Martene *de ritib. ubi suprà, num.* 1. qui tamen tenet aliâ ratione eis denegari, videlicet ex quo antiquitùs hoc Sacramentum non dabatur publicis peccatoribus, & pœnitentibus: sed cumulari potest hæc ratio, principalis verò est, quod, cum illi sint sani, unctione prò infirmis ab Apostolis institutâ uti non possunt.

64 Conferre igitur hujusmodi Sacramentum illis, qui nullo, vel tantùm aliquo levi morbo affecti sunt, est ritus ab Ecclesiâ Latinâ alienus, imò superstitio quædam, quâ effectum sanitatis, quem non possumus à Deo expectare, qui non movetur his mediis peccaminosis, exposcimus à Dæmone: Cum enim videant superstitiosi hoc oleum in Sacramento mirabilia efficere, eo utuntur cum iisdem ritibus, licèt non adsit

65 morbus, qualis exigitur: E diametro oppositam Græcorum praxi refert Stephanus Binetus apud Theoph Rainaud.

suprà citatum quorumdam detestabilem
abominationem sibi certò compertã: hi
enim ad perfectã in morte Christi dere-
lictionem exprimendã tentant invehere
in moribundis abjectionem cujuscum-
què humani præsidii; itàut nequè Sa-
cerdos confortans advocetur, nequè
extrema unctio poscatur, etiam pæni-
tentiæ, & Eucharistiæ Sacramento ab-
stineant, ut liceat pertingere ad expres-
sionem status Christi Domini, quem
omnia in morte defecerunt, ac etiam
Pater eum dereliquit: Hi autẽ quâ cen-
surâ digni existimari debeant hujusmo-
di à Satana dementati homines, quisquè
sanæ mentis advertere poterit. An ve-
66 rò liceat nobis uti oleo extremæ un-
ctionis extrà Sacramentum hìc dubitari
contingit; nam impertitũ fuisse aliquan-
dò non per modum Sacramenti, probari
potest ex eo, quod apud Arcudium *ubi
suprà* referat Tertulianus *in libro ad Sca-
pulam* de quodam Proculo Christiano,
qui Imperatoris gratiam adeptus fuit,
quoniam ipsum gravi morbo affe-
ctum, eo oleo sanasset: Quomodò au-
tem, cum non esset is Presbyter, nec
ille Christianus? Item probatur ex
Innocentii Primi *epistolâ primâ ad De-
centium cap.* 8. in quâ habetur, Oleo
Sancto ab Episcopo benedicto posse
uti non solùm Sacerdotes, sed etiam
omnes Christianos in suis, ac suo-
rum necessitatibus: Ex quibus ver-
67 bis colligimus, illud Oleum adhiberi
posse, etiam non per modum Sacramen-
ti in quâcumquè necessitate: Nam cum
nullum detur Sacramentum, quod non
requirat essentialiter Ministrum Sacer-
dotem, exceptis, baptismo ob ma-
ximam ejus necessitatem, & matri-
monio, quod in contractu mutuo nu-
bentium consistit: Si ergò laicus hoc
oleo uti potest, intelligitur de usu ex-
trà Sacramentum, ut optimè explicat
Dominicus Soto *in* 4. *dist.* 23. *qu.* 7.
67 *art.* 1. ac istud confirmari potest ex Or-
dine Romano *de divinis Officiis*, ubi re-
censetur hujus Olei consecratio his ver-
bis. *Tunc offeratur Pontifici oleum de am-
pullis, quas offerunt populi ad ungendos
tàm infirmos, quàm Energumenos; & in
ultimo, antequàm dicatur, per quem om-
nia, Domine, semper bona creas, exorsizet,
& benedicat illud, tàm ipse, quàm om-
nes Presbyteri, qui adsunt, ut tantùm
possit à circumstantibus audiri*: Ex quo
habemus, oleum Infirmorum populis
usitatum fuisse ad ungendos Infirmos,
& Energumenos, videlicet non per
modum Sacramenti.
69 Quinimò legimus in vitâ S. Genove-
fæ Virginis apud Surium *to.* 1. *die tertiâ
Ian.* quod cum Dæmoniacus quidam
impetrandæ sanitatis causâ ad S. Geno-
vefam à Parentibus cum multo gemitu,
& lacrymis perductus esset, tunc illa
ampullam sibi afferri jussit, in quâ Sa-
cratum oleum asservari solebat: *Accidit
autem*, inquit Surius, *ut nihil ejus olei
eo tempore ampulla haberet. Nec Episco-
pus aderat, qui Oleum consecraret*; sub-
dit deindè, eamdem Sanctam oratio-
ne impetrasse, ut ampulla oleo imple-
retur, cujus unctione Dæmonia expel-
70 leret. In vitâ Sancti Euthychii Pa-
triarchæ Constantinopolitani apud eũ-
dem Surium habetur, quod Oleo San-
cto unxerit manum Energumeni à Dæ-
mone inflammatam tribus diebus: Ha-
betur quoquè, quod ipse cuidam Græ-
co visum restituit adhibitis precibus,
unxitquè eum tribus diebus: Ibidem
legimus, quod, solitâ precatione per-
actâ, pretioso oleo oculum morbo affe-
ctum inunxit, necnon eodem modo
Hydropico Sanitatem restituisse. In vitâ
71 S. Udalrici Episcopi Augustani apud
Surium *tom.* 4. *die quartâ Iulii*, simi-
liter habemus, quod per oleum ab eo
in cænâ Domini consecratum, variis
languoribus detenti, pristinæ restituti
sunt sanitati; necnon & oculorum ca-
ligine obtenebratos hujus S. Olei un-
ctione illuminatos esse. Tandem in
72 vitâ Sancti Gothardi Episcopi apud
Sur. *tom.* 7. *die quartâ Maji* legimus,
quod mulier gravissimis oculorum do-
loribus cruciata, visum recepit admo-
tis floribus benedictis ab eodem Sãcto,
qui, ut subjungit Surius, jussit etiam
Presbytero, ut sacro Oleo, quod Infir-
morum dicitur, ejus ungeret oculos;
quæ quidem unctio, & Sancti Viri pre-
ces ab illo dolore usquè ad vitæ finem
eam immunem conservarunt.
73 Sed his non obstantibus, dum non
adsit consuetudo ab Ecclesiâ approbata,
cre-

crederem minimè licere uti oleo Sancto, etiam non per modum Sacramenti ob reverentiam; eò magis, quia in Pontificali Romano præscribitur prohibitio ab Episcopo facienda Sacerdotibus, ne oleum illud ulli tradant: Adde, quod finis, propter quem Christus Redemptor noster instituit hujusmodi oleum, non fuit, ut in quolibet etiam levi morbo illud adhiberemus, at ut esset materia Sacramenti graviter ægrotantium.

74 Quantùm verò ad descripta facta in contrarium, non constat, oleū, quo illi antiqui usi fuerunt, fuisse oleum infirmorum: Potuit enim esse aliud oleum à Sacerdote, aut privatim ab Episcopo benedictum: Ità tenet Diana *part.* 8. *tract.* 6. *resolut.* 43. *post* Belarmin. *de extrema unctione c.* 9. Castropal. *par.* 3. *tract.* 26. Landtmeter *de veter. cleric. Monach. cap.* 95.

75 Non tamen proindè existimamus, illicitum nobis esse, ob devotionem ergà aliquem Sanctum uti oleo lampadis antè ipsius Reliquia, vel imaginem accensæ, quemadmodùm fecisse constat S. Didicum, qui cum lampadis, quæ collucebat antè Imaginem Beatissimæ Dei Genitricis, quam in Ecclesiâ Aræ Cæli summâ devotione colebat, oleo ægros inungeret, signo Crucis impresso, multorum morbos mirabiliter sanavit. Hic mos nostris etiam temporibus viget, nam nonnulli, vel ab aliis, vel per semetipsos inungi curant oleo lampadis, quæ in honorem Sanctorum accenditur, sicut pariter suo tempore facere consuevisse Monachos Græcos, peractis divinis laudibus matutinis, recenset Arcudius *de concord. d. lib.* 5. *cap.* 4. *circà finem*: Laudanda etiam pia consuetudo deliniendi infirmos aliis liquoribus miraculosè scaturientibus.

76 Pariter dicitur conferre Sacramentum subjecto incapaci, qui Gnosticorum Colliridianorum, aliorumquè hæreticorum portenta renovans, auderet Mulieribus Ordinem conferre; & licet hæreticas Tertulianus *de præscript. c.* 41. tantummodò appellet mulieres eas proceces, quæ præsumerent docere, contendere, & Exorcismos agere, nihilominùs hæresi infecti essent quoquè censendi illi, qui hujusmodi sexum admitterent ad ea munera peragenda, quæ Ordinationis Sacramento coniuncta sunt: Hi enim adversarentur Sacræ Scripturæ *in ep.* 1. *ad Corinth.* 14. *&* *in* 1. *ad Timoth.* 2. ubi istum sexum ineptum esse his muneribus, luculenter declaratur; & Christus, nè vel remotam hujusmodi hæresibus ansam daret, Beatissimam Virginem Mariam ejus matrem ultimæ Cænæ noluit interesse, quâ Apostolos Sacerdotes ordinavit; pervertterent praxim Ecclesiæ Catholicæ, nam nusquàm reperitur, aliquem ordinem à fæminis receptum fuisse; violarent traditionem, quâ Patres damnarunt hæreticos, eò quià mulieribus ordines, & ipsum Sacerdotium concederent.

77 Sic Quintiliani Hæretici, Sectatores Montani in gratiam Priscæ, & Maximillæ, Sacerdotium fæminis suis impertiebantur, ut tradit ex S. Epiph. & Alphonso de Castro, Jacobus Gueltcr. *in Tab. Cronolog. ad sæculum* 2. *cap.* 16. Illorum audaciā imitati sunt Lutherus, & Calvinus scribentes, fideles omnes esse peræquè Sacerdotes: Horum erroribus confutatis, omnes firmant, fæminas de jure divino esse ordinum incapaces: Landtmeter *de Veter. Cleric. Monac. qu.* 98. *vers. Crassus fuit error*, Hallier. *de sacr. ordin. sect.* 4. *cap.* 2. §. 3. Sausay *Panopl. Clerical. lib.* 6. *cap.* 2. Minan. *Bas. Pontific. jurisdict. tract.* 2. *fund.* 2. *q.* 7. §. 14. *sect.* 3. Imò addit Merbes. *in summa Christiana, dissert.* 3. *part.* 3. *qu.* 51. *pag.* 475. nec etiam in casu necessitatis posse fœminam inservire missæ, vel respondere celebranti.

78 Nec dicatur, antiquitùs ab Ecclesiā eas admitti consuevisse ad Sacras functiones, eò quià testentur Ecclesiastici scriptores, apud veræ Religionis Cultores fuisse Diaconissas, Presbyteras, & Episcopas. Non ità, inquam, dicendum; Nam illæ fæminæ Diaconissæ nuncupabantur, quæ Ecclesiarum portis, Mulieribus tantùm patentibus, præerant, ut disertè probat Ziegler *de Diacon. & Diaconiss. veter. Eccles. cap.* 19. *à n.* 7. Desnos *de Canonic. lib.* 5. *de Canonis. cap.* 3. Hallier. *de sacr. ordinat. dict. sect.* 4. *cap.* 2. §. 6. Undè à S. Ignatio *in ep. ad Antioch.* dicuntur sacrorū vestibulorum custodes, sicut Janitores appellabantur, qui foribus, quà ingrederentur Viri, præfecti erant, ut notat Spondan.

ad Baronium *anno Christi* 34. *numer*. 8. Quemadmodùm enim in templo Hierosolimytano erant fœminarum portæ, & loca orationis à Viris sejuncta, teste eodem Spondano *ibidem*, *& posteà anno* 57. *num*. 37. Sic etiam laudabilem illum morem in Christianorum Ecclesiis introductum fuisse, prò comperto est; Undè Vaticanæ Basilicæ dextera pars, quæ tunc temporis minùs digna in sacris existimabatur, destinata fuit mulieribus. An autem ordinarentur Dia-
79 conissæ per manuum impositionem? negat Baronius; affirmant alii, inter quas extremas opiniones media tenenda est, scilicet non fuisse adhibitam manuum impositionem Sacramentalem, sed Cæremonialem: Videatur Glossa *in cap. manus impositio* 1. *qu*. 1.

80 Presbyteræ verò mulieres dicebantur, quæ ob ætatem Viduæ seniores erant, vel quia earum Viris ad Presbyteratum promotis, ipsæ interim vitam Cælibem agebant: Ità Episcopæ nuncupabantur, quarum Viris in Episcopos posteà consecratis, ipsæ ab illis divisæ, vitam pariter Cælibem agebant: Hallier *de sacr. elect. dict*. §. 6. & hac ratione etiam Diaconissas nuncupatas quandoquè fuisse, testatur idem Spondanus *dict. anno* 34. *num*. 82. Merbes. *in summâ Christianâ, dissert*. 6. *quæstiunc*. 50. ubi latè.

81 Similiter dicitur conferre Sacramentum subjecto incapaci, qui reiterat ordinem, ut superiùs innuimus, & consequenter esse suspectum de hæresi, ac vehementer, testatur Bordon. *in Tribun. cap*. 21. *de abusu Sacram. num*. 2. Quod tamen intelligendum venit, quoties aliàs quis fuerit ritè ordinatus in formâ Ecclesiæ: Præposit. *in cap. Eccl.*
82 *dist*. 68. Undè si quis fuerit ordinatus ab Episcopo falso, tunc esset reordinandus, saltem sub conditione, præviâ rehabilitatione per Sedem Apostolicam concedendâ, & prævio examine super idoneitate, ac priùs esset confirmandus, quoties ab eodem Episcopo falsò gerente se prò Episcopo fuisset confirmatus: In dubio autem, an quis fuerit ritè ordinatus, militarent ea, quæ superiùs de baptismo diximus, cum eadem sit ratio in utroquè: Abbas *in cap. de quibus, num*. 1. 2. 3. *de Baptism.*

83 Quæ autem diximus quò ad ordines sacros, procedunt etiam, quò ad ordines minores; nam isti quoquè sunt sacramenta Characterem imprimentia, hæcquè opinio est communior, nedùm inter Canonistas, verùm etiam inter Theologos; imò opinio contraria est improbabilis: Gabriell. à S. Vincentio *de Sacram. ordin. tract*. 27. *disp. unic. punct*. 4. *n*. 9. *vers. nihilominùs*, *to*. 4. Escobar. *theol. moral. tom*. 3. *par*. 1. *lib*. 23. *sect*. 2. *cap*. 7. *à*
64 *Probl*. 2. An verò licitè possit reiterari prima tonsura, quæstio est, ex eo quod opinio Canonistarum teneat, ipsam esse Ordinem, ac imprimere Characterem, quam opinionem canonizavit Rota Romana *in decis*. 731. *part*. 1. *divers. & in Ferarien. Pensionis* 14. *Iunii* 1624. *coram Remboldo*, quæ est impræssa post Vivian. *de Iurepatron. decis*. 95. *num*. 6. Theologi verò contendunt, primam Tonsuram non esse ordinem, sed dispositionem ad ordines recipiendos, ut videre est apud Castropalaum *ubi suprà, punct*. 2. *n*. 4. *&* 5. & Escobar. *loco cit. cap*. 8. *Probl*. 10. ubi proindè dicit, Tonsuram non habere propriam materiam, & formam.
85 Verùm positâ etiam hujusmodi Theologorum sententiâ, illicitam esse primæ Tonsuræ reiterationem, docuit Cardinalis de Lugo *de Sacram. in genere, disp*. 6. *sect*. 1. *n*. 7. quidquid dicat Gabriel. à S. Vincentio, *in tract. de Sacram. in gen. disp*. 5. *qu*. 1. *vers. respondetur*.

Item dicitur conferre Sacramentum subjecto incapaci, qui consecrat Episcopum jam consecratum, ut apud Bellarmin. *de Sacram. ordin. lib*. 1. *cap*. 2. *vers*. 3.

SUBSECTIO V.

De abusu Sacramentorum in conferendo non debito fine.

SUMMARIUM.

1 *Abutitur Sacramento, qui in eo conferendo pervertit ejus finem.*

2 *De perversione finis sacramentorum ad sortilegia, & ad alia, remissivè.*

3 *Sollicitans fæminam in confessione pervertit finem pænitentiæ sacramentalis, & est suspectus.*

4 *An Confessarius sollicitans sit suspectus de levi, vel de vehementi? Inquisitio His-*

Hispania tenet, quod sit de levi, sed Romana eum judicat de vehementi.

5 *Ex sollicitatione potest quandoquè oriri suspicio de levi, etiam stante praxi Romanæ Inquisitionis.*

6 *Sollicitationis essentia habetur ex verbis Constitutionis Gregorii XV.*

7 *Ex hac Constitutione Confessarius est suspectus, si sollicitet tàm fœminas, quàm mares.*

8 *Interpres, si interpretando, sollicitet, est de hæresi suspectus.*

9 *Mandans sollicitare est suspectus.*

10 *Imò magis delinquit mandans, quàm mandatarius.*

11 *Confessarius carens jurisdictione, si sollicitet, est suspectus, sivè pœnitens accedat bonâ fide, sivè malâ fide.*

12 *Pariter sollicitator est Laicus, fingens se Confessarium contrà aliquot DD.*

13 *Quæ omnia procedunt, etiamsi arte Dæmonis pulsatus Confessarius, demùm post resistentiam sollicitet.*

14 *Est suspectus Confessarius, qui verbis, vel signis, vel laudando mulieris formam, sollicitet.*

15 *Confessarius tradens pœnitenti cartam legendam statim, in quâ sollicitatio continetur, sollicitator est.*

16 *Hurtadus in hac sollicitationis materiâ est cautè legendus.*

17 *Sollicitat Confessarius, fœminam suadens ad sibi vas naturale ostendendum, quem confitendo morbo affectum dixerat.*

18 *Si sollicitat Confessarius, sivè in Confessionario, sivè in alio loco, in quo creditur Confessiones audire, est suspectus.*

19 *Est suspectus Confessarius, si sollicitet, vel paulò antè, vel paulò post, vel in ipsâ Confessione.*

20 *Ideò sub hac Constitutione comprehenditur, qui suadet pœnitenti, differre Confessionem, & posteà in loco Confessionis sollicitat.*

21 *Suspectus de hæresi est Confessarius, qui invitat Mulierem in confessione, ut sola adeat ad domum suam, ubi cum eâ fornicatur.*

22 *Verba Confessarii sic invitantis ad effectum reddendi ipsum suspectum, debent animum ejus libidinosum patefacere.*

23 *Suspectus est quoquè Confessarius, qui à fœminâ sollicitatus ad fornicandum, ostendit se contentum de solis osculis, &c.*

24 *In eamdem suspicionem incurrunt Confessarii, docentes actus meretricios, quibus alliciantur Viri.*

25 *Et hoc, etiamsi actus illi inter conjugatos sint liciti.*

26 *Reliqui fines mali, quibus administratur Sacramentũ pœnitentiæ, non pariunt crimen sollicitationis.*

27 *Ideò tunc non est Confessarius denuntiandus, contrà aliquos Auctores.*

28 *In Materiâ sollicitationis suspicio tantùm oritur respectu Confessarii, non autem respectu mulieris, etiamsi consenserit.*

29 *Mulier non tenetur ad se detegendam, quod consensum præbuerit, nec de hoc est ab Inquisitoribus interroganda.*

30 *Si Mulier, & Confessarius adinvicem se solicitent, est adhuc denuntiandus Confessarius.*

31 *Ità denuntiandus, si à Muliere sollicitatus posteà consentiat.*

32 *Fœmina vel sollicitata, vel sollicitans non incurrit pœnas Pontificiæ Constitutionis.*

1 CUm finis cujuslibet Sacramenti sit collatio, vel augumentum gratiæ, consequenter abutitur Sacramento, qui dum ipsum confert, pervertit hunc finem.

2 At quoniam in Sacramentis plerumquè finis pervertitur ad sortilegia, aliasquè superstitiones, ea, quæ superiùs insinuavimus, supervacaneum duximus hoc loco repetere: Igitur sat erit, omissis, quæ ad superstitionem spectant, aliqua delibare, quæ respiciunt eum abusum Sacramenti Pænitentiæ, qui frequentiùs perpatratur, ut est sollicitatio: Qui enim sollicitat in eo sacramento tradendo, utiquè pervertit ipsius pœnitentiæ finem, atquè abutitur tali Sacramento: Transm. *de denunc. q.* 4. *cap.* 5. *à n.* 10. & proindè est suspectus de hæresi, ut omnes conveniunt tàm de stylo Hispaniæ, quàm Italiæ, & alibi, quemadmodùm videre est apud Leand. *Oper. Moral. tom.* 1. *disp.* 13. *qu.* 62. Fermosin. *de Offic. & Sacr. Eccles. tom.* 2. *ad cap.*

4. *de Bigam. non Ordinand. qu.* 4. *num.* 21. & *Alleg. fiscal. par.* 3. *qu.* 4. *num.* 18. 19. & 20. Hurtad. *resol. moral. tract.* 4. *cap.* 8. *resol.* 34. Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.* 23. Escobar *Theolog. Moral. par.* 1. *qu.* 1. *à num.* 7.

4 Quæstio dumtaxat oritur, an sit suspectus de levi, vel de vehementi: In Hispaniâ autem suspicio est de levi, & Confessarius sollicitans abjurat de levi, ut testatur Diana *resol. Moral. par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 7. Paramo *de Origin. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 83. 90. & *seqq.* Leander *Oper. Moral. tom.* 1. *disp.* 13. *qu.* 63. & 64. Sesl. *decis.* 449. *num.* 10. *vol.* 4. Quod verò sit vehementer suspectus, pròut tenet Inquisitio Romana, tradiderunt Piasec. *Prax. Episcop. par.* 2. *c.* 4. *art.* 6. *num.* 10. Leo Thesaur *for. Eccles. par.* 3. *cap.* 6. *n.* 35. Pegna *Director. Inquisit. par.* 2. *comm.* 8. Genuens. *Prax. for. Archiep. cap.* 66. Passerin. *in cap. S. Inquisitionis, num.* 67. *de Hæretic. in* 6.

5 Potest tamen quandoquè ex sollicitatione oriri suspicio de levi, attentâ etiam praxi Sanctæ Romanæ Inquisitionis, scilicet si sollicitetur in actu simulatæ confessionis, quamvis in Confessionario, vel loco apto ad Confessiones audiendas, dummodò id non fiat occasione Confessionis, ut notat Eminentissimus Albitius *de inconstant. in fide cap.* 35. *num.* 3. Ratio est, quia tali casu non intervenit veri Sacramenti abusus, quemadmodùm advertit Hurtad *ubi suprà*.

6 Ut autem videamus, quid sit sollicitare, recurrendum est ad Constitutiones Pontificias: Ait enim Gregor. XV. *Qui personas, quæcumquè illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sivè antè, sivè post immediatè, seù occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsâ confessione conseqnutâ, sivè extrà occasionem confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumquè, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seù ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, aut provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè puniantur*; & antè præfatam Greg. XV. Constitutionem, emanaverat super hac re altera Pii IV. in quâ sic habetur: *Mulieres pænitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando.*

7 Ex quibus Constitutionibus infertur primò, quò ad personas sollicitatas esse suspectum Confessarium, qui sollicitat tàm fœminas, quàm pueros; & proindè ipsum esse denuntiandum, docent Transm. *de Denunc. quæst.* 4. *cap.* 5. *nu.* 10. §. *circà sollicitationem*, Hurtadus *dict. tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 2. Leand. *oper. moral. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *qu.* 34. Ricc. *in prax. part.* 3. *resol.* 66.

8 Infertur secundò, quò ad personas sollicitantes suspectum esse de hæresi interpretem, seu Laicum, seu Sacerdotem, si dum interpretatur confessionem, sollicitat: Passerin *in cap. ut inquisitionis, num.* 80. *de hæretic. in* 6. Escobar *par.* 1. *quæst.* 2. *de causâ efficient. sollicit. n.* 31. & proindè est denuntiandus: Transmiera *dict. cap.* 5. *ibidem*, Trimarch. *disp.* 6. *num.* 18 Freytas *in add. ad Acunnam de sollicitant. qu.* 15. *num.* 17. Hurtad. *ubi suprà*, *Resol.* 31. Leand. *Oper. Moral. loc. cit. qu.* 40.

Et non immeritò, quià id facit prætextu Confessionis, & dum ope ipsius interpretis accedit confessarius, ut tanquàm Medicus per intelligentiam verborum perveniat in cognitionem morbi, & antidotum adhibeat, non autem venenum propinet: Quod tamen non sit suspectus talis interpres, colligitur ex eo quod, ipsum non esse denunciandum, firmet, tanquàm probabile, Albit. *de Inconst. in fide, cap.* 35. *numer.* 66.

9 Est etiam quæstio, an qui mandat sollicitari in Confessione, sit suspectus? Affirmativè tenent Leand. cum ibi add. *in dict. disp.* 13. *quæst.* 36. latè Ricc. *in prax. par.* 3. *resol.* 65. *per tot.* Homobon. *de exam. Eccles. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *qu.* 26. *resol.* 4. Utitur enim prætextu confessionis, ac proindè non interest, an sollicitet ipse, an verò dolo malo causam sollicitationis præbeat, ut ex *l. nihil interest, ff. ad l. Corneliam, de Sicariis*, & *ex l. non solùm*, §. *Si mandatum, ff. de iniur.*

10 Imò magis delinquit mandans, quàm man-

mandatarius; nàm primò delinquit in seipsum; secundò in mandatarium; tertiò in fęminam sollicitatam, quatenùs consentiat: Farinac. *quæst.* 135. *num.*6. Decian. *tract.Crimin.lib.* 9. *cap.*32. *n.*4. Hujusmodi tamen mandantem non esse denunciandũ, tanquàm probabile, tenet Eminentiss. Albitius *de Incost. in fide*, *cap.*35. *nu.*66.

11 Sed quid censendum de Confessario, qui careat Iurisdictione, si sollicitet? Eum esse suspectum, firmant Giptius *de casibus reservat. cap.*14. *num.*6. cui etiam adstipulatur Hurtad. *eodem tract.*4. *resol.*12. *in fine*, Passerin. *in dict. cap. Ut Inquisitionis*, *num.*78. *de hæretic. in* 6. sivè accedat mulier bonâ fide, idest putans, eum non carere Jurisdictione, sivè malâ fide, nam fit injuria Sacramento putativo, & ipsi loco, cujus venerationem exigit in suâ Bullâ contrà sollicitantes idem Greg. XV. Escobar. *part.* 1. *tract.*4. *resolut.*8. *per tot.* & *vers. verùm*.

12 Ità pariter committitur sollicitatio etiam à laico, qui fingat se confessarium, & sollicitet mulierem in actu confessionis, quidquid in contrarium dicant Fagundez *de præcept. Eccles. præcept.*2. *lib.*4. *cap.*3. *num.*72. Potel. *in addit. verbo sollicitare fæminas*, *num.*14. & Diana *de Denunc. resol.*15. Hunc tamen Confessarium non tanquàm sollicitatorem, sed ob illegitimam Sacramenti administrationẽ denunciandum, putant Trasm. *dict. c.*5. *loco cit.* Hurtad. *dicta resol.* 12. Leand. *Oper. Moral. tom.* 1. *tract.*5. *disp.*13. *qu.*37. & 38. Passerin. *ubi suprà*, *n.*76. *in fine*.

13 Hæc omnia verificantur etiam quò ad eum, qui arte Dæmonis excitatus, postquàm in resistendo tentationi constanter egerit, sollicitet, quia ejus libertas non deperditur ex vi Dæmonis: Transm. *ibidem*.

14 Infertur tertiò, quò ad media sollicitationis eum esse suspectum, & proindè denunciandum, qui sollicitat (inquit Transm. *loco cit.*) verbis, vel signis dubiis, seu nutibus, & tactibus; vel mulieris formam laudando: Diana *par.* 4. *tract.*5. *resol.*18. & 25. Paramus *de orig. Inqu. lib.* 3. *qu.* 10. *num.* 118. Trimarchius *disp.*2. *sect.*5. Bonacina *disp.*9. *de denunc. punct.* 3. *num.* 3. Barbosa *de Officio Paroch. cap.*19. *num.*49. Sed Fagundez *in* 2. *præcept. Ecclesiæ*, *lib.*4. *cap.*3. *nu.* 51. Freytas *in editione novissimâ*, *de Confess. sollicit. quæst.*7. *num.*44. & 45. Escobar *de sollicitant. par.*1. *qu.*3. *num.*14. & Hurtad. *dict. tract.*4. *resol.* 28. asserunt, quod ut pænitens teneatur denunciare sollicitantem tacitè, debet ipsi pęnitenti certò moraliter constare talis sollicitatio: Hæc autem certitudo non eruitur ex signis, seu verbis, seu factis indifferentibus, nisi adsint circumstantiæ, quod prudenter patefaciant intentionem Confessarii denunciandi. Vide eumdem Hurtad. *in laudat. resol.* & *in sequenti* adversùs Trimarchium, & Eminentissimum Albitium *de Inconst. in fide*, *cap.*35. *num.*66. in terminis Confessarii laudantis pęnitentem à pulchritudine.

Verùm quid dicendum, si Confessarius præbeat pænitenti scriptum, in quo sollicitatio continetur, quamvis tale scriptum non tradat statim legendum, sed Domi suæ, aut alibi? In hoc casu sollicitari à Confessario, firmant idem Diana *Res.*2. *in dict. tract.*5. Fagundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 62. Leand. *Oper. Moral. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *quæst.* 15. Albit. *loco infracitando*, *num.* 66. quià hæc sollicitatio ortum habuit à Sacramento: undè malè contrarium tuentur Castro-Palao *tract.*4. *disp.*9. *punct.*2. *num.*2. & 30. & Hurad. *dict. tract.*4. *resol.* 6. qui in hac

16 materiâ est cautè legendus, nàm aberrat à veris opinionibus, & à praxi Sancti Officii, ut monet Albitius *de Inconstant. in fide*, *cap.*35. *num.*1. *circà finem*: Pariter quid censendum, si Confessarius injungat pęnitentiam Mulieri, vel puero, ut nudi se exibeant ad verbera ab ipso recipienda? Sollicitat quidem, quia talis pænitentia videtur ordinata ad actum turpem: Diana *d. part.*4. *tract.*5. *resol.*47. Leand. *Oper. Moral. dict. tract.*5. *disp.*13. *tom.* 1. *qu.*17. Non quia flagellatio, quotiescumquè recto fine, debitisquè modis adhibeatur, libidinem excitet, ut malè opinatus est auctor libelli, cui titulus est, *Historia flagellantium*: Sed quia hujusmodi confessarius pęnitentiæ prætextu, immodestâ pœnitentium nuditate, suam impudicitiam explere pergestit.

17 Idem dicendum, si suadeat fæminæ in actu confitendi, ut ipsi eo in loco

vas naturale ostendat, quod ipsa in eâdem confessione morbo affectum se habere dixerat.

18 Infertur quartò, quò ad locum effici suspectum, si Confessarius sollicitet, ut ait Transmiera *ubi suprà*, sivè in confessionario, sivè in loco quocumquè, ubi confessiones sacramentales audiri consueverunt; sivè etiam sit locus in Ecclesiâ; sivè in domo, in agro, in monte, dummodò, aut verè confessionem peragant, aut eam simulent, itàut à circumstantibus, & præsentibus confessionem peragi, credi, & suaderi possit: Ità pluribus relatis Alberghin. *cap.* 31. §. 1. *num.* 15.

19 Infertur quintò, quò ad tempus reddi suspectum confessarium, qui sollicitat non solùm in ipso actu confessionis, curans se provocare ad polutionem, vel tentans habere copulam in ipsomet confessionario, eamquè habeat; sed etiam paulò antè, vel paulò post sollicitet pœnitentes: Ital. *de Immun. lib.* 1.

20 *cap.* 5. *numer.* 132. *& seq.* Et proindè, qui pœnitentibus antè confessionem persuadent, ut differant peccatorum suorum exhomolegim, ipsosquè posteà in confessionario, seù in loco confessionis sollicitant, compræhenduntur sub hac constitutione. Hæc enim sollicitatio fit occasione confessionis: Diana *par.* 4. *num.* 5. *resol.* 6. *vers. sed in terminis*, Leander. *Oper. Moral. dict. disput.* 13. *quæst.* 27. Trimarchius *disput.* 3. *num.* 37. & alii: Contrarium tamen tuetur Hurtadus *d. tract.* 4. *resol.* 24. Sed malè, ut patet ex Eminentiss. Albit. *de Inconstant. in fide*, *cap.* 35. *n.* 66.

21 Infertur sextò, quò ad actum sollicitationis, ab eo incurri hæresis suspicionem, qui mulieri, quæ aliis fæminis associata adire confessarii domum soleat, dicat ipse Confessarius in confessione, quod sola adeat; & postquàm adiverit, copula carnalis sequatur. Videtur enim hæc appellanda sollicitatio conditionalis, nam ea verba, quibus Confessarius hortatur fæminam, ut adeat sola, infecta sunt malitiâ Veneris, & suspendunt tantummodò copulam: Vide Escobar. 2. *p. quæst.* 1. *num.* 56. & Hurtad. *d. tract.* 4. *resol.* 41. Prætereà occasione Confessionis habetur hoc pacto res ve-

22 nerea cum muliere: Requiritur tamen, ut ego existimo, quod illa Confessarii verba fæminam hortantis, ut sola adeat ejus domum, patefaciant, animum ejusdem Confessarii libidinosum esse, ità ut hæc infectio venerea non contrahatur per factum subsequens, ut, si Confessarius, non ex vi eorumdem verborum, sed ex aliâ causâ fæminam, quæ sola venit, cognosceret, licèt, ut sic veniret, hortatus fuerit eam, sed ad alium finem indifferentem.

23 Eâdem ratione suspectus erit Confessarius, qui à pœnitente sollicitatus, & fornicationem respuens, ostendat, se esse contentum solis osculis, vel tactibus: eum enim esse denunciandum, tenuerunt Transmiera *de Denunciat. loco citato.* Leand. *Oper. Moral. de quo suprà*, *q.* 21. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 13.

24 Imò non evitabunt hujusmodi suspicionem Confessarii, docendo conjugatas actus meretricios, quibus ipsæ utantur ad alliciendos suos viros, & ob id inducendo pœnitentes ad committenda peccata saltem venialia, juxtà Doctrinam Sanchez *de debito conjugali*, *disp.* 11. *num.* 4. Cardinalis Albitius *de inconstant. in fide*, *cap.* 35. *à num.* 5. usquè *ad num.* 15. Vide latè apud Hurtad. *eo-*

25 *dem tract.* 4. *resol.* 39. Nec dicatur, quod isti actus in uxoratis sint liciti, nam habemus textum *in cap. liberorum* 32. *q.* 4. cujus verba sunt: *Liberorum in matrimonio opera concessa sunt; voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ sunt.*

26 Cæteri verò fines, quibus sæpè sæpiùs confertur pœnitentiæ Sacramentum, ut sunt cupiditas lucri, honoris ambitio, &c. quamvis non careant repræhensione, eò quià peruertunt finem hujusmodi Sacramenti; tamen, dummodò non sint inhonesti, & lascivi, minimè pariunt sollicitationis crimen, cum in hac materiâ standum sit Pontificiis constitutionibus: Ità Escobar. *quæst.* 1. *de sollicitant. num.* 44. *&* 45. Diana 1. *p. tract.* 4. *resol.* 2. *& par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 17. Joannes à Trinitate *in exposit. Bullæ Greg. sect.* 2. *dub.* 3. Albit. *de Inconst. in fide*, *d. cap.* 35. *num.* 66.

27 Idcircò rectè docet Transmiera *ubi suprà*, in his casibus non esse Confessarium denunciandum, quidquid in contrarium dicant Peña *in director. par.* 2.

comm.

comm. 8. *vers. ille quoquè*, Freytas, *in addition. ad Acunam, quæst.* 8. *numer.* 17. Lelius Zecchius *in sum. tom.* 1. *tract. de fide, c.* 11. *num.* 5. §. *tertia suspicio*, Moura *de incant. sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. Castro-Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 9. *punct.* 6. *n.* 2. & Hurtad. *d. tract.* 4. *resol.* 35.

28 Hic prò colophone addamus, quod in causâ sollicitationis suspicio oritur respectu tantummodò Confessarii, & ideò ad ipsum puniendum fit denunciatio, ut testatur Transm. *de quo suprà*. Imò mulier denuntians, se à Confessario sollicitatam fuisse, si asserat imprudenter, consensum se præstitisse, propter

29 hoc non punitur: Dixi, *imprudenter*, quia ipsa non tenetur ad detegendum, se consensum hujusmodi præbuisse, nec ab Inquisitoribus de eo est interroganda: Leand. *loco citato*, *quæst.* 43. & casu, quo interrogaretur, quamuis uti non posset restrictione mentali, quidquid dicat Transm. cum hujusmodi restrictio sit ab Innocentio XI. damnata, posset tamen objicere, se non teneri huic interrogationi respondere: sed tantùm abest, ut interrogetur ab Inquisitoribus; quin è contrà si mulier spontè crimen suum fateretur, ejus depositio in jis, quæ spectant ad dictæ mulieris turpitudinem, in actis non esset recensenda: Leand. *oper. moral. d. tract.* 5. *disp.* 13. *tom.* 1. *q.* 43.

30 Quid dicendum, si mulier, & confessarius se invicem sollicitent? Quod Confessarius sit denunciandus, docuerunt Leand. *oper. moral. tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 21. Card. de Albit. *de inconstant. in fide, cap.* 35. *num.* 66. Pari modo est de-

31 nunciandus Confessarius, si sollicitatus à muliere, sollicitationi posteà consentiat: Leand. de quo suprà, *quæst.* 20.

32 Non tamen incurrit fæmina sollicitata pœnas sollicitantibus inflictas, quia illæ respiciunt Confessarium, qui est Sacramenti pœnitentiæ Minister, & ad alios non extenduntur: Imò si fæmina ipsa Confessarium sollicitet, in pœnas Constitutionum non incidit, ac denuncianda non est, ut firmant Homobon. *de exam. Eccles. par.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 26. *resol.* 4. Leand. *oper. moral. tom.* 1. *d. tract.* 5. *disp.* 13. *resol.* 67. Plures alii casus particulares videri possunt penès Leand. *per totam disput.* 13. Escobar *Theolog. moral.* Hurtad. *tract. var. tract.* 4.

SUBSECTIO VI.

De abusu Sacramentorum in conferendo, non adimpletis jis, ad quæ Minister exindè tenetur.

SUMMARIUM.

1 *Abusus iste contingit tantùm in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.*

2 *Sigillum potest frangere Confessarius de licentiâ pœnitentis.*

3 *Pœnitens potest renuntiare juri sigilli ad sui favorem introducto, duabus conditionibus concurrentibus.*

4 *Licentia pœnitentis necessaria est, ut Confessarius possit cum pœnitente loqui de auditis in confessione.*

5 *Abelly rejicitur, dum opinatur, fuisse prohibitam confessionem per epistolam ad tutiorem secreti custodiam.*

6 *Peccata in confessione audita possunt revelari, quandò Confessarius aliundè extrà confessionem scit.*

7 *Item, quandò pœnitens adit Confessarium non animo confitendi, sed seducendi.*

8 *Confessarius tenetur ad sigillum jure naturali, Divino, & Ecclesiastico.*

9 *Nec Summus Pontifex potest cogere Confessarium ad revelandum audita in confessione.*

10 *Confessarius, si compellatur revelare, potest dicere, etiam cum juramento, se non audivisse.*

11 *Iudices nequeunt uti scientiâ proveniente ex notulâ Confessionis.*

12 *Abutitur Sacramento Pœnitentiæ, qui revelat audita in confessione: Et de pœnâ revelantis.*

13 *Confessarius prodens audita in confessione, non est de hæresi suspectus.*

14 *Nisi haberet errorem in intellectu.*

15 *Et nisi, qui frangeret, pluries, id fecisset.*

16 *Neque hæresis delictum in confessione auditum potest Confessarius revelare.*

17 *Hæreticus simulans confessionem ad Confessarium seducendum, non gaudet jure Sacramentalis sigilli.*

18 *Notula peccatorum prò juuandâ memoriâ*

moriâ in confessione cadit sub sigillo.

19 *Ex dictâ notulâ, vel aliis nequit deveniri ad carcerationem Rei.*

20 *Accusatus, & damnatus de crimine ob notitiam ex confessione habitam, est absolvendus.*

21 *Casus Sancti Thomæ de Villanova.*

22 *Notitia ex confessione est supernaturalis, ideò nequit servire ad scientiam naturalem.*

23 *Habens notitiam sub secreto naturali de assassinio committendo, tenetur revelare.*

24 *Imò idem dicendum, etiamsi notitia haberetur sub confessionis sigillo, extrà tamen confessionem.*

1 CUM hic abusus nequeat contingere, nisi respectu Sacraméti Confessionis, ob scilicet sigilli fractionem, de ipsâ ergò nonnulla attingenda erunt: Sed anteà oportet exponere, duo dari casus, in quibus permittitur sigillum
2 frangi, quorum alter est, quandò adsit licentia pænitentis Confessario concessa, ut habetur *in cap. significasti, de adulter.* & testantur Navarr. *in manual. cap.* 8. *num.* 15. Covar. *var. resol. par.* 2. *c.* 8. §. 12. *num.* 11. Felin. *in cap. Mattheus, num.* 1. *de Simon.* Leand. *oper. moral. tom.* 1 *tract.* 5. *disp.* 10. *qu.* 17. Morin. *de pænitent. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 4. Campanil. *diverſ. jur. can. rubr.* 11. *cap.* 32. *n.* 11.
3 Licitum enim est pænitenti renuntiare juri ad suum favorem introducto: *cap. ob gratiam, de reg. juris lib.* 6. & tunc vigore hujus facultatis non tenetur confessarius ad custodiam secreti: Duæ tamen conditiones in hoc requiruntur; prima est, ut dicta facultas sit liberrima, nam cum ad bonum ipsius pænitentis obtineri debeat, nulla quidem, si metu, vel aliâ ratione esset extorta: Leand. *oper. moral. ubi suprà, q.* 19. Secunda est, ut hujusmodi licentia sit clara, & patens, non autem implicita, & interpretativa: Ità Leand. *d. disp.* 10. *q.* 18. Hurtad. *tract.* 6. *cap.* 11. *resol.* 19. Guzman. *de evict. qu.* 9. *num.* 45. & 46. Juenin *de sacram. tom.* 2. *pag.* 644. *col.* 1. *post medium.* Tunc enim vigore hujusmodi facultatis confessarius, jam non ut Deus, cujus partes agit in Sacramento Pœnitentiæ, sed . homo, pænitentis
4 peccatum cognoscit, & hæc licentia necessaria est, ut confessarius etiam cum suo pænitente de peccatis in confessione auditis colloquatur, ut prosequitur Juenin *loc. cit.* cum aliis adductis per Leand. *oper. moral. d. tract.* 5. *disp.* 10. *tom.* 1. *quæst.* 22. Graff. *decis. aur.* 32. *n.* 22. *part.* 1. *lib.* 1. Landmeter *de veter. cler. Monach. lib.* 2. *c.* 94. *vers. eruditissimè*; adeò ut contrà sigillum confessionis sit, si confessarius ob peccata in confessione audita, faciem duriorem, quàm anteà solebat, Pænitenti monstret: Leand. *ubi suprà, quæst.* 83. Card. de Lugo *de Pænit. disput.* 23. *num.* 104.

5 Cum itaquè pænitens renunciare possit hujusmodi privilegio, sugillandus est Abelly, ubi *in suis Instructionibus* ait, ad tutiorem secreti custodiam inductam fuisse prohibitionem confitendi per epistolam. Si enim ità esset, cum possit pænitens (ut diximus) dispensare confessario custodiam secreti, utpotè in ejus favorem inducti, posset quoquè per Epistolam confiteri, quod illicitum esse, suprà fuit probatum: Defendi tamen potest laudatus auctor, nam nonnulli eam sententiam tanquàm tutiorem amplectuntur, quâ firmatur nec pœnitentem posse licentiam concedere confessario, ut frangat sigillum, utpotè inductum in favorem Sacramenti, non autem ipsius pœnitentis, sicut privilegia clericatus dicuntur in favorem ordinis concessa, itàut clerici nequeant eisdem privilegiis renunciare.

5 Alter verò casus, quo revelari possunt peccata in confessione audita, est, quandò confessarius id, quod pænitentes confitetur, aliundè extrà confessionem sciverit: Soto *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 4. *art.* 6. Ludovicus Lopez. *in part.* 3. *instruct. cap.* 37. Reginald. *Prax. fori pænitentiar. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 63. Graff. *decis. aureæ, part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 28. Ad evitandum tamen scandalum revelare non debet, ut ex D. Thoma: Quâ ratione prudenter advertit Farinac. *tom.* 1. *qu.* 51. in delictis tantùm committendis licere confessario revelare, quandò aliundè sciverit.

7 Addi potest alius casus, quandò scilicet pœnitens adit confessarium animo non confitendi, sed ipsum seducendi:

Casus

Casus accidit in coniuratione machinatâ contrà Leonem Decimum. Illius enim actores specie confessionis tentarunt seducere quosdam Cardinales, qui, detectâ coniuratione, valdè vexati sunt, quoniam siluerunt: Reginaldus *in praxi fori pænitentiar. d. lib. 3. n. 66.* Leand. *oper. moral. tom. 1. tract. 5. disp. 10. q. 14.* Landtmeter *de Veter. cleric. Monach. lib. 2. cap. 94. vers. continentur sub sigillo, in fine.*

8 Extrà hos casus non potest confessarius sigillum rumpere ex jure tàm naturali, quàm divino, & Ecclesiastico: Siquidem exposcit jus naturale, secreta servari, quæ etiam extrà confessionem sub sigilli secreto excipiuntur; undè cò magis exposcit, nè revelentur, quæ in confessione prodita sunt: Jus autem divinum postulat, ut Minister in Sacramento pænitentiæ gerat vices Christi, quamobrem, sicut Christus nunquàm ad ignominiam confitentis manifestaturus est peccatum, quod dimittit per suos ministros; ità nec ipsi Ministri possunt illud manifestare, ut latè docet Morin *de pœnitent. lib. 2. cap. 19. per tot.* Tandem jus Ecclesiasticum jubet, ne revelentur à Confessario peccata in confessione excepta, ut legitur *in cap. Sacerdos, de pœnit. dist. 6.* quod pariter definitum fuit in Concil. Lateranen. IV. sub Innoc. III. *can. 21.*

9 Cum ergò hujusmodi revelatio vetita sit, præter jus Ecclesiasticum, à Jure naturali, & Divino, patet quod Confessarius ad revelandum cogi nequeat, nec à Papa: Victoria *de Sacram. confess. ex num. 183.* Navarr. *in manual. cap. 8. ex num. 4.* Guzman. *de evict. qu. 9. num. 49. & 50.* Graff. *decis. aureæ lib. 1. part. 1. cap. 23. num. 2.* Summus enim Pontifex nequit dispensare in hoc: Ait quidem Cæsarius *lib. 3. mirac. c. 32.* Innocentium III. decrevisse, confessionem in quodã eventu esse prodendam; sed hoc de verâ, & Sacramentali confessione tantus, tamquè doctus Pontifex nunquàm sanxisset: Aut ergò commenticium est, quod ei affingitur; aut agebatur de eâ confessione, quæ non est Sacramentalis.

10 Imò, si confessarius compellatur, potest dicere, etiam cum juramento, se non audivisse in confessione illa, quæ ab ipso quæruntur; nec proindè credendum est, eum peierare, quoniam ut homo nescit ea, quæ in confessione percepit, ut firmant Abb. *in cap. dilectus, sub num. 4. de excessibus Prælator.* Param. *de orig. inquis. lib. 3. q. 8. nu. 99. & 100.* Mascard. *de probat. lib. 1. qu. 5. num. 51.* Marta *de jurisdict. part. 2. c. 14. num. 18.* Filesac. *de sacr. episcop. auct. cap. 2. §. 7.* Guzman. *de evict. d. qu. 9.*

11 *num. 49. & 50.* Quin Judices non solùm nequeunt extorquere à confessariis cognitionem delictorum, quæ ipsis in confessione aperta fuere, sed nec etiam uti scientiâ proveniente vel ex notulã peccatorum pænitentis, vel ex aliquo alio, qui audiverit confessionem: Mascard. *lib. 2. conclus. 377. num. 1. & 3.* Menoch. *lib. 1. de præsumpt. q. 89. n. 26. & 27.*

12 Ex his infertur primò, quod qui revelat confessionis secretum, præter supradictos casus, abutitur hoc Sacramẽto, cujus abusus pęna statuitur *in cap. de pænitentiâ, dist. 6.* ut confessarius, qui fregit sigillum, deponatur in perpetuũ, & perpetuò peregrinetur: Verùm *in cap. omnis utriusquè sexus, de pœnit. & remissione,* decernitur, quod in monasterium perpetuò detrudatur, ut testantur Majolus, & Felicianus *cap. 14. de degradat,* quandoquè tales garrulos Confessarios plecti capite; idquè in facto contigisse Tholosæ *ann.* 1559. refert Henricus Engelg. *par. 1. Lucis Evangelicæ, Sermone dom. 3. quadrag. 35.*

13 An verò efficiatur suspectus de hæresi? Crederem, quod non, cum revelatio secreti fieri licitè possit ex causis suprà expositis, ut videre est etiam penès Gabriel. à S. Vincentio *de sacram. pænit. disp. 10. quæst. 4. vers. quæritur tertiò,* & quamvis injuriam huic Sacramento, qui frangit sigillum, inferat, non dicitur tamen de eo malè sentire: Bordon. *in Tribun. cap. 22. num. 47.* Fermosin. *alleg. fiscal. part. 3. quæst. 2. num. 7. & 8.*

14 Hoc tamen intelligendum, nisi qui frangeret sigillum, haberet aliquem errorem in intellectu, aut aliàs ostenderet, se malè sentire de Sacramento: Card. de Lugo *de Sacram. in genere disp. 6. num. 148.* Pasqualig. *quæst. moral. juridic. 285. num. 4.* Fermosin. *alleg. Fiscal.*

*scal. ubi mox, num.*8.& hoc pacto explicat Lupus *in edict. lib.*14. *dist. 6. art. 3. diff.* 1. sententiam Alphonsi de Leone *de Officio Confessarii, tom.*1. *resol.*22.*n.*12. *cap.* 3. dicentis, confessarios sigillum confessionis Sacramentalis frangentes, Inquisitoribus denunciandos esse: Pari-
15 ter intelligendum est, nisi, qui frangeret sigillum, pluries, ac frequenter id fecisset; nam ex iteratis actibus insurgeret aliqua levis suspicio: Menoch. *de præsumpt. lib.*1. *q.* 100. *n.* 1. Farinac. *qu.*178. *numer.* 78. Pasqualig. *loc. cit. num.* 3. vel quandò frangentes sigillum essent homines malæ existimationis, & aliàs suspecti de hæresi: Carena *in prax. tit.*17. §.23. *num.* 93.

16 Infertur secundò, quod non licet fractio sigilli propter hæresim: Est enim opinio tàm Theologorum, quàm Juristarum concors, non posse confessarium revelare delictum hæresis: Transm. *de denunc. q.* 8. *cap.* 5. *per tot.* Param. *de Orig. Inq. lib.* 3. *qu.* 8. *n.* 96. Leand. *oper. moral. tom.* 1. *d. tract.*5. *disp.* 10. *qu.*12. Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 1.
17 *cap.* 23 *num.* 6. Verùm hoc non est intelligendum, quandò hæreticus confiteatur errorem, quem habet, simulatâ confessione, & totis viribus conetur in eosdem errores inducere confessarium: Bonac. *de pænit. sacram. disp.* 5. *qu.* 6. *sect.*5. *punct.*2. *num.*5. Transm. *d. cap.*5. *num* 13. Obligatio enim ad servandum secretum oritur in confessario, quoties ei exponantur peccata per modum accusationis, ut benè animadvertit Juvenin *de sacram. tom.*2. *pag.*643. *col.* 2. *post medium*, undè, ut ipse subjungit, nullum debitum ad secretum servandum contrahitur cum quibusdam perditis mulieribus, quæ ad Tribunal accedunt, non ut cofiteantur, sed ut Christi Ministrum provocent ad luxuriam.

18 Infertur tertiò quanta sit Ecclesiæ fidelitas in custodiendo secreto confessionis, ut etiam sub illo mandet comprehendi eos actus, qui sunt tantùm præparatorii, & ad confessionem directi, uti charta, seu notula, in quâ quis prò juvandâ memoriâ propria peccata scripsisset: Leand. *oper. moral. tom.*1. *tract.*5. *disp.*10. *qu.*46.47.& 48.
19 Hinc est, non posse regulariter devenire ad carcerationem alicujus, quem reum vel prodat dicta schedula; vel testetur sacrilegus Confessarius; vel asserat, qui ipsum, dum confitebatur, auscultaverat: Felin. *in cap.* 1. *sub numer.* 3. *de exception.* Transm. *de denunciat. quæst.* 8. *cap.* 5. *num.* 9. & 10. Filesac. *de sacr. episcop. auct. cap.* 2. §.7.
20 Imò si quis fuerit de aliquo crimine convinctus, & damnatus, & accusatio orta esset ex causâ confessionis, absolvendus esset: Paul. de Castro *in l. Archigeruntes C. de episcopal. audient.* Menoch. *de præsumpt. qu.* 89. *num.* 26. & 27. Farinac. *qu.*51. *nu.*97. Omnia enim actitata in judicio nulla sunt, si ortum habuerint ex notitiâ confessionis Sacramentalis, licet Judex ab initio bonâ fide processerit: Felin. *in dicto cap.* 1. *numer.* 3. *de exception.* Campanil. *divers. jur. can. rubr.* 2. *cap.* 15. *numer.* 101. Covaruu. *oper. tom.* 1. *de matrim. part.* 2. §. 12. *numer.* 23. Cardin. de Lugo *de pænit. disp.*23.*sect.* 5. *num.*107.

21 Hinc Achuna *qu.* 13. narrat de quodam Catalano, qui interfecerat suum inimicum, ipsumquè secretò sepulturæ tradiderat, & cum fuerit accusatus à fratre occisi, convinctus, & damnatus, semper renuit Sacramentali confessione se expiare, antequàm patibulum subiret, asserens, pænitentiæ Sacramentum à Deo non fuisse institutum, & esse maximi periculi: Re delatâ ad D. Thomam de Villa nova Archiepiscopum Valentinum, petiit bonus Pastor à Prætore, ut supplicii executionem differret, ne ovis illa periret, obtinuitquè Sanctus, ac delinquentem rogavit, quænam esset causa tantæ illius pertinaciæ? Reus asseruit, nemini confidisse tale crimen, nisi Sacerdoti cuidam, qui erat sibi ignotus, & quem posteà compererar fratrem occisi: Accersitus confessarius, fassus est fractionē sigilli, quarè ipsi impositâ pæniten-
22 tiâ, reus fuit absolutus. Ratio autem ea videtur esse, quia notitia, quæ habetur ex confessione, est supernaturalis, undè non debet inservire loco scientiæ naturalis, quâ judicatur, ac propterea superior uti nequit ad regimen externum notitiâ, quam habuit ex confessione, juxtà decretum Clem. VIII. editum *die* 16. *Martii* 1594. de quo San-

chez.

chez. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 16. *num.* 2. *vers. ultimo*, Torreblanc. *de magia, lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 14. Landtmeter *de veter. cleric. monach. lib.* 2. *cap.* 94. *vers. est constitutio*.

23 Infertur quartò, quod si quis sub secreto naturali haberet notitiam, perpetrandum fore assassinium, ne illud sequeretur, posset cogi ad revelandos
24 delinquentes: Imò quæ sub promissione secreti, & sigilli confessionis, sed extrà confessionem tradita sunt alicui Sacerdoti, etiam à genuflexo se crucis signo signante, possunt, quinimò debent revelari à prædicto Sacerdote, quoties in testem vocetur: Abbas, & reliqui *in cap. omnis utriusquè sexus, de pænit. & remiss.* Leander. *oper. moral. d. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 10. *qu.* 58. Gomez. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. qui nullam differentiam ponunt inter delictum commissum, & committendum: Irritat enim Ecclesia, propter favorem boni publici, hoc secretum: Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. q.* 89. *num.* 17. Farinac. *tom.* 1. *qu.* 51. *num.* 115. & irritare potuit, quia non contrahitur secreti Sacramentalis debitum: Siquidem ipsum oritur tantummodo ex ipsâ Sacramentali confessione, ut innuit S. Thomas *qu.* 11. *art.* 2. *ad* 2.

SECTIO IV.

De Abusu Sacramentorum in suscipiendo.

SUMMARIUM.

1 *Abutitur quis Baptismi Sacramento, si suscipiat à Ministro Hæretico, & talis sit suspectus de hæresi.*

2 *Exemplum Aulicorum Reginæ Elisabethæ Angliæ.*

3 *S. Athanasius laudat Alexandrinos abhorrentes Sacramentum à Ministris hæreticis.*

4 *Constituitur in Concilio Constantiensi de non vitandis excommunicatis, nisi per sententiam declaratis, vel nisi essent notorii Clericorum percussores.*

5 *Ex hac constitutione putant aliqui, posse aliquem absquè necessitate recipere Sacramenta ab hæretico, tribus datis conditionibus.*

6 *Laici urgente necessitate possunt administrare Sacramentum Baptismi.*

7 *Ecclesia permittit laicis Baptismum conferre, ne quis sinè remedio salutis moriatur.*

8 *Ex traditione Apostolicâ prodiit, quod laicus administret Baptismi Sacramentum in necessitate.*

9 *Requiritur necessitas ad suscipiendum Sacramentum baptismi à laicis: Eâ igitur urgente laudabile est, illud recipere etiam ab Hæreticis.*

10 *Quomodò potest recipi Sacramentum Ordinis ab Hæretico Episcopo?*

11 *Defectu jurisdictionis nequit recipi Sacramentum pænitentiæ ab hæreticis, quod non militat quòad Græcos schismaticos.*

12 *In casu necessitatis, vel in mortis articulo omnes Sacerdotes habent potestatem absolvendi à peccatis, vel jure divino, vel jure Ecclesiastico.*

13 *Laicus in mortis articulo potest per semetipsum sumere Eucharistiam.*

14 *In necessitate potest sumi Eucharistia ab Hæreticis propter hujus Sacramenti necessitatem.*

15 *Sed quid dicendum, si urgeat tunc scandalum?*

16 *Abusus Sacramenti in suscipiendo committitur, si accipiatur in non debitâ materiâ, ut si quis vellet Eucharistiam in hostiâ non consecratâ.*

17 *Quandò tunc posset excusari ab hæresis suspicione?*

18 *Patiens se rebaptizari, abutitur Sacramento Baptismi, & est Apostata.*

19 *Abusus hic sæpè accidit in Neophytis, turpis lucri gratiâ: Casus, qui evenit Paulo II. Pontifici.*

20 *Si quis sineret se rebaptizari, vel ob dubium de validitate Baptismi, vel propter simplicitatem, non fieret de hæresi suspectus.*

21 *Extrà hos casus, iteratò suscipientes baptismum, semper sunt de hæresi suspecti, & abjurare debent.*

22 *Idem dicendum de eo, qui iteratò recipit Sacramentum confirmationis.*

23 *Qui pluriès in die communicarent, non essent suspecti, sed peccarent mortaliter.*

24 *Esset suspectus, qui pluries in die communicaret ad satietatem corporalem.*

An

25 *An qui manè communicavit, possit, vel teneatur Viaticum sumere, si incidat in morbum lethalem.*

26 *Extrahens ab ore Sacram particulam ad sortilegia, est graviter de hæresi suspectus.*

27 *Etiam est suspectus, si eàdem extrahat non ad sortilegium, sed ad secum deferendam.*

28 *Non est gravis culpa, digito amovere sacram particulam palato aglutinatam.*

29 *Nequit sacra Hostia deferri ad osculandam Ægroto, qui eam nequit sumere.*

ABUTITUR Sacramentis in suscipiendo, quicumquè à Ministro non idoneo, vel in materiâ non aptâ, vel pluries, vel non debito modo suscipit.

1 Primo modo dicitur, quandò quis suscipit baptisma à Ministro hæretico, quod minimè licet, & sic suscipiens, dummodò non urgeat maxima necessitas, fit non leviter suspectus de hæresi: Passerin. *in cap. ut inquisitionis, numer. 60. in fine, de hæret. in 6.* Suarez *de censur. disp. 42. sect. 1. numer. 14.* Ratio est, quia ipse tunc dicitur favere hæreticis, qui proindè redduntur audaciores, ac insolentiores, videntes, quod ab ipsis Catholici petant Sacramentorum administrationem: Quarè

2 Sanderus *lib. 3. hist. Anglicanæ* ità scribit de Elisabetha: *Interim Regina, & sui ab initio præclarè secum agi existimarunt, quod cum tot essent antiquæ fidei cultores, plerosquè tamen scirent ritus à se præscriptos vel amplexari, vel utrumquè præsentiâ suâ approbare, licet interiùs aliam fidem, de quâ ipsi non adeò curabant, colerent. Ac ne Sacerdotes quidem quosdam ab illis administrandis abhorrere, gaudebant non mediocritèr:*

3 Hinc est, quod Sanctus Athanasius *in epist. ad solit.* laudat Alexandrinos, qui maluerunt acerbiorem vitam inter pericula traducere, & à peccatis non absolutos è vivis exire, quàm in obeundis mysteriis ministerio Arrianorum Sacerdotum uti.

4 Sed quià habemus constitutionem *ad evitanda* à Martino V. approbatam, ac à S. Antonino, qui eodem illo tempore vixit, relatam *in 3. par. tit. 26. cap. 3.* quam posteà confirmavit Leo X. in Concil. Lateranen. quæ ità loquitur: *Ad evitanda animarum pericula statuit S. Synodus, ut nemo deinceps quempiam ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ in Sacramentorum administratione, receptione, aut aliis quibuscumquè rebus divinis, vel exteriùs vitare, aut interdictum observare teneatur, nisi sententia, vel censura hujusmodi contrà certam personam, Collegium, Ecclesiam, &c. specialiter à judice publicata, vel denunciata fuerit, eo excepto, qui ob sacrilegam manum injectionem in Clericum, excommunicationem Canonis notoriè incurrit, ut factum ejus nullâ tergiversatione celari, & nullo juris suffragio excusari possit: Nam ab hujusmodi etiam non denunciati communione abstinendum.*

5 Quia, inquam, talem habemus Constitutionem, putant nonnulli, quod quis posset ab hæretico suscipere baptisma, ac cætera Sacramenta, etiam non urgente necessitate, si tres adessent conditiones, quas ferè impossibile est, reperiri posse: Harum prima est, quod absit scandalum, & offensio Catholicorum; Secunda, quod nulla sit communicatio ceremoniæ, vel ritus hæreticalis; Tertia, quod cesset periculum propriæ perversionis: Navarr. *cons. 15. num. 3. & 4. de hæret.* Azor. *par. 1. lib. 8. cap. 11. qu. 2.* Thoma à Jesu Maria *de convers. Gentium. lib. 8. cap. 4. part. 2.* qui etiam docent, satisfieri præcepto audiendi sacrum, ab eo, qui interest Missæ Sacerdotis Schismatici.

6 Si ergò juxtà nonnullorum opinionem licitum est, prædictis circumstantiis concurrentibus recipere baptisma ab hæreticis, eò magis licebit, urgente necessitate, ablui hac undâ à Laicis Catholicis, *ut in cap. Sanctum, de consecrat. dist. 4.* Ricciull. *de jur. person. lib. 8. cap. 12. num. 17.* Martene *de ritibus, cap. 1. art. 3. num. 5. tom. 1. & alibi passim,* quod impugnatur à Calvino *lib. 4. instit. c. 15. in suâ antidoto advers. Concil. Trid. sess. 7. can. 10.* hicquè error reperitur penès Grecos Schismaticos, ut superiùs

7 innuimus: Sed Ecclesia Catholica laicis permisit baptismum conferre, ne quisquàm sinè remedio salutari de seculo evocetur, ut inquit Gelasius Papa *in epist. ad uni-*

ad universos Episcopos, *cap. 9.* & hanc praxim testatur Hieronymus *contrà Luciferanos*; nec etiam deest ratio: Christus enim si summâ providentiâ prò baptismatis materiâ constituit aquam, quæ ubiquè reperitur, ut exindè quisquè facilè posset hac undâ ingredi Regnum Cœlorum, est quoquè credendum prò Ministro extraordinario hujus Sacramenti quemlibet admisisse, ne cum materiam obviam haberemus, nobis
8 deesset Minister. Verùm, præter hujusmodi rationem, constans ubiquè, ac quovis seculo disciplina fuit suscipiendi baptisma à laicis, undè non potest non esse ex traditione Apostolicâ, ut ponderat Juenin *de Sacram. tom.1. dissert.2. qu.6. cap.2. art.2.§.2.pag. 79. col.* 2. ubi Concilii Eliberitani *canonem* 38. interpretatur cum doctissimo Albaspineo *in suis observationibus ad illud Concilium*, Coriolan. *in summ. Conciliorum in annot. ad can.* 46. *Apost.*

9 Ut autem licitè suscipiatur à Laicis baptisma, requiritur, quod urgens adsit necessitas, quæ etiam, quidquid afferat contraria opinio, requiri debet præter eas tres conditiones, quas suprà recensuimus, quoties suscipiendum sit baptisma ab hæreticis: Adveniente autem huiusmodi necessitate, qui ab eis tale Sacramentum reciperet, esset potiùs laudandus: Audi D. Augustinum *lib.1.de Baptism. contrà Donatistas, cap.2.relat.in cap.si quem fortè*, 24. *q.*1. *Si quem fortè necessitas extrema exegerit, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholicâ custoditâ, per aliquem extrà catholicam unitatem positum acceperit, quod erat in Ecclesiâ catholicâ percepturus, non eum, nisi catholicum reputamus; non enim solùm non improbavimus, quod fecit; sed etiam securissimè, verissimèquè laudamus.* Sed infrà nonnulla super hac re dicturi sumus.

10 Quod dicitur de baptismo quatenùs suscipi potest ab hæreticis, idem intelligendum est de cæteris sacramentis, ità ut possimus ordines etiam recipere ab Episcopo hæretico, dummodò non sit denunciatus, nec proindè ullam hæresis suspicionem incurrimus, intervenientibus tribus mox enunciatis conditionibus: Ab eo enim validè Sacramentum recipitur; usus tamen, & executio ordinis recipi non potest, & debet super hoc dispensationem obtineri: Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 48. *par.*1. Verricell. *de Apostolic. Mission. tit.* 11. *qu.* 169. Ricciull. *de jur. person. lib.*9. *cap.*2. *& cap.*3. *num.*7. Alvar. Pelag. *de planctu Eccles. lib.*1. *cap.*65. Alter. *de censur. tom.* 2. *disp.*9. *cap.*3. ubi additur, hoc procedere, si ignoranter ab hæretico fuerit ordo susceptus: si verò scienter, tunc dispensari non debeat.

11 Sed observandum, tametsi licitè, & validè his concurrentibus conditionibus, & urgente necessitate recipiamus Sacramenta, quorum Ministerium pendet à potestate ordinis, nihilominùs non ità esse de Sacramento pœnitentiæ, quod pendet à potestate jurisdictionis, quam hæreticus non retinet, & in hoc non solùm ordo, sed etiam jurisdictio requiritur, & proindè à Sacerdote hæretico hujusmodi Sacramentum ministrari non potest: Alter. *de censur. to.*1. *disp.*8. *cap.*7. Alphons. *de Aguil. in introduct. ad addit. ad Rox. de incompatib. Regnor. num.* 39. Campanil. *diversorum jur. can. rubr.* 1. *nu.*103. *&* 108. Guttier. *quæst. canon. lib.* 1. *cap.* 1. *sub num.* 54. Quamobrem nulla esset absolutio, quæ ab hæretico Sacerdote traderetur pænitenti: Sublata est enim omnis jurisdictio. Hoc tamen non militat quòad Græcos schismaticos, quoniam non carent potestate absolvendi, nam non amiserunt jurisdictionem, ut alibi demonstravimus, ubi ostendimus, ipsos ritè Matrimoniis assistere posse, pròut affirmat Arcud. *de concord. lib.*4. *cap.*5.

12 In casu autem necessitatis Sacerdotes habent absolvendi potestatem, ut in articulo mortis, in quo quidem, vel de Iure divino ipsa competit omnibus, vel de jure positivo, & Ecclesiastico, juxtà quod S. Ecclesia, cujus materna viscera urget charitas, ne derelinquat fideles suos, absente catholico Sacerdote, potestatem facit cuicumque Sacerdoti, quamvis hæretico, absolvendi eos, qui animam agunt: Mend. *in Bull. Cruciat. disp.* 22. *cap.*1. *num.*5. Card. de Lugo *de Sacram. pœnit. disp.*18. *sect.*2. *per tot.* & præcipuè *num.*18. Leand. *oper. moral. to.*1. *tract.*5. *disp.*10. *q.*16. Bess. *moral. var. to.* 2. *tit.*5. §. 5. *&* 6. Alphons.

de Aguil. *in introduct. ad addit. ad Roxas
de incompatibil. Regnorum*, *num.* 39. *in
fine*, Guttierez *qu. canon. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 56.
Campanil. *jur. can. dict. rubr.* 1. *num.* 110.
13 Potest etiam in eo mortis articulo
laicus per semetipsum, deficiente copiâ
Sacerdotum, sumere Eucharistiam, ut
alibi innuimus, & pròut videre est apud
Hurtad. *Resol. Moral. to.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6.
Resol. 63. & Hallier. *de Ecclesiast. Hie-
rarch. pag.* 376. *vers. in more*: An verò su-
mi possit hoc augustissimum Sacramen-
tum ab hæreticis? Affirmant, pluribus re-
latis, Leander *ope. moral. tom.* 3. *tract.* 7.
disp. 4. *q.* 22. Hurtad. *Resol. Moral. tom.* 1.
tract. 5. *cap.* 6. *resol.* 65. §. 66. sed in casu
necessitatis, propter scilicet hujus Sa-
cramenti necessitatem; nam licet Eu-
charistia moribundo non sit necessaria
necessitate medii, quià ipse salvari po-
test per contritionem, est tamen valdè
difficile, eam elicere, pròut oportet,
& sic magna est necessitas huius Sacra-
menti, utpotè primam gratiam per ac-
cidens conferentis, ut simul cum attri-
15 tione, quam moribundus existimaret
esse contritionem, justificetur: Tantò
magis, quia in hoc casu potest etiam
dici, quod Eucharistia sit necessaria
necessitate medii, ratione præcepti,
scilicet communicandi in articulo ad
vitam æternam obtinendam, juxtà illud
Redemptoris nostri: *Si vis ad vitam
ingredi, serva mandata*; & observantia
mandatorum est necessaria necessitate
medii respectu potentis observare: Ve-
rùm extrà necessitatem non posse reci-
pi, putant nonnulli, vel etiam in ne-
cessitate, si adsit scandalum. Imò Syl-
vester putat, non licere etiam in neces-
sitate, & remoto Scandalo: sed scripsit
antè Concil. Trid. ut ex Navarro ad-
vertit laudatus Hurtad. *vbi suprà*, &
dicemus infrà, ubi quoquè de Oleo
Sancto, cæterisquè Sacramentis trade-
mus.
16 Hactenus de primo modo abusus Sa-
cramentorum in suscipiendo, ordo ex-
poscit, ut agamus de secundo modo,
juxtà quem committitur abusus ab eo,
qui in non debitâ materiâ Sacramen-
tum suscipit, exempli gratiâ, si quis vel-
let communionem sibi ministrari in ho-
stiâ non consecratâ, quo casu, si evi-
denter non constaret, ab ipso sumi vel-
le hanc hostiam non consecratam, eò
quod simplicitate ductus existimaret,
17 id sibi magis conducere ob meritum
humilitatis, non liberaretur à suspicio-
ne hæresis: Carena *part.* 2. *tit.* 17. §. 4.
num. 15. Alberghin. *in manual. cap.* 24.
nu. 4. Farinac. *de hæresi, quæst.* 178. *n.* 49.
Adden. ad Clar. *sent. lib.* 15. §. *hæresis n.*
40. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *n.* 62.
ubi addit, qnod si hoc pacto commu-
nionem sumens ægrotaret, posset pur-
gari, quia præsumi posset, id fecisse ob
reverentiam Sacramenti, quod idem
subdit Joan. de Anan. *in cap. ad Abo-
lendum*, *num.* 3. *de hæret.* & *ibi* pariter
Felin. *num.* 2. Farinacc. *loco cit.* Menoch.
de præsumpt. lib. 5. *præsumpt.* 6. *n.* 22. & 23.
Cæterùm cum copiosè superiùs egi-
mus de defectibus in materiâ Sacra-
mentorùm, lectorem remittimus ad
ibi recensita; Nam ea, quæ dicta
sunt, per analogiam luculenter in-
servire poterunt cognitioni abusus,
qui committitur in suscipiendis Sa-
cramentis cum non debitâ materiâ.
18 Tertio modo dicitur, quando quis
patitur se rebaptizare, cum talis sit
apostata: Farinac. *quæst.* 178. *num.* 136.
& *quæst.* 183. *num.* 18. *in fine*, & conse-
quenter suspectus de hæresi: Fermosin.
tract. criminal. tract. 2. *de hæret. q.* 1.
num. 11. Diana *par.* 6. *tract.* 8. *Miscell.
resol.* 9. & hæresim sapere, dixit Graff.
decis. aur. p. 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. & 18.
19 Hoc pluries accidere solet in Judæis
Neophitis, qui, ut lucrentur eleemo-
synas tùm à Patrinis, tùm à Christifide-
libus, fingunt se Judæos esse, ac petunt
se baptizare, de quibus loquitur Fer-
mosin. *ubi suprà*: In vitâ Pauli II. legi-
tur, quod dum accinctus esset Pontifex
ad baptizandum Judæum, prodigiosè
disparuit aqua baptismi, proindè ex-
clamavit Pontifex: *O homo, aut vetera-
toris partes agis, aut baptismum ignorans
20 jam suscepisti*. Posset tamen dari casus,
quo quis non fieret suspectus, etiamsi
pateretur se rebaptizare, ut si pruden-
tèr dubitaret de validitate primi baptis-
matis, vel hoc faceret propter simpli-
citatem: Similiter excusantur à Card. de
Lugo *de Fide disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 164.
parentes Catholici, qui permissivè tan-
tùm concurrunt, ut infans anteà piè &
catholicè baptizatus, rebaptizetur ab
avo,

avo, aliovè, à quo periculum timent, celantes interim, quod jam anteà fuerit baptizatus, dummodò indicent, non sibi placere, quod baptizetur à tali Ministro.

21 His seclusis, quicumquè iteratò baptismum suscipiunt, semper sunt suspecti, & abjurare debent, quidquid asserat P. Pasqualig. *decis.*475. quem refellunt optimè Dian. *d. resol.* 9. Fermosin. *tract. criminal. d. tract.* 2. *ad tit. de haeret. q.* 1. *num.* 11. Passerin. *in cap. ut inquisitionis, num.*57. *de haereticis in* 6.

22 Idem dicendum de eo, qui patitur, ut sibi Confirmationis Sacramentum, & Ordinis reiteretur: Bordon. *in Tribun.*
23 *cap.*22. *de abusu Sacram. num.* 2. Qui verò pluries in die communicarent, non essent suspecti. Imò nec eadem militat ratio, quae superiùs allata fuit de celebrantibus pluries unicâ die, & in terminis dixit Bayo *prax. Eccles. par.* 3. *lib.* 2. *quaest.* 116. *num.* 5. Peccarent tamen mortaliter, ut prosequitur Bayo *loco cit. num.* 4. quia facerent contrà consuetudinem Ecclesiae, quae ob reverentiam tanti Sacramenti prohibet, nè quis plusquàm semel Divinam Eucharistiam sumat, ne ob nimiam frequentiam vilescat, & ità docent D. Thomas, Sotus, Tabiena, Henriquez, Suarez, & Fagundez apud Angelum Pistachium *de superstition. cap.* 2. *numer.* 7.

24 Quinimò, qui pluries in die communicaret ad satietatem explendam corporalem, esset de haeresi suspectus, quia videretur adhaerere haeresi Armenorum, de quâ Capponius *in appendice part.* 3. *S. Thom. quaest.* 79. Transmier. *de Polygam. lib.* 3. *quaest.* 2. *numer.* 28. Alberghin. *in Manu. cap.* 23. *num.* 4.

25 Dubium satis practicum hìc incidit, nempè an sit licitum, aut etiam praeceptum, ut, qui manè sumpsit sacram Synaxim, nihil cogitans de morte, respectu ejusdem diei percipiat Viaticum, si decidat in morbum lethalem? Respondetur, quod licet Theologi communiter negent, licere tunc geminam communionem propter legem jejunii, nonnulli tamen cum Diana eam permittunt ad satisfaciendum praecepto Christi de Viatico in articulo mortis sumendo: Ità Gaspar Hurtadus *de Euchar. disp.* 10. *diffic.* 2.

Ultimo modo dicitur, quandò quis suscipit non debitis ritibus, ac caeremoniis ab Ecclesiâ praescriptis, de quibus suprà.

26 Sed quid dicendum de eo, qui suscipit Sacramentum Eucharistiae, sed posteà extrahit illud ab ore? Tunc enim, vel agit ad sortilegium, vel non: si ad sortilegium, ut sortilegus est suspectus, & proindè graviter puniri ab Inquisitoribus, dixit Cyriac. *contr. forens.* 435. *per tot.* Abb. *in cap. in tabulis, numer.* 4. *de sortileg.* Si verò non ad sortilegium, adhuc esset suspectus: Atrectatio enim Sacratissimae Eucharistiae, ut diximus, atrocem injuriam Deo infert, & consequenter maximam haeresis suspicionem inducit: Farinac. *in Append. de Immunit. num.* 217. sequens Mar. Ital. *de immu-*
27 *nitate lib.* 1. *cap.* 5. §. 2. *à num.* 88. Undè recipiens particulam consecratam, ut secum illam retineat, aut portet ad repellendas tentationes, vel vitandam mortem violentam, reus est sortilegii, ut observant Paulus Maria Quarti *de casibus reservatis, sect.* 1. *cap.* 1. *difficul.* 2. & Pistachius *de superstit. cap.* 28. *num.* 5. quia, licet finis ille non sit per se illicitus, est tamen illicitus, quia est contrà institutionem hujus Sacramenti; &
28 contrà usum Ecclesiae: Gravis tamen culpae illum non damnat Gobat. *in experient. Theologico-Sacram. tract.* 4. *n.* 391. qui digito solvit sacram hostiam
29 palato aglutinatam. Sed an dari queat Sacra Eucharistia aegroto, non valenti communicari, ad eam osculandam? negant Pac. Jordan. Card. de Lugo, Barbosa apud relatum Gobat. *loco cit. num.* 372. idquè asserunt repugnare praxi Romanae Ecclesiae, imò nequè simpliciter ad aegrotum deferri potest; nam in Rituali Romano *tit. de commun. infirm.* praecipitur, si infirmus communicari non possit ob vomitum, vel tussim, nullo modo ad eum deferatur Sacramentum, sivè ad adorandum, sivè ad ostendendum, vel quovis praetextu.

SECTIO V.

De abusu Sacramentorum in omittendo.

SVMMARIVM.

1 *Qui conficiunt aliquod Sacramentum, eo abutuntur in omittendo, si deficiant in substantialibus.*

2 *Qui in peccato mortali celebrant Missam, non consecrantes graviùs peccant, quàm si consecrarent in peccato mortali.*

3 *Qui ob puram malitiam non consecrant, sunt suspecti de hæresi.*

4 *An qui non consecrant, quia sunt in peccato mortali, sint suspecti de hæresi?*

5 *Qui oblitus deferre hostiam ad altare præ verecundiâ profert verba consecrationis super hostiam consecratam, est de hæresi suspectus.*

6 *Sacerdos existens in peccato mortali, de quo antè Missam non recordabatur, omittens consecrare, & exibens particulas non consecratas, est de hæresi suspectus.*

7 *Per omissionem intentionis non conficitur Sacramentum, sed non incurritur hæresis suspicio, quia non constat de tali omissione.*

8 *Si tamen de hujusmodi omissione constaret, hæresis suspicio incurreretur.*

9 *Ecclesia decrevit, requiri intentionem in Ministro.*

10 *Iuenin contrarium tenens reprobatur.*

11 *Cornelius Papa declaravit, nullam consecrationem Novatiani, quia facta fuit ab Episcopis Ebriis, adeòque sinè intentione.*

12 *Concilium Tridentinum contrà Hæreticos declarat, non valere Sacramentum à Ministro Mimicè administratum.*

13 *Apparens contradictio in doctrinâ D. Thomæ, circà necessitatem intentionis in Ministro, conciliatur.*

14 *Abutitur Sacramento in omittendo, qui eum, vel nunquàm, vel raro recipit.*

15 *An, qui ex negligentiâ filios suos confirmare non faceret, esset de hæresi suspectus?*

16 *Ex susceptione Confirmationis puer revivisit.*

17 *Omittens Confirmationem propter errores hæreticorum, esset suspectus de hæresi.*

18 *Diferens pueris Baptismum, non est de hæresi suspectus, si hoc faciat ob causas inanes.*

19 *Secùs si diferret, putando pueros non esse baptizandos.*

20 *Qui omittunt annuam Confessionem, & Communionem: sunt de hæresi suspecti, exceptis Meretricibus.*

21 *Verior tamen est contraria opinio, si circumstantiæ urgeant.*

1 HUNC abusum committunt, qui, vel non conficiunt Sacramentum, vel illud non suscipiunt, quandò conficere, vel suscipere tenentur: Non conficiunt, qni dum aggrediuntur aliquod Sacramentum peragere, deficiunt in substantialibus, & hoc casu procedunt ea, quæ superiùs diximus quòad defectum ob non debitam formam, & ob non debitam materiam.

2 In hujusmodi crimen, quamvis respectu cujuscumquè Sacramenti cæspitari posset, tamen præcipuè incidunt illi, qui Missam celebrantes, non consecrant, vel quia ex purâ malitiâ nõ consecrant; eò quod recordentur, se obstrictos esse culpâ mortali, & ideò putant, melius esse abstinere à consecratione, & tamen hi graviùs peccant non consecrando, quàm si in peccato mortali celebrarent, ut declaravit Innoc. III. *in cap. de homine, de celebrat. missar.* §. 1. *num.* 8. Leon. *de officio cappellan. qu.* 8. *sect.* 17. *num.* 123. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 37. 38. & 39.

3 Quod sint suspecti de hæresi, qui ob meram malitiam non consecrant, nemini dubium est: Sallell. *de mater. Tribunal. S. Inquisit. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 8. *reg.* 506. §. 15. *num.* 627. & 629. Trivisan. *dicis.* 66. *num.* 3. *lib.* 2.

4 An verò qui in secundo casu non consecrant, sint suspecti, est quæstio inter Theologos; prò parte affirmativâ faciunt ea, quæ dicit Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *num.* 11. scilicet suspectum esse illum, qui non consecrat, dum recordatur, se existere in peccato mortali; Item ea, quæ affert. Alberghin. *in man. c.* 24. *num.* 1. *vers. cum* Pegna, ubi ait, suspectum esse, qui accedens ad Altare oblitus

tus deferre hostiam, præ verecundiâ profert verba consecrationis super ho-
6 stiâ consecratâ; & tandem, quæ nonnulli alii Authores opinati sunt, existimantes, hæresis suspicionem, saltem de levi, incurri à Sacerdote, qui in peccato existens, de quo non recordabatur, proindè omittens consecrare, exhibet particulas non consecratas, ipsisquè communicat Fideles: Leon. *de offic. Cappelan. q.* 8. *sect.* 17. *num.* 126. Cardin. Albit. *de inconst. in fide cap.* 34. *num.* 60. quamvis Jo. de Anan. *in cap. ad abolendam, num.* 4. *de hæret.* contrarium sentiat: Ratio, quâ moventur supradicti auctores, est, quia animus latet, actio verò externa est per se inductiva in hæresis suspicionem. Nos verò ad ea, quæ superius explicavimus, lectorem remittimus.

7 Similiter non conficiunt illi, qui dum ab ipsis aliquod sacrum peragitur super debitâ materiâ, & cum debitâ formâ, omittunt tamen aliam partem essentialem, scilicet intentionis actum: sed hoc casu crederem non incurri hæresis suspicionem, quia intentionis defectus est crimen internum, ex quo non oritur hæresis externa, ut superiùs exposuimus.

8 Verùm si constaret de hujusmodi crimine, oriretur hæresis suspicio, eò quia talis Sacerdos videretur involvi erroribus Kemnitii, aliorumquè hæreticorum, à quorum opinione dicit Bellarminus nil differre eam, quam tenuit Catharinus in Concil. Trid. & post illud, *in Opusc. de intentione Ministri*, docens, non indè reddi irritum Sacramentum respectu recipientis per internũ intentionis defectum: Catharino adstipulatus est Salmeron. *lib.* 1. *com. in epist. Pauli* 3. *part. disp.* 2. & nuperrimè Juenin *de Sacram. tom.* 1. *dissert.* 1. *cap.* 2. *ab art.* 3. *pag.* 21.

9 Nec dicatur cum Juenin *ibidem*, usquè adhuc non reperiri contrarium ab Ecclesiâ definitum; nam præter Concil. Florentin. & Trid. de quibus Bellarmin. *de Sacram. in genere lib.* 1. *cap.* 28. *pag.* 115. *litt.* C. habemus quoquè decretum Alexandri VIII. proscribens hanc opinionem, quæ continetur in propositione 28. inter damnatas, ac hæresim sapientes, quæ habentur impressæ post Porter *Systema decretorum dogmatico-*
10 *rum*; quâ propter miror, à laudato Juvenin, qui post illud Summi Pontificis decretum suum opus de Sacramentis conscripsit, defendi, & tot argumentis hanc opinionem comprobari:
11 Eò magis miror, quoniam hunc virum minimè latuit, quod Cornelius Papa in suâ ad Fabianum Antiochenum epistolâ, quam refert Eusebius *lib.* 6. *hist. Ecclesiast. cap.* 33. declarasset nullam, ac inanem Novatiani consecrationem factam à tribus Episcopis vino temulentis, eò quia in ipsis, utpotè ebriosis, nulla erat intentio. Non ignoro tamen, eumdem Juenin, ad excludendam præfati Cornelii declarationem, cavillos comminisci, non aliâ ratione, nisi quia defectus intentionis, propter quem ipse Cornelius irritam declaravit Novatiani consecrationem, fuerat externus. Et quidem oportebat externum esse hujusmodi defectum, ut super eo judicare posset Summus Pontifex, qui non judicat de occultis. At oportebat quoquè, intentionis defectum ex se nullam reddere consecrationem, ut rectè idem Pontifex definivit: Occultatio siquidem, vel publicatio alicujus rei ipsam rem essentialiter non mutant; quarè, ut benè advertit Bellarmin. *ubi suprà*, defectus intentionis internus nullum coram Deo; externus verò nullum coram hominibus reddit Sacramentum.

12 Hanc igitur, ut diximus, intentionis necessitatem agnovit Ecclesia, quandò priùs in Concilio Florent. mox in Trid. declaravit adversùs Lutherum, Calvinum, Zuinglium, aliosquè hæreticos non valere Sacramentum, quod à Ministro mimicè, derisoriè, jocosè etiam exteriùs celebratur; & ipse S. Thom. 3. *part. qu.* 64. *art.* 8. docuit, ad perficiendum Sacramentum necessariam esse intentionem virtualem, quam nomine *habitualis* vocavit, quia vox virtualis nondùm à Theologis fuerat usurpata, nisi post Scotum, qui hujusmodi vocem excogitavit. Sed quomo-
13 dò concordari poterit Sanctus Thomas cum ipso Sancto Thoma, qui non solùm junior scripsit *in* 4. *sent. dist.* 6. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 1. defectum intentionis in Ministro non nocere reci-

pienti

pienti Sacramentum; sed etiam senex idem recenset *in suâ summâ*, pròut nuperrimè animadvertit Juenin *loc. cit. pag.* 27. nisi dicamus S. Thomam quoties dixit, necessariam esse intentionem, intellexisse de externâ; quoties verò docuit, intentionis defectum non nocere ei, qui recipit Sacramentum, intellexisse de internâ? Sed malè hoc pacto concordantur sententiæ D. Thomæ: melius Bellarmin. *ubi suprà, pag.* 117. Cum ergò certissimum sit, requiri hujusmodi intentionem internam ad Sacramenti perfectionem, nobis persuadere debemus, Christum pro suâ in Ecclesiam providentiâ impediturum, ne Ministri, Sacramenta exteriùs conferentes, suam intentionem interiùs retineant. Imò quia de facto accidit, ut ipse Diabolus fungeretur confessarii ministerio, idcircò Deus voluit, ut dolus dæmoniacus detegeretur, pròut videre est *in vita S. Philippi Nerii*: Plura super hac materiâ videri possunt apud Merbes. *in summa Christiana, par.* 3. *de Sacramentis in genere*, *qu.* 13. *concl.* 2. ubi solvit objecta, quæ desumuntur ex modo, quo Athanasius colludentes pueros in littore maris tinxit in nomine Trinitatis, & quo Gennesius inter comicos lusus baptizatus fuit.

14 Sacramentorum autem abusus in non suscipiendo, duplici modo committi potest, nempè vel quandò nunquàm suscipitur, vel quandò eorum susceptio in longum protrahitur; nam, ut ait Seneca, *diù noluit, qui diù distulit*.

Quò ad primum modum, perspicuum est, quod quicumquè suscipere renuit Sacramenta necessaria ad salutem, vel est infidelis, si baptismum respuat; vel malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ, si cætera, utpotè confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ unctionis, suscipere nolit.

15 Oritur tamen dubitatio respectu Sacramenti Confirmationis, an fieret suspectus de hæresi, qui recusaret filios suos confirmari, dummodò nullis hæreticorum erroribus adhæreret, sed tantùm ex quâdam negligentiâ renueret, & prò parte negativâ sensit Gabriel à Sancto Vincentio *disput.* 1. *qu.* 2. *vers. nostra sententia*: quod si renueret, pueris suis procurare Sacramentum Confirmationis, existimans ad reverentiam huic Sacramento debitam pertinere, ne suscipiatur antè ætatem perfectam, esset anomalia pietatis, ut ait Theopil. Rayn. *in Eterocl. spiritual. sect.* 2. *par.* 11. *num.* 21. cum certum sit, ex antiquissimâ Ecclesiæ praxi parvulos antè usum rationis esse capaces

16 Confirmationis: Memorat eum usum, & insigni miraculo illustratum Sanctus Augustinus *sermone* 33. *de diversis*: Infantem enim lactentem ad matris preces suscitatum, post confirmationem denuò sopitum, testatur. Cæterùm si

17 ex aliquâ circumstantiâ argueretur, hujusmodi repugnantia oriri ex erroribus, quos tenuerunt Valdenses, & deinceps Wicleph, Lutherani, & Calvinistæ, absquè dubio insurgeret hæresis suspi-

18 cio: Quò verò ad secundum modum, committitur abusus ab iis, qui differunt pueris suis baptismum: Verùm tametsi *ex Rituali Romano in tit. de Baptis.* statuatur, quod Sacramentum baptismi conferendum sit recenter natis, nihilominùs non essent suspecti de hæresi, sed graviter tantùm peccarent Parentes, qui ob inanes causas, & varios quosdam respectus, per plures dies hujus Sacramenti subsidio infantes privarent, eosquè beatitudinis æternæ amissionis periculo exponerent: Abelly. *in medul. Theol. de baptis. sect.* 4. *n.* 1. *§. ex his* Ratio autem, ob quam isti non reddantur suspecti, est, quia agnoscunt hujus Sacramenti necessitatem, ipsoquè volunt filios ablui, & in tantum differunt, in quantū ab inani detinentur respectu.

19 Secus, si different, putantes non esse parvulos baptizandos ex eâdem ratione, quâ suprà diximus esse suspectos, qui nollent conferre hoc Sacramentum, nisi adultis.

20 Tandem peccant in differendâ Sacramentorum susceptione, qui per longum tempus abstinent à Communione, sivè singulis annis non confitentur, nequè Communionem sumunt, & hos esse de hæresi suspectos, tenuit Anan. *in cap. ad abolendam, num.* 4. *vers. præterea, de hæretic.* Felin. *in d. cap. sub num.* 2. *eod. tit.* Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *qu.* 27. Intrigl. *sing.* 79. *num.* 97. Ital. *de Immunit. lib.* 1. *cap.* 5. *§.* 6. *num.* 80. ubi tamen limitat in meretricibus.

Sed

21 Sed contraria opinio verior est, de quâ Lupus *in edict. S. Officii, par. 2. dist. 7. artic. 1. diff. 2.* quarè contrà ipsos procedunt soli Episcopi: Diana *part. 4. tract. 8. resol. 38.* Veriùs autem dicendum est, quod qui non confitetur, nec communicatur singulis annis, de hæresi suspectus censendus sit ex aliis circumstantiis, ex quibus oritur, & etiam excluditur suspicio: Non verò ex ipsâ simplici omissione Sacramenti, quæ euenire potuit ex aliquo impedimento, & citrà contemptum Ecclesiæ, ut benè advertunt Farinac. *de hæresi, qu. 177. §. 2. sub num. 79.* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. ad cap. cum Christus, num. 5. & 6. qu. 7.* Passerin. *in cap. ut Inquisitionis, sub num. 62. de hæretic. in 6.*

CAPUT IV.

De Hæreticorum fautoribus, & defensoribus.

Postquàm egimus de suspectis de hæresi propter ea, quæ sunt immediatè contrà Deum; superest, ut de cæteris, propter ea, quæ sunt contrà Ecclesiam, agamus.

Ut autem eumdem servemus ordinem, quem nobis in prælim inaribus præscripsimus, in primis de hæreticorum fautoribus, & defensoribus pertractandum duximus: Sit igitur.

SECTIO I.

De Hæreticorum fautoribus.

SUMMARIUM.

1 *Ex Concilio Later. sub Innoc. III. Hæreticorum fautores sunt de hæresi vehementer suspecti.*

2 *Fautores Hæreticorum videntur illorum erroribus assentiri, quod probatur, & num. 3.*

4 *Ansam præbere, ut hæresis serpat, est in maximum Reipublicæ detrimentum.*

5 *Damna Regnorum ab hæresi.*

6 *Ab Hæresi Nestorii capit Constantinopolitanum Imperium everti.*

7 *Variæ circà fidem opiniones pariunt inter subditos dissensiones.*

8 *Peccata adversùs Religionem à Deo puniuntur, & num. 10.*

9 *Deus docet per visionem remedium contrà Terræmotum, ponendi scilicet hæc verba præ foribus: Christus nobiscum state.*

12 *Ipsi Hæretici fatentur, eversiones regnorum ab hæresibus dimanasse.*

13 *Referuntur verba eterodoxorum adversùs hæresum permissionem in Regnis.*

14 *Qui hæreticis favent, eisdem præjudicant in conversionis negotio.*

15 *Fauor Hæreticis dupliciter impenditur: omissione, & commissione.*

1 HÆRETICORUM Fautores esse de hæresi vehementer suspectos, ambigendum non est, attento Concilio Lateranensi sub Innocentio III. de quo *in cap. excommunicamus §. credentes, de hæretic.* & ex Concilio Tarraconensi sub Innocentio IV. idquè communiter firmant Doctores, ut videre est penès Farinac. *quæst. 182. num. 55.* Caren. *par. 2. tit. 4. num. 20.* Sanctarell. *de hæresi, cap. 41. dub. 3. pag. 419. vers. qui illis favent,* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. ad cap. sicut 8. qu. 1. per tot. & præcipuè num. 4.* Piasec. *prax. episcop. par. 2. cap. 1. sub num. 16. vers. de hæresi,* Leo *Thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 6. num. 32. & seqq.* Ricciull. *de jur. personar. lib. 5. cap. 11. num. 14.*

2 Uidentur enim eorum erroribus assentiri: Nam si error, cui non contradicitur, approbatur, quantò veriùs dici potest, hæretico assentiri, ejusvè erroribus, qui nedùm contradicit, sed etiam auxilium præstat, ne indè hæretici debitas pænas luant, & ut hæreses impunè grassentur, ut prosequuntur DD. suprà citati?

3 Plura enim suadent, quod ni hæreticorum errores approbarent, nec etiam ipsis hæreticis favorem exhiberent: Plura, inquam; nam Deus *in Deuter. cap. 13. vers. 6.* jubet: *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, vel filius, vel uxor: Eamus, & serviamus Diis alienis, non acquiesces eis, nec audias, aut pareat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum; sed statim interficies eum: Sit primum manus tua super eum, & posteà omnis populus*

pulus mittat manum: Quæ verba, quamvis videantur nobis tribuere potestatem, hæreticos occidendi: siquidem hæreses, & aliena ab Ecclesiâ dogmata vocantur *Dii alieni* à SS.PP. teste Simanch. *de Catholic.Instit. tit.*19.*num.*5. nihilominùs ea verba intelligenda sunt, quod tribuant huiusmodi potestatem, servato rationis ordine, & servatis debitis circumstantijs, pròut advertit Cajetanus: Ecclesia quoquè prohibet, quominùs faveamus hæreticis: Imò vult, ut eos accusemus: *Manichæos vbicumquè latentes* (ait S. Leo *Serm.* 4.*de collect.Presbyt.*) *publicate*: *Magna est enim pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in ejus, cui serviunt, diabolum debellare*: Id, quod etiam statuitur in edictis Inquisitorum, ut videre est apud Transm. *de denunc. qu.* 2. *cap.* 2. *n.* 3. *& seq.* & Lup. *in edict. part.* 2. *lib.* 14. *disp.*2.

4 Adde, quod ansam præbere, ut hæresis serpat, est maximam totius Reipublicæ velle jacturam: Duo sunt solidissima fundamenta Regnorum: Publica Religio, quæ in fidei, doctrinæquè puritate consistit; & publica iustitia, quæ in bonis legibus, integerrimisquè judicibus residet: Horum si solidius corruat, Reges cum Regnis suis; civitates cum populis evertentur: Paramo *de origin. Inquisit. lib.*2. *tit.*3. *cap.*7. Transmier. *de denunciat.qu.*2.*cap.*1.*n.*12. Solorzan. *de jure Indiar. tom.*2. *lib.*3. *cap.*24. *n.* 1. Salzed. *de leg. politic. lib.* 3. *cap.* 2.*n.*4. *& per tot.* & in Ecclesiast. *cap.* 10. dicitur: *Execrabilis omnis iniquitas gentium: Regnum à gente in gentem transfertur, propter injustitias, & iniurias, & contumelias, & diversos dolos*: Quid ergò propter communium hostium injurias? Quid propter Religionis contumelias? & proindè Pegna *part.*2. *direct. comment.*26. *vers. dicam semel*, hæreseos

5 quàplurima damna recenset, inquiens: *Deniquè totius illius reipublicæ status, & forma, in quâ hæreses, aut oriri permittuntur, aut ortæ foventur, nec protinùs extirpantur, in pejus commutatur, & tandem in totum etiam quandoquè subvertitur, & aboletur. Hæc omnia ità esse, veterum testantur historiæ, præsentia quoquè demonstrant tempora, in quibus videmus, florentissima Regna, & Provincias ob hæreses in maximas calamitates, & miserrima pericula incidisse.*

6 Idem firmat Spondanus ex Baronio *ad annum* 445. *num.*2. loquens de Constantinopoli: *Ex quo*, inquit, *orta ibi est Nestorii hæresis, & ab ejus studiosis foveri, vel saltem occultè non desistit, florentissimus status Civitatis illius, totiusquè orientalis Imperii in deterrimum planè, omniumquè miserrimum mutatus est: Abominationem enim hæresum post se ducere solere desolationem, tùm divinis litteris, tùm exemplis frequentibus, antiquis, ac recentibus docemur*; & ratio est, quia fides nostra pacem servat, utpotè ab eo, qui mitis est, & humilis corde: Beccanus *de fide hæreticis servanda, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. quamobrem sicuti experimento cernimus, amplissima quoquè ruere ædificia, cum ipsorum fundamenta deficiunt, ità etiam necesse est, pessumdari florentissimas Civitates, atquè Provincias, quibus Christianæ Religionis deficit fundamentùm, ut ait idem Spond. *anno* 540. *num.*8.

7 Accedit, quod variæ circà fidem opiniones pariunt inter subditos dissensiones, quæ eò sunt atrociores, quò no-
8 bilius est earum objectum: Adde etiam, à Deo præcipuè peccata adversùs Religionem puniri, ut patet ex immensis Cladibus, quibus atrita est omnium orientalium florentissima Civitas, de quâ Spond. *ann.* 528. *num.* 2. quamvis peculiari providentiâ Deus priùs sub-
9 venisset huic Civitati, gravi Terremotus impulsu agitatæ, cum admonuisset quemdam per visionem, hæc verba prò
10 foribus inscribi: *Christus nobiscum state* Verùm quia ipsa Civitas non correxit posteà doctrinam ab hæreticis depravatam, suis ruinis sepulta est: Narrat quoquè Spondanus *sub. anno* 632. *n.* 1. quod maxima Clades Imperium Romanum depasta fuit, ubi tùm hæresum, tùm Schismatum frequentes scaturigines erumpentes, quasi sulphurei amnes materiam igni divinæ indignationis assiduè ministrarant, nec tunc temporis defuere signa iræ Dei; nam apparuit in meridie cometes gladii formam preseferens: Sed cur hoc (utar verbis Transm. *ubi suprà*,) è Sacris Catholicisquè scriptoribus petimus, cum ipsi Catholicæ doctrinæ hostes id fateâtur? Dicant

12 cant hoc ipsum fidei hostes; dicant Magistri illi diabolicæ politiæ, quâ cum Reges perdiderint, Regna firmasse, ac solidasse crediderunt: Salus ex inimicis; antidotus è veneno comparetur? Quid Strigel. 2.part.10? *Donec manet in rebus publicis puritas doctrinæ, & veri cultus Dei; & atrocia delicta non impunè grassantur, Deus parcit Regnis, & Civitatibus: Quoties autem doctrina, & cultus Dei depravantur, & disciplina fit laxior, & pauci ardentes prò sua, & aliorum incolumitate concipiunt, aut instat, jam planè, aut certè appropinquat interitus, omnia tollens, atquè delens, ut ostendunt historiæ omnium temporum*: Quid in Chronic.*lib.*2.*pag.* 312.? *Cum Magistratus non punit atrocia scelera, pœnæ publicæ divinitùs Magistratum, & populum opprimunt*: Quid Eberus *in postilla pag.*962? *Quandò non puniuntur atrocia scelera, evertuntur totæ gentes, & Respublicæ. Non evertuntur Respublicæ, tàm propter peccata, & lapsus hominum, quàm propter iniquitatem atrocium scelerum*: Quid Bucholic. *in Chronolog. pag.*440.? *Semper habetur prò signo mox ruituræ Reipublicæ, quandò turpia exempla nimis latè vagantur, & neglectio doctrinæ, ac disciplinæ suprà modum crescit*: Quid Peucer *de Divin. pag.*31.? *Necessario, & immutabili ordine, ex immotâ justitiæ divinæ regulâ comitantur atrocia scelera, atroces pœnæ: Cumquè cessat Magistratus, nequè in authores animadvertit, Deus ipse legem exequitur suam. Et sæpè totas gentes perdit ob unius impunitam licentiam, sicut dicitur in Hesiodi versu: Præclarè & testantur hoc eversiones Imperiorum, & Rerumpublicarum*: Quid tandem scelestissimæ Politiæ scelestissimus Arbiter Machiavellus *lib.* 1. *de Republ. cap.*12.? *Qicumquè Principes, atquè Respublicæ semetipsas conservare cupiunt, in id unum præ cæteris incumbere debent, ut verum Religionis cultum rectè instituant, & venerentur. Nec certiùs inditium de Religionis alicujus ruinâ, atquè interitu unquàm habere poteris, quàm si in eâ divinum cultum despectui haberi, ac sperni cognoveris.* Postremò qui hæreticis favent, ipsismet præ-
14 judicant: Etenim hæretici rarissimè ad fidem Catholicam redeunt, si cavemus, ne incidant in manus Inquisitoris; sæpissimè autem redeunt, ut experientia docet, quoties denunciantur, & non impediuntur, quominùs subeant Sacri Tribunalis censuram, ut advertit Del Bene *de offic. S. Inquis. par.* 1. *dubit.* 15. *num.* 10.

Siquidem pœnæ, ut dicturi sumus *in Secundâ Parte*, erudiunt peccantes; undè Jerem. *cap.* 31. *Castigasti me, & eruditus sum*, & Ovidius:

Aecus in pœnas ingeniosus erit.

Igitur fatendum erit, præsumi erroribus Hæreticorum assentiri eos, qui ipsis hæreticis favent, omni divinâ, ac humanâ ratione posthabitâ, spretâquè totius Reipublicæ utilitate; necnon eorumdem hæreticorum emendatione, & consequenter esse de hæresi suspectos.

15 Omissis verò indiciis, quibus depræhenduntur fautores Hæreticorum, ab Auctoribus, præcipuè à Fratre Juonetto recensitis *in suâ Summâ*, cujus fragmentum est in Codice membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ, animadvertendum est, quod dupliciter favor impeditur, scilicet omissione, & commissione: Lupus *in edict. p.*2. *lib.*14. *dist.*2. *art.* 2. *diff.* 2. Bordon. *in Tribun. cap.* 12. *à num.*35. Pegna *par.*2. *comment.* 78. Farinac. *de hæresi*, *q.* 182. *num.* 1. Duard. *in Bulla Cœnæ, libr.* 2. *can.* 1. *quæst.* 32. Carena *par.* 2. *tit.* 4. *num.* 1. Pistachius *de superstit. par.*1. *cap.* 7. *num.* 21. Fagundez *in* 1.*præcept. Decalog. lib.*1. *cap.* 13. *num.*2. Limborch. *in histor. Inquisit. lib.*3. *cap.*9. Siquidem Hæreticorum fautores dicuntur tàm qui negligunt procedere adversùs eos; quàm qui ipsis positivè favorem exhibent: Castro *de justa hæretic. punit. cap.* 17. Fermosin. *tract. crimin. tract.*2. *quæst.* 1. *numer.* 7. Graff. *decis. par.*1. *lib.*4. *cap.*18. *num.*20. *& seqq.* Sesse *decis.* 473. *num.* 4. 5. *&* 6. *vol.*4. Eymer. *par.* 2. *quæst.* 54. Farinac. *d. quæst.*182. *num.*1. qui asserunt quoquè eosdem esse suspectos: Erit ergò tàm de fautoribus ex omissione, quàm de fautoribus ex commissione disserendum.

SUBSECTIO I.

De Fautoribus ex omissione.

SUMMARIUM.

1 *Fautores Hæreticorum sunt, qui eos, vel non denunciant, vel non capiunt, vel non custodiunt.*
2 *Ab initio nascentis Ecclesiæ mos fuit denunciandi Hæreticos.*
3 *Romani Pontifices Hæreticos denunciabant absentibus per literas encyclicas, & præsentibus in concione ad populum.*
4 *Episcoporum sollicitudo in hæreticis vitandis per literas communicatorias.*
5 *S. Cyprianus scribit ad Sanctum Stephanum Papam, ut certioretur de Successore dato Episcopo Hæretico.*
6 *Sanctus Augustinus convincit falsi Fortunium Donatistam, jactantem se ubiquè posse recipi in fidelium communionem.*
7 *Summi Pontifices etiam in Conciliis Hæreticos patefaciebant.*
8 *Honorius Imperator declaravit, hæresim esse publicum crimen.*
9 *Honorius Imperator propter defensam Religionem à Deo contrà Hæreticos protectus fuit, detectâ Stiliconis proditione. E contrà, dum eisdem favet, à Deo punitur, datâ Urbe in direptionem per Alaricum.*
10 *Ex Edictis Inquisitorum omnes fideles tenentur denunciare Hæreticos, non exceptis Regibus, nequè Imperatoribus: Exemplum Ioannæ filiæ Caroli V.*
11 *Contrarium rectè tuentur alii, scilicet Reges, Imperatores, & Cardinales non obligari legibus Denunciandi.*
12 *Cæteri omnes obligantur, ut fatetur etiam impius Limborch, sivè hæretici sint materiales, sivè formales; imò etiamsi sint suspecti tantùm de levi.*
13 *Qui non denunciat, est vehementer suspectus; Amplia multipliciter.*
14 *Non cessat obligatio denunciandi, licèt crimen probatione destitutum sit.*
15 *Nec cessat denunciatio, quamvis crimen denunciandum sit occultum, vel sciatur sub secreto jurato, aut sub sigillo confessionis, non in Sacramentali confessione: Qui enim uni latentèr hæresim prodit, id etiam cum aliis facit, & num. 16.*
17 *Nec cessat obligatio denunciandi, licèt ille, qui crimen perpetravit, pœnituerit.*
18 *Ex crimine hæresis semper præsumitur nocumentum aliquod aliis illatum.*
19 *Non cessat denunciationis obligatio, licèt criminosus sit sanguine, vel amicitiâ conjunctus.*
20 *Filius deferens Patrem, in premium delationis liberatur à pœnis statutis in filios Hæreticorum.*
21 *Parentes tenentur denunciare filios hæreticos.*
22 *Uxor tenetur denunciare maritum, & è contrà.*
23 *Probabilis metus alicujus magni damni sibi, vel filiis, vel parentibus, videtur eximere ab onere denunciandi.*
24 *Similiter, si timeatur tale damnum marito, vel uxori imminere.*
25 *Item fratribus germanis.*
26 *Respectu prædictorum videtur, quod excuset metus propter affectionem ergà illos.*
27 *At debet cessare amicitia, quandò urget obligatio non inferendi damnum innocentibus.*
28 *Probat Bordonus, hujusmodi metum excusare ab onere denunciandi non hæreticos, sed tantùm de hæresi suspectos: Qomodò hoc possit admitti.*
29 *Ex quinquè casibus excusantibus ab onere denunciandi, primus est, quod nemo se ipsum tenetur prodere.*
30 *Secundus est respectu Socii criminis, qui non tenetur denunciare delinquentem.*
39 *Tertius respectu Confessarii.*
32 *Quartus respectu ejus, qui audit ab aliquo fide non digno aliquem esse hæreticum.*
33 *Quintus, quandò adest metus cadens in constantem virum.*
34 *Non denunciantes, quandò tenentur, sunt suspecti de hæresi: Primò, quia in re gravi negligunt id, ad quod tenentur; Secundò, quia reputantur Rei delicti hæresis.*
34 *Qui ex officio non tenetur denunciare, si negligat, licet hæc omissio non redoleat*

leat errorem in fide, tamen non liberat ab onere denunciandi, & inducit levem hæresis suspicionem.

35 *Si omittatur denunciatio suspectorum de hæresi, licèt omittens puniri possit, tamen non fit de hæresi suspectus.*

37 *Omittens denunciare hæreticos, quandò non adsunt adminicula, & circumstantiæ, non est de hæresi suspectus.*

38 *Qui ex officio tenetur denunciare, si negligant, efficiuntur de hæresi suspecti, & verè fautores dicuntur.*

39 *An interrogati ab Inquisitoribus, si renuant manifestare suspectos de hæresi, sint ipsi suspecti?*

40 *Nolentes testificari in causâ fidei, reputantur hæreticorum fautores, pœnisquè plectuntur.*

41 *Non capientes, vel non mandantes capi hæreticos, si ex officio tenentur, sunt de hæresi suspecti vehementer.*

42 *Sunt etiam hæreticorum fautores, qui ipsos non custodiunt, pròut tenentur ex officio, & fiunt vehementer de hæresi suspecti.*

43 *Idem dicendum de jis, qui hæreticos debitis pœnis non plectunt, quoties possunt, & tenentur.*

44 *Regula P. Del Bene complectens prædicta de carceratione, judicio, & punitione hæreticorum.*

45 *Hactenùs dicta non compræhendunt fæminas, licet ipsæ ex alio motivo possint compræhendi sub nomine fautorum hæreticorum.*

46 *Mulieres in causâ hæresis testificari renuentes, fiunt suspectæ de hæresi.*

47 *Suprà firmata non habent locum in eis, qui favent suspectis de hæresi, sed tantùm in eis, qui favent hæreticis.*

1 HÆRETICORUM fautores ex omissione sunt, qui, cum ex officio teneantur, eos vel non denunciant, aut non capiunt, seu non custodiunt, vel debitis pænis minimè plectunt: Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. sicut de hæret. qu.* 1. *numer.* 6. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *numer.* 21. Sesse *decis.* 473. *num.* 7. & 8. *vol.* 4. Alter. *de censur. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5. *disp.* 2. Passerin. *in cap. ut officium il* 2. *num.* 52. *de hæretic. in* 6. & *in cap. ut inquisitionis, num.* 138. *eod. tit.*

2 Tenentur autem omnes denunciare juxtà morem, qui viguit in ipso Ecclesiæ nascentis primordio: De ejusdem moris practicâ in seculo IV. testatur in suis scriptis S. Leo Papa, qui floruit seculo quinto. Eoquè tempore coram populo prò concione patefiebant hæretici cum suis erroribus, si Ecclesiastico Judicio conventi, & convicti fuissent.

3 Hoc autem præstabant olim Romani Pontifices, qui in causis fidei non solùm encyclicas, seu circulares literas ad absentes mittebant, sicut fecit Cælestinus Papa, qui anno 430. certior factus à Cyrillo de Nestorii impietate, postquàm ejus impia dogmata in Synodo Romæ habitâ condemnavit, ut refertur apud Labbè, missis literis, ipsum è Romanæ Ecclesiæ communione eiciendum denunciavit: Verùm præsentibus quoquè detegebant hæreticos, ut eos noscerent, à quibus cavere deberent: Quod fecisse Hilarium Papam apud S. Petrum, perstringendo Philotheum Macedonianũ hæreticum coram Anthemio Imperatore, qui eidem favebat, refert S. Gelasius Papa *in Epist.*

4 *ad Dardanos.* Imò eadem sollicitudo in vitandis hæreticis extitit etiam penès Episcopos; idcircò, quia ferè impossibile erat etherodoxos ubicumquè terrarum essent, patefieri, inoleuit, mos, ut ab jisdem Episcopis literæ, quas appellabant communicatorias, darentur fidelibus subditis peregrè profecturis, quarum ope ipsi, quocumquè ibant, in Catholicum cætum admitte-

5 bantur: Hujus rei egregium habemus documentum *in epist.* 135. *Cypriani in lib.* 3. Cum enim Martialis Arelaten. Episcopus in Galliâ inicidisset in hæresim Novatiani, & in Concilio Lugdun. primâ Congregatione per Faustinum *anno Christi* 256. fuisset condemnatus, scribit S Cyprianus ad Stephanum Papam, certiorem fieri cupiens de Successore electo Martialis (ad effectum, de quo loquimur) his verbis: *Significa planè nobis, quis in locum Martialis Arelatæ fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere*

6 *debeamus*: Hinc D. Augustinus *Epist.* 163. falsi convincit Fortunium Donatistam, qui asserebat, se ubiquè admitti posse in fidelium communionem,

quoties vellet, se prò Catholico ostentare: Necessariæ enim erant hujusmodi literæ, quarum mentio habetur in Concilio Arelatensi primo, *can.* 7. aliàs sinè ipsis neminem communio fidelium
7 excipiebat. Præterea à Summo Pontifice, non solùm in concionibus patefiebant hæretici, verùm etiam in Conciliis, quibus proindè præter Episcopos, & Presbyteros, Senatores quoquè Viri, ac plebs interesse solebant, ut eorumdem hæreticorum scelera notiora cunctis fierent, & execrabilia redderentur, quemadmodùm ait Spondanus *anno* 444. *num.* 9.

8 Habemus etiam ex eâdem historiâ Ecclesiasticâ, quod Honorius Imperator edicto peculiari decrevit, publicum esse hæresis crimen, quia quidquid in Religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam; quâ in re piissimus Imperator se memorē exhibuit acceptorum divinitùs adversùs Gothos beneficiorum, dignumquè, ut alia consequeretur haud imparia prioribus, quæ quidem assecutus est; Anno enim post
9 illud edictum elapso, de insidiis Stilliconis, divino eum protegente auxilio, ereptus est; E contrà verò ob facilitatem ejusdē Honorii rescribendi prò monumentis impietatis in Urbe restituendis, eamdem tunc Deus Alarico dedisse in direptionē invenies penès Historicos; nimirùm respōdet Deus operibus Principum, & Episcoporū ergà Religionem.

10 Hodiè tenentur omnes Christi-fideles ad hujusmodi denunciationem ex edictis Inquisitorum; nec ab eâ immunes esse Reges, Imperatores, & personas quâvis authoritate, aut dignitate Ecclesiasticâ fulgentes, docet Transm: *de denunc. qu.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. Idquè luculento exemplo probat Ludovicus à Paramo *lib.* 3. *quæst.* 5. *nu.* 40. Joanna namquè filia Imperatoris Caroli V. ab Inquisitoribus vocata fuit, ut coram ipsis de nonnullis fidem tangentibus contrà quemdam interrogaretur. Ipsa patrem consuluit: Ille verò auctor illi fuit, ut, nullâ interpositâ morâ, deponeret, nè excommunicationem incurreret: Cui mandato Joanna morem gerens, statim coram generali Inquisi-
11 tore deposuit: Hoc tamen non obstante, contrariam opinionem rectè tuetur Bordon. *in Tribun. cap.* 30. *num.* 13. nam Imperatores, Reges, & Cardinales non compræhenduntur in bullis Pontificiis, quoties expresè non sint nominati; multò minùs subiiciuntur edictis Inquisitorum, quæ sunt statuta
12 inferiora; His itaquè magnis Principibus exceptis, cæteri omnes vigore edictorum denunciare tenentur quoscumquè hæreticos, ut etiam fatetur impius Limborch *in Hist. Inquisit. lib.* 4. *c.* 3. & est communis doctorum Sententia, teste Pistachio *de superstit. cap.* 8. *num.* 1. & 2. sivè materiales, sivè formales, imò & suspectos de hæresi, quamvis eorum suspicio levis sit, quemadmodùm præter alios docet Fermosin. *tract. crimin. d. tract.* 2. *ad cap. sicut, quæst.* 2. *à num.* 1. *de hæretic.* Bordon. *in Tribun. cap.* 39. *num.* 6. & patet ex decreto Alex. VII. infrà citando: Quin, si nulla probabilis causa excuset, esse de vehementi suspectum, qui hæreticos suis Judicibus non denunciat, firmavit Sesse *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 451. *n.* 23. Nec cessat hujusmodi obligatio, etiamsi crimen denunciandum probatione destituatur; etiamsi sit occultum; etiamsi eum, qui illud perpetravit, posteà pænituerit; etiamsi criminosus denunciandus, sanguine, aut amicitiâ coniunctus sit.

14 Non cessat, inquam, hujusmodi obligatio, licet crimen probatione destituatur, ut docent Eymer. *part.* 2. *rubr. de secundo modo procedendi*, Farinac. *qu.* 197. *num.* 36. Scaccia *de judic. causarum civilium crim. & hæretic. cap.* 56. *num.* 4. Thom. Trivisanus *dec.* 51. *n.* 6. & 7. Lelius Zecchius *in summ. in prima parte, tit. de fide, rubr. de hæresi, num.* 12. De Graffis *part.* 1. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 29. P. del Bene *de offic. S. Inq. part.* 1. *dubit.* 15. *num.* 3. Pistacchius *d. cap.* 8. *num.* 2. & Diana *resolut* 1. *de denunc. & part.* 7. *tract.* 12. *resol.* 21. contrà Fagund. Reginald. & nonnullos alios, quorum doctrina damnata est ab Alex. VII. in 5. ex viginti octo propositionibus ab eo proscriptis, & impressis post Porter. *Systema decretor. dogmaticor.* quæ talis est: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Ratio est, quia ad Inquisitorem

torem spectat ex officio inquirere, & ex vi denunciationis unius tantùm, possunt Inquisitores procedere ad inquirendum de personâ denunciatâ, ut benè observat Transm. *de denunc. quæst.* 4. *cap* .3. Suarez. *de fide, disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 9. *&* 28. & laudatus Pistacchius, *ubi suprà*: Profectò lex denunciandi non exigit, ut denunciator crimen probet; sed ut deferat, quæ scit, aut ex aliis novit, & forsitan aliquandò habet iam Tribunal tantam contrà denunciatum materiam, ut ex eâ solâ notitiâ, quam de novo profert denunciator, sit sufficiens, vel ad procedendum, vel etiam ad convincendum, ut observat Petrus Joan. Simon *in exposit. dictæ propositionis damnatæ*.

15 Non cessat pariter, ut diximus, quamvis crimen denunciandum sit occultum: Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 4. *dub.* 3. Castro *volum.* 3. *concl.* 25. *col.* 3. *vers. cum igitur*. Bordon. *in Tribun. cap.* 31. *num.* 8. & Pistacchius *loco cit.* (ubi addit, denunciandum esse hujusmodi delinquentem, etiamsi illius crimen quis sciat sub magno secreto jurato, vel si ille diceret, *manifesto tibi hoc sub sigillo confessionis*. Nam hæc manifestatio non est confessio Sacramentalis;) Occultum, inquam, per accidens, quale est illud, quod signo aliquo externo expressum est: Siquidem quamvis per crimen occultum non ammittatur jus, quod quis habet ad famam, nihilominùs bonum fidei nostræ publicum, & commune præferendum est juri privatum respicienti, & ex aliâ parte actus externi ex sui naturâ sunt sensibiles, & cadunt sub Ecclesiæ judicio. Adde, quod sæpè contingit, ut qui suam hæresim latenter alicui manifestavit, idem cum pluribus sigillatim, & occultè faciat; ideoquè si singuli denuncient, potest ad ulteriora per Inquisitorem procedi: Ità Trans. *de denunc. q.* 4. *cap.* 3. *n.* 12. *vers. Tertiò quia*.

17 Non cessat quoquè obligatio denunciandi, ut innuimus, quamvis eum, qui illud crimen perpetrauit, posteà pænituerit: Joannes Royas *par.* 2. *assert.* 3. quia, quemadmodùm animadvertit Trimarch. *disp.* 13. *sect.* 1. quem allegat Bordon. *ubi suprà, nu.* 9. in delictis spectatur voluntas deliberata in factum transiens, non perseverantia volunta-

18 tis in eo; ultraquàmquod ex crimine hæresis s[...]per præsumitur nocumentum aliquod aliis illatum, quarè Reipublicæ satisfaciendum est: Sanctarell. *de hæresi, cap.* 9. *num.* 11. Sanchez *consil. moral. part.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *dub.* 15. *n.* 6. Diana *par.* 1: *tract.* 4. *resol.* 3. Potest etiam esse, ut aliquis pœnitentiam simulet, ne ab altero denuncietur: Idcircò à denunciatione non excusat correctio; nam, si ipsa præmittatur, & delinquens pæniteat, militant ea, quæ mox dicebamus: Nisi verò præmissâ dictâ correctione, pœniteat, tanto magis est denunciandus; omissâ autem dictâ correctione, non cessat tamen obligatio denunciandi, ut expresè habetur in decreto Alexandri VII. relato à Pistachio *ubi suprà, num.* 6. & probat idem *n.* 3.

19 Non cessat tandem hæc obligatio, ut insinuavimus, quamvis criminosus denunciandus sit sanguine, vel amicitiâ coniunctus: Cantera *in rubr. de hæret. vers. ex qua quidem glossa*, Riccius *p.* 3. *decis.* 279. *num.* 8. Joann. Valer. *in differ. utriusquè for. verb. hæresis. num.* 4. Pistachius *dict. cap.* 8 *à num.* 15. Fermosin. *dict. quæst.* 2. *num.* 3. Hinc est, quod filius teneatur denunciare Parentem Hæreticum, & è contrà: Pegna in Eymer. *par.* 2. *Comm.* 15. latè Bordon. *ubi suprà, n.* 13. Pistachius *ubi suprà, num.* 18. Fermosin. *loco citato, num.* 4. Imò in premium

20 delationis filius Patrem deferens liberatur à pænis in hæreticorum filios statutis, juxtà legem Friderici Imperatoris; nec mirum videri debet, quod filij teneantur denunciare proprios parentes: si enim licitum est, occidere Patrem oppugnantem Patriam, ejusquè hostem: *l. minimè ff. de relig. & sumpt. fun.* quod etiam firmant Cic. *lib.* 3. *offic.* & Del Bene *de Inquisit. par.* 1. *dub.* 29. *num.* 4. eò magis licebit, denunciare parentes, qui utpotè hæretici oppugnant Religionem Catholicam, ac sunt publici hostes: Crescit ratio propter periculum perversionis, quod imminet filiis ex erroribus parentum: Quapropter non sunt audiendi Alexander de Alex. *part.* 3. *qu.* 13. *num.* 4. *art.* 2. *dub. ultim.* Rojas *singul.* 12. *num.* 2. *& singul.* 5. *n.* 29. & Simanch. *de Catholic. instit. tit.* 29. *num.* 47. *&* 48. *& tract. de Patre hæretico, num.* 14. *& seqq.*

seqq. contrarium sentientes.

21 Parentes quoquè tenentur denunciare filios hæreticos, juxtà præceptũ Exodi *cap.* 3. & *Deuter.* 13. ubi laudatur Levi, qui in puniendis adorantibus Vitulum aureum, propriis filiis non pepercit: Ipsius vestigijs inhærens Philippus II. Hispaniarum Rex, mortem filio Carolo accelerasse dicitur ob causam hæresis, rè priùs cum Inquisitionis officio communicatâ, quod tamen non admittit Spondanus *in continuat. ad ann.* 1568. *num.* 3. *circà finem*; & adhuc ma-
22 gis tenentur denunciare uxor Maritum, & è contrà; frater, fratrem; Consanguineus, consanguineum; & amicus, amicum, cum inter hos minor sit conjunctio, & affectio, & naturalis obligatio: Bordon. & Transf. *loco cit.* P. del Bene *loco cit. n.* 17. Pistachius *d. cap.* 8. *n.* 18. Fermosin. pariter *ubi suprà*, *num.* 4.

23 Nec obstant, quæ ab aliquibus in contrarium adduci possent, nempè objiciendo, quod probabilis metus alicujus damni magni momenti excusat ab onere denunciandi, non solùm si illud damnum sibi ipsi timeatur imminere, verùm etiam si filiis, vel Parentibus: Acunna *quæst.* 19. *num.* 6. Peirin. *tom.* 2 *privil. constit* 4. *Gregor XV.* §. 9. *n.* 28. Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *disp.* 4. *n.* 1. Trimarchius *de confessar. abuten. Sacram. pænit. disp.* 13. *sect.* 3 *num.* 21. *&* 22. Sousa *de Confessar. Sollicit. tract.* 2. *cap.* 8. *nu.* 8. Passerin. *in cap. ut inquisitionis*, *sub num.*
24 138. *de hæretic. in* 6. Similiter si timeatur illud damnum imminere Marito, vel Uxori, ut docent, præter Acunnam *ibidem*, *num.* 7. & Peirin. *loco cit.* S. Tho. *in* 4. *dist.* 29. *qu. uniç. art.* 2. *ad* 2. Tabien. *in summ. verb. impedimentum*, *Impedim.* 9. *qu.* 1. *num.* 2. Soto *in* 4. *dist.* 29. *qu.* 1 *art.* 2. *vers. hujusmodi autem metum*, & Sanchez *dict. disp.* 4. *num.* 3.

25 Pariter, si timeatur imminere fratribus germanis: Sanchez *ibidem*, *nu.* 4. Imò quibuscumquè consanguineis usquè ad quartum gradum: Sousa *loco citato*, *num.* 8. & amicis etiam, ut videre est aqud Trimarchium *ibidem*, *num.* 27.

Hujusmodi verò metus excusat propter affectionem, quæ nobis non finit, inferre his personis ullum damnum grave, ut innuit Transm. *loco cit. num.* 8. *versic. secundo*: Nemo itaquè ex eâdem ratione tenebitur propter eamdem affectionem denunciare filios, vel parentes; Uxores, vel Maritos; fratres consanguineos, & amicos, quamvis hæreticos, alioquin ipsis inferretur damnum grave, ut de communi sententiâ docet Squillant *de oblig. Episcop. cap.* 17. *n.* 54.

26 At huic objectioni luculenter satisfit, respondendo, quod cavendum est, ne grave damnum inferatur innocentibus; non autem illis, qui sunt adeò criminosi, ergà quos omnis affectio, atquè amicitia cessare debeat, juxtà doctrinã Arist. 8. *ethic. c.* 7. & D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 10.

27 Præthereà Bordonus *loco cit. à nu.* 11. probat, hujusmodi metum non excusare ab onere denunciandi hæreticos, sed tantùm suspectos de hæresi, juxtà etiam authoritatem nonnullorum ex suprallegatis Doctoribus, quibus ego assentior, quatenùs intelligatur, quod omittentes denunciare, si ad id ex officio non teneantur, puniri possint, tanquàm transgressores edicti Sacræ Inquisitionis, non autem quod sint suspecti de hæresi, de quâ re infrà nonnulla dicturi sumus.

28 Dantur tamen quinquè casus, in quibus quis excusatur ab onere denunciandi. Primus est respectu sui ipsius, nam nemo tenetur prodere se ipsum, ut ex D. Thoma, Navarro, Soto, Pegna, Suarez, & Symancha, docet Pistachius *loco citato*, *num.* 7.

29 Secundus est respectu Socii Criminis, qui non tenetur denunciare delinquentem, ne se ipsum prodat, juxta Pistach. *ubi suprà*, *num.* 8. limitans hoc in fæminâ sollicitatâ: Id tamen non videtur subsistere, quia delictum hæresis est delictum publicum in perniciem Religionis; & sicut quilibet, ne dissipetur religio, tenetur profundere sanguinem, quatenùs opus sit, ità ne socius dissipet Religionem, debet denunciare, & non denuncians videtur favere hæreticis: Præterquamquod si proderet seipsum, tractaretur, ut pœnitens, & ut spontaneè comparens.

30 Tertius est respectu Confessarii, ut monet laudatus Pistach. *ibidem*, sequens sententiam D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Navarri, Pegnæ, & Suarez.

31 Quartus est respectu ejus, qui audiat ab aliquo fide non digno, aliquem esse

hære-

hæreticum, vel si audiverit hoc ab homine fide digno, non recordetur de quo audierit: Idem Pistachius *loco citato*, *num.* 11.

32 Quintus, quandò adest metus cadens in constantem virum respectu viri; & cadens in constantem fœminam respectu fœminæ, ut præter alios docet Pistachius *ubi suprà*, *num.* 12. His igitur casibus exceptis, cum omnes, ut diximus, teneantur hæreticos denunciare, si proindè non denuncient, videntur dici eorum fautores ex duplici causâ, quarum prima est, quia in re adeò gravi negligunt id, ad quod tenentur:

33 Secunda causa est, quia quemadmodùm is, qui latronem silentio occultat, censetur furti reus, multò justiùs ait Alphons. de Castro, quem summoperè laudat idem Transm. *loco cit. qu.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. censendum esse de hæresi violenter suspectum illum, qui hæreticum silentio tegit. Hi verò, qui non denunciant, etiamsi ex officio non teneantur, tamen tali silentio videntur hæretico assentiri; idcircò sub nomine fautorum veniunt omnes non denunciantes: Alter *de censur. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *vers. Præterea*, *disp.* 2. Alphons. de Castro *de just. hæreticor. punit. cap.* 25. Fermosin. *tract.* 2. *ad cap. sicut, de hæretic. quæst.* 2. *num.* 1.

34 & quamvis respectu eorum, qui ex officio, & munere proprio denunciare non tenentur, si negligant, hæc omissio per se non redoleat errorem in fide, quia plures causæ adesse possunt, quæ denunciantem arceant à denunciatione, videlicet amicitia, consanguinitas, timor, & ipsa negligentia; tamen hæ causæ ab obligatione denunciandi non liberant: imò vigore edicti levem hæresis suspicionem inducere, probant Fermosin *ubi suprà*, *num.* 3. Pistach. *de superstit. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 27. Bordon. *tom.* 1. *de denunciat. cap.* 21. *n.* 23. Duard. *in bull. Cænæ lib.* 2. *cap.* 32. *sub num.* 24. Passerin. *in cap. ut officium il* 2. *num.* 53. *de hæretic. in* 6. Squillant. *de oblig. Episcop. par.* 1. *cap.* 17. *sub num.* 61. *vers. deniquè*:

35 Verùm hoc non est intelligendum de denunciatione suspectorum de hæresi, & licet omittens eos denunciare, puniri possit; nihilominùs non est nec de levi suspectus, dum oriri non potest præsumptio ex præsumptione, ac suspicio ex suspicione: Fermosin. *loco citato*, *n.* 4. *in fine*, Pistach. *de superst. ubi suprà*, *num.* 28. Passerin. *in cap. ut officium il* 2. *num.* 55. *de hæret. in* 6. *&* *in cap. ut Inquisitionis*, *num.* 139. *eod. tit.* Squillant. *de oblig. Episcop. par.* 1. *cap.* 17. *num.* 62. Præ-

36 tereà nec intelligendum est de ipsis omittentibus denunciare hæreticos, quoties non adsint alia adminicula, & circumstantiæ, quæ simul cum hujusmodi omissione hæresis suspicionem inducant ad tradita per Cardinal. Albit. *de Incostant. in fide*, *cap.* 26. *num.* 30. *&* 31.

37 Qui autem tenentur denunciare ex officio, si negligant, efficiuntur de hæresi suspecti, & verè fautores dicuntur: Fermosin. *tract. crimin. dict. tract.* 2. *ad cap.* 8. *qu.* 2. *num.* 1. Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18 *num.* 24. Squillant. *de oblig. Episcop. dict. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 60. saltem in foro exteriori, quià quò ad forum conscientiæ potest esse, quod licet omiserint denunciare, omissio tamen non provenerit à motivo hæresis, quod ponderat Lupus *in edict. lib.* 14. *dist.* 4. *artic.* 2. *diff.* 1. id quod inservit Confessariis, ut sciant, undè dignoscere possint, quandò absolutionem impartiri valeant.

38 Eâdem ratione, quâ si denunciare prætermittant illi, qui ad id non tenentur ex officio, nullatenus hæresis suspicionem incurrunt, putant nonnulli, eosdem suspectos minimè fieri, si ab Inquisitoribus interrogati, manifestare renuunt, ut de facto, teste Transm. *de denunciat. ibidem*, practicatum fuit Siciliæ in Tribunali S. Officii: Nam *anno* 1638. *die* 30. *Novembris* in publico spectaculo fuit inducta quędam mulier, quę cum audivisset quemdam blasphemantem hæreticaliter, in contestem ab aliis, qui præsentes fuerunt, vocata, & in Tribunali examinata, ac pluries admonita, quod veritatem detegeret, obstinatè renuit; tandem ab ipsomet reo proprium crimen confitente declaratum fuit, ipsam interfuisse tempore patrati delicti; quâ propter convicta fuit, se tacuisse ob amorem, quo inquisitum prosequebatur; undè in fidei consultatione damnata fuit ad sententiam suam in formâ pœnitentiali audiendam, in

quâ

quâ iniuncta fuit pæna, ut die sequenti publico dedecori exponeretur, & exularet per definitum tempus à Civitate, & Territorio, sinè tamen abjuratione, quod etiam refert Card. Albit. *de Inconstant. in fide, dict. cap. 26. sub num. 34.* ubi addit, miserrimam illam mulierem nec ullo modo puniri debuisse: Hęc tamen opinio non militat, quoties non concurrant causæ prædictæ, scilicet consanguinitas, affinitas, vel magna amicitia, unde benè ait Lupus *in edict. lib. 14. dist. 2. art. 3. diffi. 3.* quod nolentes te-
39 stificari in causâ fidei, reputantur hæreticorum fautores, pænisquè ordinariis, & arbitrariis, quibus tales affici solent, puniuntur, nisi ob consanguinitatem, vel affinitatem, aut magnam amicitiam, sivè ob aliam rationabilem causam excusentur, id quod etiam firmat Bordon. *in Tribun. cap. 33. num. 17.* ubi inquit, eos, qui requisiti à Judice, deponere recusant in causâ fidei, esse vehementer suspectos de hæresi, cessantibus illis causis, quas enumerat Lupus: In foro tamen conscientiæ attendenda est quælibet causa, quæ nisi talis sit, ut faveat hæreticis, tanquàm malè de fide sentientibus, sed alia ab eâ diversa, non possunt dici fautores, nec sunt; Nihilominùs absolvi non debent, nisi priùs præcepto Tribunalis obtemperent.

40 Quod dictum est de illis, qui tenentur ex officio, & non denunciant, locum habet quò ad non capientes, vel non mandantes capi hæreticos, si ex officio capere, vel capi mandare teneantur, juxtà Sanctarell. *de hæresi, cap 99. dub. 9. num. 4.* Fagundez. *in 1. præcept. decalog. lib. 1. cap. 13. num. 2.* Tenentur autem ad hoc ex officio Principes, Magistratus, Episcopi, Inquisitores, & eorum Ministri, & proindè hæreticis favere dicuntur, quoties omittant illos capere: Sesse *decis. Aragon. 474. num. 14. & seqq. vol. 4.* Graff. *dec. aur. part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 21. & 22.* Turrecremat. *de eccles. lib. 4. cap. 21.* Alter. *de censur. tom. 1. lib. 5. cap. 4. disp. 2.* & de hæresi vehementer suspectos effici, tradit Fermosin. *tract. crim. tract. 2 ad textum in cap. Excommunicamus, §. moneantur, qu. 1. num. 14. & 15.*

41 Vocantur etiam Fautores hæreticorum, qui ipsos non custodiunt, prout tenentur ex officio, ut docet ultrà Sanctarell. *ubi suprà*, Del Bene *de offic. S. Inquisitionis, part. 1. dub. 26. num. 14.* & efficiuntur vehementer suspecti de hæresi: Pistachius *d. c. 7. n. 21.* Intellige tamen de non custodientibus ex motivo hæresis, non autem ex alio motivo tivo: Lupus *in edict. d. dist. 2. art. 3.*
42 *diff. 20.* Idem dicendum est de jis, qui debitis pœnis hæreticos non plectunt, quoties cum possint, & teneantur ex officio adversùs eos procedere, eosquè punire, id omittunt intuitu hæresis: Sanctarell. *loco cit.* Lupus *in edict. p. 2. lib. 14. dist. 3. art. 2.* Fermosin. *loco proximè citato, num. 10. & seq.* Tunc autem dicuntur posse, & teneri, quotiescumquè graviora, & imminentia scandala ex tali punitione non timeantur eventura, & quotiescumquè judicibus non innotescat ex privatâ scientiâ, illos, qui denunciati fuerunt, innocentes esse, quo casu licet aliud ex actis resultaret, non tenerentur punire: Lupus *ibidem*, & Fermosin. *tract. crimin. d. tract. 2. ad cap. excommunicamus §. moneantur, qu. 1. num. 7. & 9.*

43 Hæc porrò singula, quæ ad hæreticorum carcerationem, judicium, & punitionem spectant, paucis verbis complectitur P. del Bene *loco cit. Omissione* (inquit) *faves hæretico, si cum teneris indicare, vel capere, non indicas, nequè capis: Si captum, & tuæ curæ commissum, diligenter non custodias; si tibi commissum, non punias*, quod etiam firmat Alter. *de censur. tom. 1. lib. 5. cap. 5. disp. 2.*

44 Verùm quæ hactenus diximus, non militant, quòad fæminas: Quamvis enim illæ compræhendi possint ex alio motivo sub nomine fautorum hæreticorum, ut benè probat Lupus *ubi suprà, dist. 2. art. 1. diff. 2.* attamen ex officio nunquàm tenentur denunciare, capere, judicare, & punire: Crederem ni-
45 hilominùs, Mulieres in causâ hæresis testificari renuentes, fieri suspectas de hæresi, & eas pariter, quæ jurisdictionem exercent, eò quia non secus ac Principes, & Magistratus, ex officio teneantur ad extirpandos hæreticos, & ad eorumdem capturam demandandam.

46 Similiter, quæ diximus, locum non obtinent, quòad eos, qui favent suspectis de

de hæresi: Lupus *ubi suprà, diff.* 9 sed tantùm qui favent hæreticis, seù denunciatis, seù non denunciatis: Lupus *ibidem diff.* 3.

SUBSECTIO II.

De Fautoribus ex commissione.

SUMMARIUM.

1 *Favere Hæreticis positivè est, eos receptare, vel honoribus, aut dignitatibus insignire intuitu hæresis.*

2 *Qui dicantur receptatores?*

3 *Receptatoribus accomodantur ea, quæ dicta sunt de fautoribus, & defensoribus Hæreticorum.*

4 *An receptatores afficiantur irregularitate?*

5 *Hæreticorum receptatores incurrunt suspicionem levem, vel vehementem prò qualitate circumstantiarum.*

6 *Prædicta intelliguntur de receptatoribus Hæreticorum, sivè non insectentur ab Inquisitoribus, quia sunt occulti; sivè insectentur, quia non sunt occulti.*

7 *Sanctus Ioannes Chrysostomus primus fuit, qui contrà Hæreticorum receptatores procuraverit Capitale supplicium.*

8 *Suspicio hæresis respectu receptatorum incurritur, sivè receptantes sint personæ privatæ, sivè publicæ.*

9 *Iussu Legati Apostolici mœnia Civitatum Narbonæ, & Tholosæ dejecta, quia erant receptacula Hæreticorum.*

10 *Regum Ferdinandi, & Elisabethæ egregius zelus in instituendâ Inquisitione in suis Regnis.*

11 *Status politicus evertitur ex introductione exterarum Religionum: Quod exemplis etiam Ethnicorum comprobatur.*

12 *An qui unicâ vice hæreticum receptavit, dicatur receptator? affirmativa suadetur sententia.*

13 *Unicâ vice receptans, videtur incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, licèt per illam receptionem non evaderet hæreticus manus Inquisitorum.*

14 *Sed contraria sententia, ut probabilior, defenditur.*

15 *Qui delectatur de favore hæreticis, ut talibus impertito ab aliquo, non incidit in censuras.*

16 *Frequenter receptans Hæreticum est de hæresi suspectus, etiamsi id non egerit intuitu hæresis.*

17 *Qui Hæreticum receptat animo tantùm indicandi Inquisitori, non est de hæresi suspectus.*

18 *Ut receptatores incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, requiritur, quod sint receptatores formaliter, non materialiter tantùm.*

19 *Non est suspectus receptans Hæreticum, si ignorat, eum esse talem.*

20 *Præfata ignorantia semper præsumitur, adeò ut contrarium probandum sit.*

21 *Primus casus eximendi receptatorem ab hæresis suspicione est, quandò coactus per vim, & metum recepit.*

22 *Objectio in contrarium solvitur.*

23 *Secundus casus est, si receptavit non quatenùs Hæreticum, ut si filius receptavit Patrem.*

24 *In tali casu receptandi Patrem, Fratrem, Virum, Uxorem, receptans, & receptatus præsumuntur una, & eadem persona: si ergò licet se occultare, etiam licebit hujusmodi conjunctos.*

25 *Hi, cum non receptentur, ut hæretici, receptantes eximuntur ab hæresis suspicione.*

26 *Oppositio in contrarium solvitur.*

27 *Multi censent, suspicionem hæresis non incurri ab eis, qui receptant hæreticos maximâ amicitiâ conjunctos.*

28 *Quod non procedit, quandò receptantes actu participant in eodem crimine.*

29 *Idem dicendum, quoties adesset periculum perversionis.*

30 *Idem pariter dicendũ, si receptarentur lucri gratiâ.*

31 *Tertius casus est, si occultaretur hæreticus animo ipsum defendendi ab hostibus, vel latronibus, vel ne à Creditoribus capiatur.*

32 *Quartus casus est, si receptetur per modicum tempus.*

33 *Quintus casus est, si receptetur hæreticus animo revocandi eum ab hæresi.*

34 *Hæc omnia intelligenda sunt de quibuscumquè receptatoribus, etiã Nautis, Cauponibus, & Stabulariis.*

35 *Quid dicendum de Principe recipiente hæreticos cum salvo-conducto, vel cum libertate conscientiæ?*

1 FAvere hæreticis positivè, est, ipsos receptare, vel eos intuitu hæresis, dignitatibus, aut honoribus insignire; in utroquè casu proculdubio cadit suspicio hæresis: De primo casu testantur Del Bene *p. 1. de offic. S. Inquis. dub. 26. corollar. 4. num. 4.* Duard. *ad Bullam Cœnæ, lib. 2. fol. 147. num. 4. vers. adde*, Pistachius *de superstit. par. 1. cap. 7. num. 28.* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. ad cap. sicut, qu. 1. num. 14.* Turrecremat. *Summ. de Eccles. lib. 4. cap. 21.* Graff. *decis. par. 1. lib. 4. c. 18. n. 31.* Riccull. *de jur. personarum, lib. 5. c. 11. n. 15.* Passerin. *in c. ut officium il 2. n. 33. de hæretic. in 6.* De secundo autem casu firmant Sayr. *de censur. lib. 3. cap. 5. num. 8.* Navarr. *in man. cap. 23. num. 55.* Duard. *loco cit. lib. 2. fol. 140. num. 8.* Passerin. *ubi suprà, num. 51. in fine.*

2 Dicuntur verò receptatores, qui vel in agro, domo, vel in alio loco receptaculum præstant illis, qui noscuntur hæretici, eo animo, ut manus Judicis effugiant, arg. *l. fin. C. de eo, qui lat. l. 1. ff. de recept.* Archidiacon. *in cap. quicumquè, num. 3. de hæretic. in 6.* Del Bene *d. dub. 26 num. 1.* Duard. *d. lib. 2. fol. 131. num. 4.* Lupus *in edict. par 2. lib. 14. distint. 5. art. 3. diff. 3.* & Pistachius *d. cap. 7. eodem num. 28.* Contrà hujusmodi
3 receptatores accommodanda esse ea omnia, quæ de fautoribus, & defensoribus hæreticorum firmantur, optimè notat Sousa *in aphorism. lib. 1. c. 25. n. 16.*

4 An autem iidem afficiantur irregularitate, utiquè putant DD. communiter *ex cap. 2. §. hæretici, de hæreticis in 6.* Negat tamen Turrianus, ex jure deduci hanc sententiam: sed hujusmodi quæstionem versamus *in secundâ Parte*, ubi recensentur pœnæ adversùs suspectos de hæresi.

5 Quod autem ad nostrum attinet institutum, illud certum est, hæreticorum receptatores incurrere suspicionem levem, vel vehementem prò qualitate circumstantiarum, & indiciorum, quibus stantibus prudentes Inquisitores illas perpendendo, eosdem faciunt de vehementi, vel de levi abjurare: Pistachius *d. cap. 7. num. 28.* Sesse *de Inhibit. cap. 30. num. 140. & seqq.*

6 Hæc porrò intelligenda sunt, tàm de receptantibus hæreticos, qui ab Inquisitoribus non insectantur, eò quod occulti sint: Passerin. *de elect. cap. 25. num. 73.* & Fagundez *in 1. præcept. Decalog. lib. 1. cap. 12. num. 13.* quàm de receptantibus eos, qui insectantur ab Inquisitoribus, quia non sint occulti: Magnum est enim crimen, quod perpetratur ab Hæreticorum receptatoribus.

7 Hinc est, quod D. Joannes Chrysostomus in Constantinopolitani Episcopatus Thronum evectus, author fuit, ut, quod nunquàm anteà adversùs ullos Hæreticos decretum fuerat, capitale supplicium irrogaretur receptatoribus Eunomianorum, & Montanistarum, ut narrat Spondanus *ad ann. 398. num. 18.* Tanta erat suspicio, quâ apud hujusmodi Sanctissimum Præsulem laborabant Hæreticorum receptatores: Elucet proindè, quàm fætida fuerit calumnia in eumdem S. Joannem impacta, quâ traducebatur tanquàm Origenistarum Hæreticorum receptator, & fautor, quâquè in exilium actus, ac infinitis penè ærumnis confectus obiit, quæ plenè narrantur in Ecclesiasticis historiis.

8 Nec refert, an receptatores sint personæ privatæ, vel publicæ: Ab utrisquè enim incurritur eadem suspicio, eò quia personis quoquè publicis nefas sit, receptare in suâ Civitate, vel Regno hæreticos, ut in manus Inquisitores non incidant: Paludanus *in 4. disp. 3. q. 3. art. 1. num. 13.* qui ait, parùm interesse, si hęretici receptentur in propriâ Civitate, vel in alienâ, aut in propriâ Domo, sivè in alienâ, & Passarin. *ad cap. ut officium il 2. de hæretic. in 6. num. 13.*

9 Narrat idcircò Bzovius *ad ann. 1215. §. 10.* jussu Legati Apostolici dejecta esse mœnia Narbonæ, & majori ex parte Tholosæ, quia hæreticorum receptacula fuerant. Caveant igitur Principes, ne recipiant hæreticos in suis ditionibus, & sciant, eos, qui id agere præsumunt, quò majori dignitate fulgent, majori etiam labe inficiendos, & propter hoc non solùm subditos periculo perversionis exponi, verùm Dominium etiam ipsum subversionis discrimini obnoxium

noxium

noxium reddi, ut benè advertit, & pluribus exemplis ostendit Ludovicus à Paramo *in tractatu de Origine*, *& pro-*
10 *gressu Inquisit. lib. 2. tit. 2. c. 7.* Undè ab omnibus valdè comendatur, & inter alia plura, quæ gesserunt, egregia facinora extollitur zelus, & studium Regum Catholicorum Ferdinandi, & Elisabethæ in creandâ, & constituendâ in Regnis Castellæ, & Legionis, ac in aliis sibi subjectis generali adversùs perfidiam Hæreticam Inquisitione anno 1479. ex quâ tot, ac tales effectus secuti sunt, ut à pluribus, & gravissimis Scriptoribus summis ubiquè laudibus comendetur, & huic institutioni puritas fidei, quâ (Dei benignitate) hodiè Hispania gaudet, inter aliarum Nationum impios, & impudentes errores, sivè horrores, meritò tribuatur, ut constat ex Paramo *cit. tit. 2. cap. 2. & sequent.* Joan. Mariana *Histor. Hispanic. lib. 24. cap. 17. per totum*, Mattheu *de Regn. Valent. cap.* 8. §. 3. *num.* 1. *& seqq.* Solorzan. *de Indiar. Gubernat. libr. 3.*
11 *cap. 24. à num. 3.* Ad hanc politiæ maximam, statum scilicet politicum funditùs everti, ac perdi per introductionem exterarum Religionum in Regna, & Imperia, animadvertentes quoquè Ethnici Imperatores Romani, easdem suis Civitatibus prohibuerunt, ut de Tiberio testatur Suet. *in Tib. c. 36.* & de Antonino Eliogabalo, Lampridius *in ejus vita*: Imò Romanorū legibus peregrina quæcumquè, ac nova Religio vetita fuit: Cic. *lib. 2. de legibus*, & Tertull. *in Apolog.* Periculosum est igitur, quod Principes in suis ditionibus hæreticos receptantes, dum bonis temporalibus inhiant, & æterna despiciant, utraquè amittant.

12 Dubitari solet, an qui unicâ vice hæreticum receptavit, dicatur receptator? & affirmativè tenendum est, si id agat animo favendi hæretico, quatenùs tali: Megal. *lib. 3. de cens. cap. 1. num. 29.* Sousa *lib. 1. cap. 23. num. 3.* Carena *par. 2. tit. 4. num. 38. & 39.* Fragos. *de Regim. Reipub. par. 2. lib. 1. disput. 3. §. 1. num. 27.* Pucron. *in Bulla Cœnæ, cap. 7. num. 125.* Sanctarell. *de hæresi, cap. 12. dub. unic.* Fagundez *in 1. præcept. decalog. lib. 1. cap. 12. num. 9.* Passerin. *in cap. ut officium il 2. num. 12. de hæret. in 6.* Del Bene *d. dubit. 26. num. 3.* Lupus *in edict. loco cit. art. 3. diff. 1.* & Bordon. *in Tribun. cap. 12. num. 34.* Etenim, licet nomen hoc receptator in suâ propriâ significatione notet frequentiam, juxtà stylum tamen Curiæ, consuetudine receptum, etiam ex unicâ receptatione receptator judicatur, quià etiam hæc sola sufficit, ut hæreticus pęnas evitet: Ità Archidiacon. *in cap. 2. num. 3. de hæret. in 6.* Decian. *tract. crimin. tom. 1. lib. 5. cap. 51. num. 72.* Del Bene *ibidem, num. 3. in fine*, & est clara intentio legislatoris, quod scilicet hæreticus subeat pœnas, ut benè ait Fagundez *ubi suprà*.

13 Imò quamvis hæc unica receptatio de facto non sufficeret hæretico, ut evaderet manus Inquisitoris, nihilominùs receptans incideret in excommunicationem Bullę cœnæ: Graff. *lib. 4. decis. cap. 18 num. 34.* quem sequitur Farinac. *de hæresi, quæst. 182. §. 7. num. 102.* hancquè opinionem valdè probabilem putat Sayrus *in thesauro, tom. 1. lib. 3. cap. 5. n. 4.* Non enim minùs punitur affectus, quàm effectus: *l. is, qui cum telo C. ad l. Cornel. de*
14 *Sicar.* Contrariam tamen sententiam, uti probabiliorem, latè tuetur Fagundez *loc. cit. num. 15.* Passerin. *in d. cap. ut officium, n. 3. & 32. de hæret. in 6.* eò quià excommunicatio prædictæ Bullæ fertur in odium hæreticorum, scilicet ut ipsi puniantur, id quod obtinetur, quoties receptatio suum effectum non sortitur, quæ ratio mihi non arridet, nam sequeretur, quod excommunicatio maneret in suspenso, cum fit per accidens, quod receptatio non assequatur suum effectum: Undè receptator esset excommunicatus, quoties receptatus effugeret manus Inquisitionis; & non esset excommunicatus, quoties idem receptatus caperetur à Sacrâ Inquisitione.

15 Ex hoc tamen principio non sequitur, quod qui delectatur de favore hæreticis, tanquàm talibus ab aliquo impertito, incidat in censuras: Siquidem punitur affectus, quandò quis non solùm internè hujusmodi complacentiam accepit, sed etiam processit ad actum externum, favorem importantem, licèt (ex impotentiâ) sinè effectu: Lupus *loco cit. dist. 3. art. 2. diff. 4.*

16 Si verò aliquis pluries hæreticum recepta-

ceptaverit, etiamsi id non egerit intuitu hæresis, tamen ob frequentiam, quę magnam præsefert affectionem ergà illum hæreticum, & maximum continet perversionis periculum, habebitur tanquàm suspectus de hæresi: Fragos. *loco cit. num.* 27. *in princ.*

17 Qui autem receptat animo tantùm indicandi Inquisitori, non est dicendus suspectus de hæresi, nam si is, qui bannitum receptat, ut tradat curiæ seculari, præmium meretur, ut affirmat Farinac. *qu.* 133. *num.* 14. pari modo qui receptat eodem animo hæreticum, censeri non debet, nec puniri tanquàm suspectus, quidquid dicant Farinac. *qu.* 182. *num.* 155. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 78. Ugolin. *de censur. par.* 2. *in glos. receptatores*

18 §. 1. *num.* 1. Adde, quod ad hoc, ut receptatores incurrant excommunicationem bullæ cænæ, oportet, quod sint receptatores formaliter hæreticorum, & non sufficit, si sint tantummodò materialiter, ut benè advertit Fagundez. *ubi suprà, num.* 6. Verùm tunc dicuntur formaliter receptatores, quoties receptant hæreticos, tanquàm tales, ut effugiant manus Inquisitionis. Nec præsumi debet, animo occultandi receptasse, & posteà eum pænituisse, nisi inditiis sit præventus, quod animo occultandi receptaverit: Sousa *in aphoris. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 10.

19 Similiter reverà non dicitur suspectus, qui receptat hæreticum, ignorans eum esse talem: Passerin. *in cap. ut officium, num.* 22. *de hæret. in* 6. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 70. Duard. *in bulla cænæ, lib.* 2. *can.* 1. *q.* 28. *num.* 27. P. del Bene *de offic. S. Inquisit. part.* 1. *dub.* 26. *num.* 8. & latè Pistachius *d. cap.* 7. *num.* 28.

20 Quæ ignorantia semper præsumitur, adeòut contrarium probandum sit: Castropalao *part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 5. *num.* 4. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *n.* 47. *vers. dicendum*, Aldovin. *cons.* 24. *num.* 8. Ital. *de immun. lib.* 1. *c.* 5. §. 18. *n.* 101. *& seqq.* & Pistachius *ubi suprà*, & satis est, quod receptator suam ignorantiam jurejurando affirmet: Castropalao *ibid.* & Bordon. *in Tribun. cap.* 12. *num.* 34. ubi tamen ait, hoc procedere, quoties receptatus sit hæreticus occultus: Si enim esset notorius, non præsumeretur talis ignorantia, & receptanti incumberet onus eam probandi, ut quoquè benè advertit Pistachius *loco cit.*

21 Adsunt etiam alii casus, in quibus hæreticorum receptator eximitur à suspicione hæresis, quorum primus est, quoties qui receptavit, coactus fuit per vim, & metum, sivè præcisum, sivè non: Farinac. *in praxi criminali, qu.* 133. *num.* 36. Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 54. quos citat, & sequitur Pistach. *ubi suprà*, Fragos. *d. disp.* 3. §. 1. *num.* 27. Duard. *d. lib.* 2. *fol.* 135. *num.* 12. ubi ait, non incurri suspicionem, quandò receptatur hæreticus ex causâ necessitatis; ratio est, quia tunc non receptatur intuitu hæresis: Fagundez. *d. cap.* 12. *num.* 11. undè quemadmodùm qui coactus contrahit, quia non voluntate se obligandi contrahit, non obligatur ad hujusmodi contractum, tàm de jure Canonico *in cap.* 2. *&* 4. *de his, quæ vi*, quàm de Jure Civili *in l. ultima C. de his, quæ vi*; ità qui coactus receptat hæreticos, quia non intuitu hæresis eos receptat, non fit suspectus: Passerin. *in d. cap. ut officium, num.* 25. *&* 26. Decian. *tract. crimin. tom.* 1. *lib.* 51. *cap.* 51. *num.* 71.

22 Nec dicatur, quod quamvis coactus receptet, nihilominùs consensum reverà prebet, aliàs non receptaret, id quod innuunt Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. & Paludanus *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 5. ubi aiunt, contractum gravi metu initum, non esse de jure naturæ irritum, eâ fortassè ratione ducti, quia sicut in contractu gravi metu, justè tamen, inito, non deficit consensus, quamobrem talis contractus est validus: *cap. ex litteris* 2. *de sponsalibus*, ità dicendum est de contractu gravi metu, injustè tamen, inito, nam metus ex se idem est. Nec dicatur, inquam, hoc; nam voluntas coacta non est voluntas, si hæc coactio non provenerit ex aliquo præcedenti actu, per quem qui deinceps cogitur, anteà consensum præbuerit, ut ab altero cogeretur; quo casu impropriè etiam cogi diceretur, nam qui vult antecedens, vult quoquè consequens.

23 Secundus casus est, si receptavit non quatenùs hæreticum: Layman *lib.* 2.

tract.

tract. 1. *cap.* 14. *num.* 5. Duard. *d. lib.* 2. *fol.* 134. *n.* 3. *& plur. seqq. & fol.* 141. *num.* 21. Ital. *de immunit. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *num.* 36. *& seqq.* putà, si filius receptavit Patrem; Frater, Fratrem; Vir, Uxorem: Pegna *part.* 3. *comment.* 160. *vers. non autem*, Sousa *in exposit. bullæ Cænæ, cap.* 2. *disp.* 10. *num.* 3. *vers. secunda conclusio*.

24 Tunc enim receptans, & receptatus, cum sint tàm conjuncti, reputantur una, & eadem persona, ideò si licet se occultare, licebit etiam occultare ità coniunctos: Sousa *ibid.* Ital. *d. cap.* 5. §. 1. *num.* 89. qui loquitur de filiis, & Parentibus; ubi etiam *sub num.* 40. ait idem procedere in Soceris. Verùm quò ad consanguineos, & fratres, dicit non convenire DD. quos ipse conciliat, ut liceat receptare, dummodò seorsim habitent; secùs, si convivant.

25 Adde, quod cum isti dicantur receptari, non quatenùs hæretici, sed ex alio motivo, per consequens hujusmodi receptatores eximuntur ab omni suspicione de hæresi, ut, discussâ quæstione, ait Fagundez. *in* 1. *præcept. decalog. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. & dixit Passerin *in d. cap. ut officium*, *num.* 28. 29. *&* 30. *de hæret. in* 6. qui tametsi censeat liberari hujusmodi receptatores à rigore excommunicationis, nihilominùs eos inter suspectos de hæresi recenset, quoties adsint circumstantiæ. Non

26 obstat, quod sicuti hæc sanguinis coniunctio non excusat ab onere denunciandi, ut superiùs stabilivimus, & in his terminis observat Passerin. *ubi suprà*, *num.* 29. ità nec excuset à suspicione hæresis eos, qui receptant filios, vel parentes, vel consanguineos: non obstat, inquam, nam illi etiam, qui non denunciant consanguineos, nullam hęresis suspicionem incurrunt, quamvis non sint immunes ab hujusmodi onere. Hoc pariter procedit quò ad illos, qui filios, Parentes, cæterosquè consanguineos hæreticos receptant, quod scilicet ipsi non sint immunes ab onere non receptandi, & proindè non evadunt omnem pœnam: Albitius *de inconst. in fide cap.* 20. *à. numer.* 38. quamvis nullâ involvantur suspicione de hæresi, dummodò hæretico, uti hęretico, non faveant, sed uti consanguineo.

27 Imò ob eamdem rationem vult Pegna *p.* 2. *comm.* 81. *vers. numquid*, quod suspicio de hæresi non incurratur ab jis, qui receptant hæreticos maximâ amicitiâ sibi coniunctos, quod etiã docuerunt Passerin. *loco cit. n.* 29. *in fine*, Fagundez *ubi suprà n.* 8. Amicitiã enim, inquit Cicero, natura ipsa peperit cum consanguineis: Si ergò propter hoc licitè receptentur hæretici, ut firmat idem Fagundez, poterunt ipsi receptari, sivè sint consanguinei, sivè non, dummodò receptentur, tanquàm maximâ amicitiâ sibi adstricti, quod etiam putat laudatus Pegna *ibid.* extendi ad amantes, quidquid dicat Baldell. *de fide, lib.* 1. *disp.* 43. *num.* 3. *vers. & deindè favet.*

28 Adverte tamen, hoc non procedere, quoties receptantes actu participent in eodem crimine: Gard. *de malef. tit. de furibus, & latronibus, num.* 3. quia tunc adest periculum, ut magis in errore confirmentur; vel quia tunc videntur, nullam aliam intentionem habuisse in receptandis hæreticis, quàm ut celarentur in odium S. Officii, & ut intuitu talis erroris tuti essent.

29 Idem dicendum, quotiescumquè adesset periculum perversionis: Pegna *p.* 3. *comment.* 160. & quotiescumquè ageretur de hæretico, qui palàm hæresim disseminaret; nam tunc tùm propter excessum vitii, tùm propter periculum perversionis non eximeretur à suspicione hæresis, qui receptaret talem hæreticum, licet sanguine, seù amicitiâ sibi maximè conjunctum: Baldell. *loco cit. num.* 9. *in fine*, *& num.* 13. Engel. *in jus canon. lib.* 5. *tit.* 7. *num.* 8. *in fine*.

30 Similiter idem dicendum, si receptaretur lucri causâ, semoto casu paupertatis extremæ: Duard. *ad Bullam Cænæ, lib.* 2. *can.* 1. *q.* 29. *num.* 18.

31 Tertius casus est, si occultetur hæreticus, animo ipsum defendendi ab hostibus, vel latronibus, vel ne capiatur à suis creditoribus, sivè à Judice propter causam criminalem ab hæresi diversam. Farinac. *qu.* 183. *num.* 12. Baldell. *loc. cit. num.* 3. Passerin. *ubi suprà in cap. ut officium, n.* 39. *de hæret. in* 6.

32 Quartus casus est, si receptetur per modicum tempus: Mar. Ital. *de Immunit. dict. cap.* 5. §. 1. *num.* 81. *& seqq.* non tamen animo defendendi eum propter hęre-

hæresim, ut sæpiùs dictum est.

33 Quintus casus est, si receptetur hæreticus, animo reuocandi eum ab hæresi, quod etiam procedit in foro fori, si probetur, hæreticum seriò à receptante correptum, & admonitum fuisse.

34 Hæc omnia intelligenda sunt de quibuscumquè receptatoribus, etiam nautis, cauponibus, & stabulariis: Farinac.*qu.*182. *num.*161. tametsi isti non excusentur, quotiescumquè receptent hæreticos publicè damnatos, & denunciatos tanquàm tales, ut docet Farinac.*ibidem*, & post eum Pistach. *de superst.part.*1.*cap.* 7.*num.* 28.Passerin. *in d.cap. ut officium,num.*27.*de hæretic.in* 6.

35 Sed quid dicendum, si Principes cum periculo perversionis totius Monarchiæ non solùm hæreticos receptarent, sed etiam ipsis salvum-conductum concederent, vel libertatem conscientiæ permitterent? Ad id clariùs enucleandum, nonnulla seorsim animadvertenda sunt, de quibus agemus in sequentibus paragraphis.

§. I.

An liceat Principi seculari concedere Hæreticis salvum-conductum?

SUMMARIUM.

1 *Summus Pontifex tantùm potest disponere de hæreticis in ordine ad religionem, adeoquè ei competit tantùm approbare fædus cum Hæreticis de Religione eorum tollerandà.*

2 *An Princeps possit concedere salvum-conductum Hæreticis? Ità, si intelligatur de immunitate à violentiâ; secùs, quòad omnia.*

3 *Summus Pontifex, vel Concilium Generale potest quocumquè modo concedere Hæreticis Salvum-conductum.*

4 *Salvus-conductus, primo modo conceditur cũ clausulâ*, justitiâ semper salvâ, *& tunc potest concedens punire Hæreticum contumacem.*

5 *Hoc modo fuit concessus salvus-conductus Hieronymo de Praga, & Ioanni Hus.*

6 *Secundo modo conceditur salvus-conductus cum aliquo fine, seu conditione, qui finis, vel conditio si excedatur, Salvus-conductus non valet.*

7 *Tertio modo conceditur Salvus-conductus in formâ amplissimâ secundùm praxim antiquam Ecclesiæ.*

8 *Hoc tertio modo non licet Principi præstare Hæreticis Salvum-conductum, aliàs esset de hæresi suspectus.*

9 *Princeps recipiens in suo statu Hæreticos, incurrit excommunicationẽ Bullæ in Cænâ Domini.*

10 *Princeps, licet non possit impedire, ne Ecclesia procedat contrà Hæreticos, ipse tamen, quantùm in se est, tenetur eis fidem servare.*

11 *Hæreticis fides servanda est: Exemplo Iosue, qui fidem Cabaonitis servavit.*

12 *Principes, qui pacta non servarunt, à Deo puniti.*

13 *Pacta, cum sint de jure Gentium, eis non debet obesse diversitas religionis.*

14 *Carolus V. laudatus, eò quod fidem Luthero servaverit.*

15 *Fides etiam data à personâ privatâ, servanda est.*

16 *Bartholus explicatur, quandò dixit, quod Piratæ fides non sit servanda.*

17 *In duobus casibus fides non est servanda.*

18 *Hurtadus repræhendttur in eo, quod dixit, Principem non teneri fidem Hæretico servare, nisi eam juramento vallaverit.*

19 *Simplex Verbum Principis tantumdem valet, ac juramenium personæ privatæ: Dictum Alphonsi Regis Aragonæ.*

20 *Pactum de re illicitâ non obligat, etsi adsit juramentum.*

21 *Iniustè carpitur à nonnullis Martinus V. quasi definierit, fidem non esse Hæreticis servandam.*

22 *Quomodò salvatur, quod Princeps teneatur punire Hæresiarcham, & quod ei teneatur fidem servare.*

23 *Concilium Constant. quomodò tradidit Sigismundo Imperatori Ioan. Hus, qui illi securitatem promiserat.*

24 *In Ecclesiâ est potestas tradendi Hæreticum bracchio Seculari, & ejus judicio.*

25 *Sigismundus Imperator ægrè ferebat, tradere igni, Ioan. Hus. sed Concilium Constantiense ejus scrupulum diluit.*

QUO-

1 QUONIAM Summus Pontifex tantummodò potest disponere de hæreticis in ordine ad Religionem: Suarez *de fide*, *disp.20.sect.3. num.1.* Diana *part.10.tract.3.resol.2.* Idcircò Robertus Suvertius *de fide Hæreticis servandâ*, *sect.9.* Molan. *lib.8. de fide hæret. serv.* Tannerus *tom.3. disp.1. qu.9. dub.3. assert.5. num.101.* Franciscus Burckard. *de Anatomiâ sub initio*, existimant, necessarium esse, quod summi Pontificis authoritas, aut approbatio interveniat, ut quodcumquè fædus cum hæreticis de tollerandâ eorum Religione licitè ineatur; adeò ut Princeps secularis suâ propriâ auctoritate nequeat hæreticis concedere salvum-cōductum: Menoch. *cons.100.n.227.* Royas *de hæret. singul.168.* Beccanus verò *de fide hæreticis servanda*, *lib.2.cap.7.n.3.* non adimit Principi Seculari potestatem concedendi hæreticis salvum-conductum, sed, docet non facilè ab ipso esse concedendum.

2 Ego autem ità distinguendum censeo; vel quæritur, an possit concedere immunitatem à violentiâ? Et tunc affirmativè crederem respondendum, nam jure communi, imò jure omni violentia, & injuria prohibita est; nec ob hoc obstringitur Princeps, hominem sceleratum, sivè confessum, siuè legitimis probationibus convictum, dimittere impunitum: Nam qui salvum-conductum tali pacto conceptum petit, non sceleri suo, sed injuriç patrocinium, propter metum exposcit: Bachou. *in Treutler. tom.1. disp.5. de satisdationib. litt.D. pag.96.col.1.* Vel quæritur, an possit concedere immunitatem absolutè, quòad omnia? & tunc negativè dicendum, nisi interveniat Summi Pontificis, vel Concilii Ecumenici facultas: Ratio est, quia Princeps non potest adimere facultatem Superiori Ecclesiastico, cui ipse in rebus spiritualibus est subditus, nec impedire quò minùs procedat contrà hujusmodi salvum-conductum, juxtà Cochleum *lib.2.hist.Hussit.* apud Natal.Alex. *hist. dissert. 2.sect.15. & 16.num.15.* S.Antonin. *3.p. Historiar. tit.22.cap.6. §.3.* Minan. *bas.Pontific. Iurisd.tract.2.fund.1.q.6. §.2.num.13.fol.180.* Coriolan. *in Breviar. Chronolog. ad Concil.Constantiens.pag.376.* & fuit definitum in Concil. Constant. *Sess.19.* ubi statuitur, Principem laicum non posse præstare salvum-conductum hæretico cum damno Ecclesiasticæ jurisdictionis, ità ut nihil valeat, si solùm à Judice laico præstetur, & ex dicto Concilio non obligari Judicem Ecclesiasticum ad eam fidem à Principe laico datam servandam, ait Coriolan. *ubi suprà*, Menoch. *dict.consil.100.num.227.*

3 At utiquè à Summo Pontifice, vel à Concilio Ecumenico concedi potest quocumquè modo Salvus-conductus: Verùm in hujusmodi concessione observandum est, an ipsius forma concepta sit, cum clausulâ *justitiâ semper salvâ*? an cum aliquo fine, vel conditione? an tandem amplissimè?

4 Primo casu, attentâ contumaciâ, ac pertinaciâ hæretici, non impeditur concedens, ne possit devenire ad punitionem: Mysinger. *in observation. judicii Imperial.Camer.observ.82.* Everard. SpecKan. *centur.1. quæstion. Iur. quæst.1. §.18.* Petrus Brem. *in libro de securitatis promissionib. & fide publ.* Joannes Molan. *lib.2.de fide hæreticis servandâ*, *cap.3.*

5 Quarè justè Hieronymus de Praga, & Joannes Hus fuerunt cremati, ut videre est apud Cochleum *in historiâ Hussitarum*, Ludovic.Bail. *in summ.Concil. ad Concil.Constantiense*, *tom.1.* Minan. *bas. Pontific. Iurisd. loco citato*, *num.13.* Coriolan. *ubi suprà*, §. *mentiuntur*, & Campianum *in rationibus*, quas obtulit Academicis Angliæ: Hoc pacto conceduntur à supremâ Inquisitione Salvi-conductus Apostatis, & iis, qui confugerunt ad hæreticos, ut se præsentent Romæ, ibiquè sint tuti ab omni molestiâ, ac violentiâ: Secundo casu, quotiescumquè non adsit finis, seù conditio in salvo-conductu expressa; vel si excedatur ipse finis, seù conditio, certum est salvum-conductum nullius esse valoris: Tertio verò casu, utpotè in

7 formâ amplissimâ, salvus-conductus effectum quòad omnia sortitur, nec ei ullo modo derrogari potest: Ità Natal. Alex. *Hist. ubi suprà*, *num.20.* & talis fuit praxis antiqua Ecclesiæ, ut apparet *ex epist.49.* S.Gregorij Papæ *lib.4. registr.ind.13.*

8 Si igitur Princeps secularis salvum-conductum absolutè concederet hæreticis,

ticis, præstaret id, quod ei minimè liceret, & efficeretur de hæresi suspectus, tanquàm hæreticorum fautor, ut innuitur in Concilio Tholosano. Imò Sanchez *in præcept. Decalog. lib. 2. cap. 10. n. 10. vers. nec solùm*, ait, Principem recipientem in suo principatu, & statu hæreticos, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: Quantò magis ergò incideret in hanc excommunicationem, si hujusmodi salvum-conductum elargiretur? Si verò ipsum concederet, at non intuitu hæresis, non incurreret excommunicationem,

10 nec hæresis suspicionem: Imò quamvis ei non liceret impedire, ne Ecclesia procederet contrà hæreticos, quibus ipse impertitus esset salvum-conductũ, tamen teneretur servare fidem, quantum in se esset: Marquez. *in tract. el Gouvernador Christiano*, *lib. 2. cap. 24.* Hæcquè est Catholicorum opinio, exceptis nonnullis, quidquid dicant Limborch. *in histor. Inquisit. lib. 3. cap. 2. pag.* 184. & Bacou. *ubi suprà*, *de pactis*, *disp. 6. litt. A vers. Hæretici*.

Fides enim est servanda, nam veritas postulat, ut non fictè, sed sincerè promittas: Cajetanus *in 2. 2. q. 773. art. 7. sub finem*, & Div. Thom. 2. 2. *qu. 80. art. unico ad* 3. fidelitas exposcit, ut promissa opere adimpleas, ne fias perfidus: Nam promissor non solùm constituit se debitorem, ut caveat mendacium, sed etiam tribuit Jus alteri ad exigendum promissum; idcircò qui jam datam fidem frangeret, esset mendax in verbis, & violaret Jus firmum, quod habet ad rem promissam; ac per consequens ageret contrà virtutẽ fidei, seù fidelitatis: Beccan. *de fide Hæreticis servandâ, lib. 2. cap.* 5. Justitiâ tandem requirit, ut alteri Jus suum tribuas ex conventione quæsitũ: Hinc definitur justitia ab Ulpiano *l. justitia ff. de justitiâ, & jure*, quod sit constans, & perpetua voluntas jus suum cuiquè tribuendi.

11 Cum itaquè nunquàm liceat mentiri, nec perfidus esse; & cum Jus alterius violare injustum sit, hæreticis etiam ipsis servanda est fides: Reinkingk *de Regim. secular. & Ecclesiast. lib. 2. clas. 1. cap. 2. num. 25.* Basilic. *decis. crimin. decis. 2. sub. num.* 18. ubi de veriori: Idcircò Josue pactum cum Cabaonitis initum, illis servavit, & tamen erant infideles, ut ex Beccano recenset in his terminis Bordon. *in Tribun. cap. 14. n. 22.* & ex facto Josue infert D. Ambrosius *lib. 1. de offic. c. 29.* fidem esse inimicis servandam, eò quod fidelitas, & justitia neminem excludant, ut ait Marquez *ubi suprà*, sequendo juris-consultum *in l. 1. ff. de pact.* Idquè firmant D. Augustinus *ep. 2. c. 7. & 225.* Div. Ambrosius *lib. 3 de offic. cap. 10. & lib. 1. cap. 29. & in priori Apologiâ David. cap. 27.* Glois. *in cap. noli 23. qu. 1. & cap. Innocens 22. qu. 4.* Sylvestr. *verb. Gabella 4. q. 4.* Angel. *verb. Pedagium, qu. 7.* Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib. 2. cap. 46.* D. Thom. 2. 2. *qu. 40. art. 3.* Molin. *tom. 1. de Iustit. disput.* 111. Molan. *lib. 1. de fide hæreticis servanda, cap. 14.* Isidorus *lib. 1. Synonimorum, c. 10.* Sotus *lib. 7. de just. qu. 2. art. 1.* & Cicero *lib. 3. de officiis*, ubi affert exemplum Atillii Reguli, qui ut fidem inimicis præstitam servaret, mortem adeò crudelem subire non dubitavit.

12 Imò propter fidem servatam ipse Josue meruit potestatem cohibendi solẽ, nè occumberet, ut producto illius diei tempore hostẽ interimere posset: è contrà quoniam Saul, posthabito hujusmodi pacto multos Cabaonitas interfecit, facta est fames in diebus David tribus annis jugiter; Sedecias quoquè, eò quia resilivit à fœdere, quod percusserat cum Nabuchodonosore, graviter punitus fuit: Habemus etiam in prophanis historiis, quod Uladislaus Poloniæ, & Hungariæ Rex, cum contrà datam fidem bello Amuratem invaserit, cumquè ipse Amurates premi se, & constringi videns, exclamaverit: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contrà pacta jurata bello me invadunt*, statim alea prælii mutata est, nam Uladislaus in medios Turcas impetum faciens equo excussus, & capite truncatus, perfidiæ pænas dedit: Gregorius Scheld. *in suis ad Tarnovanam disputationem notis*, Reinkingk *de regim. secular. & Eccles. lib. 2. class. 1. cap. 2. num. 23.*

13 Adde, quod pacta sunt de Jure gentium, ideò eis obesse nequit diversitas Religionis: *l. nemo ex externis, C. de Iudæis, & Cælicolis*, hinc est, quod contractus cum hæreticis initi sunt validi:

ticis, præstaret id, quod ei minimè liceret, & efficeretur de hæresi suspectus, tanquàm hæreticorum fautor, ut innuitur in Concilio Tholosano. Imò Sanchez *in præcept. Decalog. lib. 2. cap. 10. n. 10. vers. nec solùm*, ait, Principem recipientem in suo principatu, & statu hæreticos, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: Quantò magis ergò incideret in hanc excommunicationem, si hujusmodi salvum-conductum elargiretur? Si verò ipsum concederet, at non intuitu hæresis, non incurreret excommunicationem,
10 nec hæresis suspicionem: Imò quamvis ei non liceret impedire, ne Ecclesia procederet contrà hæreticos, quibus ipse impertitus esset salvum-conductũ, tamen teneretur servare fidem, quantum in se esset: Marquez. *in tract. el Gouvernador Christiano*, *lib. 2. cap. 24.* Hæcquè est Catholicorum opinio, exceptis nonnullis, quidquid dicant Limborch. *in histor. Inquisit. lib. 3. cap. 2. pag.* 184. & Bacou. *ubi suprà*, *de pactis*, *disp. 6. litt. A vers. Hæretici*.

Fides enim est servanda, nam veritas postulat, ut non fictè, sed sincerè promittas: Cajetanus *in* 2. 2. *q.* 773. *art.* 7. *sub finem*, & Div. Thom. 2. 2. *qu.* 80. *art. unico ad* 3. fidelitas exposcit, ut promissa opere adimpleas, ne fias perfidus: Nam promissor non solùm constituit se debitorem, ut caveat mendacium, sed etiam tribuit Jus alteri ad exigendum promissum; idcircò qui jam datam fidem frangeret, esset mendax in verbis, & violaret Jus firmum, quod habet ad rem promissam; ac per consequens ageret contrà virtutẽ fidei, seù fidelitatis: Beccan. *de fide Hæreticis servandâ*, *lib. 2. cap.* 5. Justitiâ tandem requirit, ut alteri Jus suum tribuas ex conventione quæsitũ: Hinc definitur justitia ab Ulpiano *l. justitia ff. de justitiâ, & jure*, quod sit constans, & perpetua voluntas jus suum cuiquè tribuendi.

11 Cum itaquè nunquàm liceat mentiri, nec perfidus esse; & cum Jus alterius violare injustum sit, hæreticis etiam ipsis servanda est fides: Reinkingk *de Regim. secular. & Ecclesiast. lib. 2. clas. 1. cap. 2. num.* 25. Basilic. *decis. crimin. decis. 2. sub. num.* 18. ubi de veriori: Idcircò Josue pactum cum Cabaonitis initum, illis servavit, & tamen erant infideles, ut ex Beccano recenset in his terminis Bordon. *in Tribun. cap. 14. n.* 22. & ex facto Josue infert D. Ambrosius *lib. 1. de offic. c.* 29. fidem esse inimicis servandam, eò quod fidelitas, & justitia neminem excludant, ut ait Marquez *ubi suprà*, sequendo juris-consultum *in l. 1. ff. de pact.* Idquè firmant D. Augustinus *ep. 2. c. 7. &* 225. Div. Ambrosius *lib. 3 de offic. cap. 10. & lib. 1. cap. 29. & in priori Apologiâ David. cap.* 27. Glos. *in cap. noli* 23. *qu. 1. & cap. Innocens* 22. *qu.* 4. Sylvestr. *verb. Gabella* 4. *q.* 4. Angel. *verb. Pedagium*, *qu.* 7. Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib. 2. cap.* 46. D. Thom. 2. 2. *qu.* 40. *art.* 3. Molin. *tom. 1. de Iustit. disput.* 111. Molan. *lib. 1. de fide hæreticis servanda*, *cap.* 14. Isidorus *lib. 1. Synonimorum*, *c.* 10. Sotus *lib. 7. de just. qu. 2. art. 1.* & Cicero *lib. 3. de officiis*, ubi affert exemplum Atillii Reguli, qui ut fidem inimicis præstitam servaret, mortem adeò crudelem subire non dubitavit.

12 Imò propter fidem servatam ipse Josue meruit potestatem cohibendi solẽ, nè occumberet, ut producto illius diei tempore hostẽ interimere posset: è contrà quoniam Saul, posthabito hujusmodi pacto multos Cabaonitas interfecit, facta est fames in diebus David tribus annis jugiter; Sedecias quoquè, eò quia resilivit à fœdere, quod percusserat cum Nabuchodonosore, graviter punitus fuit: Habemus etiam in prophanis historiis, quod Uladislaus Poloniæ, & Hungariæ Rex, cum contrà datam fidem bello Amuratem invaserit, cumquè ipse Amurates premi se, & constringi videns, exclamaverit: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contrà pacta jurata bello me invadunt*, statim alea prælii mutata est, nam Uladislaus in medios Turcas impetum faciens equo excussus, & capite truncatus, perfidiæ pænas dedit: Gregorius Scheld. *in suis ad Tarnovanam disputationem notis*, Reinkingk *de regim. secular. & Eccles. lib. 2. clas. 1. cap. 2. num.* 23.

13 Adde, quod pacta sunt de Jure gentium, ideò eis obesse nequit diversitas Religionis: *l. nemo ex externis*, *C. de Iudæis, & Cælicolis*, hinc est, quod contractus cum hæreticis initi sunt validi:

lidi: Maximè igitur laudandus Caro-
14 lus V. Imperator, qui Luthero Vvormantiam eunti nullam injuriam inferri contrà datam fidem passus est, licet eis contrarium faciendum insinuaverit Echius, ut testatur Marquez *loco cit.* & eò magis laudandus, quandò rogatus à Ludovico Palatino Rheni, cur huic hęretico fidem non violaverit? respondit: *Fidem rerum promissarum, etiamsi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere, oportere*, ut referunt Petr. Gregor. Tholosan. *de Repub. lib. 8. cap. 8. in fine*, Reinkingk *de regim. secular. & Ecclesſ. lib. 2. class. 1. cap. 2. num. 27.* Quini-
15 mò tanta est fidei servandæ necessitas, ut violari non debeat, etiamsi data fuerit à personâ privatâ, dummodò in rebus licitis, & honestis: Sanctarell. *de*
16 *Hæres. c. 10. dub. unic.* Bartholus tamen *in l. conventionum ff. de pactis*, reprehensus à Bodino *lib. 5. de Repub. cap. 6.* quamvis illum sequantur Juris-consulti, dicit quod Tyranno, Piratæ, &c. fides data non sit servanda; sed huic objecto responderi potest, hanc Bartoli assertionem intelligendam esse de fide, quæ daretur à personâ privatâ contrà bonum publicum, ut benè advertit Menoch. *cons. 100. num. 218.* nam esset in re non licitâ: Est enim doctrina Div. Thomæ *in 2. 2. qu. 110. art. 4. ad 5.* quod in
17 duobus casibus fides non sit servanda: Primo casu, quandò id, quod promittitur, licitè servari nequeat; Secundo casu, quandò circumstantiæ supervenniant impedientes, servari fidem præstitam; idcircò licuit Apostolò, non adire Corinthum, contrà quod promiserat: Exceptis his casibus quilibet obstrictus est ad servandam fidem, etiam absquè juramento præstitam: Beccan. *de fide hæreticis servanda, lib. 2. cap. 4. nu. 5.* quamobrem rectè Cardinalis de Lugo *de fide, disp. 19. sect. 2. §. 4. num. 126.* con-
18 futat Hurtad. *qu. 79. §. 53.* dicentem, Principem non teneri servare fidem hęretico datam, nisi ipsam vallaverit juramento: rectè (inquam) nam si data fides est de re licitâ, obligat absquè juramen-
19 to: Aurea siquidem fuit sententia Alphonsi Regis Aragonum, sicut refet Joann. Botter. *de dict. immemorabil. lib. 1.* nimirùm simplex verbum Principis tantumdem debere valere, ac privatæ personæ juramentum; præterquàm quod mentiri est per se illicitum, commercii impeditivum, & fidei catholicę maximè perniciosum, nam quomodò hęretici salvis-conductis freti accederent ad disputationes, quibus veritas confirmatur, si ejsdem mentiri liceret, ut benè ponderat Marquez *loco citato*? Si verò Pactum sit de re illicitâ, non obligat, quamvis adsit juramentũ: Idipsum dicit Simancha *in institut. Catholic. c. 46. n. 52.* Del Bene *p. 1. de offic. S. Inquis. dub. 150. per tot. sect. 4.*

Cum igitur promissio de re illicità non obliget, non est dicendum, quod fidem frangat is, qui hujusmodi promissionem non servat: idcircò malè putant nonnulli, Martinum Papam defini-
21 re voluisse, fidem non esse hęreticis servandam, quandò dehortatus est Alexandrum Lituanię Ducem, ne ullam communionem haberet cum hęreticis, & ut ipsos à se expelleret, non obstante quâcumquè promissione, ut per Bzovium. *ad ann.* 1422. §. 3. Promissio enim de re illicitâ, qualis erat communio cum hæreticis, obligare non poterat: Non ex hoc tamen colligitur, non teneri Principē ad servandam promissionē, quâ ipse se obstringit ad non offendendum hæresiarcham eâ ratione, quia hujusmodi promissio videatur de re illicitâ, cum peccet Princeps, quoties hæresiarcham debitis pęnis non plectit: Tunc enim tantùm tenetur Princeps ad puniendum hæresiarcham, quandò hic sit sub illius potestate: Non dicitur autem ad hunc effectum esse sub potestate Principis hæresiarcha, cui ab ipso promissa sit securitas. Quomodò ergo, replicat Limborch. *in histor. Inqu. lib. 1. cap. 22.* Synodus Constantiensis, postquàm pronunciavit hæreticum Joannem Hussum, ipsum tradidit potestati Sigismundi Imperatoris, qui illi hæresiarchæ securitatem promiserat? Si enim ad hunc effectum Sigismundus nullam potestatem habebat super Husso propter datam fidem, ea sacro-sancta Synodus, cujus potestas non ulteriùs extendebatur, nisi, ut judicaret de fide, & hæreticum de gremio Ecclesiæ projiceret, prout ipsa fatetur, quo jure eumdem hæresiarcham jurisdictioni prædicti Imperatoris relinquendum fore, decre-

crevit, & posteà declarauit, rectè concrematum fuisse à Sigismundo? Huic objectioni, quam impius Limborch promovet, facillimè satisfit, si dicatur,
24 in Ecclesiâ esse potestatem tradendi hæreticum judicio seculari: Hujusmodi autem traditione imponitur Principi seculari necessitas morte puniendi hæreticum, ut dicturi sumus in suâ Sede; & tunc talis Princeps agit, tanquàm executor, non autem tanquàm principalis. Verùm tanquàm executor Sigismundus nullam fidem dedit Joanni Husso, cum eam præstiterit absquè jurisdictione Ecclesiasticâ: Quoniam ergò Synodus Constantiensis nullam fidem dedisset, poterat prædictum hæresiarcham tradere jurisdictioni Sigismundi; & cum hic Imperator tenebatur exequi sententiam Ecclesiasticam, nec tanquàm tâlis executor ullam fidem dederat, rectè flammis tradidit hujusmodi hæresiarcham, ut latè explicat Marquez *ubi suprà*: Et verè Imperator non
25 poterat æquo animo ferre, quod Joannes Hus igni traderetur propter salvum-conductum ei datum, sed sacra Synodus dixit, eum argui non posse de fide mentitâ, quià Concilium ipsum non illi dederat salvum-conductum; & quod Concilium erat majus Imperatore, ideò non potuisse contrà voluntatem Concilij prædicto Joanni securitatem concedere, præcipuè in factis fidei, vt narrat S. Antonin. 3. *par. Historiar. tit.* 22. *cap.* 6. §. 3. & ideò mentiuntur illi, qui dicunt, Concilium statuisse, fidem non esse servandam hæreticis, ut benè adnotat ad rem Coriolan. *in Breviar. Chronolog. ad Concil. Constantiens. fol.* 376.

§. II.

An liceat Principi Seculari permittere hæreticis libertatem conscientiæ?

SUMMARIUM.

1 *Princeps secularis nequit hæreticis permittere libertatem conscientiæ.*

2 *Princeps potest suis subditis nō baptizatis concedere libertatem conscientiæ; secùs tamen subditis baptizatis.*

3 *Vnitati Fidei Catholicæ adversatur libertas conscientiæ concessa hæreticis.*

4 *Nullum exemplum, aut suffragium SS. PP. potest allegari prò hac libertate conscientiæ.*

5 *Exempla SS. Ambrosii, Leonis Papæ, & Ioannis X. qui fortiter restiterunt Principibus prætendentibus dare Hæreticis libertatem conscientiæ.*

6 *Principes olim non solùm Hæreticis libertatem conscientiæ denegabant, sed etiam suspectos de hæresi expellebant.*

7 *Non sunt audiendi illi, qui disputant, an in benè constitutâ Republicâ tollerari possit diversitas Religionum.*

8 *In casu necessitatis potest à Principe permitti libertas conscientiæ.*

9 *Potest Princeps prohibere Catholicos, ne intempestivè aggrediantur Hæreticos.*

10 *Vix potest esse causa justa necessitans Principes ad concedendam hæreticis conscientiæ libertatem.*

11 *Carolus V. reprehensus à Paulo III quod vellet concedere Germanis confessionem Augustanā, & propter eamdem causam Maximilianus Imperator à Pio V.*

12 *Regnū Poloniæ ob concessionem Conventuum Hæreticorum concessam à Rege Sigismundo, hæresibus repletum.*

13 *Honorius Imperator ob libertatem Hæreticis indultam in multas calamitates incidit.*

14 *Nec ad breve tempus licet Principi concedere libertatem conscientiæ.*

15 *Prædicta procedunt multò magis, si Princeps juraverit, se semper Catholicam fidem servaturum, & Hæreticos expulsurum à suo Regno.*

16 *Tale juramentum præstatur à Regibus Hispaniæ, qui se subiiciunt Inquisitoribus.*

17 *Præstatur etiam à Duce Venetiarum, & à Duce Bavariæ.*

18 *Galliarum Rex nunc regnans omnes Hæreticos à suis regnis ejecit.*

1 Ex eodem principio superiùs stabilito, quod solus Pontifex possit disponere de hæreticis in ordine ad religionem, fit evidens, quod Princeps suâ propriâ auctoritate non possit libertatem conscientiæ hæreticis permittere: Fermosin. *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæst.*

*quæst.*44. *de constitut.* latè Card. Albit. *de Inconst. in fide, cap.* 27. *à num.* 32. Azor. *Institut. moral. par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 6. *vers. An Rex tutâ conscientiâ*, Reinkingk *de regim. Eccles. lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 1. *n.* 29. Mattheu *de Regim. Regn. Valent. cap.* 2. §. 2. *num.* 78. & 79. cui opinioni adstipulatur Hurtad. *disp.* 79. *sect.* 5. ubi concludit,
2 quamvis posse à Principe Catholico sinè facultate Summi Pontificis concedi libertatem conscientiæ subditis non baptizatis, quià ii non pertinent ad judicium Ecclesiæ, non posse tamen ab eo hanc libertatem permitti hæreticis, seù subditis baptizatis, in quos cum Ecclesia habeat directam jurisdictionem, nequit Princeps laicus huic Ecclesiæ potestati sinè ejusdem Ecclesiæ consensu præjudicare.

3 Adde, quod unitati fidei nostræ adversatur hujusmodi libertas hæreticis concessa, ut latè probat Beccan. *de fide hæreticis servandâ, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Quæ enim luci cum tenebris communio, quæ Catholicis cum hæreticis, nisi ficta, insidiisquè plena compositio esse potest? Ità B. Pius V. *lib.* 4. *ep.* 1. & sicut monstruosum est, corpus unum plura capita habere, pluresque animas; ità, si plures permitterentur Religiones, monstruosum corpus efficeretur, cum Religio sit caput, & anima in humano Principatu: Ramirez *de leg. Reg. seù de absolut. Princip. potest.* §. 8. *num.* 17. & 18. ideò juremeritò Principi illicitum est, hujusmodi monstruositatem libenter permittere, id quod etiam demonstrat Ludovic. Caracciol. *specul. Princ. lib.* 6. *cap.* 7. *per tot.* Albergat. *in libro*, cui titulus, *Discorsi Politici contra Gio. Bodino, lib.* 5. *cap.* 4. Imò obser-
4 vat Ernestus de Eusebiis *in suo judicio Theologico*, quod nullum exemplum, aut suffragium SS. Patrum, veterum Doctorum, Summorum præcipuè Pontificum prò hac libertate allegari possit, etsi tot hæresum, hæreticorumquè procellis Ecclesia Dei jactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu Sancto suggerente, sæpiùs quæsituros fuisse ejus Antistites, & Doctores, si legitimum esset: Non solùm autem nunquàm eo usi sunt, sed etiam oblatum constantissimè rejecerunt: Div. Ambro-
5 sius enim *in epist.* 33. *ad Marcellinum*, compressit Imperatorē Valentinianum, qui à Justina Matre, fœminâ Arrianâ persuasus dicebat, Templum Arrianis permittendum esse, ac pacem sibi pollicebatur, & tranquillitatem fore in Imperio, si eisdem, licèt diversæ Religionis, locus concederetur, in quo convenire, & legis suæ exercitia frequentare possent. Sanctus Leo quoquè virtutibus, & dignitate Maximus *in epist.* 76. objurgat Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, quod sinat Catholicis permixtos vivere hæterodoxos. Quid dicam de Joanne Chrysostomo, qui Arcadium deterruit, ne Templum Catholicum traderet Gaynæ, adeò potenti, ut videre est apud Spondanum *anno Christi* 400. *num.* 7. Zozimum *lib.* 5. Socratem *lib.* 6. & Solomenum *lib.* 3. *c.* 4. Audiamus Theodoretum *lib.* 5. *cap.* 53. *Gainas quidem*, inquit, *quidam Sytha genere, animo barbaro, insolentiâ planè tyrannicâ, per id temporis Dux fuit: Quem quidem non solùm alii omnes, sed etiam Imperator ipse magnoperè extimavit. Iste labe aspersus Arrianâ, postulabat ab Imperatore unum ex Sacris Templis sibi dari: Imperator autem respondit, se de eâ re capturum consilium, & unum ei curaturum, promittit. Itaquè divino illo Ioanne accersito, ei postulatum Gainæ exponit; commemorat ejus potentiam; moliri tyrannidem indicat; Orat, ut Templo donato, furentem ejus animum placet. Cui nobilis ille Vir: Ne inquit istud illi polliceare, nequè Sanctum dari canibus, mandes; nam nunquàm quidem patiar, ut qui Deum verum sanctè, & augustè laudibus & hymnis celebrant, expellantur à Sacro Templo, idemquè tribuatur his, qui contrà eum loquuntur blasphæmias. Atquè ne barbarum illum omninò metuas, Imperator, sed me, & illum in unum locum convoca, tuquè silentio utriusquè nostrum sermonem ausculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum spero, persuasurumquè, nè postulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, & postridiè ejusdem diei utrumquè accersit. Gaynas quidem promissum exposcit: Magnus autem Ioannes respondet ex adverso: Non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contrà res Sacras temerè moliri. Cui quidem dicendo: Templum sibi dare;*

Respondet Ioannes, Templum Sacrum apertum esse, neminemquè eum prohibere, quominus in eo, si libeat, Deo preces fundat. Tùm Gaynas: At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus alterius sectæ unum Sanctum Templum habere postulo. Atquè istud quidem non immeritò postulo, quippè qui multa bellica certamina prò Romanis confecerim: At præmia, inquit Ioannes, tibi propterea tributa, labores tuos longè superant; Nam Dux es, & honore consulari donatus. Quin etiam debes tecum considerare, qui fueris olim, & quis jam sis; quæ etiam præterita tua inopia, & in quâ tantâ abundantiâ vitam degas; quibus quoquè vestibus priùs indutus esses, quum Istrum trajeceris, & quibus jam opertus: Complectere igitur animo, quàm pauci sint labores, & quàm ampla præmia; atquè noli ergà eos, qui tibi honorem hunc detulerunt, ingratus esse. Hac oratione habitâ Ioannes, celebris totius Orbis terrarum Doctor, os obturavit Gainæ, atquè adeò obmutescere coegit. Temporis autem intervallo interjecto, Gain tyrannidem, quam molitus fuerat, manifestè patefacit, atquè collecto in Thracia exercitu, prædas agere, & multa loca vastare cœpit. Quibus rebus cognitis, omnes, tùm Magistratus, tùm subjecti metu exhorrescere: Atquè nemò erat, qui vel cum eo in acie confligere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tutò posse, existimaverit. Nam barbarum ejus, & crudelem animum quisquè suspectum habuit; Tùm ab aliis timidis cunctis ad hunc fortissimum Virum deventum est, qui nihil moratus, nequè prioris refragationis, nequè natæ ex illâ discordiæ memoriâ, animo prompto hanc legationem in Thracia obiit, quâ re jndicatâ Gainæ, recordatus ille, quâ libertate quondam pietatem defendisset, occurrit Ioanni, longo sanè itinere, & manum ipsius applicuit oculis suis; qui etiam liberos suos, sanctis illius genibus admovit. Ità solet virtus percellere, & pudore suffundere etiam immitissimos.

6 Quinimò olim piissimi Principes, nedùm hæreticis hanc libertatem denegabant, verùm etiam suspectos tantummodò de hæresi à statu expellebant: legimus enim, quod Theodoretus [Episcopus Cyri, qui ex more degebat Antiochiæ, & frequens erat in Synodis, cum in suspicionẽ incidisset, ne qui olim Nestorio favisset, damnatam ejus hæresim roborare conaretur, quâ de re adversùs eum quidam Imperatori libellũ obtulit, jussus est Antiochiâ recedere, Cyrumquè petere, & ibi Ecclesiam suam tantummodò curare; nec ab eâ discedere. Quibus paruit ipse quidẽ, magno tamen, ut justum erat, animi mœrore affectus, quemadmodùm videre est apud Hieronym. *in epist. ad Pammach.* & apud Coriolan. *in Breviar. pag.* 149. Dolebat enim, quod in crimen, vel etiam suspicionem hæresis vocaretur, qui verè orthodoxus esset, sicut ipse questus est, pluribus ad diversos, aliosquè clarissimos viros Consulares, atquè Patricios, scriptis epistolis.

7 Undè explodendos esse illos, qui disputant, an in benè constitutâ Republicâ tollerari possit diversitas Religionum, meritò censuit Joannes à Solorzano *de Gubernat. Indiarum, lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 1. Unitas enim Religionis est pax Ecclesiæ, & neruus Reipublicæ; & è contrà pluralitas Religionum rixas, & contentiones parit: Haberkorn. *de Religion. Iuris consultorum, cap.* 5. *num.* 90. præsertim quià Hæretici sunt deceptores, ventiloqui, & publicæ concordiæ perturbatores, ut in his terminis notat Otho *de jur. public. cap.* 24. *fol.* 710. De hac re Bodinus *lib.* 3. *de Republicâ, cap.* 7. Danæus *lib.* 2. *Eth. Christianæ, cap.* 7. Justus Lipsius *libr.* 4. *politicar. quæst. Centur.* 1. *in fine*, Magerus *de Advocat. armat. cap.* 16. *num.* 593. Mattheu *de regim. Regn. Valent. d. cap.* 2. §. 2. *num.* 77. & Trajanus Boccalinus *Raguagli di Parnaso, tom.* 1. *Raguagl.* 64. ubi latè adversùs Bodinum.

In casu tamen necessitatis putat Beccanus *de fide hæreticis servandâ*, *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 14. permitti posse à Principe hujusmodi libertatem; idemquè tenuit Reinkingk *de regim. Eccles. lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 1. *num.* 30. ubi, quod hoc casu non diceretur favere hæreticis, & sequitur Ernestus de Eusebiis *in judicio Theologico de pace ineunda cum hæreticis*, ubi ait, licere, urgente necessitate, vel gravi periculo, Religionis præsertim, hæresim tollerare, dissimulando pęnam, & ea, quæ ad ejus exercitium sunt necessaria, concedendo, quam permissionem vocat simplicem, & primi generis,

cui

9 cui aliam subnectit, quâ dicit, licitum esse prohibere Catholicis, ne intempestivè hæreticos aggrediendo, vel lacescendo, se, & Religionem in majus discrimen conjiciant, ac utramquè permissionem posse pacto firmare, vel ad tempus indefinitum, vel ad tempus definitum, quousquè credantur eædem necessitatis circumstantiæ duraturæ, censuit Immolens. *post consil.* 241. Mantuæ, rationem assignans, quia naturaliter unicuiquè sui ipsius defensio insita est: Participatio quippè, quæ habetur cum excommunicatis, urgente necessitate, non inducit excommunicationem: Undè quamvis imposita esset Principi excommunicationis pœna, ne Hereticos admitteret in suâ ditione, urgente necessitate, licebit ei absquè incursu in excommunicationem ipsos receptare, ac tollerare, eo modo, quò licuit Carolo V. ut ait Mantua *d. cons.* 241. & ratio à priori est, quia qui ex necessitate agit, dicitur potiùs pati, quàm agere, juxtà Mantuam *ibidem*. Adde, quod hujusmodi permissio non est intrinsecè mala, id quod probatur exemplo Dei peccata, & hæreses permittentis.

10 At ego vix puto, reperiri posse hujusmodi causam, ut quoquè docuit Tannerus *loco sup. cit. assert.* 2. *num.* 34. & contrà Benedictum Carpzou, Auctorem reprobatum, *in l.l. regias Germanorum, cap.* 3. *sect.* 6. multis tuetur respondendo contrariis: Diana *tom.* 9. *tract.* 4.
11 *per totum*; & quidem Carolus V. Imperator, alioquin piissimus, subiit reprehensionem Summi Pontificis Pauli III. cujus Bullam in extensum affert Eminentissimus Pallavicinus *in sua hist.* & Maximilianus Imperator, dum cogitabat, confessionem Augustanam concedere Germaniæ, & præcipuè Dynastis, ac Principibus Austriæ, acriter reprehensus fuit à Beato Pio V. sub interminatione excommunicationis, & privationis Imperii, nisi ab hoc abstinuisset, prout habetur *in vita ejusdem B. Pontificis*: Et juremeritò reprehensus fuit
12 Maximilianus. Quis enim ignorat propter segnitiem Sigismundi Regis Poloniæ, qui Sectariis conventus habendi potestatem fecit, & Templa ad novæ Religionis exercitium postulantibus præbuit, brevi tempore hæresim ad omnes Regni Ordines pervenisse, teste Florimundo Remondo *lib.* 4. *de ortu, & progressu hæres. cap.* 8. *num.* 2.? Imò post Sigismundi mortem, in Comitiis non tantùm per modum tollerantiæ, verùm etiam publicâ lege conscientiis, ac omnis generis Religionibus laxatæ sunt habenæ, ut narrat idem Remondus *loco cit. cap.* 12. *num.* 6. & tantas vires accepit hæresis in Polonia, ut Henricus III. eo Regno inauguratus, coactus fuerit, permittere hanc libertatem, quæ tot, tàmquè diversas Sectas in illud Regnum invexit, ut ejus perpurgandi spes
13 nulla sit. Etiam antiquitùs experientia Honorium Imperatorem docuit, libertatem Hæreticis indultam in magnum Christianæ Religionis dispendium redundasse, ut testatur Baronius *anno Christi* 410. quarè hic Imperator jam anteà concessam Donatistis libertatem, ne adeò præjudicaret Catholicæ Religioni, instantibus Affricæ Episcopis, dato rescripto ad Heraclianum Affricæ Proconsulem, brevi tempore rescidit; & observatur, quod postridiè ejus diei, quo Urbs capta est ab Alarico, datum est hujusmodi rescriptum, quo imminentem Urbi extremam cladem Deus avertit: Nam eamdem Urbem captam tunc Alaricus, quasi fugitivus reliquit:
14 Spondan. *ad ann.* 410. Quinimò nec ad breve tempus licet Principi permittere libertatem conscientiæ, eò quod, ut diximus, solus Summus Pontifex possit disponere de hæreticis in ordine ad Religionem: Wandingus *de contract. disp.* 3. *dub.* 4. Diana *par.* 10. *tract.* 3. *resol.* 3. *vers. verùm non obstat*.

Hæc omnia eò magis sibi locum vindicant, si Principes juraverint, se semper Catholicam fidem servaturos, ac à finibus suorum Dominiorum expulsuros hæreticos, prout tenentur, juxtà dispositionem sacrorum Canonum *in cap. ad abolendum §. statuimus, extr. de hæret. cap. excommunicamus il primo §. monentur, eodem tit. & cap. ut officium in §. Statuimus, de hæret. in* 6. (Vide Del Bene *par.* 1. *dub.* 26. *num.* 22. & 33.) & tenentur in quibusvis terris, etiam non suspectis, quemadmodùm ait Cardinal. Zabarella *in d. cap. excommunicamus §. Moneantur, antè num.* 1. reprobatâ Hostiensis opinione.

Hujus-

16 Hujusmodi juramentum præstari ab invictissimis Regibus Hispaniarum, qui etiam se subjiciunt Inquisitorum jurisdictioni, testantur Carena *in anteludiis* §. 5. *num.* 69. & post Martham *de jurisdict. par.* 1. *cap.* 26. *num.* 94. Solorzanus *de Gubernat. Indiarum, lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 92. & fuisse præstitum ab Imperatoribus, & ad usquè sua tempora præstari, tradit Mager. *de Advocat. armat. cap.* 5. *à nu-*
17 *mer.* 143. Præstatur etiam hodiè à Duce Venetiarum, & à Duce Bavariæ, quarè falsa in aliquâ parte est sententia Hostien. asserentis, quod de consuetudine hoc juramentum non præstatur: latè Albit. *de Inconst. in fide*, *cap.* 26. *à num.* 10.

18 Imò potentissimus Galliarum Rex, nostri temporis Alexander, ab universâ suâ Monarchiâ Hæreticos omnes ejecit, quo facto manifestum reddidit, nisi Hæretici extirparentur causâ fidei, essent extirpandi, ut Regna, & Dominia magis consisterent, ac florescerent, cum, ait D. Thomas *opusc.* 20. *lib.* 2. *cap. ult.* veram Religionem, quasi Comites, potentia, & sapientia semper sequuntur, & Hæretici tollerati semper Regnis ruinam, & detrimentum intulerunt, ut pluribus cumulatis exemplis, ostendit Maucler. *de Monarchia Eccles. & Secular. par.* 4. *libr.* 6. *cap.* 16. *circà finem*.

§. III.

An liceat in Hæreticos conferre dignitates.

SUMMARIUM.

1 *Hæretici sunt incapaces quarumcumquè dignitatum.*
2 *Hæretici sunt infames.*
3 *Est de hæresi suspectus, qui Hæreticis dignitates confert.*
4 *Iuliani Apostata lex adversùs Christianos, ut à militiâ pellerentur, & à dignitatibus arcerentur.*
5 *Bona Hæreticis collata, non solùm eos in errore confirmant, sed etiam alios alliciunt.*
6 *Baldellus perperàm scripsit, in Regionibus infectis excusari Catholicos, qui Hæreticis dignitates conferunt: Respondetur rationibus Baldelli, & n.* 11. 12. *&* 13.
7 *Sacra Congregatio Sancti Officii declaravit, Hæreticorum beneficia vacare à die criminis commissi.*
8 *Henricus IV. Hugonottis pacem, & libertatem concessit, eâ conditione, quod restituerent bona Ecclesiastica erepta.*
9 *Nec Summus Pontifex potest Hæreticis conferre dignitates.*
10 *Pius IV. Cardinalem Odectum privavit Cardinalatu.*
14 *Possumus à Tyranno justitiam petere, non obstante, quod aliquod malum sit, eam petere.*
15 *Phoca electus Imperator ob populi peccata.*
16 *Reiicitur doctrina, quod præsentatio Hæretici ad juspatronatus sit materialis, scilicet ad percipiendos tantùm fructus.*
17 *Nunquàm Summus Pontifex dispensavit, ut Hæretici retinerent redditus Ecclesiasticos.*
18 *Principes debent eniti, ut bona ab Hæreticis usurpata, restituantur.*
19 *Carolus Magnus defensionem bonorum Ecclesiæ mandat in suo testamento.*
20 *Adrianus Papa impulit Carolum Magnum ad bona Ecclesiæ tuenda.*

1 QUARUMCUMQUE dignitatum incapaces sunt hæretici, ut patet ex Concil. Arel. 7. ubi ipsi à Præfecturis, cæterisquè Magistratibus penitùs excluduntur, quod etiam cavetur *in l.* 1. *C. de Hæretic. & Manich. & Novell.* 109. *de Privileg. Dot. hæretic. Mulier. non præstand.* Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 8. Trentacinque *var. resol. lib.* 1. *resol.* 1. *de legitim. nu.* 7. Campanil. *diversor. jur. canon. rubr.* 11. *cap.* 26. *num.* 5. *& seqq.* Ricciull. *de jur. personar. lib.* 5. *cap.* 20. *numer.* 5. *&* 6. Incapaces, inquam, sunt dignitatum Hæretici, non solùm illarum, quas habent, sed ad novas nequeunt pervenire: *cap. ut commissi §. Privandi, de hæretic. in* 6. & docent Sanchez *ad præcept. Decalog. lib.* 2. *cap.* 26. Ricciull. *de jur. personar. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 8. Justo quidem
2 judicio; nam cum hæretici profiteantur vitæ genus à divinis, humanisquè legibus reprobatum, infames redduntur: Bar-

Bartol. *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* Ricciull. *d. cap.* 20. *num.* 1. *lib.* 5. Canter. *qu. crimin. cap.* 1. *de hæretic. num.* 9. *vers. secunda pœna*, Castr. *de just. hæreticor. punit. cap.* 9. *lib.* 2. & per consequens indigni publicis oneribus. Opponuntur enim adinvicem infamia, & dignitatum collatio: Quamobrem absurdum est, tàm monstruoso nexu ipsas conjun-
3 gere: Itaquè attentâ in ipsis Hæreticis hujusmodi incapacitate, quicumquè eis dignitates conferret, efficeretur de hæresi suspectus, & esset Hæreticorum fautor: Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. Navarr. *in Man. cap.* 23. *num.* 55. Duard. *ad Bullam Cœnæ, lib.* 2. *fol.* 140. *num.* 8. Siquidem directè cooperaretur hæresi: Fama enim præ aliis bonis hujus vitæ æstimatur, imò eam vitâ ipsâ potiorem multi habent. Porrò dignitatum collatio conciliat famam, & bonam
4 existimationem. Hinc Julianus Apostata, inter alia persecutionis in Christianos efferata gesta, legem tulit, ut Christiani à militiâ pellerentur, & à quibuscumquè dignitatibus, & regimine Provinciarum arcerentur. Si conferantur igitur Hæreticis dignitates, conciliatur hęresi species boni etiam honesti: Verùm ex se hæresis propter libertatem carnis videtur bonum delectabile; ergò per hujusmodi dignitatum collationem videbitur etiam bonum utile, & bonum honestum: Hæc autem rei inhonestissimæ speciosa honestas, cui non deesse videntur cætera bona, non solùm per
5 se hæreticos in errore confirmat, verùm etiam alios allicit: Bonum enim omnia appetunt, juxtà Aristot. 1. *Ethic. cap.* 1. idcircò hoc pacto augetur, & stabilitur hæresis: Crescit ratio, si sermo
6 sit de dignitatibus Ecclesiasticis: Quamobrem perperàm Baldell. *de fide, & infid. lib.* 1. *disput.* 44. *num.* 15. ait, in regionibus hæresibus infectis excusari Catholicos, qui Hæreticis conferunt dignitates, & sub *num.* 76. dicit, posse à Catholico pręsentari ad juspatronatum hęreticum, si id fiat ad evitandum majus malum.

Hujusmodi doctrina non videtur consona pietati Catholicæ; nam transeat, quod in supradictis Regionibus conferri possint hæreticis non denunciatis dignitates civiles, necessitate impellente, quamvis hoc sinè Religionis Catholicę jacturâ contingere nequeat, ut sapienter monuit B. Pius V. *lib.* 1. *epist.* 7. non tamen conferri possunt dignitates Ecclesiasticæ, quarum incapaces sunt hæretici, tanquàm irregulares: Hor-
7 tatur proindè B. Pius V. *lib.* 4. *epist.* 9. Episcopum Herbipolensem, ne quis alienatus à Catholicâ Religione, sivè alioquin suspectus de hæresi, quantumvis illustris, & potens, in capitulum, collegiumquè illius Ecclesiæ ullo modo recipiatur, non obstante quocumquè periculo. Imò Sac. Congr. S. Officii penès Bordonum *in Tribun. cap.* 12. *num.* 37. declaravit, hæreticorum beneficia vacare à die commissi criminis, & proindè Summus Pontifex specialiter sibi reservavit hujusmodi beneficia, nullatenùs conferenda, nisi specialis mentio de crimine hæresis, propter quod vacant, habeatur, etiam per Sanctitatem suam, aliter nulla sit collatio. Porrò hoc decretum fuit deinceps à Pio V. confirmatum, ut testatur idem Bordon. Narrat propterea Petrus Matteus *lib.* 2. *hist. sui temporis*, concessam fuisse pacem, & libertatē Hugonottis ab Henrico IV. sed inter alias hac conditione, quod hęretici restituerent omnia Ecclesiastica jura, & bona Catholicis anteà erepta: Undè Rex ille, quàmvis sibi persuasisset, ob necessitatem se posse permittere hanc libertatem, agnovit tamen, non licere, hæreticos manutenerì in possessione dignitatum Ecclesiasticarum, non obstante quâcumquè necessitatis circumstantiâ.

9 Quinimò nec Summus Pontifex potest hæreticis conferre dignitates Ecclesiasticas: Quamvis enim possit extinguere bona Ecclesiastica, & dare secularibus, ut facere voluisse Paschalem II. testatur Petrus Diaconus *lib.* 4. *Chron. Cassianen.* nihilominùs ea bona Ecclesiastica non possunt dari hæreticis, nec etiam Catholicis secularibus, nisi ex causâ magni momenti bonum Religionis concernente, eò quià dispensator fidelis Patrimonii Christi esse debet Pontifex: Adde, quod hujusmodi dignitates habent sibi annexum aliquod officium spirituale, quod peragitur, vel ad fidelium salutem, vel ad Dei honorem: Porrò hoc jus Christo, & Eccle-

Ecclesiæ Dei aquisitum cedere nequaquàm potest Pontifex. In quâ re emicuit Zelus Apostolicus Pij IV. qui *ann.* 1563. Cardin. Odectum, pròut scribit Spondanus *ad dictum annum. num.* 21. prolapsum in hæresim Hugonottorum, nedùm declaravit hæreticum excommunicatum, ac fidei Catholicæ desertorem; sed etiam eumdem privavit omni Cardinalatus dignitate, & commodo, necnon ab omni Ecclesiæ privilegio depositum, & Bellovacensis Episcopatus administratione incapacem, & inhabilem. Nec his contentus, effecit Sanctissimus Pontifex tùm ut volens nollens habitum Cardinalatus dimitteret, tùm ut ei locus in utroquè Galliæ consilio denegaretur.

11 Ratio, quæ assignatur ab ipso Baldello, nullius ponderis est: Potest enim tolerari aliquod malum, ut aliud malum eo majus evitetur; sed nullo modo licitū est hoc fine cooperari ad malum: Barbos. *ad cap. duo mala, dist.* 13. *n.* 21. Sotus *de just. & jur. lib.* 6. *qu.* 1. *art.* 5. *vers. item alteri*, Acunna *ad cap. quod ait, vers. in gloss. periculosissimè*: Nam com-
12 mitti majus malum, pendet à malitiâ alienâ, quæ non potest nos cogere ad minus malum perpetrandum. In casu necessitatis debemus evitare majus malum; at in casu, in quo evitare minus malum, pendet à voluntate, debemus & minus quoquè malum evitare: Molin. *de contract. disp.* 35. *vers. ad secund.*

13 Non obstat, quod rectè Judas dederit consilium Fratribus, ut Joseph venderent, quem cogitabant occidere, quia consulendo minus malum non peccatur: Secùs illud committendo, ut ab altero majus malum evitetur, quemadmodùm benè advertit idem Molina *ubi suprà*. Hac ratione utiquè licitum est, petere justitiam à Tyranno; nam si ipse peccat occupando Dominium, magis peccaret, si negligenter illud administraret; sed quia petere, magis est, quàm consulere, crederem, non esse licitum petere minus malum, ut majus ab altero evitetur: Verùm cum adsint aliæ
14 rationes, quas affert Less. *de just. & jur lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 9. *nu.* 72. & 74. ad contrarium probandum, verius existimandum videtur; quod à Tyranno justitia possit peti, non obstante, quod aliquod malum sit, illam petere: Non proindè assentior illis, qui putant, Tyrannum dari à Deo, ità ut Elisabetha, qui Regnum Angliæ sibi usurpavit, licet fuerit Tyranna, & Rebellis, qualiscumquè extiterit, à Deo data fuerit: Ex quo principio sequitur, nos nedùm posse justitiam petere à Tyranno, sed ipsum uti verum Principem recognoscere: Non assentior (inquam) quia legittimus Princeps à Deo directè datur; illegittimus verò permittitur tantummodò, ut docet S. Thom. *in opusc.* 19. cui subscribunt Scholastici communiter. Permittitur quidem ad pu-
15 nienda peccata populi, quod revelavit Deus cuidam servo suo, secutâ electione Phocæ ad Imperium, his verbis: *Non inveni illo pejorem, quià sic meruerunt Constantinopolitanorum flagitia*, & tradunt Majol. *dier. Canicul. tom.* 1. *colloq.* 2. *pag.* 109. & *tom.* 3. *coll.* 1. *pag.* 371. Joan. à Torquemada *in Monarchiâ Indicâ, lib.* 6. *cap.* 8. Solorzan. *de jure Ind. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 11.

16 Nec officit, quod subjungit Baldell. scilicet præsentationem hæretici ad Juspatronatum esse præsentationem ad fructus, sivè redditus beneficii Ecclesiastici materialiter tantùm percipiendos; nam in primis hujusmodi Baldelli discursu facilè abuti possunt Simoniaci præsentatores ad Ecclesiastica beneficia, prætexentes se præsentare prò pretio temporali ad redditus beneficii Ecclesiastici materialiter tantùm percipiendos, qui est sensus propositionis 22. ex damnatis ab Alex. VII. his verbis conceptæ: *Non est contrà justitiam, benificia Ecclesiastica non conferre gratìs, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente non exigit illam prò collatione beneficii sed veluti prò emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur*. Deindè nunquàm Pontifex dispensavit, ut hæretici possent licitè retinere redditus Ecclesiasticos; & rationabiliter nam cum ipsi, eò quia nequeant exercere officium spirituale, sint incapaces titulorum, à quibus fructus dependent consequenter sunt incapaces ipsorum fru-

fructuum : *cap. 1. de reg. jur. in 6.*

18 Quinimò Principes, quia ipsi tenentur defendere Ecclesiam, & defensio est propulsatio offensionis, non solùm imminentis, verùm etiam præteritæ, ut demonstrat auctor opusculi, cui titulus est, *An pax qualem desiderant protestantes,&c. sit secundùm se illicita, not. 7. resp. 2.* niti debent, ut bona Ecclesiæ recuperent ab hæreticis usurpata, atquè ab ipsis exigant *plenarias Beati Petri justitias* (ità appellantur apud Anastasium bona Ecclesiæ Romanæ injustè erepta) :Ut autem rationes, & exempla, quæ ad hanc veritatem comprobandam afferuntur ab auctore dicti opusculi, omittamus brevitatis causâ, satis est, quod hìc recenseantur verba testa-

19 menti Caroli Magni, quibus hoc defensionis officiũ hæreditarium reliquit: *Super omnia autem jubemus*, ait piissimus Imperator, in suo Testamento penès Baron. *anno Christi 306. num. 24. ut ipsi tres fratres* (Ludovicus, Pipinus, Carolus) *curam & defensionem Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab Avo nostro Carolo, & Beatæ memoriæ Genitore Pipino Rege, & à nobis posteà suscepta est, ut eum cum omni adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantùm ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant: Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, ut justitiam suam, & honorem habeant, & Pastores, & Rectores venerabilium locorũ habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa loca pertinent.*

20 Ad hanc justitiæ pietatem jam diù impulerat Carolum Magnum Adrianus Papa per suam epistolam, & ejusdem Pontificis extat epistola ad Bettaricum Archiepiscopũ Viennensem, quâ ei notificat, se egisse cum Carolo Magno, ut jura Ecclesiarum, & Civitates restituerentur, quæ à Tyrannis per octoginta ferè annos erant usurpata; ex quâ sacrilegâ usurpatione scribit Agobardus Lugdunen Archiepisc. quod plerique Sacerdotes in Galliâ invenirentur, qui, aut Mensas nobilium administrarent; aut Caballos regerent; aut canes ducerent; aut Vina miscerent; aut agellos colerent: Qui hac tempestate ad hujusmodi indecora impellunt presbyteros, videant ipsi.

SECTIO II.

De Hæreticorum defensoribus.

SUMMARIUM.

1 *Hæreticorum Defensores sunt de hæresi suspecti.*

2 *Violatores Constitutionis* Si de protegendis *sunt de hæresi vehementer suspecti.*

3 *Hæreticorum Defensores sunt illi, qui vel defendunt hæreses, vel Hæreticos.*

4 *Hæreticorum Defensores sunt illi, qui noscentes errores illorum, eosdem tuentur, ne puniantur.*

5 *Qui Hæreticos putatos defendunt, abjurare coguntur, licèt non incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

6 *Defendere dicuntur Hæreticos in judicio, qui eos defendunt tanquàm Advocati, & Procuratores.*

7 *Quandò non constat, Clientem esse Hæreticum, defenditur in judicio ab Advocatis.*

8 *Sinè licentiâ Inquisitionis non potest quis patrocinari Hæretico in judicio.*

9 *Advocatus deputatus à sancto Officio ad tuendos Hæreticos debet eos hortari, ut veritatem fateantur & contumaces repertos derelinquere.*

10 *In causâ gravi annuitur petitioni eorum, de quibus dubitetur, an sint Hæretici.*

11 *Quanta sit æquitas Tribunalis S. Officii in concedendis Defensoribus Reis inquisitis?*

12 *Nulla est renunciatio defensionũ à Reis facta.*

13 *Imò Rei defensionibus non destituuntur, etiamsi fassi sint delictum, vel hoc sit notorium.*

14 *Qui dicantur defendere Hæreticos extrà judicium?*

15 *Catholicus, si est subditus Hæretici Principis, potest prò eo militare, quoties bellum non sit adversùs Religionem; secùs, si bellum sit contrà Catholicam Religionem.*

16 *Secundùm hanc regulam procedebant milites Christiani in exercitu Iuliani Apostatæ.*

17 *Si quis militaret prò Principe acatholico contrà Religionem ad pœnam effu-*

effugiendam, non esset de hæresi suspectus.

18 *Christianis Captivis licet in Saracenorum navibus remigare contrà Christianos, ob timorem mortis; sed dum descendunt in terras Christianorum, non licet eis devastare domos.*

19 *Non licet deferre arma ad infideles, & deferentes, vel transmittentes sunt de hæresi suspecti.*

20 *Si arma deferantur prò redemptione Captivorum, non incurritur hæresis suspicio, nec excommunicatio Bullæ Cœnæ.*

21 *Canonistæ putant in dicto casu, Christianos non posse arma ad infideles deferre quotiès contrà Christianos habent bellum.*

22 *Theologorum opinio est in contrarium.*

23 *An vendentes arma infidelibus in terris Christianorum, incidant in Bullam Cœnæ?*

24 *Quid dicendum de Christianis vendentibus arma iis, quos sciunt ad infideles delaturos.*

25 *Prædicta Theologorum opinio limitatur respectu deferentium arma in tali quantitate, ut periculum causaretur Christianæ Reipublicæ.*

26 *An si deferens arma ad infideles sit Mercator, incidat in pœnas Bullæ Cœnæ.*

27 *Impedientes Ministros Sancti Officii, semper sunt denunciandi sub pœnâ excommunicationis ipso jure.*

28 *Hujusmodi impedientes non semper sunt de hæresi vehementer suspecti.*

29 *In Regionibus Catholicorum non præsumitur, quod impedientes Ministros Sancti Officii, id præstent, vel hæresis intuitu, vel in odium fidei.*

30 *Qui per se ipsum impedit Ministrum Sancti Officii, incurrit excommunicationem,* Si de protegendis. *Sed quid dicendum de eo, qui impedit per alium?*

31 *Quid dicendum de eo, qui ratum habuit dictum impedimentum.*

32 *Qui veniant nomine impedientium Ministros S. Officii?*

33 *Ministri Sancti Officii directè dicuntur impediri, quandò non alio prætextu, sed principaliter impediantur.*

34 *Directè dicuntur illi impediri, si Princeps statuat, ne aliquis accusari, vel inquiri possit de crimine hæresis.*

35 *Magis directè dicitur impedire Princeps, si permittat Catholicos convolare ad sectam Hæreticorum.*

36 *Disparitas inter Deum permittentem, Catholicos involvi Hæreticorum erroribus, & Principem permittentem, subditos Catholicos confugere ad Hæreticorum castra.*

37 *Magistratus Seculares dicuntur directè impedire Sanctum Officium, si velint cognoscere de crimine hæresis.*

38 *Delictum hæresis est merè Ecclesiasticum.*

39 *Magistratus tenentur jurare se servaturos decreta contrà Hæreticos, aliàs sunt de hæresi suspecti; pœnam excommunicationis incurrunt, & privantur Dignitatibus.*

40 *Imò nec incidenter de crimine hæresis cognoscere possunt.*

40 *An directè dicantur illi impedire, si velint cognoscere de crimine hæresis privativè quoad S. Officium?*

42 *Non decet, S. Officium dependere à Curiâ Laicali.*

43 *Si Princeps conderet Statutum, ne possit aliquis Hæreticus capi absquè sui licentiâ, esset illud nullum.*

44 *Impediri dicuntur directè Ministri S. Officii, quandò occiduntur, vulnerantur, vel offenduntur.*

45 *Bordonus tenet, quod in Bullâ,* Si de protegendis, *non comprehendantur Imperatores, nec Reges, nec Cardinales.*

46 *Addit idem Bordonus, de Cardinalibus, non esse congruum, ut comprehendantur.*

47 *An Magistratus, prohibentes aliquem carcerari à Ministris Sancti Officii ad propriam jurisdictionem tuendam, dicantur directè impedire.*

48 *Distingue: si sit notorium, Inquisitorem sinè jurisdictione procedere, non dicuntur directè impedire; secùs, si non sit notorium, & num.* 49.

50 *Indirectè dicuntur impediri Ministros S. Officii, quandò non principaliter, sed consecutivè impediuntur.*

51 *Item, si Magistratus vellet exercere jurisdictionem in exemptos.*

52 *Vel, si Ministris arma gestare prohiberet.*

53 *Inqui-*

53 *Inquisitores habent familiam armatam pro eorum jurisdictione exercendâ.*
54 *Familia Inquisitorum constat Apparitoribus, vel Satelitibus, vel Familiaribus.*
55 *Omnes isti gaudent privilegio deferendi quælibet arma, quæ solent deferri ab Officialibus, & Biruariis Curiæ Secularis.*
56 *Non possunt tamen deferre archibusetos brevioris mensuræ, nec pugiones, seù stilletos: Deferentes tamen non sunt subjecti Curiæ Seculari.*
57 *A fortiori eodem privilegio gaudent Vicarii Foranei, Notarii, Cancellarii, Fiscales, Scriptores.*
58 *Consultores possunt concedere uni famulo licentiam deferendi arma, non solùm, dum eos comitantur, sed etiam dum soli incedunt.*
59 *Hujusmodi licentiæ expediri solent immediatè ab Inquisitoribus.*
60 *Gaudentes eo privilegio, debent secùm portare suas patentes literas.*
61 *Privilegiati debent vocare testes, si aliæ Curiæ Executores prætendant, eos capere propter arma.*
62 *Sacra Inquisitio habet quamplures, qui fori privilegio gaudent.*
63 *Consultores, si delinquant in officio, subduntur jurisdictioni Inquisitoris privativè.*
64 *Consultores Inquisitionis Neapolitanæ, & Militensis sunt in omnibus causis exempti à jurisdictione Curiæ, tàm Secularis, quàm Ecclesiasticæ.*
65 *Sunt etiam familiares S. Officii immunes ab oneribus, sed limita.*
66 *Non sunt cogendi ad servitia militaria, nisi in casu necessitatis; & tunc, nisi sint occupati in servitium Sancti Officii.*
67 *Meritò Sacra Inquisitio habet familiam armatam ab omni jurisdictione exemptam.*
68 *Inquisitori competit hujusmodi exemptio, non tantùm de jure, sed etiam de congruo.*
69 *Summus Pontifex ex justâ causâ potest eximere Laicos à jurisdictione laicali.*
70 *Communis opinio Theologorum, & Canonistarum etiam est, quod Summus Pontifex habeat universaliter dominium suprà omnes gentes, mediatè, & indirectè.*
71 *An autem habeat hujusmodi dominium directè, & immediatè, gravis est inter Doctores controversia.*
72 *Justa causa exemptionis est, ut causæ fidei breviùs, & rectiùs expediantur.*
73 *Qui hujusmodi exemptionem negaret, vel impediret armorum delationem, posset puniri, tanquàm violator Sacri Tribunalis.*
74 *A personis privatis dicuntur impediri indirectè Ministri Sanctæ Inquisitionis, quandò domi detinentur testes, ne examinentur.*
75 *Minantes vel testes, vel Ministros Sancti Officii, dicuntur indirectè impedire.*

1 QUOD Defensores hæreticorum sint de hæresi suspecti, clarè elucescit ex ijs, quæ suprà quòad fautores insinuavimus: Idem est enim defendere, ac favere, cum defensio includat favorem: Sanctarell. *de hæresi cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 25. & Bordon. *in Tribun. cap.* 12. *n.* 38. ubi addit, quod omnes receptatores, & defensores continentur sub verbo *fautoris*, tanquàm sub genere; id, quod habetur in Concilio Narbonensi, & traditur à Fagundez. *in* 1. *præcept. decalog. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. Sess. *decis. Aragon.* 474. *n.* 4. *vol.* 4. Fermosin. *tract. crim. tract.* 2. *in*
2 *cap. sicut de hæretic. qu.* 1. *num.* 13. Adde, quod violatores constitutionis, *Si de ptotegendis*, sunt vehementer suspecti de hæresi, ut docet Bordon. *in Tribun. cap.* 29. *num.* 34. Porrò ratio, quàrè prædicti violatores incidant in hujusmodi suspicionem, est Odium S. Officii, ut innuit idem Bordon. *loco cit.* at potior ratio incurrendi talem suspicionem est odium fidei, prò quâ tuendâ totam operam impendit Tribunal S. Officii: Sunt igitur hujusmodi defensores vehementer suspecti: Eymer *part.* 2. *quæst.* 25. *& ibi* Pegna *comm.* 78. Fulcodius *quæst.* 12. *in fin. & ibi* Carena *num.* 5. quos citat, & sequitur Albitius *de incostant. in fide*, *cap.* 27. *num.* 3. Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 37. *& seqq.* Ricciull. *de jur. personar. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 14. & 15. Fermosin. *in d. cap. sicut, sub. num.* 2.
3 Verùm, quia hæreticorum defensores sunt

sunt tàm illi, qui hæreses defendunt, & hi vocantur hæresiarchæ, de quibus hic non est sermo; quàm qui personas hæreticorum tuentur: Farinac. *de hære- qu.* 182. *num.* 63. Lupus *in edict. par.* 2. *lib.* 14. *dist.* 5. *art.* 4. *diff.* 1. Pistachius *de superstit. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 26. Fermosin. *loco cit. num.* 2. De his postremis agendum est.

4 Hi autem definiuntur, quod sint illi, qui hæreticos, quorum errores sibi noti sunt, aliquo modo tuentur, ne puniantur, & hoc, motivo hæresis: Lupus *ubi suprà, diff.* 2. Bordon. *in Tribunal. cap.* 12. *num.* 37. Fagundez. *d. cap.* 13. *num.* 17. Carena ad Fulcod. *dictâ q.* 12. *num.* 4. Sanctarell. *de hæresi, c.* 11. *dub.* 3. *num.* 25. P. del Bene *de offic. S. Inq. dubit.* 26. *corollar.* 2. *num.* 1. Fermosin. *d. q.* 1. *num.* 13. & alii, quod etiam innuit Farinac. *de hæresi, qu.* 182. *num.* 68. nec diversimodè definit hujusmodi defensores Concilium Tarracenense sub Innocentio IV.

5 Dixi, *qui hæreticos tuentur*, seù reverà tales sint, seù reputentur: Quamvis enim, qui defendunt putatos hæreticos, non incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut probat Lupus *dict. differ.* 2. coguntur tamen abjurare, & puniuntur, quia, affectum culpabilem ad hæresim se habere, ostendunt.

6 Porrò defenduntur hæretici, vel in judicio, vel extrà Judicium: In Judicio hi dicuntur, hæreticos defendere, qui tanquàm Advocati, & Procuratores illos defendunt: Zabarell. *in cap. si advers. num.* 1. *de hæretic.* Fermosin. *ibid. qu.* 1. *num.* 5. Xamar. *de offic. Iudic. par.* 2. *qu.* 3. *num.* 63. Afflict. *in constitut. Regn. de hæretic. rubr.* 1. *num.* 46. Simanch. *de Catholic. tit.* 15. *rubr. de credentibus*, Farinacc. *qu.* 197. *num.* 55. Duard. *in Bull. lib.* 2. *fol.* 140. *nu.* 9. Clar. *sen. lib.* 5. §. *hæresis*, *n.* 19. ibiquè Addentes, latè Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *nu.* 13. *& plur. seqq.* usquè *ad num.* 31. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 39. Quod tamen intelligi debet, duabus circumstantijs concurrentibus, quarum prima est, juxtà Oldradum *in cons.* 220. quandò ipsis Advocatis, vel Procuratoribus constet,
7 suum Clientem esse hæreticum; secùs, quandò dubitarent, an esset hæreticus: Tunc enim ille, de quo dubitaretur, an esset hæreticus, egeret suo Patrono ad sui defensionem: *l. ut vim ff. de justit. & jur. Clement. pastoralis* §. *Cæterum defectus*, *de sententiâ, & re judic.* Paramus *De origine S. Inqu. lib.* 3. *q.* 9. *num.* 99. Sess. *decis.* 474. *nu.* 10. Fermosin. *tract. crimin. dict. tract.* 2. *in cap. si advers. qu.* 1. *num.* 21 *de Hæretic.* Xamar *ubi suprà*, *sub n.* 63. P. del Bene *dub.* 26. *petit. unic. numer.* 9. Duard. *d. num.* 9. Secunda circumstan-
8 tia est, quandò Advocati, vel Procuratores absquè Inquisitoris licentiâ, (quæ omninò requiritur) patrocinium, ac defensionem hæreticis præstant, juxtà Pistachium *de Superst. p.* 1. *cap* 7. *nu.* 27. Tunc enim efficiuntur de hæresi suspecti; imò Advocatus præbens Consilium justum inquisito, inscio Inquisitore, punitur pœnâ arbitrariâ à sacro Tribunali: Scortia *in select. constit. Theor.* 30. *num.* 1. Carena *part.* 2. *tit.* 4. §. 8. *n.* 75. & ex illis Pistachius *loco cit.* Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. si advers. qu.* 1. *num.* 13. *de hæretic.* Christin *decis. Belgic. vol.* 2. *decis.* 34. *num.* 9. Et quamvis,
9 juxtà praxim S. Officii, in quâlibet Inquisitione deputetur advocatus, vel Procurator Reorum, qui præstito solito Juramento defendat hæresis crimine culpatos, quibus insinuare debet, ut fateantur veritatem, & ut convertantur; & quoties eos reperiat esse hæreticos, & pertinaces, tenetur defensionem omittere: Carena *par.* 2. *tit.* 10. *num.* 13. Fermosin. *loco citato*, *qu.* 2. *num.* 9. Graff. *decis. d. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 39. At-
10 tamen si causa sit gravis, annuitur petitioni eorum, de quibus dubitatur, an sint hæretici, & admittitur alius Advocatus, vel Procurator, præstito juramento à tali Advocato, vel Procuratore de secreto servando, & de aliis, juxtà formam solitam; alioquin non annuitur: Carena *loco citato*, *num.* 3. Pegna *par.* 3. *comm.* 7. Limborch. *in hist. Inqu. lib.* 4. *cap.* 5. Fermosin. *ubi suprà*, *num.* 10.

11 Consentaneum enim est, Reos defendi quocumquè modo justo, & in hoc etiam integritatem S. Tribunalis agnoscit Lupus *in edict. lib.* 3. *dist.* 2. *art.* 1. Fermosin. *in dict. cap. si Advers. qu.* 2. *num.* 8. & ibi pariter Gonzalez *num.* 2. Imò tanta est æquitas S. Officii, quemadmodùm testantur Sousa *in Aphorism. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 57. Gomez *de potest. in se ipsum, lib.*

*lib.*1.*cap.*19. *num.*13. Fermosin. *alleg. fiscal. par.*3.*alleg.*9. *num.*31. ut quamvis Rei renuncient defensionibus, & se remittant pietati Sacri Tribunalis, nihilominùs si causa sit gravis, & agatur de imponendâ penâ corporali, curet ex officio, ipsorum defensionem; eò magis,
12 quia nulla ex se est defensionum remissio: Ant. Gomez *var. resol. par.*3.*cap.*13. Menoch. *de Arbitr. qu.*7. *num.* 9. cum nemo sit membrorum suorum Dominus, ut habetur *in cap. si non licet.*8. 23. *qu.*5. *& in l. liber homo ff. ad l. Aquil.* necnon apud Barbos. *var. in suis locis comm. litt. M. num.*24. Officium verò Inquisitionis est, exquirere Reorum innocentiam: Eymer *in* 3. *par. rubr. de defens. Reorum*, *num.*117. quamobrem, si Consultores, & ipse Advocatus fiscalis tanquàm Consultor, prævideant innocentiam Reorum, tenentur ipsos adjuvare, quamvis nullus ex Consultoribus prò Reo, vel contrà Reum possint unquàm, seù in facto, seù in Jure scribere, ut advertit Eminentissimus Albitius *de inconstantiâ in fide, cap.*27. *num.*15. *&* 16.

13 Quinimò non destituuntur Rei hujusmodi defensione, etiamsi ipsi fassi sint delictum, vel ipsum delictum sit notorium: Gomez. *de potest. &c. lib.*1. *cap.*18. *n.*4. *& cap.*19. *per tot.* etiamsi, postquàm renutiaverint defensionibus, elapsus sit terminus, qui assignari solet: Ulteriùs enim assignatur alius terminus in causis gravioribus ad se defendendos, vel supremum Tribunal mandat, ipsos defendi ex officio: Carena *p.*3. *tit.*9. §. 19. *n.*94. qui tamen reprobãdus est, ubi ait, quod Rei, quandò se remittunt, censentut fateri.

14 Extrà judicium verò dicuntur, hæterodoxos defendere, vel qui ipsis auxilium, & arma suppeditant, ut se tueantur; vel qui impediunt Ministros S. Officii, nè ipsos hæreticos capiant.

15 Primo casu advertendum, quod quamvis liceat Christiano militare sub Principe hæretico, si ei sit subditus, & Bellum non fit adversùs Religionem Catholicam; tunc enim deficit odium ipsius Religionis, & remanet simplex interesse status, prò quo tuendo possunt subditi adjuvare Principem, quamvis infidelem: Nihilominùs si non sit subditus, ei non permittitur militare pro Principe Achatholico, nec etiam propter status interesse, aliàs esset defensor hæreticorum, & anathema incurreret: *cap. Fraternitatis* §. *credentes, de hæresi*: Si autem bellum sit propter Religionem, nullo modo militare potest, etiamsi sit subditus, & etiamsi ipsi Princeps hoc imperaret, sub mortis interminatione: Siquidem oportet obtemperare magis Deo, quàm Principi. At Deus præcipit, ut tueamur Religionem, & minatur gehennam non obedienti, quæ major pœna est, quàm mors: Riciull. *de Iur. person. lib.*1. *cap.*
16 12. Undè habetur *in cap. Iulianus* 12. *qu.*3. quod Julianus Imperator habebat sub se milites Christianos, qui, cum dicebat: *Producite aciem prò defensione Reipublicæ*, ei obediebant; cum autem diceret eis: *Producite arma in Christianos*, ei non obediebant, ut notant etiam Covarruv. *var. resol. lib.*4. *c.*12. Fermosin. *tract. crimin. tract.*2. *in cap. Ità, q.*3. *n.*12. *de Iudæis*: Si quis tamen, ut hujusmodi pœnam evaderet, militiam sequeretur, non efficeretur de hæresi suspectus, nec incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut firmat Jacobus Sprenger. *in Malleo Malef. par.*2. *cap.* 16. Ra-
17 tio est, quia non duceretur motivo hæresis, sed timoris damni imminentis, ni Principis jussionibus obtemperaret, undè quia præcepta positiva non obligant cum tàm gravi incommodo, dicta Bulla non obstringeret, quemadmodùm docet Joann. Sanchez *in selectis*, *disp.* 51. *num.*2. Imò laudatus Fermosinus *in*
18 *dict. cap. Ità*, *qu.*3. *num.*2. sentit, licere Christianis captivis in Saracenorũ navibus remigare adversùs Christianos, quandò imminet timor mortis, & dummodò denegantes remigare, magno periculo eosdem Christianos non eriperent: Addit etiam *in cap. Quod olim*, *qu.*1. *num.*2. quod quandò iidem remigantes descendunt in terras Christianorum, possint Domos ipsorum Catholicorum devastare, & bona surripere, eò quia licitum sit, alienis bonis uti ad vitandam extremam necessitatem: Hæc tamen ratio mihi non plenè satisfacit; tùm propter odium fidei in Saracenis, hujusmodi devastationem mandantibus; tùm propter communem Christianorum jacturam.

19 Similiter nun licet deferre arma ad Infi-

Infideles: Canter. *qu.crimin. de hæretic. cap.1.num.67.* Borell. *de præstant.Reg.Catholic.cap.6.num.*8. Fermosin. *tract. crimin. tract.2.in cap. Ità, qu.1.per tot.& q. 2.per tot.de Judæis,* Passerin. *tract.crim. tract.2.in cap.Ità, qu.1.per tot.* Cæpoll. *consl.lib.2.cons.31.per tot.* Aufrer. *de potest. Eccles.in Laic.num.*41. Rocca Episc. Iscalen. *disp.select.cap.1.num.33.* & transmittentes esse de hæresi suspectos, firmat Lupus *in edict.par.2.lib.14. dict.num.6. art. 5.* & quod contrà eos procedant Inquisitores, tradunt Passer. *loco proximè citato, quæst. 2.nu.*8. Bobadilla *polit. tom.1. lib.2. cap 17.num.69.* Rocca *dict. cap. 1. num. 33.* etiamsi hujusmodi arma transmittentes sint Judæi, ut docet Albitius *de inconstant.in fide, cap. 31. numer.* 107. Verùm limitandum
20 est, non incurri suspicionem, si deferantur prò redemptione captivorum, quo casu nec incurritur excommunicatio Bullæ: Imò *die primâ Decembr.1696. in unâ Jadren.visit. Sac.limin.* delatum fuit Sacræ Congregationi Concilii dubium, an qui in captivitatem Turcarum incidunt, & ut libertati pristinæ restituantur, paciscuntur, se pecuniam, & bellica instrumenta transmitti curaturos, stantquè promissis, incurrant in Bullam suprà citatam? ac Sacr. Congregatio, licet tunc inter Christianos, & Turcas bellum vigeret, dixit, *negativè, dummodò modica interveniat quantitas, nec aliter assequi possit redemptio;* & optimè in hoc ipsa Sac.Congregatio sequi noluit absolutè, sed cum prædictis conditionibus Canonistarum opinionem, quam etiam refert Fermosin. *tractat. crimin. tractat.2.in dict.cap.Ità, qu.1.num.30.* Ugolin. *de Censur.Roman. Pontif. reservat. pag. mihi* 181. Putant
21 enim Canonistę, non posse Christi-fideles arma deferre ad Turcas, quotiescumquè inter ipsos adinvicem bellum indictum sit, eâ moti ratione, quià præjudicium, quod inferretur fidelibus, si arma infidelibus subministrarent, longè excederet utilitatem, quæ perciperetur ex redemptione captivorum; & insuper licentiam in hoc casu à Papa exquirendam, firmat Glosś. *in cap.significasti, vers.aliquod communiter, de Judæis,* & ibi Butr. *num.4.* Abb. *num.2.& 3.* ac tradunt Fermosin. *in cap.Ità, qu.1. sub num.29.vers ad quintam, de hæretic.* Azeved. *recopil. l.10. tit.2. lib.8. num.3.* Cępoll. *consil.lib.2.cons.31.num.8.* Stracc. *de Mercaturâ, par.2.n.41.& seqq.* Theo-
22 logi tamen, quos allegat, & sequitur Castropalaus *Oper. Moral. par. 6. disp.3. punct.8. num.17.* indiscriminatim excusant à peccato, & ab excommunicatione deferentes arma ad Infideles, maximè si aliis mercibus non prohibitis captivi redimi nequeant. Huic opinioni adstipulatur P. Leander *in suâ operâ morali, lib.4. tract.3. disp. 7. quæst. 19. vers.respondeo 3.* ubi regulariter loquendo, firmat, licere etiam tempore Belli deferre arma ad infideles prò redemptione captivorum, quia ipsi, præcipuè fæminæ, & pueri, semper sunt in periculo fidei, & vitæ.

23 An verò vendentes arma infidelibus in terris Christianorum incidant in Bullæ censuram? negativè videtur respondendum, quià Bulla expresse fulminatur contrà deferentes: Qui autem sic vendunt, non deferunt. Verùm quià ità vendendo, præstant favorem Infidelibus contrà Christianos, ideò obnoxios esse dictæ Censuræ, meliùs putat Fermosin. *tractat.crimin. tract.2. in cap. quod olim.qu.2. nu.1.de Judæis &c.* Diana *tom.5.resolut.45.& seq.* Et idem di-
24 cendum, si illis Christianis vendant, quos certè sciunt, ea ad Infideles esse missuros: Fermosin. *ubi suprà, qu.3.n.2.* Idem pariter censendum de commutantibus arma prò armis, ut enses prò hastis, sicut docet Sayr. *lib.3. de censur. cap.11.num.27.* quidquid in contrarium dicat Silvester *verb. excom. 7. num. 64.*
25 Advertit tamen laudatus P. Leander *in fine*, aliter se sentire, si deferantur arma in tali quantitate, ut ex hujusmodi delatione immineret grave periculum Catholicis, quam opinionem approbavit dicta Sac.Congregatio, ut videre est ex ipsius declaratione *suprà, sub num.20.recensitâ*: Deniquè, si deferens arma ad Infideles sit mercator, aliàs de fide non suspectus; & appareat, eum non fuisse motum, nisi lucri, & negociationis gratiâ, in hoc casu arbitratur Carena *p.2.tit. 17. num. 67.* cessare omnem suspicionem fautoriæ, & hæresis, & sic in effectu fuit sensus P. Dianæ *par.4.tom.7.res.19.vers.non desinam.* Di-

cendum

cendum tamen, hujusmodi mercatores incurrere excommunicationem latã in Bullâ Cœnæ; Nam, ut benè perpendit Bonacina *de censur.disp.1.qu.8.punct.2.* Navarra *in Manuali*, *cap.27.num.63.* (quem omninò vide) carentia pravę intentionis non tollit transgressionem præcepti ecclesiastici.

27 Quò verò ad eos, qui Ministros S. Officii impediunt, præmittendum est, ipsos semper esse denunciandos, sivè quia sunt turbatores Jurisdictionis Sancti Officii, sivè quia sunt suspecti de vehementi, ut docet Lupus *in edict. par.4. lib.24. dist.1. art.2. diff.2.* Piasec. *prax. Episcop.par.2.cap.4. de Hæretic.sub num.10.* Fermosin. *tract. crim.tract.2.in cap.sicut.qu.3.nu.1.& 6.de Hæretic.* Leo *Thesaur.for.Eccles.par.3.de Hæres. cap.6. num.31.* aliàs incurri à non denunciantibus excommunicationem ipso jure, firmat pariter Lupus *ibidem*, *diff.3.* Ex

28 quo infertur, hujusmodi impedientes non semper esse de hæresi vehementer suspectos: Præsertim si essent Rustici, vel idiotę, cum non posset in ipsis cadere hęresis suspicio: Carena *in tract.S.Officii, par.2.tit.13.§.23.num.97.* vel saltem vehemens, sed tantùm levis: Fermosin. *dict.tract.2.in cap.sicut*, *q.3.n.4.* Duard. *in Bull.Cœn.lib.2.p.1.qu.33.n.10.*

29 Quinimò in Catholicorum Regionibus non pręsumitur, quod impedientes S.Officii Ministros, id præstent, vel intuitu hęresis, vel in odium Fidei, sed potiùs ex affectu, vel ex aliâ causâ, & proindè regulariter non coguntur abjurare, dummodò non concurrant circumstantię, & conjecturę, de quibus nos *in Præliminaribus*, & apud Lupum *ubi suprà*, *& in diff.1.*

30 Præmittendum est etiam, quia aliquid vel fieri potest per se, aut per aliū; vel ratum haberi verbis, aut operibus, incurri excommunicationem, *Si de protegendis*, ab eo, qui per se ipsum impedit Ministrum S.Officii: De eo autem, qui per aliū facit, nempè qui mandat impediri, distinguendum est: Nam quoties Mandatarius devenerit ad aliquem actum externum, qui mandat, incurrit præfatam excommunicationem: Lupus *ubi suprà*, *diff.3.* secus, si mandatum fuerit à mandante revocatum, sivè expressè, sivè tacitè, quamvis ex accidenti hujusmodi revocatio innotuerit mandatario; nam tunc cessat omnis do-

31 lus: Idem Lupus *loco cit.* At de illo, qui ratum habet impedimentum, sivè verbis, utpotè si laudet eum, qui obstiterit Ministris S.Officii; siuè operibus, utpotè si alicui munus aliquod tribuat intuitu impedimenti prædicti, non militant superiùs allata: Videtur enim in hoc casu nòn incurri excommunicationem, *Si de protegendis*, ut firmat quoquè Lupus *ibidem*, & eò minus hæresis suspicionem.

32 Sequitur modò, ut exponamus, quinam sint, qui sub nomine impedientium Ministros S. Officii comprehendantur, de quibus Eymer. *par. 2.qu.56. num.2.* Farinacc. *q.182.n.70.& num. 76.*

Hi sunt, qui directè, vel indirectè impedimentum ipsis præstant Ministris, ut docent Director. Inquisit. *par. 2. qu.54.* Sousa *in aphorism. lib. 1. cap.28. num.1.* Duard. *dict.lib.2.fol.143. & nu.20.* Limborch *in histor. Inquis. lib.3. cap.20.* Leo *thesaur.for.Eccles.dict.par.3. cap. 6.n.31.*

33 Directè autem dicuntur Ministri impediri, quoties non alio prætextu, sed principaliter impediuntur: Sousa *dict. cap.28.num.1.* Duard. *dict.fol.143.nu.21.* & Lupus *ubi suprà*, *art 1.* ut si quis jam captum hæreticum è Ministri manibus vi eximat; vel si quis fingendo, se esse illum hęreticum, quem Curia insectatur, ponat se in manibus ejusdem Curiæ, & sic verum hæreticum liberet: Farinac. *de hæresi qu.182. à num.96* Fermosin. *in dict.cap.Sicut, de Hæretic. qu.3. num.13.*

34 Similiter dicuntur directè impediri Ministri S.Officii, si Princeps statuat, ne aliquis accusari, vel inquiri possit de crimine hæresis: Farinac. *qu. 182. n. 75.* quo casu, dubio procul, sic statuens esset suspectus de hæresi, nam non præsumeretur ductus aliquâ humanâ affectione, nec aliâ causâ, nisi fidei odio, ad condendum statutum adeò generale, & in fautoriam incideret: Fermosin. *tractat.crim. tract. 2. in cap.Excommunicamus §.moneantur, de Hæretic. qu.1. nu.4.*

35 Eò magis dicitur Princeps impedire directè, si permittat, Catholicos convolare ad hæreticorum sectam: Card.de Lugo *de fide*, *disp. 19.sect.2. §.4.nu.123. vers.Sicut è contrà*, & tuncpariter esset suspectus de hæresi propter eamdem ratio-

36 tionem. Nec dicatur, quod quemadmodùm Deus permittens, Catholicos hæreticorum erroribus involui, nec proindè ipsos puniens, damnari nequit; ità Princeps permittens, Catholicos ad hæreticorum Castra confugere, nec ob id ipsos plectens, nullo crimine notari debeat: Ratio enim disparitatis est, quod Principibus, & Magistratibus jus est cohibendi hujusmodi Catholicos, ac eosdem puniendi, dumtaxat prò hac vitâ, quod cum morte singulorum expirat: De Deo autem sapienter Augustin. *lib.* 1. *Civit. cap.* 8. ait: *Si nunc omne peccatum omni manifestâ plecteret pænâ, nihil ultimo judicio reservari putaretur: Rursùs, si nullum peccatum nunc puniret, apertè divinitas nulla, nulla esse Providentia divina, crederetur.*

37 Dicuntur etiam Magistratus seculares directè impedire, si velint cognoscere de hæresis delicto, quod eis minimè licitum est: Torreblanc. *de Magiâ, lib.* 4. *cap.* 29. Carena *par.* 2. *tit.* 17. *num.* 54. *&* *par.* 3. *tit.* 13. *num.* 11. Sanfelic. *decis.* 239. *nu.* 4. Fermosin. *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de Constit. qu.* 55. *num.* 7. Clar. *Sen. lib.* 5. §. *hæresis, num.* 485. cum ibi Add. Decian. *tract. crim. lib.* 4. *cap.* 27. Quia delictum hæresis, ut superiùs insinuavimus, est merè Ecclesiasticum, quemadmodùm etiam probant Carleval. *de Iudic. disp.* 2. *num.* 7. Zanchius *de priu. Eccles. privil.* 143. *num.* 23. *fol.* 424. Villalob. *commun. opinion. verb. hæreticus, num.* 42. *fol.* 178.

39 Quinimò Magistratus jurare debent se servaturos statuta contrà hereticos, quod si non præstiterint, suspectos fieri de hæresi, putant latè Fermosin. *ubi suprà, qu.* 2. *num.* 1. *&* 6. Barbos. *in cap. Ne aliqui* 11. *nu.* 16. *de Hæretic. in* 6. Intrigl. *sing.* 79. & ultrà excommunicationis pęnam, quã incurreret, omni officio privarentur, inhabilesquè redderentur vigore *c. ad abolenda* §. *statuimus extr. de hæret.* de quâ re extat memorabile exemplum apud Bzovium *circà annum* 1285. §. 12.

40 Amplia, quod non possint cognoscere de hujusmodi delicto, nec principaliter, nec incidenter: Ansald. *de Iurisd. par.* 2. *tit.* 2. *cap. unic. n.* 2. Fermosin. *in dict. cap. Ecclesia S. Mariæ, n.* 4. *in fin*, Mattheu *de region. Regn. Valent. cap.* 8. §. 3. *n.* 5. 6. *&* 7. Quarè si exceptio hæresis incidenter in aliquo juditio seculari opponatur, Judex laicus de illâ non potest cognoscere: Sesse *de Inhibit. cap.* 30. *n.* 43. Careval. *de Iudic. disp.* 2. *qu.* 7. *sect.* 1. *num.* 769.

41 Videntur tamen Ministri dici directè impediri tantùm, si Princeps secularis vellet cognoscere de hæresis delicto privativè, quò ad S. Inquisitionis Tribunal: Verùm contrarium tenendum est; nam quocumquè modo cognoscat Judex laicus, sivè privativè, sivè non, vulnerat jurisdictionem S. Officii, ac perindè ipsius Ministros impedit.

42 Nec decet, quod hoc Sacrosanctum Tribunal dependeat à Curiâ Laicali, quamobrem habemus Constitutionem secundam in Bullario à Julio III. editam; sed debet absolutè, & independenter procedere ad sui libitum in causis hæreticorum: Ideò si Princeps conderet statutum, ne posset aliquis hæreticus capi, nisi obtentâ ab eo licentiâ, statutum illud nullius esset ponderis: Fermosin. *in dict. cap. sicut. qu.* 3. *nu.* 6. & si Princeps deveniret ad actum positivum impedimenti, diceretur directè Ministros impedire: Zanchin. *de hæret. cap.* 31. Fermosin. *in cap. S. Mariæ, qu.* 5. *num.* 42. *de const. & in tract. crimin. tract.* 2. *cap. excommunicamus,* §. *moneantur, de Hæretic. qu.* 1. *num.* 4. Bobadill. *politic. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 107. Decian. *tract. crim. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 22. quamvis tamen non efficeretur de hæresi suspectus, quia scilicet præsumeretur in eo Jurisdictionis amor, non odium fidei.

44 Dicuntur pariter directè impediri Ministri S. Officii, quandò occiduntur, vulnerantur, vel offenduntur: Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 3. *num.* 22. Leo *Thesaur. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 6. *de Hæres. num.* 37. Piasec. *prax. Episcopal. par.* 2. *cap.* 4. *de Hæretic. sub num.* 10. Et propterea sic offendentes comprehenduntur in Bullâ B. Pii V. *Si de protegendis*, sivè sint Principes, Imperatores, & Barones: Carena *par.* 2. *tit.* 3. *num.* 84. *vers. hoc multò magis*, Piasec. & Leo *locis citatis*, contrà quos tamen aliter procedendum, ut ibi Carena *tit.* 9. *num.* 28. sivè sint personæ privatæ, tàm Laicæ, quàm Ecclesiasticę: Scorcia *in select. Theorem.* 278. *in princ.*

45 Bordonus è contrà *in Tribun. cap.* 29. *num.* 5. *& num.* 8. contendit, non comprehendi in dictâ Bullâ, nec Imperatores, nec Reges, nec Cardinales, cò

quia

quia hi omnes potiuntur privilegio, ut non subiiciantur legibus, nisi in illis eorum expressa habeatur mentio: At in eâdem Bullâ non exprimuntur, nec Imperatores, nec Reges, nec Cardinales: Ea autē clausula, *vel potiore titulo Illustris*, refertur ad ibi expressos, quod tamen mihi minimè satisfacit: Addit quoquè idem Bordonus, respectu Cardina-
46 lium non esse congruum, ut ipsi, qui sunt partes corporis politici Papæ, & quasi colegislatores, comprehendantur sub lege, cui consiliarii fuerunt.

47 An verò dicantur directè impediri Ministri S. Officii à Judicibus, & Magistratibus, qui ad propriam jurisdictionem tuendam prohibuerunt, aliquem Carceribus mancipari ab Inquisitore, vel carcere inclusum mandarunt eripi? Affirmativè tenet Carena *dictâ par.2.tit.*
48 *13.§.19.* Sed distinguendum: Vel notorium est, inquisitorem sinè jurisdictione procedere, vel non: Si est notorium, tunc nō videntur impedire, nam eo casu Judices laici id agunt, non in odium S.Officii; sed animo tuendæ propriæ jurisdictionis: Navarr. *in repetit. cap. cum contingat, de rescript.* quamvis non sit licitum uti propriâ authoritate, quoties agitur inter Judices: Valenz. *cons.200. num.57.* quia tunc debet recurri ad superiorem; Si verò non est notorium,
49 Inquisitorem procedere sinè jurisdictione, sed dubitatur, tunc videntur impedire: Non enim licitum est, tueri Iurisdictionem cum violentiâ; nam Juris præsumptio stat prò Judice, quod justè procedat: Farinacc. *quæst.32. num.91.*

Postquàm vidimus, quid sit directè impedire Ministros S.Officii, videamus, quid sit, indirectè ipsis impedimentum opponere.

50 Indirectè dicuntur impediri, quandò non principaliter, sed consecutivè ipsis impedimentum exhibetur: Eymer. *par.2.qu.54. num.1.& 3.* quem sequitur Farinac. *qu.182. num.7.* & docet Gloss. *in cap. statutum, in verbo indirectè, extr. de hæreticis*. Hoc quidem contingere potest, tùm respectu Magistratus, vel Principis; tùm respectu personæ privatæ: Respectu magistratus, vel Principis, si ex aliquo prætextu Ministri S. Officii torqueantur de mandato ipsius Magistratus, vel Principis, qui tamen id agat animo se vindicandi, ex eo quod carcere inclusissent hæreticos. Item dicun-
51 tur indirectè impediri à Principe Ministri S.Officii, si in illos, à cujuscumquè jurisdictione exemptos, vellet jurisdictionem exercere: Hoc enim esset impedire officium Inquisitionis, dum eâ ratione exemptio concessa fuit, ut faciliùs alliciantur ad inserviendum Sancto Officio, & ne tales Ministri deficiant causâ odii, quo eos Respublica videtur prosequi, ut disertè probat Fermosin. *alleg. fiscal. par.2. alleg.13. num.35. 36. & 37.* Pari modo impediri Officium In-
52 quisitionis diceretur, si Princeps Ministris arma gestare prohiberet: Farinac. *de Hæres. qu.182. nu.75.* Fermosin. *tract. crim. in cap. sicut de Hæretic. qu.3. n.15. & 16.* Minan. *bas. Pontif. Iurisd. tract.2. fund. 1. qu.6. §.4. sect. 1. num.45.* Inquisitores
53 enim habent familiam armatam prò eorum jurisdictione exercendâ: Minan. *loco cit. num.45. & 46.* Fermosin. *dict. qu.3. num.12.* Fusc. *de Visitation. lib.2. cap. 32. num. 17.* Borell. *de Magistrat. edict. lib 3. cap.17. num. 21. in fin.* Oliu. *de for. Eccles. par.2. qu.1. nu.6.* Barbos. *de potest. Episc. alleg.107. num.6.* P. del Bene *de Offic. S. Inquisit. tom.2. dub. 195. sect. 39.* Decian. *d. cap.27. num.4. vers.5.* Diana *tom.5. tract.10. resol.20. & seq.* Solorzanus *de Gubernat. Indiar. lib.3. cap.24. nu. 77. & lib.4 Polit. c. 24 fol.713.* Pignatell. *consult. 179. tom.4.* Hæc autem constat
54 apparitoribus, vel Satellitibus, aut eis, qui dicuntur familiares, seu propriis expensis inserviant Sacro Tribunali, seu expensis ipsius Tribunalis, ut docet Albit. *de Inconstantiâ in fide, cap. 29. nu.6.* Fermosin. *tract. crim. dict. tract. 2. in cap. Excommunicamus, §. catholic. qu.1.* Minan. *bas. jurisd. Pontific. d. tract. 2. nu.45. & seqq. fol.191.* Ac omnes gau-
55 dent privilegio deferendi tàm diu, quàm noctu omne genus armorum, quæ deferri possunt ab Officialibus, Birruariis, & Ministris Curiæ Secularis earum Civitatum, in quibus exercetur S.Officium: Idem Card. Albit. *loco citato, num.7.* & Pignatell. *ubi suprà*, Minan. *loco cit.* Bellet. *disquis. clerical. par. 1. tit. de favor. Clericor. Real. §.1. num.20. in fin.* Salzed. *pract. crim. cap.151. n.25.* Daniel. *de Nobilib. contr. par.2. disp.63. n.44.* & ibi Addētes: Nec hujusmodi privile-

vilegium restringitur ad loca subjecta Inquisitori, cujus sunt Ministri; sed extenditur ultrà ipsa, ut ait laudatus Albit.*loc.cit.num*;8.

56 Non tamen possunt deferre archibusetos brevioris mensuræ, nec pugiones, seu stilectos, & si gestarent, nihilominùs non subjacerent Curiæ laicali: Pignatell.de quo *suprà*, Fermosin.*in c.Ecclesia Sanctæ Mariæ*, *qu*.58.*nu*.29. *de constitution*.Sed certiores fieri deberent Inquisitores, vel ad ipsos duci sinè dedecore hujusmodi arma gestantes, utpotè in hac materiâ Judices privativè: Carena *par*.1.*tit*.14.§.4.& in pœnam delationis armorum prohibitæ, privari debent literis familiaritatis: Decian. *lib*.8.*cap*.3.*n*.62.

57 Hoc privilegio gaudent multò magis Vicarii etiam Foranei, Notarii, Cancellarii, Fiscales, Scriptores, Substituti, Custodes Carcerum, Cursores, Mandatarii, & cæteri, qui vivunt expensis Sacri Tribunalis: Pegna *par*. 3. *comment*.105.*vers.rursus*: Item Consultores, Advocati, & Procuratores Reorum: Pegna *ibidem*, Minan. *in bas. Pontif. jurisdict. dict. tract*. 2.*fund*. 1. *qu*.6. §. 4.*sect*.1.*num*.45.*in fin.fol*.191. Salzed. *ad Diaz.pract. crim.cap*.151.*num*.25. & 26. Pistach. *de Superstit. par*. 2. *cap*.10. *num*.3. & priùs *cap*.4.*per tot*. Imò Consultores possunt concedere uni famulo licentiam deferendi arma, non solùm dum eos comitatur, sed etiam dum solus incedit: Pegna *ibidem*; & Consultores Mediolani duobus Famulis hanc licentiam concedere possunt: Albitius *ubi suprà*, *num*.21.

59 Hujusmodi licentiæ expediri solent immediatè ab Inquisitore, qui in ipsis non apponit exceptiones ullas, sed ad aures admonet, quę arma non sint deferenda.

60 Gaudentes autem hoc privilegio, debent secùm portare suas literas patentes, alioquin si cum armis reperirentur, possent impunè detrudi ad carceres à Satellitibus Curiæ Secularis, si essent laici; vel Ecclesiasticæ, si essent Clerici: Idem Cardin.Albitius *loco citato*, *num*. 24. Fermosin. *in dict.cap.Ecclesia Sanctæ Mariæ*, *qu*.58.*num*.14. *de*
61 *Constitution*. Quoties verò Curiæ secularis, vel Ecclesiasticæ executores præsumerent ob armorum delationem capere tali privilegio munitos, & literas patentes apud se gestantes, tunc vocandi essent testes ab hujusmodi privilegiatis, & coram ipsis exhibendæ prædictæ literæ, absquè ullâ resistentiâ: Idem Albitius *ibidem*, *num*. 28.

62 Dixi quoquè, *si in exemptos jurisdictio exerceatur*; nam habet Sacra Inquisitio complures, qui gaudent privilegio fori: Eymer *p*.1.*qu*.21. Solorzan. *tom*.2.*de Iure Ind*.*lib*.3.*cap*.24.*à nu*.59. & *lib*.4. *Polit.cap*. 24.*fol*.706. Carleval. *de judic. tit*.1. *dist*. 2.*sect*.6. Salgad.*par*. 1.*Laberynt.cap*.7.*n*.59.Pareia *de edit.Instrum.tit*.2. *resol*.6.*num*.35.& *à num*.40. Giurb. *cons*.96. Cortiad. *decis*. 30. Fermosin.*alleg.fiscal.par*.2.*alleg*. 13. Basilic. *decis. crim. decis*.17. *num*. 17. Imò licet Consultores hoc privilegio non gaudeant, nec in causis Civilibus, nec in criminalibus, si tamen delinquant in officio, subduntur privativè jurisdictioni Inquisitionis: Decian. *lib*.5. *cap*.22. *num*. 36. Bobadill. *in polit. lib*.2. *cap*.17. *num*.126. Fermosin.*in cap.Eccles. Sanctæ Mariæ*, *qu*.59.*num*.87. Consultores verò Inquisitionis Neapoli in omnibus causis sunt exempti à Jurisdictione Curiæ, tàm laicalis, quàm Ecclesiasticæ, pròut quoquè familiares, & Consultores Inquisitionis Melitensis, & eorumdem Mancipia gaudent privilegio fori in Criminalibus tàm activè, quàm passivè; in Civilibus, tantùm passivè: Card.Albit. *de Inconstant. in fide*, *dict. cap*. 29. *num*. 49. & 50. Sunt etiam ipsi
65 immunes ab oneribus: Fermosin. *alleg. fiscal.par*.2.*alleg*.14.*per tot*. & *num*.12. Pistach. *de superstit.par*.2.*cap*.2.*num*.34. hoc tamen non procedit quò ad familiares Inquisitionum aliorum locorum: Hi enim tenentur ad onera præcipuè Cameralia, nec à muneribus publicis, ut Annonæ, & similibus sunt exempti, sicut nec à contributione tritici prò Annonâ: Card.Albitius *ubi suprà*, *num*.83.
66 Imò nec sunt cogendi ad servitia Militaria, nisi in casu necessitatis, & tunc dummodò non sint occupati in servitium S. Officii, ut habetur penès eumdem Albit. *loco cit*. 86. Nec possunt capi prò represaliis, juxtà dictum Eminentissimum *ubi suprà*: Et juremerito Sa-
67 cra Inquisitio habet hujusmod familiam

liam armatam ab omni jurisdictione exemptam: Nam de Jure concessum est Inquisitoribus eam habere: *Clement.2. de Haeret.* Fermosin. *in cap. Eccles. Sanctae Mariae* 10. *quaest.*58. *num.* 25. *&* 31. Sperell. *decis.* 128. *à num.*82. & quia sinè dictâ familiâ exemptâ Inquisitoris munera exerceri non possunt, ideò censetur illa ubicumquè efficere unum corpus cum Inquisitore, & consequenter debet semper eodem exemptionis privilegio gaudere: Fragos. *de Regim. Reipubl. part.* 2. *lib.* 5. *disp.* 13. *nu-*

68 *mer.*15. Adde, quod Inquisitori competit hujusmodi exemptio, non tantùm de Jure, ut diximus; sed etiam de congruo: Tanta est enim Inquisitoris dignitas, ut tanquàm Summi Pontificis delegatus dicatur, non solùm ejus vices, sed locum tenere: *Cap. si quis Episcopus* 2. *quaest.* 6. *cap. fin. quaest.* 7. *dist.*

69 Nec dicatur, quod Summus Pontifex extrà ditionem suam non habeat facultatem laicos eximendi à jurisdictione suorum Principum; nam respondetur, quod ex justâ causâ potest eximere laicos à Jurisdictione laicali, undè dicitur habere dominium indirectum ad hunc effectum: Fermosin. *ad cap. Ecclesiae S. Mariae* 10.*q.*41. *de constit.*

70 *sub num.*36. Imò communis Theologorum, & Canonistarum sententia est, Summum Pontificem habere vniversaliter dominium suprà omnes gentes, mediatè, & indirectè, scilicet relativè ad bonum spirituale animarum. Fermosin. *alleg. fiscal.par.*2. *alleg.* 13. *num.* 35.

71 An verò habeat hujusmodi dominium directè, & immediatè, gravis est inter DD. controversia, & affirmativè tenent plures: Sed videantur Solorzan. *de jur. Indiar.tom.*1.*lib.*2.*cap.* 22.*per tot.* Param. *lib.*3.*de Origin.Inquisit.qu.*2. Carena *de offic.S.Inquisit.par.*1.*tit.*1. *de Summ.Pont. num.*53. De hac quaestione nos quoquè alibi agimus.

72 Justa causa utiquè est finis Spiritualis, qui principaliter habetur, quoties curatur, ut expeditio causarum fidei sit brevis, & recta, quod fieri non posset à Sacro Tribunali, si ejus officiales nō gauderent hac exemptione: Ulteriùs solus honor, qui dignitati debetur Apostolici Delegati, sufficit ad justificandam causam talis exemptionis: Fermosin. *alleg.fiscal.p.*2.*allegat.*13.*num.*34. *&* 35.

73 Qui autem in nostris Catholicis Regionibus his ministris vel Armorum delationem prohiberet, vel exemptionem negaret, esset reputandus tanquàm Sacri Tribunalis Jurisdictionis violator, & turbator, ac puniri posset: Fermosin. *tract. crim. in dict. cap. sicut. de Haeretic.qu.*3.*n.*15.*&* 16. Minan.*bas.Pontific.jurisd.dict.tract.*2.*fund.*1. *qu.*6.§.4. *sect.*1.*nu.*45. Salzed.*pract.crim. cap.*151. *sub.num.*25. non autem tamquàm haeresis suspectus, nisi aliae concurrerent circumstantiae, de quibus suprà *in Praeliminaribus*.

74 A personis verò privatis dicuntur directè impediri Sacrae Inquisitionis Ministri, quandò Domi detinetur testis, ne examinetur: Tunc enim indirectè defenditur Reus, & contemnitur Judex: Caball. *cons.*43.*per tot.* Guazzin. *defens.* 16.*nu.*4. Vel si muneribus alliciatur Judex, ut impunitus exeat Reus: Duard. *ad Bullam Caenae, cap.* 16. *par.* 1. *num.*3. *vers. deficit.* Intrigl. *sing.* 79. *num.* 185. Vel si aliquo alio praetextu plausibili impediatur Inquisitor, nè possit procedere ad conficiendum processum, dummodò hoc fiat animo impediendi: Durand. *can.*12. *qu.*10.*num.*17. *&* 18. ut si haereticos citatos instruat: Marant.*contr. to.*5.*resp.*59.*num.*82. etiamsi id faciat ex amicitiâ: Ugolin. *de censur.fol.*71. *n.*11. Vel si Socium inculpatum exculpet: Burlat.*cons.*213.*num.*6.*& num.*32. *vers. primò quia, & num.* 34. *vers. si explicatio lib.*2. Intrigl. *sing.*79.*num.*117. Vel tan-

75 dem si minetur, se velle occidere testes, vel Ministros, qui adversùs eos procedant, quamvis haec jactantia, nisi ulteriùs procedat ad alium actum externum prò executione, non inducat excommunicationem contentam in Bullâ, *Si de protegendis*, ut tenet Lup. *ubi suprà*: Contrarium tamen firmare videtur Leo *Thesaur.for. Eccles.par.*3.*de Haeres.cap.*6. *num.*37.

His omnibus casibus, quâcumque cessante circumstantiâ, nisi ageretur de eo, qui indiscriminatim haereticos, seù amicos, seù non, tueretur, crederem, nullam incurri haeresis suspicionem.

Verùm ne quid claritati deesse videatur, non incongruum erit exponere, quinam sint hujusmodi Ministri, de quibus hucusquè egimus.

SUBSECTIO UNICA.

Quales sint Ministri, qui nec directè, nec indirectè impediri possunt.

SUMMARIUM.

1 *Ministri, qui nec directè, nec indirectè impediri possunt, sunt, qui actu inserviunt.*

2 *Mulier, quæ percussit Clericum indicantem Cursori Sancti Officii, ubi esset sua Mater inquisita de sortilegio, declaratur non comprehendi in Bullâ B. Pii V.*

3 *Nec est de hæresi suspectus offendens Ministrum Sancti Officii remotum ab officio.*

4 *Qui tamen illum offenderet intuitu Sancti Officii, incurreret suspicionem secundùm Carenam, qui reiicitur.*

5 *Prædicta procedunt, etiā quòad electos, & antè quoquè officii possessionem.*

6 *Sub nomine Ministri veniunt familiares, dum actu exercent ministerium.*

7 *Principaliter inter Ministros sunt Inquisitor, Vicarius, Cancellarius, Comentarienses, Satellites, & Cursores.*

8 *Videntur, adnumerandos esse accusatores, Denunciatores, & Testes.*

9 *Qui testibus in actu testificantibus minitaretur tantùm, non esset suspectus reputandus.*

10 *Sub nomine testium comprehenduntur etiam testes in causâ suspicionis hæresis.*

11 *An inter Ministros inservientes censendi, qui tales non sunt, sed Reum capere volunt.*

12 *Inter Ministros S. Officii connumerantur Confratres, seù Crucesignati, qui tamen fruuntur tantùm privilegiis spiritualibus.*

13 *Hi etiam subduntur jurisdictioni Episcoporum.*

14 *De eis tamen dicendum est, quod de familiaribus, si impediantur intuitu Sancti Officii.*

1 Ministri Sancti Officii, qui nec directè, nec indirectè impediri possunt absquè suspicione hæresis, sunt qui actu inserviunt Inquisitioni: Carena *tit.* 13. *num.* 78. De ipsis latè Limborch *in hist. Inquisit. lib.* 2. *à cap.* 1.

2 Ideò teste Riccio in puncto Bullæ B. Pji V. *decis.* 74. *part.* 1. *per tot.* in curiâ Neapolitanâ fuit resolutum, non comprehendi in prędictâ Bullâ, & cōsequenter eò magis non incurrere suspicionem hæresis, mulierem, quæ percusserat Clericum indicantem Cursori S. Officii, ubinam ejus mater reperiretur, quæ debebat arrestari ob quędam sortilegia, de quibus fuerat accusata, de quâ re etiam Lup. *in edict. part.* 4. *lib.* 24. *dist.* 2. *diff.* 3.

3 Secundò infertur, non haberi tanquàm suspectum de hæresi, eum, qui Ministrum S. Officii remotum ab officio offenderet: Bellon. *de potest eorum, qui sunt in contin. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 5. Mastrill. *de indult. cap.* 36. *numer.* 11. *vers. & licet*, Cardinalis Albitius *de inconst. in fide*, *cap.* 28. *num.* 24. nec incidere in excōmunicationē Bullæ Pij, *Si de protegendis*, quarè reiiciendus est Albericus dicens *in tract. statut. part.* 2. *qu.* 20. statutum, contrà quod offenduntur officiales, vel Antiani, locum habere functo eorum officio.

4 Videtur tamen Carenæ *d. tit.* 3. *n.* 18. excommunicationem Bullæ Pianæ incurri ab eo, qui offenderet hujusmodi Ministrum intuitu S. Officii. In hoc tamen dissentior à Carene: Siquidem, ut ibidem ipse testatur, duo requirit Bulla copulativè & quod offensa sit facta intuitu S. Officii, & quod offensus sit actu Minister: At remotus ab officio non est actu officialis, undè indultum delictorum prætèrquàm commissorum contrà officiales curiæ, suffragatur ei, qui delinquit contrà officialem remotum, prout in Sacro Neapolitano Consilio decisum, testatur Vincentius de Franchi *dec.* 403. & ibi Carol. Anton. de Luca *in addit.* nec talis offensa de se est actus univocus ad inducendum odium adversùs Sacram Inquisitionem, nec consequenter hæresis suspicionem: Animus verò, quo ille actus determinatur, latet: Si tamen adessent circumstantiæ, ex quibus constaret, offensionem

nem illatam fuisse in odium S. Inquisitionis, tunc offendens graviùs puniendus esset, sicut in foro Sacramenti pœnitentiæ, qui offendit contemplatione alicujus, graviùs peccare, existimatur: Lupus *in edict. lib.* 24. *d. dist.* 2. *art.* 2. *diff.* 4.

5 Hæc omnia procedunt etiam quòad electos, antequàm eorum Ministerii possessionem adipiscantur: Nam licet in gratiosis attendatur tempus datæ: *cap. si eo tempore, de rescript. in* 6. Afflict. *decis.* 253. nihilominùs inconcernentibus jurisdictionem attenditur tempus præsentationis literarum, & adeptæ possessionis: Vincent. de Franch. *dicis.* 326. *num.* 2. Navarr. *pragm. part.* 1. *de abolitionibus, num.* 63.

6 Cum verò, qui Ministros S. Officii offenderit, ultrà hæresis suspicionem, incurrat etiam pœnam lesæ Majestatis, juxtà Bullam B. Pij V. de quâ meminère Leo *Thesaur. for. Eccles. part.* 3. *hæres. cap.* 6. *num.* 37. *in fin.* Campanil. *divers. jur. can rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 123. Prætereà cum in eamdem pænam læsæ Majestatis incurrant offendentes quemlibet eorum, quorum operâ utitur Princeps, ut docet Boss. *de crim. lesæ majest. num.* 38. hinc sequitur, quod inter Ministros, quos tàm directè, quàm indirectè offendere, nefas est, comprehendi debeant familiares, quorum operâ utitur S. Inquisitionis Tribunal: Narbona *ad leges Regias, lib.* 4. *tit.* 1. *lib.* 20. *glos.* 1. Minan. *bas. pontific. iurisd. tract.* 2. *fund.* 1. *qu.* 6. §. 4. *sect.* 1. *n.* 45. Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. excommunicamus* §. *Cathol. quæst.* 1. *per tot.*

Hoc tamen juxtà ea, quæ stabilivimus, intelligendum est, quoties ipsi familiares actu exerceant ministerium, ut pariter innuitur apud Erasmum à Chokier, *de jurisdict. ordinar. in exemptos, part.* 1. §. 10. *in schol. num.* 2. *in fine* nempè dum comitantur Inquisitores, vel persequuntur hæreticos, vel prò carceratorum custodiâ iter habent.

7 Principaliter inter ministros, quibus nullo modo impedimentum strui potest, sunt Inquisitor, Vicarius, Cancellarius, sivè Notarius, Fiscalis, Comentariensis, Satellites, sivè Birruarii, Balivi, sivè Cursores, sinè quibus Tribunal consistere non potest; & qui fori Privilegio gaudent, quod nequit in dubium revocari, quia expresè nominantur in Bullâ B. Pij V. Barbos. *juris ecclesiast. univers. lib.* 1. *cap.* 39. §. 4. *num.* 34. Narbon. *ad leges Regias, lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 20. *gloss.* 19. *num.* 2. Bordon. *in Tribunal. cap.* 29. *n.* 7. Basilic. *decis. crimin. dec.* 17. *n.* 17.

8 Videntur etiam adnumerandi esse inter supradictos Ministros, Accusatores, Denunciantes, & Testes in causâ fidei, sed in actu, quo sunt tales, aliàs secus: Bordon. *ibid.* quarè Farinac. *cons.* 82. *num.* 2. tenet, quod mulier quædam sacrilega, quæ propriis manibus duas mulieres complices interfecerat, timens ne in S. Officio denunciarent ejus crimen sortilegii, non incidisset in Bullam

9 Pii V. Sed si quis testibus etiam in actu testificationis intuitu S. Officii minitaretur, non esset de hæresi suspectus reputandus, si tantùm verbis id ageret, nec propter hoc impedita remaneret jurisdictio ipsius S. Officii: Carena *part.* 2. *tit.* 3. §. 15. *num.* 63. Salell. *de mater. Sancti Offic. lib.* 6. *cap.* 8. *reg.* 495. *n.* 164.

10 Porrò sub nomine Testium comprehenduntur etiam Testes, non solùm in causâ hæresis formalis, verùm etiam in causâ suspicionis hæresis: Carena *part.* 2. *tit.* 13. §. 17. *num.* 63.

11 An autem inter ministros S. Officii actu Tribunali inservientes censendi sint, qui cum reverà tales sint, asserunt se velle Reum capere prò causâ S. Officii? Dicimus, quod vel ostendunt testibus mandatum, & tunc indubitatum est, quod Rei debent ipsos, uti tales, cognoscere: Farinac. *qu.* 32. *num.* 31. Baiard. *ad* Clar. *qu.* 29. *num.* 3. licet nullum aliud signum ostendant, quidquid in contrarium asserat ipse Farinac. nam Judex potest cuilibet privato, imò parti quoquè offensæ committere capturam alicujus: Clar *qu.* 28. *num.* 8. Vel ostendunt tantùm aliquod signum, putà, Virgam, & tunc Rei possunt ipsis resistere; nam potest esse, quod sint satellites, & non habeant mandatum ad capiendum, ut reprobato Claro, tenet Farinac. *q.* 32. *num.* 33. latè Narbona *in tertiam partem novæ Recopilat. tit.* 1. *lib.* 4. *lex.* 20. *gloss.* 18. *num.* 77. Vel nec signum, nec mandatum ostendunt, & tunc eò minus putandi sunt Ministri S. Officii.

Pari-

12 Pariter inter ministros S. Officii connumerantur Confratres, quos cruce signatos vocant: Sed isti gaudent solummodò nonnullis Privilegiis spiritualibus, ut videre est in Bullâ Clem. VII. quę incipit, *Cum sicut*, *in ordine la* 27. *tom.* 1. *bullar.* quibus similiter fruuntur cæteri Ministri, licet in dictâ Confraternitate non descripti: Carena *part.* 1. *tit.* 14. §. 6. Fermosin. *loco cit.* Quin subdun-
13 tur jurisdictioni Episcopi, à quibus eorum Confraternitates, dummodò in contrarium non vigeat consuetudo, visitari possunt ubicumque sitæ sint. Non tamen possunt Episcopi cogere dictos Confratres ad redditionem computorum, nisi cum interventu Inquisitoris: Albitius *de inconstantia in*
14 *fide*, *cap.* 29. *num.* 120. Cæterùm cum hujusmodi Confratres sint utiquè S. Officii familiares, de ipsis, si impediantur intuitu Sancti Officii, dicendum est, quod de familiaribus suprà recensuimus.

CAPUT V.

De conversantibus cum Hæreticis.

SECTIO I.

An prohibita sit conversatio cum Hæreticis, annè suspicionem hæresis ingerat?

SUMMARIUM.

1 *Conversatio cum Hæreticis est prohibita jure Divino, & Ecclesiastico, propter perversionis periculum: Affertur jus Divinum.*

2 *Diversis in locis jus Ecclesiasticum vetat conversationem cum Hæreticis.*

3 *Iura tamen antiqua restricta sunt per Bullam Martini V.* Ad evitanda, *vi cuius possumus communicare cum excommunicatis, nisi sint nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percussores.*

4 *Vi dictæ Constitutionis Catholici non peccant hodiè conversando cum Hæreticis, licèt publicis.*

5 *Contraria Constitutio edita in Concilio Basilieensi, & Lateranensi, in quonam derrogavit dictæ Constitutioni Martini?*

6 *Objectio ex Bullâ Cœnæ resoluta.*

7 *Quid requiratur ad hoc, ut Catholicus possit habitare in terris Hæreticorum, secundùm Constitutionem Clementis VIII?*

8 *Gregorius XV. per suam Bullam incipientem* Romani Pontificis, *statuit, ne Hæretici apud Italos morari possent.*

9 *Commercium cum Hæreticis periculosum est.*

10 *Contrahentes familiaritatem cum Hæreticis, sunt de hæresi vehementer suspecti.*

11 *Quod etiam procedit respectu eorum, qui Hæreticos visitant.*

12 *A fortiori sunt suspecti contrahentes cum Hæreticis confœderationem, aut parentelam.*

13 *Dispositio Gregorii XV. non comprehendit Hæreticos militantes.*

14 *Eadem Gregorii dispositio non comprehendit receptantes hospitio Hæreticum transeuntem.*

15 *Familiaritas etiam vitanda est cum Iudæis.*

16 *Titulo Mercaturæ potest haberi conversatio cum Hæreticis, propter publicam utilitatem.*

17 *Secluso perversionis periculo, & scandali potest etiam Catholicus conversari cum Hæreticis in spiritualibus.*

18 *Non est de hæresi suspectus, Sacramenta recipiens ab Hæreticis, & in primis si recipiat Baptismum.*

19 *In casu receptionis baptismi ab Hæretico, supplendæ sunt Orationes, & Vnctiones à Ministro Catholico.*

20 *Recipiens Baptismum ab Hæretico absquè necessitate, efficitur irregularis.*

21 *Nunquàm permittitur Catholico, adhibere in Baptismo Patrinum Hæreticum.*

22 *Non licet Catholico, filios Hæreticorum de Fonte sacro suscipere.*

23 *Potest recipi ab Hæretico Episcopo Sacramentum Confirmationis, dummodò sit verè Episcopus: Sed cavendum, quod nonnulli Hæreticorum Sacramentum hoc superstitiosè administrant.*

Manus

24 *Manus impositio apud Catharos Hæreticos, quo ritu absolvatur?*

25 *Cathari, quando recipiunt aliquem in Hæreticum, id præstant per manuum impositionem.*

26 *Differentia inter Catharos, & Albanenses in dogmate circa manuum impositionem.*

27 *Cathari tenent, quod si manus imponens sit in peccato mortali, non habeatur peccatorum remissio, quam tenent fieri per manuum impositionem.*

28 *A quibus inter Catharos fiat manuum impositio?*

29 *Censent Cathari, quod si manus imponens sit in peccato mortali, pereant omnes, quibus manus imposita est, si contingat in eo statu mori.*

30 *Dicunt Cathari, per manuum impositionem omnia peccata relaxari, & Spiritum Sanctum infundi.*

31 *Infanda carnificina Catharorum cum morituris, quorum alios strangulant; alios fame perire sinunt.*

32 *Hæc infanda Secta ferro, & igne extingui oportuit.*

33 *A Ministro hæretico possumus recipere Sacramentum Eucharistiæ in mortis articulo, si absit Catholicus Minister.*

34 *Cur S. Ermenegildus maluit mori, quàm Eucharistiam accipere ab Ariano Episcopo?*

35 *Qui Eucharistiam extra necessitatem reciperet ab hæretico, fieret de hæresi suspectus.*

36 *Potest Catholicus recipere Sacramentum Pœnitentiæ ab Hæretico.*

37 *Dummodò tamen Catholicus sit in articulo mortis constitutus.*

38 *Constitutus pariter in articulo mortis, nec valens contritionis signum edere, potest recipere ab Hæretico Sacramentum Extremæ Unctionis.*

39 *Sacramentum Extremæ Unctionis non solùm per accidens, ut alia Sacramenta, sed etiam per se delet peccata mortalia.*

40 *Validè, sed non licitè potest recipi Ordinis Sacramentum ab Hæretico Episcopo, servatis essentialibus Sacramenti.*

41 *Recipiens tamen Ordinis Sacramentum, tunc remanet suspensus: Ignorantia tamen excusaret ab irregularitate.*

42 *Limita, hoc non procedere quòad Episcopum recipientem consecrationem ab Episcopo Hæretico non tollerato.*

43 *Validè contrahitur Matrimonium à Catholico cum Hæreticâ, & è contrà; illicitè tamen.*

44 *Papa nunquàm dispensat, nisi persona hæretica priùs hæresim abjuret.*

45 *Hoc pacto Clemens VIII. dispensavit, ut Catharina soror Henrici IV. Galliarum Regis nuberet Duci Barrensi.*

46 *Item noluit dispensare, ut Rex Neoburgius nuptias contraheret cum filiâ Palatini Bipuntini.*

47 *Potest Sedes Apostolica concedere hujusmodi dispensationem etiam cum periculo perversionis alterius conjugis, ob publicam causam.*

48 *An consuetudo ineundi matrimonia cum Hæreticis, ubi viget libertas conscientiæ, sit corruptela?*

49 *Parocho non est licitum assistere matrimonio inter personam Catholicam, & hæreticam.*

50 *Nec benedictionem nuptialem impertiri absquè dictâ dispensatione.*

51 *Ministro Pontificis non licèt intervenire nuptiis hæreticorum; aliis verò Privatis licebit.*

52 *In casibus prædictis si est licita conversatio cum Hæreticis in Sacramento; multò magis in civilibus.*

1 PRAESENTANEUM perversionis periculum, resultans ex conversatione cum hæreticis, in causâ est, ut hujusmodi conversatio Catholicis Viris, tùm jure divino, tùm jure Ecclesiastico positivo prohibeatur: Jus divinum manifestè enunciat D. Paulus, dum scribens ad Titum *cap. 13. num. 10.* ait, hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem, devita, sciens, quia subversus est, cum sit proprio judicio condemnatus: Idipsum anteà ex parte Dei idem Paulus præceperat Romanis *cap. 16. num. 17.* dicens: *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissentionem, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.*

2 Quantùm verò ad jus positivum Ecclesiasticum, quia istud variatis temporum,

rum,

rum, & rerum circumstantiis, multiplex, & varium apparet, proindè quoties, & quid illud disposuerit, breviter hìc aperiam. In corpore juris Canonici multis in locis ad pœnam hæreticorum prohibetur Catholicis cum hæreticis communicare, ut videre est *in tit. de hæret. cap.*4. 5. *&* 8. necnon *in cap. sicut, de hæret. & in cap. si quem fortè* 24. *qu.* 1. quibus in locis dicitur, omnes hæreticos esse vitandos: Hæc
3 tamen jura antiqua non parùm restricta sunt per Bullam Martini V. editam in Concilio Constant. quæ incipit *Ad evitanda*: Vi enim ipsius communicare cum excommunicatis, adeoquè etiam cum hæreticis, sivè Apostatis, per se non est illicitum, nisi in duobus casibus, si quis videlicet sit nominatim excommunicatus, & denunciatus, aut notorius Clerici percussor, ut post S. Antoninum, Victoriam, Sotum, ex communi docent Henriquez. *lib.* 13. *cap.* 5. *num.* 1. Suarez 3. *part. tom.*5. *disp.* 9. *sect.* 2. & Tolet. *lib.*5. *summ. cap.*9.

4 Adeoquè vigore hujus Extravagantis Catholici non peccant hodiè, conversando cum hæreticis, quamvis publicis, & notoriis, non tamen nominatim denunciatis, donec per Judicis sententiam non fuerint declarati, & uti tales denunciati: Card. de Lugo *de virt. fid. div. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 1. ubi latè quæstionem tractat.

5 Quæ constitutio est utiquè observanda, non autem altera ei contraria edita in Concilio Basilien. & Lateranen; non obstantibus his, quæ dicuntur à Fagnano *in cap. quod à Prædecessore, de Schismaticis, num.* 54. & à P. del Bene *part.* 1. *dub.* 51. *in tit. objectiones per tot.* Nam in hoc tantùm à prędictâ Cōstitutione Basilien, & Lateranen. derrogatum fuit Constitutioni Martini V. registratæ post acta ipsius Cocilii Constantien. quia decrevit, non licere deinceps sepelire hæreticos notorios, licet non denunciatos nominatim, uti excommunicatos, in loco Sacro. Et quamvis in Bul-
9 lâ Cænæ nominatim excommunicentur Lutherani, & quidam alii, non sunt tamen isti vitandi: Prædicta enim Bulla non intendit, ut eos teneamur vitare, quia illa excommunicatio est generalis, ut docet Sayr. *lib.*3. *de Censuris Papæ reservatis* 1. *p. c.* 4. *n.* 32. Ugolin. *de cesuris* itidem *Papæ reservatis p.* 1. *c.* 14. *in fine*.

7 Quia verò occasione permissionis communicandi cum hæreticis, quam concessit Martinus V. in dictâ Extravaganti, posset contingere scandalum, vel periculum perversionis, & eò vel magis, quia præterito seculo, exortis hæresibus Lutheri, & Calvini, ne in Italiæ partibus grassarentur, proindè Clemens VIII. in Bullâ *Cum sicut die* 26. *Iulii, anno* 1596. decrevit, ut Catholicus posset habitare in terris hæreticorum, aliqua requiri in eâdem Bullâ videda; & Gregorius XV. in aliâ Bullâ in-
8 cipiente *Romani Pōtificis, die* 2. *Iunii, anno* 1622. statuit, quod hæretici apud Italos morari non possint; & quod Catholici eos receptantes, aut favorē, vel auxilium præstantes, puniendi sint, uti fautores, & receptatores hæreticorum, sivè sint Ecclesiastici, sivè laici. Meritò quidem
9 Sanctissimi Pontifices ità salubriter disposuerunt, quia adeò imminens est ob commercium cum hæreticis periculum, de quo S. Thom. 2.2. *qu.* 10. *art.* 9. & Sanchez. *in decalog. lib.*2. *cap.* 31. *num.* 1. grassantibus præcipuè in finitimis Italiæ Regnis Galliarum, & Germanię prædictis novatoribus hæreticis, ità ut qui cum hæreticis communicant, at-
10 què familiaritatem contrahunt, sint vehementer de hæresi suspecti: Bordon. *de Sac, Tribun. cap.* 24. *num.* 17. *&* 18. Pegna *in director. part.* 2. *fol.* 234. *vers. item quæritur*, Farinacc. *de hæresi, q.* 182. *num.* 16. Mar. Ital. *de immunit. lib.* 1. *c.* 1. *§.* 6. *num.* 21. Fermosin. *in cap.* 5. *can.* 8. *qu.* 1. *num.* 32. *& seqq. de hæretic. inter tract. criminal. tract.* 2. Ricciull. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 16. Simanch. *de catholic. institut. rubr. de communicat. prohibit. num.* 9. Sess. *decis. Aragon.* 451. *num.* 18. *&* 19. sivè conversatio habeatur personaliter, sivè per litteras, & Nuncios: Pegna *part.* 2. *commentar.* 81. Decian. *lib.* 5. *cap.* 41. *num.* 12. Farinac. *ubi suprà, n.* 168.

11 Quod etiam procedit respectu eorum, qui hæreticos visitant: Farinac. *loco cit. num.* 173. Fermosin. *de quo suprà, sub num.* 32. Antunez. *de donat. reg. part.* 3. *cap.* 28. *sub num.* 59. Sess. *d. decis.*

cis. 451. *num.* 9. vel qui ad ipsos munera mittunt: Farinac. *d. qu.* 182. *n.* 171. Eymeric. *part.* 3. *qu.* 56. *num.* 8. Pistach. *de superstit. part.* 2. *c.* 3. *num.* 21. nam hujusmodi actiones contrà Catholicos oriri faciunt suspicionem de hæresi, per ea, quæ adducit Carena *in tract. de off.* S. *Inquisitionis, part.* 2. *tit.* 4. §. 3. *per tot.* & Castro-Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 5.

12 Propter hanc rationem à fortiori insurgit hæresis suspicio respectu contrahentium confœderationem, vel Parentelam cum hæreticis: Fermosin. *d. cap. sicut, quæst.* 1. *sub num.* 32. Pistach. *de superst. d. par.* 2. *cap.* 3. Pegna *part.* 2. *commentar.* 81. Farinac. *ibidem, n.* 176. & eò magis insurgit respectu eorum, qui ipsis inserviunt: Idem Farinac. *ubi suprà*, & Albitius *de inconstant. in fide*, *cap.* 30. *num.* 84.

13 Cæterùm dispositionem Gregorii XV. notat Bordon. *cit. num.* 13. non comprehendere Hæreticos Milites, quià Bulla loquitur tantùm de Hæreticis domicilium, seù habitationem in Italiâ habentibus: Milites autem non propriè domicilium, aut habitationem dicuntur habere, cum sequantur exercitum, hùc, vel illùc vagando, juxtà belli exigentiam, & Imperium Ducis
14 exercitus. Neque præfata dispositio Gregorii comprehendit receptantes hospitio Hæreticum transeuntem, quià sic non dicitur receptator formaliter, & in causâ hæresis, qui casus frequenter contingit hoc anno Iubilæi 1700. dummodò tamen caveantur à nimiâ, & frequenti familiaritate, nàm alioquin ex illâ posset oriri hæresis suspi-
15 cio, scandalum, & periculum. Imò hujusmodi familiaritas vitanda est etiam cum Judæis; & ob id non est licitum Christiano cum Judæo in balneum descendere: Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap.* 1. *quæst.* 1. *num.* 11. *de Iudæis*: Nec sunt licita convivia inter Hebręos, & Catholicos: Idem Fermosin. *ubi su-*
16 *prà, quæst.* 2. *per tot.* Hæc omnia procedunt etiam quandò conversatio cum Hæreticis habetur titulo mercaturæ, quę absquè ullo scrupolo in oris maritimis Italię exercetur cum Anglis, & aliis Hęreticis non nominatim excommunicatis, quià Mercatores non tractant cũ Hęreticis in rebus ad Religionem spectantibus: Cum enim negotia tẽporalia de se non ordinentur ad scandalum, neque ad subversionem, sed sint indifferentia propter utilitatem communem, permittuntur cum Hęreticis, eò vel magis, quià hac occasione convertuntur ad fidem Catholicam conversando cum Catholicis: Ità Diana *tom.* 9. *tract.* 13. *resol.* 9. *num.* 6. Marquard. *de mercatur. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 28. & 29. & latè *cap.* 11. *à num.* 110.

17 Itaquè, excepto perversionis, & Scandali periculo, cum possit Catholicus cum hæretico non nominatim excommunicato participare in omnibus actionibus temporalibus, ut hucusquè dictum est, poterit quoquè cum eâdem cautelâ participare in Spiritualibus, quod expressè docuit Texeda *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *tract.* 1. *dub.* 1. *n.* 31. citans Cajetan. *in* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 9. idquè habetur, attentâ extravagant. *Ad evi-*
18 *tanda*: Quâpropter non erit suspectus de hæresi conversans cum hæreticis, necnon ab ipsis Sacramenta recipiens, pròut docent Card. de Lugo *de pænit. disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 18. & 19. & *in tract. de Sacram. disp.* 8. *sect.* 14. Verricell. *de Sacris Mission. tit.* 11. *qu.* 169. *per tot.* Sivè intelligatur de baptismo, qui utiquè recipi potest à ministro hæretico, quoties absentibus Catholicis concurrat ea necessitas, quæ inter Catholicos sufficit, ut peti possit baptismus à Laico; & quoties in hoc non interveniat communicatio in sectâ, & ritu hæretico: Card. de Lugo *de fide, disp.* 14. *sect.* 5. §. 5. *n.* 161.
19 & fuit alibi dictum: Cui addimus prò intelligentiâ, quod suppleri debent orationes, exorcismi, & vnctiones à Ministro Catholico: P. del Bene *par.* 1. *dub.* 63. *nu.* 25. non de necessitate Sacramenti, cum sinè ipsis sit validum; sed de necessitate præcepti, ut benè distinguit Lupus *in edictis, par.* 2. *lib.* 13. *dist.* 1. *art.*
20 1. *diff.* 1. Si autem non adesset urgens necessitas, quicumquè susciperet baptismum, Irregularis efficeretur: P. del Bene *ibidem, n.* 91. *sect.* 1. *num.* 17. & graviter peccaret: Lupus, *ubi suprà*.

21 Verùm enimverò quocumquè ritu ministretur baptismus, nuquàm permittitur Catholico adhibere hæreticum in Patrinum, nam hoc offi-

cium Patrini, quod est instruere, non potest exerceri ab hæretico respectu Catholici, qui aliam religionem profitetur. Non enim ex tenebris Lux, ut benè docent Trullench. *in expos. Decal. lib.*1.*dub.*2.*num.*8. Ledesm. *to.* 2.*summ. tract.*3.*cap.*12.*concl.*11. *diff.* 3. Sanchez *lib.*2.*oper.moral. c.*9.*n.*11. Martene *de antiqu. Eccles. ritib. tom.*1. *cap.*1. *art.*16.
22 *num.*13.*in fine*: Et è contrà minimè licet Catholico filios hæreticorum de sacro baptismatis fonte suscipere, quia Patrinus debet offerre puerum, & petere baptismum, sed non potest offerre, & petere à Ministro Laico, & eò minùs à Ministro Hæretico: Card. de Lugo *ubi suprà*, *disp.* 14.*num.* 162. non obstante quâcumquè consuetudine, si quæ in contrarium adesset, quarè cautè legendus est Lupus *ubi suprà*, *diff.*2. *in princ. & diff.* 3. Sivè intelligatur de Sacramento Confirmationis, dummodò conferatur ab eo, qui sit verè Episcopus, & in Ritu Catholico; sed hoc Sacramentum expungunt hæretici ab albo Sacramentorum, ut videre est penès
23 Bellarminum: Nonnulli tamen hæreticorum Confirmationem admittunt, sed superstitiosè, undè habemus apud Eymer *par.*2. *direct. fol.* 141. Constitutionem Urbani IV. confirmantem alteram Alex. IV. editam *anno* 1258. adversùs Consolatos, qui etiam Cathari nuncupabantur: Hi enim tanti existimabant manuum impositionem, ut non modò eam vocarent consolamentum, spiritualem baptismum, & baptismum Spiritus Sancti, sed etiam dicebant, sinè hujusmodi manuum impositione nec lethalem culpam remitti, nec Spiritum Sanctum alicui communicari, eamquè tali ritu absolvebant: Cum aliquis ex
24 ipsis incideret in peccatum, vel si quispiam eorum sectam amplecti vellet, Præpositus, qui inter catharos præcipuo potiebatur honore, per manus impositionem consolamentum daturus, librum Evangeliorum, vel totius novi Testamenti tenebat antè pectus suum: Is verò, qui consolamentum erat accepturus, ubi coram catharis confessus esset in genere, dicens, se esse peccatorē, & humiliter accedere ad petendam veniam, tunc Præpositus absolutione peractâ, ponebat prædictum librum super Caput illius, & cæteri Cathari, qui aderant, manū dexteram, & incipiebant suo ordine dicere orationem dominicalem. Hoc ritu Consolamentum, & peccatorum remissionem ajebant se conferre, quam non habebant miseri Cathari: De hujusmodi ritu extat insignis locus
26 in Concilio Narbonensi *cap.* 19. A catharis in hoc differunt Albanenses, quia isti asserunt, manum nihil operari, cum ipsa à Diabolo sit creata, secundùm eos; sed omnem effectum tribuendum esse orationi dominicali, quam ipsi tunc recitant. Est autèm com-
27 munis opinio Catharorum, quod per illam impositionem manus, & orationem Dominicam non fiat aliqua remissio peccatorum, si illi, qui tunc manus imponunt, sint in aliquo peccato mor-
28 tali: Fit autem hæc manus impositio à duobus ad minùs, & non solùm à Prælatis eorum, sed etiam à subditis, cæterisquè, ità ut maximo semper versentur dubio cathari, quod videlicet Prelatus eorum, præcipuè Episcopus, occultè commisserit aliquod mortale peccatum: Ad hoc tamen dubium removendum recipiunt secundò, & quandoquè tertiò consolamentum, idest manus impositionem, quod est baptismus
30 eorum: Ratio autem, quâ probant, peccata per hujusmodi confirmationem relaxari, & Spiritum Sanctum infundi, est, quia ex sacrâ Scripturâ habemus illud: *Tunc imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Quandò aliquem autem in extremo
31 mo periculo Vitæ recipere volunt, dant ei optionem, utrùm velit in Regno Celorum esse cum Sanctis Martyribus, vel Confessoribus: Si autem elegerit statum Martyrum, tunc manutergio ad hoc specialiter deputato, quod Theutonicè vocatur Enetexturch, ipsū strangulant, ostium super eo clauso; si autem Confessorum elegerit statum, tunc post manus impositionem nihil dant ei ad esum, nec parvam aquam ad bibendum, & ità ipsum fame perimunt: Rehenerius relatus à Pegna *in par.*2.*Comment.*58.& à Raynald. *ad Annum Christi* 1258. Hæc autem erat infanda hæreti-
32 corum consolatio, quæ in carnificinam desinebat, subtili Dæmonis commento, ne quis eorum, qui ad hæreticos accessisset,

fisset, ex cruentis ejus manibus evaderet. Ad eam ergò pestem exscindendam, quam refellere supervacuum esset, cum humani sensus ad illam perhorrescant, jure Principes ferro, flammis, & catastis utendum censuere, edixitquè Alexander, vt eorum bona, quibus ab hæreticis manus admota esset, fisco addicerentur, ne ægris propinquitate conjunctissimi, ad quos hæreditas spectaret, sceleratum adeò piaculum committi paterentur.

34 Sivè intelligatur de Sacramento Eucharistiæ, dummodò non reperiatur Catholicus, qui illud ministret, & infirmus sit in articulo mortis: P.del Be-

35 ne *loc.cit. nu.* 21. Nec officit, quod S. Hermenegildus maluisset potiùs mori, quàm recipere Sacramentum Eucharistiæ ab Episcopo Arriano, ut narrat S.Gregorius: cogebatur enim recipere in signum, quo confirmaret errorem damnatum in hæresi Arrianâ.

36 Extrà verò necessitatem, si quis susciperet hoc sacramentum à Sacerdotibus in hæresim lapsis, fieret de hæresi suspectus; nam cum Calvinistæ negent corpus, & sanguinem Christi realiter adesse in hoc Sacramento: Lutherani verò concedant quidem adesse, sed simul asserant, manere substantiam panis, sequeretur, quod qui nullâ necessitate adductus sumeret hoc Sacramentum ab ipsis hæreticis, indicaret se favere erroribus illorum: Beccanus *de controv.lib.*1.*cap.*8.

37 Sivè intelligatur de Sacramento Pænitentiæ: Card. de Lugo *disp.* 18. *de pænit. num.*18. *&* 19. *& in tract.de virt. fid. Div.disp.*22.*sect.*1.*num.*11. *vers. contraria*:Quod tamen intelligendum, dū-

38 modò catholicus sit in articulo mortis constitutus, quo casu potest etiam absolvere Sacerdos nominatim excommunicatus, quidquid in contrarium dicat Fagnan. *in cap.quoniam,de Constit. num.*28.*& in Cap. non est vobis, de Sponsalibus*, prout probat P. del Bene *p.* 1. *dub.* 154.*per tot.* Non enim Ecclesia peccatoribus resipiscentibus in gravi Salutis discrimine constitutis Maternæ claudit pietatis viscera, quin potiùs vult, ministros suos illis opem ferre, & proindè cuiquè Sacerdoti collatam potestatem solvendi non adimit, ut ait Lupus *ubi suprà*, *art.*2. *diff.*3. & eâdem ratione tenendum est, ipsam Ecclesiam pænitenti in hujusmodi periculo constituto, reliquisse facultatem confitendi sua peccata cuilibet Sacerdoti, etiam nominatim excommunicato, aliàs defecisset in necessariis ad salutem. Lupus *ibidem,diff.*1.

39 Sivè intelligatur de Sacramento extremæ Unctionis, dummodò constitutus in articulo mortis non fuerit confessus, nec signum dederit contritionis: Tunc enim extrema unctio est de præcepto, quia tunc potest quis per eam salvari, nam si habet mortalia, remittentur ei, si sit attritus, ut docet Magister sent.*dist.* 22. *in* 4. & ibi D. Bonav. Major. & Cabasut. *in Praxi Juris Canonici*, *lib.*3. *cap.*15.*num.*5. Porrò D.Jacob *in suâ Ep. c.*5.*vers.* 14.per acceptionem hujus Sacramenti promittit remissionem peccatorum, ibi: *& si in peccatis sit*, *remittentu ei*, peccatis, inquam, non tantùm

40 venialibus (hæc enim omnes habent) sed & mortalibus, si quæ sint: Idipsum quidem faciunt alia Sacramenta vivorum, sed per accidens; at extrema unctio facit per se, & propriè, quia ad hoc peculiariter est instituta, & parata in finem vitæ, ut amoveat omnia impedimenta, juxtà sententiam, quam tenet Merbes. *in summâ Christianâ*, *dissert.* 5. *quæstiunc.*22. ac alii.

41 Sivè intelligatur de Sacramento Ordinis, nam servatis debitis formâ, materiâ, & intentione, validè, quàvis illicitè, recipi possunt sacri Ordines ab Episcopo hæretico: Francisc.de Hallier.*de sacris electionibus*, *& ordinationibus*, *in tit.de qualit. Ministr. art.*1. §.1.2. 3. *&* 4.P.del Bene *part.*1.*dub.*154.*nu.*1. Non enim ab Episcopo tollitur potestas ordinandi *in cap. didicimus* 14. *qu.* 1. sed usus: Suarez *de censur. disp.* 31.*sect.*2.

42 *n.*61. At recipiens taliter Ordines remanet suspensus: Hallier *dict.* §.4.*nu.* 39. Sivè Episcopus ordinans sit hæreticus denunciatus nominatim; sivè non, dummodò non ignoret, eum esse hæreticum: Ignorantia quippè, dummodò non crassa, aut supina, excusat, itàut ordines ab hæretico recipiens, non fiat irregularis: Sanchez *cap.* 104. *num.*47.

43 Limita hoc non procedere quoad Episcopum recipientem consecratio-

 nem

nem ab Episcopo non tolerato: Leo *Thesaur. Eccles. par* 2. *cap*. 24. *vers. de Episcopo*; nam *in cap. ordinationis*, *qu*. 9. non fit specialis mentio de consecratione Episcopi, quæ procul dubio facta fuisset, si Ecclesia voluisset, ut ignorantia excusaret; undè cum in tantùm excuset ignorantia in promovendis ad Ordines, in quantum Ecclesia permittit eorumdem Ordinum usum illis, qui ignoranter receperunt ordines ab Hæretico, idcircò cum nulla facta fuerit mentio de Episcopis, quò ad eorum consecrationẽ, nescio quo Jure possit dici, Ecclesiam voluisse in hoc casu quoquè dispensare.

44 Sivè intelligatur de Sacramento Matrimonii: Validè enim contrahitur Matrimonium à Catholico cum Hæreticâ, & è conversò, quidquid afferant Hostiensis, Ancharanus, Simancas, & Rojas, quos affert, & refutat Cardinalis de Lugo *de fide*, *disp*. 22. *sect*. 2. *num*. 13. quamvis non licitè: Ratio validitatis est, quia dupliciter consideratur matrimonium, vel quatenùs contractus, vel quatenùs Sacramentum: Uti contractus, cum quocumquè tenet, concurrente utriusquè contrahentis voluntate, & consensu; uti Sacramentum ad hoc ut sit validum, requiritur in ipsis contrahentibus paritas baptismi, qui est Janua Sacramentorum, ut alibi diximus, & firmant P. del Bene *par*. 1. *dub*. 153. *sect*. 5. *corollar*. 1. *num*. 1. & Card. de Lugo, *ubi suprà*, *num*. 34. Est tamen illicitum, quia ab Ecclesiâ prohibitum: Undè in *in cap. decrevit*, *de. hæret. in* 6. si Catholica Mulier nubat hæretico scienter, punitur privatione dotis; & ratio prohibitionis est periculum fidei imminens Conjugi Catholico, & proli: P. del Bene *ibidem*, *num*. 6. *vers. ubi tamen*, & nos *suprà*: Imò nec Papa dispensare solet super hujusmodi matrimonio, etiã in Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses, nisi persona hæretica priùs abjuret hæreses, & fidem Catholicam amplectatur, ac de prædictâ abjuratione documentũ exhibeatur: Quãobrem si Clemens VIII. dispensavit, ut Catharina Soror Henrici IV. Galliarum Regis nuberet Duci Barrensi, de quâ dispensatione testatur Cardinalis de Lugo *dictâ disp*. 22. *sect*. 1. *num*. 16. id non præstitit, nisi adhibitis diligentiis, ut priùs sequeretur abjuratio, & Judicio Dei evenit, ut antequàm dispensationis breve præsentaretur, eadem Catharina diem supremum clauserit, teste Spondano *ad ann*. 1600. *nu*. 5. Quinimò Urbanus VIII. renuit concedere dispensationem Regi Poloniæ, ut posset ducere in Uxorem filiam cujusdam Palatini hæreticam: Cardin. de Lugo

47 *ubi suprà*: Item noluit dispensare, ut Rex Neoburgius nuptias contraheret cum filiâ Palatini Bipuntini, quæ tamen sequutæ sunt cum infelici exitu; & licet dispensaverit cum Carolo Brittanniæ Rege, ut matrimonium contraheret cum Henrichetta, non sequutâ abjuratione, magnâ id egit prudentiâ ad fidei Catholicæ incrementum directâ: Potest enim à Sede Apostolica etiam non sequutâ abjuratione concedi dispensatio, quotiescumquè concurrit publica causa, vel etiam priuata indirectè publicam utilitatem concernens, ad tradita per Card. de Lugo *dict. disp*. 22. *sect*. 2. *à num*. 28. & Merbes. *in Summâ Christian. dissert*. 7. *qu*. 69. ut si concurrat causa libertatis Catholicorum, qui sub Principe hæretico oppressi premantur: Diana *to*. 3. *de Sacram. resolut*. 169. Cardin. de Lugo *loco citato*, *sect*. 1. *num*. 22. & tali circumstantiâ devenit Urbanus VIII. ad supradictam dispensationem, cuius conditiones si Rex Anglicus servasset, per manus Carnificis, raro exemplo, vitâ, regnum, & animã non amisisset.

49 Cæterùm non obstat consuetudo celebrandi matrimonium inter Catholicos, quæ inolevit in Regionibus, in quibus viget libertas conscientiæ, cum huiusmodi consuetudo dici potiùs debeat abusus contrà legem Ecclesiæ prò bono editam à Pontifice, qui immediatè à Deo in condendâ hac Lege, & non à subditis adeptus est jurisdictionem, quarè sicut talis lex non infringeretur à non acceptatione, eò minùs à contrariâ consuetudine labefactari potest: Medina 2. 2. *q*. 90. *art*. 3. Coriolan. *de Casibus reservatis*, *tit. ultim. de absolutionibus à Censur. in Bullâ Cænæ*, *dub*. 11. Rota *coram Merlin. in decis. registrata à P. Diana post par*. 6. *Resolutionum*, *pag*. 325. & confirmatâ ab eâdẽ Rota coram eodem inter impressas Merlini *la decis*. 814. Verricell. *de Apostol. Mission. tit*.

51. de

51.*de legibus*, *qu*.76. adeòut, oppositam opinionem erroneam existimandam esse, putent P. Juniperus à Drepano *in sua prò Iuris Pontificii defensione*, *disp*.6.*qu*.2.*cap*.2.*& seq*. & Albit. *de Inconstant. in fide*, *cap*.30. *num*.409. cum quo proindè improbanda est opinio Carenæ *par*.2.*tit*.10.§.5.*in fine*: sed Lectorem ad ea remittimus, quæ superiùs hac in re latè disseruimus. Verùm sivè hujusmodi nuptiæ sint illicitę ratione prohibitionis sacrorum canonum; eò quòd vel non adsit, vel non suffragetur tacitus Romanorum Pontificum consensus; sive sint illicitæ propter perversionis periculum, crederem, non posse Parochu Catholicũ ipsis assistere, quoties non fuerit obtenta super tali contractu, Summi Pontificis dispensatio; nam Parochus suâ præsentiâ non debet illicitum authorizare contractum: Eàdem, imò fortiori ratione putarem, non licere Missionariis assistere prædictis connubiis in illis locis, ubi non sunt Catholici: Prætereà nec benedictio-

51 nem nuptialem impartiri Parochus poterit, non obtentâ dictâ dispensatione, & insuper ipsâ obtentâ non poterit Eucharistiam præbere Conjugi converso, dummodò anteà non abjuraverit, etiamsi fuerit Ecclesiæ reconciliatus: Ità quo-

52 què non licebit ministro Pontificis quocumquè modo intervenire nuptiis Hæreticorum, licet Principum: Cæteris verò non Ministris Pontificiis, nec Ecclesiasticâ dignitate insignitis, non erit illicitum conviviis nuptiarum, etiã si ritu hæretico sint contractæ, interesse, eò quia, qui intersunt huiusmodi conviviis, non præsumuntur velle honorare contractum, quâ talis est, sed convivium, quod subsequitur: Ferdinandus *part*.1. *tract*. 4. *disp*.2. *punct*.17. *sub fine*: E contrà non licet Catholico matrimonium celebrare coram Ministro hæretico, nam tunc videretur ipsum agnoscere tanquàm verę fidei Ministrum: Malder. 2.2. *q*.3. *art*.2. *memb*.3. Coninch. *disp*. 15. *dub*. 3. *num*. 63.

53 His expositis, cum in quibusdam casibus superiùs recensitis non prohibeatur conversatio cum Hæreticis, respectu Sacramentorum, eò minùs quòad cætera erit illicita, dummodò ipsi hæretici non fuerint nominatim denunciati: Nam cum Hæreticis nominatim denunciatis nunquàm permittitur conversatio, nisi ad bonum finem, putà prò bono eorum animarum, quoties tamen respectu Catholici non adsit periculum perversionis, vel alterius mali: Tabien. *verb.Hæreticus*, *num*.4. & ideò hujsmodi conversatio ad bonum finem Idiotis, vel Hominibus, qui naturâ sint fragiles, non est permissa: P. del Bene *part*.1. *dub*.153. *sect*.1. *in objectionibus*, *num*.5. Imò nec doctis quoquè, si oriri possit Scandalum: P. del Benè *ibidem*, *num*.6.

Ut autem cum hæreticis non nominatim denunciatis licitè quò ad cætera converſetur, plures requiruntur conditiones, de quibus seorsim non erit incongruum pertractare.

SECTIO II.

De Conditionibus, quibus licet conversari cum Hæreticis.

SUMMARIUM:

1. *Non licet Catholicis, habitare in Terris Hæreticorum, secundùm Bullam Clementis VIII. nisi de licentiâ Ordinarii, vel Inquisitoris.*
2. *Cum tali licentiâ ibi habitantes debent transmittere attestationem de factâ confessione sacramentali, & de perceptâ annuâ communione.*
3. *Prima conditio licitæ conversationis cum Hæreticis est, ne Catholici adeant Hæreticorum Templa, tempore, quo Hæretici tantùm ad eadem templa adeunt.*
4. *Catholicis non licet ea facere, quæ indicent animum consentiendi ritibus Hæreticorum.*
5. *Hoc servandum est, quamvis Princeps hæreticus sub pænâ Mortis jubeat, omnes hæreticorum templa adire.*
6. *Conformiter ad hoc Paulus V. scripsit ad Catholicos Angliæ.*
7. *Christus non solùm Verbis, sed etiam factis vergentibus in Religionis injuriam, negatur.*
8. *Exempla Eleazari, septem fratrum Machabeorum cum Matre, & Christianorum sub Iuliano Apostata impia adversùs illos demandante.*

9 San-

9 S. Polycarpus Martyrium passus est, quia noluit jurare per fortunam Imperatoris.

10 Ethnici graviùs putabant perjurare per Imperatoris, quàm per Iovis genium.

11 Forma, quâ Christiani milites juramentum fidelitatis præstabant Imperatoribus.

12 Non licet Catholicis adire Templa Hæreticorum, etiamsi Princeps Hæreticus præceptum suum esse declaret, ad exigendam obedientiam civilem.

13 Absquè labis hæreticalis periculo nequeunt Catholici frequentare conciones in Templis Hæreticorum.

14 In patentibus Missionariorum cavet Sacra Congregatio, ne hi adeant Hæreticorum Templa ad illorum Conciones.

15 Nequè ubi est libertas conscientiæ, licet Missionariis adire Hæreticorum Templa, nisi instante necessitate confutandi aliquem Hæreticum.

16 Hyppolitus Cardinalis Estensis Legatus Pii V. ab isto reprehensus, quod interfuerit colloquio habito inter Catholicos, & Hæreticos.

17 In adeundis Hæreticorum Templis attenditur qualitas personarum, concurrentibus quibusdam conditionibus.

18 Prima conditio est, ne sequatur offensio in animis Catholicorum,

19 Nequè docti debent cum Hæreticis conversari, quandò indè scandalum resultaret.

20 Secunda conditio est, dummodò nulla intersit communicatio rituum Hæreticorum.

21 Tertia conditio, dummodò absit periculum propriæ perversionis.

22 Quarta conditio, dummodò adire Templa Hæreticorum non sit symbolum Hæreticæ pravitatis.

23 Quinta conditio, dummodò adsit rationabilis causa adeundi.

24 Prima rationabilis causa adeundi est defensio Catholicæ Religionis per viros doctos, & pios.

25 Indoctis ratione periculi nequaquàm permittendum est.

26 Secunda causa est adeundi ratione famulatus, præcisè ergà Dominos Hæreticos, dummodò famuli nequè in ritibus, nequè in precibus participent cum Hæreticis.

27 Ad istum effectum Naaman permissus est ab Eliseo adire Templum Idolorum, ut alibi dictum est.

28 Hac ratione Catholicus gerens Magistratum potest comitari Principem adeuntem Templum.

29 Ingenua constantia Valentiniani Militis ergà Iulianum Apostatam.

30 Famulis Catholicis licet tàm heros, quàm Dominos templa adeuntes comitari.

31 Imò famuli deputati possunt brachium præstare, dummodò hanc famulatus speciem extrà Ecclesiam etiam præstent.

32 In his casibus cavendum est à propositione damnatâ ab Innocentio XI. de cooperantibus ad peccatum alterius.

33 Actionis indifferentia in casu, de quo nunc loquimur, undè desumenda sit?

34 Non liceret famulo Catholico, Domino Hæretico Missam celebranti inservire, nequè ei indumenta ad id necessaria ministrare.

35 Non licet Servo Catholico, servitia in Templis Hæreticorum præstare, quæ non consueverint exhiberi, nisi tantùm in prædictis Templis.

36 Si Princeps particulariter aliquem famulum causâ Religionis ad Templum vocaret, non liceret Catholico comitanti herum Templum ingredi.

37 Tertia causa rationabilis adeundi Templa Hæreticorum, est civile negotium: ingressus enim dirigitur à causâ.

38 Cessantibus his causis, nunquàm licet, etiam morte instante, adire Templa Hæreticorum.

39 Tunc ingredientes essent de hæresi suspecti, pròut definitum est in Concilio Tarraconensi.

40 Hoc procedit etiam respectu Templorum Infidelium, vel Hebræorum, dum ibi superstitiosa peraguntur.

41 Secùs dicendum, quandò ibi superstitiosa non peraguntur.

42 Eâdem ratione nullam possumus habere communicationem cum ritibus Iudaicis.

43 Quo pacto hujusmodi ritus possint esse liciti?

An

44 *An liceant, si usurpentur materialiter? sub Iudice lis est.*

45 *Secunda conditio conversationis in Terris Hæreticorum est, ne Catholici observent dies festos Hæreticorum, si præscribantur ad explorandum, quinam sint Catholici, quinam verò Hæretici.*

46 *Secùs tamen, si illud præceptum esset simpliciter conceptum, tunc præsumendum, emanasse propter bonum politicum.*

47 *Quotiès Iudæi habitant mixti cum fidelibus, coguntur tapetis ornare parietes exteriores, quandò Sanctissima Eucharistia defertur processionaliter.*

48. *Tertia conditio est, ne Catholici utantur vestibus confectis ad formam earum, quibus induuntur Hæretici.*

49 *Id intelligitur, si cæteri fideles in eâ Provinciâ degentes uti non consueverint prædictis vestibus.*

50 *Neque possunt fideles uti vestibus, quandò lex, vel consuetudo illas vetat fidelibus.*

51 *Levis causa sufficit ad utendum vestibus, quibus uti non consueverunt fideles in eâ Provinciâ.*

52 *Si tamen ageretur de vestibus, quibus infideles à fidelibus secernuntur, requireretur causa gravis, ut permissum esset Catholicis, eisdē vestibus uti.*

53 *Negantem Pasqualigum requiri causam gravem reiicit Vericellus, quia talis usus vestium est protestatio falsæ Religionis.*

54 *Sancti Agathonis dictum: Christianus potest tollerare notam in se aliorum vitiorum, nunquàm tamen hæresis.*

55 *Quandò Infidelium vestes non solùm sunt distinctivæ ipsorum à fidelibus, sed etiam protestativæ falsæ sectæ, si eis non est annexus actualis cultus Auctoris falsæ Sectæ, uti sunt vestes Sacerdotum, tunc fidelibus non interdicitur illarum usus ex gravissimâ causâ.*

56 *Si autem sit annexus cultus falsæ Sectæ, putà si in eis sint effigiata idola, tunc non licet eis uti.*

57 *Quod si non exhibeant hujusmodi signum, ut sunt vestes ordinatæ ad significandam nobilitatem, gravi causâ concurrente, licitus est earum usus.*

58 *Quæcumquè sint vestes, non est illicitus illarum usus, quoties per jocum gestentur.*

59 *Multò magis licebit Christianis uti hostium vexillis in navibus ad infideles seducendos.*

60 *Et potiori jure, si utantur ad evadendas eorumdem hostium insidias.*

61 *Sed an Catholico liceat gestare vestem Infidelium, quandò istorum Principes jubent illius usum ad falsæ Religionis professionem? Negativè respōdetur, si antè legis promulgationem illius non erat usus.*

62 *Secùs dicendum, si usus penès Catholicos extabat.*

63 *Quod si Princeps Infidelis præciperet, quod fidelis tali veste uteretur, is obedire non teneretur.*

64 *Quod intelligitur, si lex illa à multis fuerit acceptata; secùs, si esset communiter recepta.*

65 *Quarta conditio est, ne commorantes in locis Hæreticorum vescantur carnibus diebus ab Ecclesiâ prohibitis, etiam in parvâ quantitate ad hæresis protestationem.*

66 *Factum, ut inducat haresim externam, debet eam exprimere: Exemplum Fornicantis credentis, Fornicationem non esse peccatum.*

67 *Verùm si edantur carnes in aliquâ quantitate sinè rationabili causâ, satis apparet animus ergà hæresim.*

68 *Si Tyrannus in contemptum legis Ecclesiasticæ præcipiat, edi carnes diebus vetitis, illas edens falsam sectam profitetur.*

69 *Et in isto casu nequit Summus Pontifex dispensare in esu carnium.*

70 *Si non adest præceptum Tyranni, commorantes in locis Infidelium possunt edere carnes ad evitanda pericula.*

71 *Esset tamen comestio carnium tunc illicita, si scandalum ex eâ oriretur, & posset commodè vitari.*

72 *Quinta conditio est, ne cooperetur hæresi, vel infidelitati, directâ, vel indirectâ cooperatione, & quid sit utraquè cooperatio?*

Coo-

73 *Cooperatio directa differt ab indirectâ, quod scilicet illa est intrinsecè mala, non sic ista.*

74 *Nunquàm licet etiam cum mortis periculo pulsare campanam ad concionem Hæreticorum.*

75 *Christiani non possunt vendere Iudæis agnum, ut ab eis immoletur, nec ramos ad ornatum Synagogæ.*

76 *Marcus Episcopus Arethusæ potiùs voluit subire tormenta, quàm cooperari ad refectionem cujusdam Idoli, quod ipse destruxerat.*

77 *Non licet imprimere librum, nec alia agere, quæ ordinantur ad animarum perversionem.*

78 *Non licet Principi Catholico inire confœderationem cum Hæretico absquè licentiâ Summi Pontificis; & quo sensu.*

79 *Eò minùs potest Princeps Catholicus auxilium præbere Hæretico ad occupandam ditionem Catholici.*

80 *Paulus III. improbavit confœderationem Caroli V. cum Anglorum Rege.*

81 *Non licet Christianis restituere Idololatris idolum, quod in bello fuerit ablatum: Historia Dentis Cati-Maimonis.*

82 *Sexta conditio est, quod qui versantur cum Hæreticis, non præbeant scandalum ratione suæ qualitatis.*

83 *Nuncius Pontificius non debet respondere litteris Hæreticorum, vel eis scribere, vel aliam communicationem cum eis habere.*

84 *Spondani audacia in censurando Summo Pontifice, quod cum Turcis communicationem habuerit.*

85 *Alia ejusdem Spondani temeraria irreverentia dicta in Summum Pontificem.*

86 *Titulus Regis Catholici, Regibus Hispaniæ quàm sit antiquus.*

87 *Septima conditio est, quod non disputetur cum Hæreticis.*

88 *Cum Hæreticis non est disputandum, etiamsi suppeterent rationes.*

89 *Laudatur Episcopus Merburgensis, qui noluit permittere Ekio, ut iniret disputationem cum Luthero.*

90 *Disputatio cum Hæreticis nocere potest adstantibus, maximè si sint idiotæ.*

91 *Hæreticorum petulantia in disputationibus, quomodò eam repræsserit Sanctus Remigius Episcopus Rhemensis in Episcopo Arriano.*

92 *Quandoquè expedit disputare cum Hæreticis ad eorum errores propulsandos.*

93 *Sanctus Hieronymus redargutus à Sancto Augustino, quod Rufinum impugnaverit; posteà re meliùs cognitâ laudatus.*

94 *Catholicus quandoquè tenetur disputare cum Hæreticis.*

95 *Error fuit Apellis, & Gregorii Cassandri de non impugnandis Hæreticis.*

96 *S. Avitus Episcopus Viennen. publicè cum Arrianis disputavit coram Gundebaldo Rege Burgundiæ.*

97 *Publica disputatio coram Rege Christianissimo inter Iacobum Peronium Episcopum Eborecensem, & Plessium Calvinistam.*

98 *Citrà spem fructus disputandum est cum Hæreticis.*

99 *Non expedit, ut idiotæ assumant sibi munus disputandi cum Hæreticis.*

100 *An disputantes cum Hæreticis debeant esse Clerici? affirmant multi Auctores innixi textui Iuris Canonici.*

101 *Sed Sententia negativa est probabilis, quia si licet laico viam virtutis persuadere, cur non poterit errantes disputatione convincere?*

102 *Canones interdicentes laicis munus disputandi fundãtur in præsumptione, quod Clerici soleant esse ipsis magis instructi: cessante autem fine legis, cessat lex.*

103 *Octava conditio, ne Catholicorum filii Scholas Magistrorum Hæreticorum adeant, propter subversionis periculum.*

104 *Ad Scholas Catholicorum licitum non est admittere filios Hæreticorum, sivè sint nominatim excommunicati, sivè non.*

105 *An liceat Iudæis, Christianas habere filiorum suorum Nutrices? negativè.*

106 *Nona conditio est, ne Catholici absquè necessitate utantur operâ Medicorum Hæreticorum.*

107 *Decima conditio est, ne Catholici copulam carnalem cum Hæreticis habeant: Cor Salomonis propter mulieres alienigenas depravatum fuit.*

108 *An ex tali commixtione hæresis suspicio oriatur? Negativè.*

Iudæi

109 *Judæi rem veneream exercentes cum Christianâ, puniuntur ab Episcopis non ab Inquisitoribus.*

1 ANtiquam has conditiones exhibeamus, sciendum est, quod non licet Catholicis habitare in terris Hæreticorum, juxtà Bullam Clem. VIII. nisi cum licentiâ Ordinarii, seu Inquisitoris loci, à quo discedunt; vel nisi illis locis, ad quæ se conferunt, publicè, & palàm vigeat cultus Orthodoxus quò ad missam, & hujusmodi: Bordon. *in Tribun. cap.* 24. *num.* 6. ubi *sub n.* 11. dicit, aliàs esse vehementer de hæresi suspectos: Oportet etiam, quod singulis annis schedulam de confessione, & sacrâ communione transmittant ad Ordinarium, seù Inquisitorem, à quibus facultatem prædictam receperunt: Bor-
2 don. *d. n.* 6. Addit tamen *sub n.* 11. quod nisi transmitterent, aliqualem non effugerent suspicionem levem, quæ purgaretur ostensione schedularum de Sacramentis singulis annis receptis: Quò ad illos autem, quos divertere contingit ad terras Hæreticorum prò aliquo negotio, non animo ibi commorandi; & quò ad illos, qui ibi nati sunt, non intelliguntur supradicta.

Superest, ut modò videamus, quænam sint conditiones servandæ à Catholicis, ne eorum conversatio cum Hæreticis ullam hæresis suspicionem pariat.

3 Prima conditio est, ne Hæreticorum Templa adeant Catholici tempore, quo ad ea non consueverunt, nisi Hæretici accedere: Navarr. *in Man. cap.* 25. *num.* 36. *& Consil.* 15. *num.* 3. *de hæret.* Ricciull. *de jure person. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 1. latè Cardinalis de Lugo *de fide, disp.* 14. *sect.* 5. §. 6. Fermosin. *tract. crim. tract.* 2. *in cap. sicut. qu.* 4. *num.* 1. 2. *&* 4. *de hæretic.* Vvames *consil. canon. consil.* 578. *numer.* 5. *vol.* 2. Suarez. *in defens. cathol. fid. advers. Anglican. sect. error. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 16. Sess. *decis. Aragon. vol.* 4. *dec.* 472. *n.* 9. Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 28. *& seqq.* & jüremeritò; nam si propter subversionis periculum Hæreticorum libri de Religione tractantes prohibentur, majori deligentiâ cavendum est, ne Christi-fideles se prævaricationis periculo exponant, audiendo concionem Ministri prædicantis: Longè enim vivæ vocis energia litterarum mortuarum vires excedit.

4 Præter hujusmodi periculum non licet quoquè ea præstare, quæ palàm indicent animum consentiendi ritibus ab Ecclesiâ reprobatis, & quæ infidelitatem præseferant: Ricciull. *de jur. person. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 3. *&* 4. *& cap.* 10. *num.* 4. Beccanus *de fide Hæreticis servandâ lib.* 2. *cap* 8. *num.* 3. Id servandum
5 est, etiamsi Princeps hæresi infectus sub capitali supplicio jubeat, omnes hæreticorum templa adire, ut probat Eminentissimus de Lugo *loc. cit. num.* 174. ubi ait, talem fuisse sententiam Cardinalis Bellarmini, & Cardinalis Baronii, quos P. Peronius consuluit, ut refert etiam Granado *de fide, tract.* 11.
6 *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 18. Undè Paulus V. ad Catholicos Angliæ *anno* 1606. 10. *cal. Octobris* sic rescripsit: *Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Magno animi mærore nos semper affecerunt tribulationes, & calamitates, quas prò retinendâ Catholicâ fide jugiter sustinuistis; sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namquè, compelli vos gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cætus eorum frequentare, concionibus illorum interesse: Profectò credimus procul dubio eos, qui tantâ constantiâ, atquè fortitudine atrocissimas persequtiones, infinitas propemodùm miserias hactenùs perpessi sunt, ut immaculatè ambularent in lege Domini, nunquàm commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis: Nihilominùs zelo Pastoralis Officii nostri impulsi, & prò paternâ solecitudine, quâ de salute animarum vestrarum assiduè laboramus, cogimur monere vos, atquè obtestari, ut nullo pacto ad Hæreticorum Templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis: Non enim licet vobis hæc facere sinè detrimento Divini Cultus, ac vestræ salutis: Quemadmodùm etiam non potestis absquè evidentissimâ, gravissimâquè divini honoris injuriâ obligare vos juramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audivimus proposi-*

 tum

tum vobis fuisse præstandum.

7 Non solùm enim ille negat Christum, qui expressis verbis negat esse verum Deum, & Hominem; sed etiam, qui aliquid in Christi, ejusquè Religionis injuriam vergens, minis, aut tormentis, aut horum metu à se extorquere patitur: Ita Auctor *opusculi, an pax, qualem desiderant, &c. pag. mihi* 25.

8 *in fine*. Hinc est, quod Eleazarus, & septem fratres unà cum matre moriendum sibi potiùs putarunt, quàm parendum Anthioco jubenti, quod in contemptum Legis Mosaicæ ederent carnes porcinas; nec minori constantiâ Catholici Constantinopolitani detrectarunt obsequi Juliani Apostatæ mandatis, quibus insanus ille vexabat Catholicos, ut de immolatis manducarent, teste Nectario Episcopo Constantinopolit. *in orat. Ieiunii quadragesimalis*; tametsi Antiocheni, cum idem Julianus cibaria omnia venalia sacrificiis diis immolatis polluisset, absquè scrupulo illis cibis usi sint: Theodoret. *lib.* 1. *histor. cap.*14. Hos enim non cogebat Julianus, ut ederent hujusmodi cibos, quò efficerentur Idololatræ, nec aderat ullum scandalum, nam Idololatria per Constantinum Magnum oppressa, & in contemptum reducta, sensim scandali periculum in manducandis his cibis cessavit, quemadmodùm ponderat auctor *dicti opusculi, an pax, &c. pag.*21. Imò licet hodiè passim juretur per Ethnicorum Deos, ut per Deum

9 Baccum, &c. Nihilominùs S. Polycarpus, teste Eusebio *lib.*4.*histor.c.*14. non aliam ob causam martyrium passus est, nisi quia recusavit jurare per fortunam Imperatoris, eò quod ejusmodi juramentum erat protestativum cultus falsorum Deorum: Vide quoquè Victorem Uticensem *lib.*3. *de persecut. Vvandalorum*.

10 Illud verò ex Minutio Felice in Octavio apud Spondan. *ad annum* 202. *num.* 2. notare libet, adeò apud Ethnicos ergà suos Imperatores cultũ exercuisse, ut gravius existimarent pejerare per Regis, quàm per Jovis genium. Ad hoc Juramentũ Christiani à Magistratibus adigebantur, tempore Tertulliani, ut ipse refert in *Apologetico, cap.*32. & qui nollent, necabantur: Licitè tamen consueverunt Christiani jurare Principibus per salutem ipsorum, abstinendo à Deorum, & geniorum, tanquàm Demoniorum, nominibus, ut refert idem Tertull. *ibidem*: Ad hanc rem

11 observat Vegetius, Milites Christianos hanc formam juramenti dare solitos: *Per Deum, Christum, & Sanctum Spiritum, & per maiestatem Imperatoris omnia se strenuè facturos, quæ præcepisset Imperator, numquàm deserturos militiam, nec mortem recusaturos prò Romanâ Republicâ*.

12 Item dicendum est, ut benè docet Coninch. *de fide, disp.*15. *dub.*3.*num.*59. etsi ipse Princeps in suo edicto expressè declaret, se hac in re nihil aliud exigere, quàm Civilem obedientiam, nec ullo modo velle quemquam cogere, ut à fide deficiat: Ratio est, quia ipse facto aliud agit, nec hoc præceptum potest esse civile, aut immediatè ob finem merè civilem, sed immediatè ipsius finis est cultus, & favor hæresis, aut etiam peior, ut scilicet Catholici in externis illis ritibus se hæreticis conforment, & hac ratione paulatim per-

13 vertantur. Nec enim fieri potest, ut passim Catholici eas conciones frequentent, & non labefactetur eorum fides: Quamvis autem quibusdam in fide firmioribus hac de cauâ nullum immineret periculum, tamen malo exemplo alios non adeò firmos, ut templum adirent, inducendo; aut eos in hoc confirmando, essent ipsis scandalo, & ansam præberent ruinæ; atquè ità, ut in simili ait Apostolus 1. *ad Corinthios*, perit Infirmus in eorum exemplo, propter quem Christus mortuus est.

14 Quinimò testatur P. Verricell. *de Apostol. mission. qu.* 19. *tit.* 1. *num.* 5. quod Missionariis Sacra Cõgregatio in eorũ litteris patentibus expressè mandat, ne ad Hæreticorum, aut schismaticorum Templa, aut conciones, quovis prætextu, aut quâvis causâ accedant: Quarè nequè in locis, ubi est libertas conscientiæ, accedere poterunt,

15 nisi magna urgeat necessitas Hæreticos confutandi: Et sanè ex istorum ingressu ad Hæreticorum templa, & conciones, majus subest periculum scandali, & offensionis Catholicorum,

corum: Alii enim eorum exemplo audire possunt Hæreticorum conciones, & perverti; indequè Hæreticorum augeretur temeritas, nam sibi gloriæ verterent, suis concionibus Apostolicæ Sedis Missionarios interesse: Quarè non nisi ex gravissimâ causâ poterit Missionarius, seù alia persona Ecclesiasticâ dignitate præfulgens ad Hæreticorum Templa, ritus, & conciones conuenire. Hac de causâ acriter repræhensus fuit à Pio V. Cardinalis Hyppolitus Estensis, Legatus Sedis Apostolicæ in Gallia, quia interfuit colloquio inter Catholicos, & Hæreticos habito in loco Diopsi, ut refert Homerus Tortora *in suâ hist. Gallicâ, lib. 2. fol. 62.*

17 Vide igitur, quod in hoc attenditur etiam qualitas personarum, ut pariter docet Becanus *de fide hæreticis servan-*

18 *dâ, lib.2.cap.8. num.3.* nam quandoquè personæ, quæ nequeunt adduci in exemplum, non prohibentur adire hæreticorum Templa his circumstantiis concurrentibus, quarum prima est, dummodò in Catholicorum animis nulla offensio producatur: P. del Bene *de offic. S. Inquisitionis, part.1. dub. 154. petit. 3. num.12.* P. Verricell. *loco cit.* Lupus *in edictis, par.2. lib.13. dist.2. art.1. diff. 1.* & Becanus *loco cit.* ubi addit, ne-

19 què doctos, & constantes debere cum Hæreticis conversari, quandò probabile est alios indè scandalum passuros. Secunda circumstantia est, dummodò nulla intersit communicatio rituum Hæreticorum: Del Bene, Verricell. & Lupus *locis citatis:* Hæc enim communi-

20 catio est illicita, quia est contrà veram fidem: Becanus *ubi suprà*, Graff. *decis. part.1. lib.4. cap. 18. sub num.28.* & ob hanc causam prohibetur Christiano, vesci azymis Judæorum, etiā separatim ab ipsis Judæis, cessante tamen necessitate: Fermosin. *tract. crimin. tract.2. in c. 1. de Iudæis, qu.1. n.7.* Tertia circumstan-

21 tia est, dummodò non adsit periculum propriæ perversionis, ut jidem Authores docent, ex quo sequitur (ait Becanus *ibidem*) homines doctos, simplices, & naturâ fragiles, ac inconstantes non debere multum agere cū Hæreticis, quia facillimè pervertuntur, & in errorē inducuntur: Quarta circūstantia est, dummodò

22 adire templa Hæreticorum non sit symbolum hæreticæ pravitatis: P. del Bene *ubi suprà*, ut si Princeps hæreticus præciperet in odium, & contemptum Catholicæ Religionis horum Templorum aditionem, sicuti advertit Verricell. *loc. cit.* & patet ex jis, quæ dicit Ricciull. *de jur. pers. lib.1. c.8. & 10:* Quinta circūstā-

23 tia est, dūmodò adsit rationabilis causa adeundi: Idem Verricell. *de quo suprà.*

Hæ verò rationabiles causæ videntur esse tres, scilicet Religionis defensio, famulatus obsequium, & civile negotium.

24 Quòad Religionis Catholicæ defensionem, quamvis non adesset magna necessitas ipsius propagandæ, nam (si ea adesset, negligi deberet quarta circumstantia superiùs allata, ut videre est apud P. Verricellum *loc. cit. n.4. vers. si autem adsit*) licitum esset viris pietate, ac doctrinâ præditis, à quibus fructus universalis probabiliter speraretur, ut ait Lupus *ubi suprà*, audire hæreticorum Conciones, ad eorum hæreses, & errores notandos, ac deindè confutandos; esset tamen habenda ratio prædictæ quartæ circumstantiæ, quæ quidem concurrere diceretur, quoties ipsi viri commorarentur in Civitate, in quâ adesset libertas conscientiæ, & Catholici cum Hæreticis promiscuè habitarent, & Hæreticorum Templa frequentare, ac conciones audire solerent, itàut hoc non reputaretur signum hæresis: Indo-

25 ctis verò ratione periculi nequaquàm permittendum esset: Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 27. qu. 5.* Valentia *2. 2. disp. 1. q.3. punct. 2. dub.4. in fin.* Coninchius *disp. 15. dub.3. n.55.* Bonac. *in decal. disp. 3. qu. 2. punct. 3. num. 75.* Card. de Lugo *de Fide, disp.14. sect.5. num.171.*

26 Quò ad famulatus obsequium, licitum est Catholicis, qui hæreticis inserviunt, ipsos comitari, & sic ingredi templa, ibiquè permanere, etiam dum officia hæretica celebrantur; dummodò nequè in ritibus, nequè in precibus cum Hæreticis communicent, sed tantùm servitutis, cui sunt addicti, munere fungantur; nam & ad istum effe-

27 ctum Elisæus permisit Naaman, ingredi templa Idolorū, & cum Domino, ut superius insinuavimus, genuflecti coram Idolis, illumquè Idola adorantem humeris substinere: *Reg. lib.4. cap. 5.* Quarè

rè licitum erit Catholico gerenti Ma-
28 gistratum apud Principem, qui sit Hereticus, illum ad templū adeuntem preire cum gladio, vel sceptro, ibiquè permanere, dum hereticalia officia celebrantur, non ad finem, ut in illis quoquo modo communicet, sed tantùm ad effectum, ut præstet illud obsequium, quod etiam præstare solet Principi extrà Ecclesiam existenti, dum Magistratus honore fungitur, quia hujusmodi actus pendet à causâ peculiari, nempè
29 obsequio: In hac re veteres referunt historiæ ingenuam Valentiniani militis (is posteà fuit Imperator) Prætoriani, & Tribuni constantiam: Dum enim muneri suo inserviens, præcederet Julianū Apostatam in Fanum Fortunę ingredientem, accidit, ut æditus ad portas Templi, dum aquam lustralem effunderet in ingredientes, casu eâ fuerit aspersus Valentinianus, qui illicò, ipso Juliano spectante, pugnis Ethnicum Sacerdotem contudit, & de veste tantum rescidit, quantum hæc gutta intinxerat: Indè in arcem relegatus fuit.

30 Ob eamdem rationem ait Ricciull. *loco citato*, licere famulis Catholicis tàm hæros, quàm Dominas hæreticas Templa adeuntes concomitari, obsequiumquè exhibere, propterea quod isti omnes actus prestantur ex causâ servitii, vel saltem sunt actus indifferentes, & veluti tales non præseferunt confessionem falsæ religionis, argumento
31 *l. 1. neque natalis C. de probat.* Quinimò videtur, licere famulis deputatis ad subeundum brachium Matronibus, seù Senibus, aut ualetudinariis, dummodò hoc servitium præstare soleant etiam extrà Ecclesiam, genua flectere simul cum illis, eosquè ad surgendum opitulari, prout ex relato Naaman exemplo colligi potest, & expresse probant *ibi* Lyranus, & Burghensis *in Addit.* Abulens. *qu.* 25. Azor, *moral. instit. tom.* 1. *lib.* 8. *cap* 27. *qu.* 7. Sanchez. *ad præcept. decal. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 21. In his
32 tamen, & similibus functionibus allegandis prò theoriâ supradictâ cavendum est, ne incidamus in propositionem ex damnatis ab Innocentio XI. circà cooperationem peccato alterius per rem indifferentem: Fuit enim illa propositio plurimorum Auctorum, quos citat, & sequitur Diana *in summâ, verbo cooperari*, eo fundamento, quia quædam actiones videntur eis indifferentes
33 ex se: Verùm actionis indifferentia non tàm debet sumi ex entitativo, & physico ipsius actu, quàm ex esse morali, quod formant circumstantiæ comitantes actionem. His stantibus, non liceret famulo Catholico citrà peccatum in hac fidei externâ professione Domino heretico Missam celebranti ministrare, neque indumenta ad id necessaria præparare, vel Altaria ornare, faces accendere, vel in similibus officiis inservire, eò magis, quia esset cum eo in Cæremoniis communicare: Navarr. *cons.* 15. *num.* 3. *de hæret.* Imò non liceret
35 servo Catholico quæcumquè servitia in Templis Hæreticorum præstare, quæ non consueverint exhiberi, nisi tantùmmodò in prædictis Templis: Tunc enim (prosequitur Ricciull. *d. cap.* 8. *in fine.*) peccaretur in externam fidei Confessionem, quia scilicet non adesset quarta circūstantia: Stante igitur hac quartâ circumstantiâ, putat P. Verricell. *loco cit.* si Princeps particulariter aliquem famulum causâ religionis vocaret ad templum, tunc non licere Catholico, comitanti hærum, ingredi; & hoc pacto Vir ille restringit doctrinam Cardinalis de Lugo: At ego dicerem, quod si prædictus famulus antequàm tunc vocaretur, consueverit ingredi, posset etiam accersitus non se abstinere à tali ingressu: Non enim subjacet in materiâ Religionis Principi hæretico, ideoquè non vi illius jussionis ingreditur, sed famulatus obsequio; dummodò tamen nullum cooperationis actum exhibeat.

37 Tandem quò ad Civile negotium, ad illud peragendum, utiquè licebit Catholico Hereticorum Templa ingredi, eò quod ingressus dicitur à causâ dirigi, quemadmodùm rectè docet idem Ricciull. *ibidem*: Nec potest operari actus ultrà intentionem agentis, & quandò actus habet duplicem faciem, sivè causam, in meliorem partem interpretari debet.

38 Cessantibus supradictis causis nunquàm licet, adire hereticorum templa, & potius debemus mortem subire: Nam, ut ait August. *Serm. 6. de Verbis Domini*: *Si Imperator jubeat*: *Esto mihi in obsequium*,

quium,

quium, rectè, sed non idolo: prohibet major potestas; da veniam, tu Carcerem, ille gæhennam minatur: Id pariter docent Suarez *in defens. Fid. advers. Anglican. lib.6.cap.9.num.16.* Fermosin. *in cap. sicut, quæst.4.num.4. de Hæretic. inter tract.crimin. tractat.2.* Quarè ità ingredientes, fierent suspecti de hæresi, prout definitur in Concilio Tarraconen. celebrato *anno* 1242. ubi interfuit Sanctus Raymundus de Penniafort: *Suspectus de hæresi* (sunt verba Concilii) *potest dici, qui audit prædicationem, vel lectionem Inzabbatorum, vel qui flectit genua orando cum eis, vel qui dedit osculum cum eis, vel qui credit Inzabbatos esse bonos homines, vel similia, quæ possunt probabilem suspicionem inducere: Et potest dici suspectus simpliciter esse, qui semel oravit, vel aliquid fecit de prædictis cum eis; si verò pluries audivisset prædicationem, vel lectionem, vel orasset, vel aliquid aliud de prædictis fecisset cum eis, posset dici vehementer suspectus: Si autem omnia prædicta fecisset, maximè si pluries, posset vehementissimè dici suspectus.*

40 Hoc procedit etiam respectu Templorum infidelium, vel Hebræorum, ad quorum Synagogas, & conciones prohibetur accessus, tàm Clericis, quàm laicis Catholicis à Canone Apostolorum 63. & quamvis nõ incurratur suspicio Apostasiæ ab ingredientibus, nisi id agant, ut communicent in eorum ritibus, quẽadmodùm colligitur ex dicto Canone, tamen nullo pacto, etiamsi curiositatis causâ id fiat, permittitur accessus ad hujusmodi Templa, dum ibi superstitiosa peraguntur: Azorius *tom.1. lib. 9. cap. 11. in fine*, Sanchez *in præcept. decalog. lib.2. cap.31. n.38.* & tempore Clementis VIII. fuit ejus jussu hoc à Sac. Congregatione S.Officii vetitum *anno* 1601. 24. *Septembris* peculiari edicto contrà Judæos Urbis: Secùs dicendum de in-
41 gredientibus, quandò ibi superstitiosa minimè peraguntur, ut Infidelium, vel Hebræorum Templa, ac Synagogæ spectentur, sivè ut irrideantur eorum ineptiæ: Azor. & Sanchez *ibidem*.

42 Eâdem ratione nullam possumus habere communicationem in ritibus Judaicis, & si quis ad illos transit, est suspectus de hæresi: Sesse *decis. Aragon. vol.4. decis. 452. num.4.* Hocquè procedit, sivè usurpentur tanquàm necessarii ad salutem, sivè tanquàm non necessarii, sed utiles ex vi institutionis eorum, sivè tanquâm præfigurativi Christi venturi, ut benè ait Vericell. *loco cit. q.23. n. 1.* Si verò sumantur materialiter non ad colendum Deum, neque ut aliquid sacrum: sed ex fine sanitatis, vel alio fine naturali, non sunt illiciti, secluso scandalo, ut benè inquit S.Thom. *tom.2.q.104. art.4. ad. 1.* & tali pacto fortasse licebit Abissinis se circumcidere in signum tantummodò nobilitatis: Hæc omnia satis, ni fallor, explicant primam
44 conditionem, quâ permittitur conversatio cum hæreticis.

45 Secunda conditio est, ne Catholici, qui in Terris hæreticorum degunt, certis diebus, quos Hæretici, ut festos, observant, nec sunt verè festi, claudant Tabernas, si Magistratus id jubeat, additâ declaratione, se velle hujusmodi præcepto explorare, quinam sint hæretici, vel Catholici: Ità Ricciull. *de Iur. pers. lib.1. cap.10. num.4.* Secùs si præ-
46 ceptum claudendi officinas esset simpliciter conceptum: Tunc enim illud præceptum prçsumeretur emanasse propter bonum politicum, ne Catholici palàm artes exercendo talibus diebus, viderentur illudere Religioni, quam Princeps profitetur; nam hac ratione videmus, quod Catholici cogunt Judæos ad servanda Christianorum festa, & tamen constat, ipsos non cogi ad faciendum actum contrà superstitionem, quàm Judæi profitentur, ut benè advertit idem Ricciull. *de jur. person. dict. lib.1. cap.8 sub num. 2.* Fermosin. *tract. crimin. tract.2. ad titulum de Judæis, qu. 1. num.15. & seqq.* ubi addit etiam, quod ob hanc rationem coguntur Judæi, quoties mixturatim inter domos Christianorum inhabitant, ad ornandas tapetibus domus parietes exteriores, quandò sanctissima Eucharistia defertur processionaliter per civitatem.

48 Tertia conditio est, ne Catholici utantur vestibus confectis juxtà formam earum, quibus induuntur heterodoxi: Ut clariùs procedamus super hac re, advertendum, quod si cæteri fideles in eâ regione sic induti incedant, utiquè licet, eas gestare: Potest quoque Catholi-

tholicus, qui transit per loca Infidelium, etiam nullâ causâ interveniente, hujusmodi vestes deferre; nam ille vestium usus dicitur tantùm discretivus nationis, ut probant Navarr. *in cap. humanæ aures, qu.3.num.16.vers.15.in fine*, Raphael de la Torre *de Religione, &c. q.94.art.2.disp.5. dub.1.*

49 Si verò cæteri fideles in eâ Provinciâ degentes uti non consueverint prædictis vestibus, & exindè tamen si aliquis Catholicus sic indutus incedere vellet (dummodò rationabili causâ, quamvis levi, moveretur) id ipsi crimini non esset vertendum, quia tota diversitas, quâ distinguuntur fideles ab Infidelibus propter hujusmodi vestium usum, materialis est: nam Infideles has vestes non gestant tanquàm Infideles, sed tanquàm Incolæ illius Regionis: Hoc tamē intelligendum, nisi vigeat aliqua lex,
50 vel recepta consuetudo, quâ fideles prohibeantur uti prædictis vestibus: P. Verricell. *tract. de Apostolic. Mission. tit. 1. de fide, qu.14. sect.2. nu.4.* Ratio autem, quarè exigatur causa, est, quia non licet fideli præbere ansam prudenter dubitandi de suâ fide, sinè fidei irreveren-
51 tiâ, ut ait *ibidem* P. Verricell. Ratio verò, quarè sufficiat, quod ipsa causa sit levis, est, quia hujusmodi vestium usus reducitur ad usum nationis potiùs, quàm religionis discrimen.

52 Si autem agatur de vestibus, quibus Infideles à fidelibus secernuntur, non solùm materialiter, verùm etiam formaliter, eo modo, quo Romæ distinguuntur Judęi pileo flavi coloris, requiritur causa gravis, ut permittatur Catholicis hic vestium usus: Fermosin. *tract. crim. tract.2. in cap. Nonnulli, qu.1. num.3. de Judæis*, P. Verricell. *dict. qu.14 sect.2. à num.7.* & De Lugo *de fide, disp.14. sect.5. §.1. num.71.* Nam his vestibus fideles maximum de eorum fide dubitandi pręberent fundamentum; idcircò peccarent mortaliter: Navarr. *in summ. cap. 11. num.27. vers quartò peccat, & in cap. inter verba, prælud.3. num.3. in fin. de pænit. dist.1. cap. potest fieri, num. 1.* Negat
53 tamen Pasqualigus *decis. 153. nu. 13.* requiri gravem causam, nam, ut ait ille, vestes vel sunt protestatiuæ falsæ religionis, & nunquàm earum usus licet; vel non sunt, & tunc nulla requiritur causa: Sed respondet Verricell. *loco cit. num.10.* non ideò usum talis vestis sinè causâ illicitum esse, quià est protestatio falsæ sectæ; sed quia est contrà reverentiam fidei: Hæc enim reverentia exposcit, ut non solùm ipsa fides non occultetur, sed etiam ut absquè causâ non præbeatur fundamentum ambigendi de eâdem fide: Nàm, ut patet ex sententiâ S. Agathonis Ana-
54 coretę *in Vitis PP.* quamvis Christianus possit in se aliorum vitiorum notam tolerare, humilitatis causâ, non tamen potest permittere notam, aut suspicionem hæresis, vel Apostasiæ, quià hoc est contrà reverentiam fidei, quod etiam inculcavit S. Hieronym. *in Epist. ad Pamachium.* (Vide Raphaelem de la Torre *d. dub.1.*)

55 At si sermo habeatur de vestibus, per quas Infideles non solùm distinguūtur formaliter à fidelibus, sed etiam per eas ipsi protestantur suam falsam religionem, tunc perpendendum est, an vestibus illis annexus sit cultus actualis authoris falsæ sectæ, necne: Nam quoties non est annexus, ut contingit in vestibus eorum, qui apud infideles abusivè vocantur Sacerdotes, quæ se habent non secùs, ac vestes usuales, quibus utuntur penès nos Religiosi, & Clerici, in hoc casu fidelibus non interdicitur earum usus ex gravissimâ causâ, prout probabiliter tenet Fermosin. *dict. tract. 2. in cap. nonnulli, qu.1. nu.12. de Judæis*, Diana *to.3. tract. 5. miscell. resol.49. vers. sed plus*: Quippè vestis, quâ utitur Sacerdos, non est cultus in Deum, sed habitus, quo exercentur cæremoniæ, ut ponderat idem Fermosin. *loco cit.* Quoties verò est annexus, tunc, ut optimè dicit P. Verricell. *loco cit. sect.4. n.23.* dictæ Vestes aut exhibent signum expressum protestationis falsæ sectæ, putà, ut si sint determinatæ tantummodo ad significandam falsam sectam, vel si in ipsis sint effigiata Idola, & hoc casu nunquàm licet uti
57 ipsis vestibus, quidquid dicat Fermosin. *ubi suprà, n.8. & 15.* aut non exhibent hujusmodi signum, utpotè si sint ordinatæ vel ad significandam nobilitatem, vel ad alium usum, & tunc concurrente gravi causâ non damnatur talis usus: Ità P. Verricell. *loco cit. numer. 25.* De hac

hac re latè Lupus *in edictis,par. 2.cap. 13.dist.5. art. 2.* & Eminentissimus de Lugo *de fide,disp. 14.sect. 5.§.1.*

58 Sed cujusquè generis sint vestes, ipsarum usus non erit illicitus, quoties gestentur per Jocum, ut in Comediis:Gestantur enim tanquàm fabulosæ: Suarez.*de fide,disp.14.sect.5. n.3.* & pari ratione retineri cōsueverunt in Palatiis Imagines, & statuæ Martis; Veneris, & cæterorum, quos coluerunt Ethnici.

59 Eò magis non erit illicitum illud stratagemma, quo Christiani Vexilla hostium in Navibus suis singunt, ut hostes infideles conspectis Vexillis non fugiant:Fermosin.*in d.cap.Nonnulli.ead. qu.1.num.*8. Adhibentur enim, non tantùm tanquàm fabulosa, sed etiam tanquàm militaria ad fallendos hostes Infideles: Layman. *Theolog. moral.de fide, cap.11.num.4. vers.Simili modo*:

60 Quod adhuc fortiùs procedit in his,qui tali signo utuntur, ut incolumes ex hostium insidiis evadant, prout refert Megal. *Promptuar. Theologic.par.2. verbo Fides, num. 22. §. unde fit*, ubi etiam ait, usum vestium Infidelium licere exploratoribus Christianis.

61 At si Princeps Infidelis jubeat, quod Subditi Infideles utantur veste peculiari ad professionem falsæ Religionis, licebitne Catholicis illam gestare? In re hac distinguendum videtur, quod si antequàm promulgaretur lex, non extabat hujusmodi vestis usus, non licere: Nam Princeps jubet actum superstitiosum: Fermosin *ubi suprà, num. 5.* Hurtad. *de Charit. disp. 58. §. 77.* Coninch.*de fide,disp.55. dub. 3. num.73.* Si

62 verò anteà vigebat hic vestium usus penès Catholicos, respondetur eo casu licere, nam tunc à Catholicis non gestantur illæ vestes vi præcepti superstitiosæ legis Principis,sed inolitæ consuetudinis: Card.de Lugo *dict. disp.14. sect.5.§.1.n.98.*

63 Si autem Princeps infidelis juberet, quod qui est fidelis, tali veste utatur, hoc casu, quamvis Christiani interrogati super fide,eam confiteri tenecantur; attamen, quià Edictum Principis non esset interrogatio, sed præceptum, ut Christiani se positivè proderent, agnoscerentur,& punirentur,ipsi nō tenerentur obedire: Coninch. *dict.dub.3. n.76.*

64 Quod procedit, etiamsi lex illa à multis acceptata fuerit; secùs tamen,si esset in viridi observantiâ, & communi usu recepta: Megal. *in promptuar. Theolog. par.2.fol. 945.num.22.*

65 Quarta conditio est, ne diebus ab Ecclesiâ prohibitis commorantes in locis hæreticorum, vel per ea transeuntes, carnibus vescantur, etiam in parvâ quantitate,ad protestationem hęresis: Quamvis enim parvitas materiæ per se excuset à suspicione hæresis eum, qui hujusmodi diebus in modicâ quantitate carnes edit:Fragos. *de Rep.Christ. par.1.lib.5.disp.12.§.4.num.286. & seqq.* attamen si comedatur in protestationem hæresis Lutheranę, aliorumquè Novatorum,sivè in parvâ,sivè in magnâ quantitate, graviter peccatur: Duard. *in Bullâ,can.5.qu.24.conclus.3.n.21.vers. quod puto*: Et quamvis ad hoc, ut factum inducat hæresim externam, oporteat, ut per se eam exprimat: Sanctarell. *de hæresi, cap.3. dub.2.nu.13.versic.*

66 *si quis*. Quarè si quis internè crederet fornicationem non esse peccatum(quam propositionem damnavit Innoc.*XI.* in numero ex damnatis la 48.) & fornicaretur externè, tamen, quia fornicatio provenire posset ex aliâ causâ,quàm ex opinione hæreticali, non diceretur hæreticus externus: Boss.*de Iubilæo sect.1. cas.10.§.4.num.129.*quem sequitur Albitius *de Inconst.in fide cap.13.à num.16.*

67 proindequè, cum esus carnium provenire possit ex infirmitate, vel è gulâ,nequit dici protestativus hæresis: Nihilominùs si edantur carnes in aliquâ quantitate,sinè rationabili causâ, satis apparet animus; nam non desunt hęreses, nempè Lutheri, & aliorum Novatorum in hac materiâ:Boss. *loc.cit.num.128.*

68 Similiter si Tyrannus in contemptum legis Ecclesiasticæ pręciperet, edi carnes diebus vetitis, quicumquè illas ederet, falsam sectam profiteri diceretur: Undè licet præceptum Ecclesiæ non obliget cum magno incommodo, attamen eo casu esset præceptum fidei, propter quod mors potiùs esset subeunda, quàm esu carnium Catholica Religio violanda: Macedo *de Clavibus Petri, lib.3.cap. 14.* Albitius *de inconst. in fide, cap.8.num. 31.* Hinc est, quod Summus Pontifex, qui habet potestatem

tem dispensandi super præceptis Ecclesiasticis, facultatem tribuere nequit carnes edendi, quandò hujusmodi esus sit falsæ Religionis protestativus, ut benè consuluit Albitius *loco cit. num.* 33.

70 Quoties verò non adest præceptum Tyranni, commorantes in locis infidelium, vel per ipsa transeuntes, edere possunt carnes ad evitanda pericula, quibus exponerentur, si se proderent: Fermosin. *dict. tract.* 2. *in cap. consuluit, qu.* 1. *n.* 6. *De Judæis*: Tunc enim non intervenit nec præceptum Ecclesiæ, nec præceptum fidei: Non primum, quia Ecclesia non obligat cum periculo Vitæ: Non secundum, quia esus Carnium per se non est determinatè signum protestativum falsæ sectæ, cum etiam multi Catholici ex gulâ, sivè ex necessitate carnes edant: P. Verricell. *de Apostol. Mission. to.* 1. *de fide, qu.* 15. *n.* 6. *vers. affirmant verè*: de hac re Raphael de la Torre *de Religione, & vitiis ipsi oppositis*, *p.* 2. *q.* 94. *art.* 2. *disput.* 5. *du-*

71 *bit.* 3. Advertendum tamen, quod talis comestio esset illicita, quotiescumquè scandalum pareret; vel ipsa evitari posset aliquâ tergiversatione; vel quandò, licet nullo Tyranno cogente, prescriberetur à Sodalibus hæreticis, ad dignoscendum, quis inter eos existeret Catholicus; tunc enim diceretur protestativa falsæ religionis: Card. de Lugo *de fide, disp.* 14. *sect.* 5. §. 2. *n.* 104. *& n.* 106.

72 Quinta Conditio est, ne cooperetur hæresi, seù infidelitati: Hæc autē cooperatio duplex est, altera directa; altera indirecta: Directa definitur à Diu. Tho. 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. quod sit, quandò ea aguntur, quæ suâmet naturâ ad peccatum ordinantur, ut illud consulere, stabilire, & defendere; aut ipsius peccato exhibere materiam, quæ nullum alium usum habeat: Indirecta est, quandò non impeditur malum, quod impediri potest, & debet; vel quandò ea aguntur, quæ licet non sint de sui naturâ ad peccatum ordinata, tamen prævideatur, attentâ proximi malitiâ, ipsum propter illa peccaturum: Verricell. *loco cit. qu.* 35. *num.* 1.

73 Hoc discrimen inter directam, & indirectam cooperationem intercedit, quod directa est intrinsecè mala; Indirecta verò non semper mala, sed tantùm ubi concurrunt hęc tria: Primum, quod quis pręvideat; Secundū, quod possit; Tertium, quod teneatur impedire peccatum: Verricell. *ibidem, num.* 2.

74 Infertur ergò, quod nunquàm cum mortis periculo licet pulsare Campanam, quâ hæreticorum concio convocetur, ac ipsorum Ecclesiæ inservire; nec pecunias præbere ad sacrificia, aut Templorum ædificia, cum ista præseferant cooperationem directā:

75 Quâpropter Christiani non possunt vendere Judæis agnum, eâ intentione, ut ab ipsis imoletur; nec ramos ad ornatum Synagogæ: Fermosin. *dict. tract.* 2. *in cap.* 1. *de Iudæis, qu.* 1. *num.* 10. *& in cap. Iudæis, qu.* 1. *num.* 11. *&* 12. *eod. tit.* & quamvis res indifferentes vendi possint Judæis, & infidelibus; nec vendentes teneantur interrogare, quo fine hujusmodi res emantur, ut benè advertit Fermosin. *in dict. cap. Iudæi, qu.* 1. *n.* 14. si tamen vendentes certò sciant, emptores prædictis rebus abusuros ad superstitionem, minimè possunt vendere: Fermosin. *loco cit.* Nullo enim casu licitum est cooperari ad superstitiosum cultum nec indirectè (quoties concurrant recensitæ circumstantiæ) nec directè:

76 Undè Theodoretus *lib.* 3. *hist. cap.* 5. refert, Marium Aretheusę Episcopum maluisse, quævis tormenta subire, quàm cooperari ad refectionem cujusdam

77 Idoli, quod ipse destruxerat: Non licebit quoquè imprimere librum hæreticorum, seù alia agere, quæ ordinantur ad perversionem animarum: Castro-Palao *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 17. *nu.* 7. Turrianus *disp.* 35. *dub.* 4. *& disp.* 50. *dub.* 7. Suarez *de fide, disp.* 14. *sect.* 5. *& de charitate, disp.* 10. *sect.* 3. *&* 4. Lorca *qu.* 10. *art.* 9. *num.* 10. Duvallius *de Fide, qu.* 7. *art.* 9. *conc.* 1. Granad. *controu.* 1. *de Fide, tract.* 15. *disp.* 12. *num.* 3. Bonacina *de peccatis, disp.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 33. *&* 34. Verricell. *de Apostol. Mission. tom.* 1. *de Fide, qu.* 15. *num.* 6.

78 Infertur etiam, eò quia Princeps absquè licentiâ summi Pontificis non potest indirectè cooperari ad favorem hæreticorum, quod ei non liceat absquè ipsius Pontificis facultate inire confœderationem cum hæretico, cum promissione de ipso manutenendo in pacificâ libertate profitendi, & exercendi falsam

ſam ſectam, cum ſit rebellis Eccleſiæ, cui erat ſubditus per baptiſmum; undè ſi injuſta eſt confœderatio cum jis, qui à Principe temporali deſciverunt, cum pacto ipſos adversùs eorum Principem tuendi; ità, & multò magis non licebit hujuſmodi confœderatio cum jis, qui ab Eccleſiâ, & à Chriſti Vicario receſſerunt.

79 Eò minùs poterit Princeps auxilium præbere hæretico ad occupandam ditionem Principis Catholici: Impietatis enim eſt, nedùm injuſtitiæ, permittere quod Chriſti-fideles ſubeant jugum Tyrannidis hæretici, qui ipſos cogat, aut ad deſerendam fidem, aut ad non recognoſcendum Chriſti Vicarium, &
80 ob hanc cauſam Paulus III. improbavit Caroli V. cum Henrico Anglorum Rege confœderationem: Pallavic. *hiſt. Concil. Trid. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 27. 28. 29. Theſaurus *de pœnis Eccleſ. part.* 2. *cap.* 7. *verb. arma*, *armorumquè*.

81 Infertur tandem non licere, Idololatris tribui Idolum, quod in bello, vel aliâ occaſione ab ipſis per Catholicos ablatum fuerit: Quâpropter laudatur Vice-Rex Indiæ, de quo Hurtad. *reſol.*
82 *moral. tract.* 5. *reſol.* 53. *cap.* 6. Ille enim dentem cujuſdam Catimaimonis bello accepit, quem Idololatræ ſummâ veneratione colebant: Ad eum proindè orientales gentiles miſſit Rex Pegu ſummis precibus expoſcens, ut dentem beſtiæ daret, oblatâ in illius redemptionem ingenti auri ſummâ, quâ juvari poſſet negotium Regis Catholici in illis partibus. Conſuluit Vice-Rex doctiſſimos Viros, à quibus concluſum fuit, nullatenùs licere reſtitutionem prædicti dentis, qui ob id comminutus, & contritus fuit miſſus in ignem, & ceneres in flumen; & rectè, nam aliàs liceret directa cooperatio ad errorem, ut benè proſequitur Hurtad. *ubi ſuprà*

83 Sexta conditio eſt, quod qui converſatur cum hæreticis nō prębeat aliis ſcandalum ratione ſuæ qualitatis: Hęc autem qualitas dupliciter conſideratur prò diverſitate perſonarum publicarum, ſeù privatarum; undè Nuncii Potificii, qui Eccleſiaſticâ dignitate ſuper alios pręfulgent, minimè debent hæreticorum litteris reſpondere, ſeù ipſis ſcribere, ſeu cum jiſdem communicationem ullam habere, licet non ſint nominatim denunciati; & ſi oportuerit aliquod negotium cum ipſis tractare, hoc faciendum erit per interpoſitam perſonam, dummodò non agatur de eorumdem converſione, ut benè monet Eminentiſſimus Albitius *de inconſtant. in ſide cap.* 18. *à num.* 8. E contrà verò perſonę privatæ, utpotè tales, remoto omni, & quocumquè ſcandalo, poſſunt privatim cum hęreticis communicationem habere.

84 Vide igitur quàm mereatur fidem Spondanus, qui *in Continuat. hiſt. ad ann.* 1493. *num.* 1. dicit, ſummum Pontificem communicationē habuiſſe cum Turcis, imò eoſdem ab ipſo vocatos fuiſſe adversùs Chriſtianos, quod adnotandum duxi, ne decipiantur Lectores operum hujus Viri, qui nimis liberè, ne dicam audacter videtur detraxiſſe honori Pontificio; & præcipuè ubi,
85 nempè *ad ann.* 300. *num.* 2. *& ad ann.* 1493. *num.* 1. innuit, quod ſummi Pontifices Terrę Sanctę ſe tenere ſtudio potius fingant, quàm verâ mente illius curā gerant; & *ad ann.* 1496. *n.* 5. dicit, quod titulus Catholici Regis Ferdinando Regi Hiſpano datus fuit, non propter pulſos Mauros; ſed quia Principes Chriſtianos omnes adversùs Carolum VIII. Galliç Regem concitavit: Profectò
86 Catholici titulum fuiſſe conceſſum Recaredo Gothorum Principi in Concilio Tolet. *anno* 638. res vulgatiſſima eſt apud Hiſtoricos; ſicut & eumdem titulum fuiſſe renovatum in Alphonſo Rege Aragoniæ ex præclariſſimo genere Recaredi orto ob res Hiſpanicas contrà Saracenos reſtitutas ſub Gregorio III. legimus paſſim in Hiſtoriis.

87 Septima conditio eſt, quod non diſputetur cum hęreticis, nam in diſputationibus, ratione, vel authoritate utendum eſt: Supernaturalia myſteria rationibus demonſtrari non poſſunt, & teſtimonia ſacrę Scripturę apud hęreticos, vel fidem non obtinent, vel eluduntur per varias interpretationes, ac lectiones, quod egregiè notavit Tertull. *de præſcriptionibus cap.* 14. dicens de hęreticis: *Quaſdā ſcripturas non recipiunt, & quas recipiunt, addendo, vel minuendo corrumpunt; & quas recipiunt integras, in contrario planè ſenſus detorquent.*

88 Preterea etiamsi suppeterent rationes, non tamen cum ipsis esset disputandum: Audi Bernardum *serm. 66. in Cant. Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec authoritate corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt*.

89 Laudatur igitur jure meritò ab Eminentissimo Pallavic. *hist. lib.* 1. *c.* 14. *n.* 9. Episcopus Mesburgensis, qui noluit permittere Echio, ut iniret disputationem cum Luthero, & exitus ejus disputationis prefati Episcopi prudentiam comprobavit; nam sequutâ posteà celeberrimâ illâ disputatione, non solùm Lutherus non resipuit, sed majori pertinaciâ suis adhesit erroribus, ne videretur ab Adversario fuisse superatus, quemadmodùm ait prædictus Pallavicinus *cap.* 17. *num.* 6. & notat Ruerardus Tarperus *oratione Theologica inter decem in calce suorum operum positas*, disputationes, & colloquia publica cum Hereticis in Germania sub Carolo V. assumpta semper infeliciter cessisse: Undè idem Taperus in eâdem oratione totus est ad eadem disvadenda.

90 Adde, quod disputatio nocere potest adstantibus, maximè si ipsi sint idiote: Nam faciliùs intelliguntur objectiones, quàm sulutiones; ideò relatus Tertull, *cap.* 18. ait de adstante Catholico ad hujusmodi disputationes: *altercatione incercior discedet, nesciens quam hæresim judicet*. Hac re freti heretici,
91 que est illorum temeritas, semper hujusmodi disputationibus impetere satagunt Catholicos, non tantùm rudes, sed etiam doctissimos, ut evenit tempore S. Remigii in Concilio Rhemen. Quidam enim Episcopus Arrianus, ut narrat Baronius *tom.* 6. *ad ann.* 514. acerrimus disputator captiosis argumentorum fallaciis insultabat Catholicis omnibus: At ejus temeritas Deo permittente repressa fuit; nam transeunte antè ipsum S. Remigio, solâ ipsius umbrâ mutus prorsùs redditus fuit, nec ultrà vocem proferre valuit, nisi postquàm ad pedes Archiepiscopi devolutus, nutibus temeritatis suæ veniam petierit, à quo loquelam impetravit, ejuratâ priùs heresi Arrianâ, quâ infectus erat. Ex his tamen non inferri de-
62 bet, quod non expediat quandoquè descendere in arenam cum hæreticis ad eorum errores propulsandos; tùm quia ipsimet hæretici converti possunt, undè Redemptor noster de divinitate disputavit cum Pharisæis, illosquè convicit; tùm quia eorum erroribus rectè expugnatis, fideles magis in fide confirmantur, quamobrem Augustinus *cap.* 48. ait, verbis esse agendum; disputatione pugnandum; ratione vincendum: Et quamvis ipse vellicet Hieronymum, qui tanto conatu Rufinum de
93 Pelagianâ hæresi suspectum impugnabat, aiens ad ipsum Hieronymum *ep.* 17. *Quis denique amicus nõ formidetur quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum, & Rufinum hoc, quod plangimus, exoriri*; attamen postquàm ex Celesti confessione cognovit, à Rufino antè omnes in Urbe peccatum originale negatum fuisse, ut cum perpetuâ Rufini infamiâ in libris contrà Pelagianos editis testatum reliquit, totus in Hieronymi partes transivit, quemadmodùm advertit Eminentissimus Noris Vir eruditissimus (quem Sanctissimus Pontifex Innocentius XII. purpurâ insignivit, ut Sacrum Collegium tanto Viro decoraret) *in hist. Pelag. lib.* 1. *cap.* 2.

94 Quinimò videtur, Catholicos teneri quandoquè disputare cum hæreticis: Qui enim, ait S. Leo *ep.* 93. *cap.* 15. alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat, & quemadmodùm, juxtà Div. Ambrosium 1. *offic. cap.* 3. prò otioso verbo, ità prò otioso silentio ratio est reddenda: Undè error, in
95 quem incidit Apelles, ut refert Eusebius *lib.* 5. *hist. cap.* 13. ac Niceph. *lib.* 4. *cap.* 29. & in quem postea cecidit Gregor. Cassander, ut narrat Bellarmin. *controvers. lib.* 3. *de Laicis*, *cap.* 19. erat, refellendas non esse hæreticorum opiniones: Sic S. Avitus Episcopus Vie-
96 nen. cũ aliis Catholicis antistibus publicè disputavit cum Arrianis coram Gundebaldo Rege Burgundiorum, quia sperabatur fidei unitas, pax Ecclesiæ in Burgundia, atquè Regis conversio; nec spem fefellit eventus, nam Arriani convicti, piscibus mutiores effecti sunt: Quamvis Regis conversio non sit secuta, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

97 Huic antiquitatis exemplo consimile

le nuperum addam: *Anno* enim *Christi* 1600. publica habita fuit collatio Fontanabliaudi coram Rege Christianissimo inter Jacobum Dany Perronium Episcopum Eborecensem, & Plertium Calvinistam, qui librum scripserat de abusibus missæ, in quo Sanctorum Patrum testimoniis depravatis tuebatur Plertius errores Calvinistarum. Hunc convicit Perronius de quingentis Sanctorum Patrum locis depravatis.

98 Videtur, etiamsi desit spes fructus, honestissimum esse, impugnare hæreticos, & hac ratione Catholici Viri laudantur, qui contrà ipsos scribunt, licet de eorum conversione non multum sperent: (Vide Gerson. *tract. de laudibus scriptorum*, & Simanch. *tit.*20. *instit* §. *ultim.*)

99 Non videtur tamen expedire, ut Idiotæ sibi sumant onus disputandi cum Hæreticis, quià, cum nequeant ipsos superare, consequenter se, honorem fidei, & proximorum salutem periculo exponunt: P. Vericell. *de Apostol. Mission.*
100 *tit.*1. *q.* 38. *num.* 3. An autem necesse sit, quod qui cum Hæreticis disputantes sint charactere Clericali insigniti, agitatur quæstio: Affirmativam sententiam tuentur Villalob. *in sum. tract.* 1. *difficult.*7. §.4. Suarez *de fide*, *disput.* 20. *sect.*1. *num.*11. Sanchez *in sum. tract.* 1. *lib.*2. *cap.*6. *num.*5. Azorius *tom.*1.*lib.*8. *cap.* 26. *q.* 1. Vericell. & alii fundati *in cap. inhibemus, de hæret. in* 6. ubi sub excommunicationis pœnâ prohibetur Laicis disputare de fide Catholicâ: Imò Hurtadus *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *resol.*49. putat, suspectos de hæresi tàm eos, qui asserunt, licitum esse laicis, de rebus fidei disputare cum Hæreticis; quàm ipsos laicos, qui disputant: His tamen non obstantibus cum Diana
101 *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 22. sequor negativam sententiam, ut probabilem, ejusquè probabilitatem agnoverunt etiam ipsi adversarii Sanchez, & Villalob. relati, & meritò, quia sicut officium prædicationis ab eo, qui non sit ordinatus, exerceri nequit, & tamen licet laico virtutes, ac rectam viam proximo persuadere; ità licebit ei, qui ordine non est insignitus, contrà errantes in fide disputare, quidquid dicat Albertin. *de agnoscend. proposit. quæst.* 13.
102 *num.* 12. & Hurtadus *ubi suprà*. Eò magis, quia leges hoc laicis interdicentes, munus disputandi permiserunt Clericis, non quia tale munus sit ordini annexum, sed quia Clerici solent esse magis instructi, ac in sacris literis versati: Cessante autem fine legis, cessat ipsa lex, ut ex professo probat Hurtad. de Mendoza *in* 2. 2. *tom.* 1. *disput.*74. *sect.* 3. §. 26. & consequenter non video, quarè non liceat doctis, quamvis laicis, errores confutare, maximè si adsit spes utilitatis; & ità docent Cajetan. & Ban. 2. 2. *quæst.*10. *art.* 7. Ledesma *in summa*, *tom.*2. *tract.* 1. *cap.* 5. *conclus.* 13. Hanc sententiam probabilem putat quoquè Sanchez apud Card. de Lugo *disput.*22.*sect.*5.*num.*139. *de fide*.

103 Octava conditio est, ne Catholicorum filii scholas Magistrorum Hæreticorũ adeant propter subversionis periculum: Trullench. *in expos. decalog. lib.* 1.
104 *cap.*3. *dub.* 2. *num.* 7. Quinimò nec licitum est, ad scholas Catholicorum admitti filios Hæreticorum; nam si sint nominatim denunciati, cum ipsis communicantes innodantur excommunicatione minori, & efficiuntur de hæresi suspecti, ut firmat Lupus *in edictis par.*2. *lib.*13. *dist.*3. *art.*2. *diff.* 1. Si verò non sint nominatim denunciati, adhuc non est licitum, nam imminet periculum Catholicorum filiis, qui cum filiis Hereticorum permixtim instruuntur: Lu-
105 pus *ubi suprà*. An autem liceat Judæis Christianas habere suorum filiorum nutrices? Videatur Fermosin.*tract. crimin.tract.*2. *in cap.*1. *q.* 1. *num.*24. *de Iudæis*, ubi negativè, & quarè.

106 Nona conditio est, ne Catholici Medicorum hereticorum operâ, necessitate cessante (si videlicet adsit copia Medici Catholici idonei) utantur. Fermosin.*loco cit.n.*5. Lupus *ibidem*. (Vide Bordon. *in Tribun. cap.* 24. *numer.* 10.) Idem dic quò ad Judæos: Fermosin. *ubi suprà*, *num.*1.*& seqq.*

107 Decima conditio est, ne Catholici copulam carnalem cum Hæreticis habeant, aliàs incurrerent peccatum, tùm sacrilegii, tùm periculi subversionis: Undè Salomonis cor depravatum fuit per mulieres alienigenas: Naldus *verbo Fornicatio*, *num.*2. Bellochius *de casibus reserv. par.* 2. *quæst.* 1. *numer.* 169.

Nulla enim major conversatio, & familiaritas, quàm actus venereus dici potest, cum sit mutui amoris symbolum, ut videre est penès Jodocum *in praxi*
108 *cap.96. num.*28. An autem ex tali commixtione oriatur suspicio hæresis? crederem quod non, quoties non adesset aliqua circumstantia suadens, copulam hujusmodi sequutam esse in contemptum fidei, ut monet Carena *par.* 2.
109 *tit.* 14. §. 3. *in fine*: Hinc idem Carena *ibidem*, & Ciarlinus *cap.*42. *num.* 53. *usquè ad* 71. docent, Judæos rem veneream exercentes cum muliere Christianâ puniri non ab Inquisitore, sed ab Episcopo, id quod etiam firmat Fermosin. *d.tract.*2. *ad titulum de Iudæis, qu.*2. *num.*21. & quibus pœnis, ostendit Ciriacus *contr. lib.* 3. *contr.* 432. Porrò quod dicitur de Judæis, videtur verificari etiam quòad Hæreticos ex identitate rationis.

CAPUT VI.

De retinentibus, & legentibus libros Hæreticorum.

SECTIO I.

An hujusmodi librorum retentio, ac lectio sit periculosa, & suspicionis hæresis inductiva.

SUMMARIUM.

1 *Adeò præsentaneum est periculum subversionis in legendis libris malis, ut vel ipsi Principes Ethnici eosdem cremari mandaverint.*

2 *Probationes ex Sacrâ Scripturâ ad idem.*

3 *Hæreticorum libri Zizaniis comparati sunt comburendi.*

4 *Legentes libros Hæreticorum sun de hæresi suspecti.*

5 *An idem sit dicendum de retinentibus eosdem libros?*

6 *Conciliatio inter extremas opiniones negantem, & affirmantem.*

7 *Si retinentes non sint librorum auctores sunt suspecti, vel leviter, vel vehementer secundùm circumstantias.*

8 *Si retinens libros sit idiota, vel non percipiat linguam, nullatenùs est suspectus.*

9 *In libris retentis hæreticorum considerandum est, quid tractent ad effectum ingerendæ suspicionis in retinentibus.*

10 *Si libri non habeant errores contrà fidem, retinentes non sunt suspecti, licet moraliter peccent.*

11 *Non sic dicendum de retinentibus libros hæresim continentes.*

12 *Per Bullam Cœnæ excommunicantur legentes, vel retinentes libros hæreticorum hæresim continentes.*

13 *In retinentibus libris prohibitis ponderanda est occasio, an scilicèt retineantur inscienter, vel scienter?*

14 *Suspicio incurritur, etiamsi retinens dicat, se non legisse eos.*

15 *Crescit suspicio, si retinentes dicant se nescire à quo tales libros receperint.*

16 *Nisi aliundè constaret de bonâ famâ, & vitâ retinentium.*

17 *Incurritur etiam suspicio, si retineantur scripturæ typis non evulgatæ.*

18 *Dispositio Pauli IV. hac de re.*

19 *Prædicta magis procedunt quòad legentes.*

20 *Amplia, licet in libris contineantur bona, & utilia.*

21 *Idipsum verificatur quòad retinentes contrà Mascardum.*

22 *Damnato auctore, ejus quoquè opera licet bona, damnata sunt vigore Bullarum Iulii Tertii, & Pii Quarti.*

23 *Nec his suffragatur Bulla in Cœnâ Domini, quia hæc expressè loquitur de libris hæresim continentibus, vel de religione tractantibus.*

24 *Enumerãtur conjecturæ indicantes qualitatem suspicionis resultantem ex librorum retentione.*

25 *Ad effectum incurrendæ suspicionis legere dicitur, qui incipit legere, & pœnitentiâ ductus desinit, nisi materiæ parvitas excuset.*

26 *Legere etiam dicitur, qui oculis lustrat licet non proferat verba.*

27 *Trascribentes prædictos libros suspecti dicuntur.*

28 *Videndum tamen, an transcribens sit discipulus de mandato Magistri transcribens, vel sit Magister.*

29 *Item, an transcribens sit Amanuensis pretio*

pretio conductus nesciens, vel sciens dogmata perniciosa.

30 *Adhuc magis sunt suspecti componentes hos libros.*

31 *Idem quoquè dicendum de corrumpentibus libros Catholicorum, & commiscentibus dogmata hæretica.*

32 *Depravare Catholicorum libros est consuetus Catholicorum mos: Sed peius est, libros hæreticos Catholicis attribuere: Exempla.*

33 *Nuperi Hæretici in hujusmodi impostura satis attenti: Exempla.*

34 *Maximâ laborant suspicione defendentes libros Hæreticorum.*

35 *Eò magis fiet suspectus componens Apologiam ad eorumdem librorum defensionem.*

36 *Sic laudans eosdem est suspectus, si laudatio tendat ad finem, ne examinentur.*

37 *Item suspectus est, procurans apud Sacrã Congregationẽ, ne liber prohibeatur.*

38 *Sunt quoquè suspecti asportantes libros ad Catholicorum Provincias à Provinciis Hæreticorum.*

39 *Item, imprimentes, vel impressioni cooperantes.*

40 *Item, qui retinent, vel legunt libros Auctoris propter hæresim, licet non sit hæreticus.*

41 *Item, legentes libros Astrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ.*

1 TAM præsentaneum est subversionis periculum in retinendis, & legendis pravorum Authorum libris, ut Cæsar Augustus duo millia volumina à fatidicis conscripta cremari jusserit: Imò apud Romanos, Senatorum erat, libros vetitos inquirere, ut latè differunt Bellarmin. *controv. de Laicis lib.* 3. *cap.*20. Cardinalis de Lugo *de fide disput.*21.*sect.*2. *num.* 24. Simanch. *de Catholic. institut.tit.*38.*n.*1.Fermosin.*tract. crimin.in cap. Fraternitatis,tract.*2. *q.*1. *à num.*17. *de hæretic.* quod etiam pluribus in locis à jure Civili sancitur, ut *in l.cætera* §. *medicamenta ff. famil. Herciscun. l. quicumquè* §. *nemo C. de Hære-*
2 *ticis.* Sacræ quoquè paginæ testantur *in act. cap.* 19. multos attulisse ad Apostolos pravæ lectionis libros, ac eosdem concremasse. Habemus etiam ex historiâ Ecclesiasticâ, quod Constantinus Imperator libros Arii in Concilio Nicæno damnatos comburi jusserit, quò nequè Auctoris, nequè opinionis ipsius extaret memoria, indictâ pœnâ ultimi supplicii in eos, qui librum occultarent, & qui in publicum productum non incederent.

3 Nec mirùm, nam si zizania, ut patet ex *cap.*13. *Matth.* colligantur in fasciculos, & traduntur igni, ne triticum inficiant; ità hujusmodi libri comburendi sunt, qui unà cum hæreticis, zizaniis comparantur ab Augustino *in quæst. super eodem cap.*13. Ab ipsis enim Catholicorum animi depravantur, eo modo, quo qui tetigerit picem, inqui-
4 nabitur ab eâ: Ecclesiast. *cap.* 13. Idcircò si propter periculum subversionis censentur suspecti de hæresi conversantes cum Hæreticis, ut suprà stabilivimus, in idem discrimen incidunt eorum libros legentes, itàut jure meritò suspecti haberi debeant: Fermosin. *tractat. crimin. tract.*2. *in cap. cum Christ. qu.*4. *de hæret. num.*1.2. & 3. Cardinalis de Lugo de fide *disput.* 21. *sect.* 2. §. 4. *num.* 105. Pasqualig. ad Franch. *contr. jurisd. inter Episc. & Regular. par.*1.*num.*1555. Simanch. *Catholic. Institut. tit.*15.*num.*5. Leo *Thesaur. for. Eccles. de excomm. cap.* 7. *numer.* 63. Ricci *in prax. Aur.*
5 *par.* 1. *resol.* 433. An idem verò censendum sit respectu retinentium? Nonnulli putant, sic delinquentes tanquàm Hæreticos condemnandos esse, dicunt Jo. Andr. *in cap. Filii, de hæretic. in* 6. Wames. *consil. canon. tom.* 2. *consil.* 578. *numer.*7. Ricci *d.par.*1. *Resol.*437. Decian. *conf.*93. *num.*80. *vol.*2. Roland. *conf.*45. *num.*40. *lib.*1. Ital. *de immunit. lib.*1. *cap.*5.§.6. *num.* 22. 29. & 30. Mascard. *de probat. concl.* 745. *num.* 2. & *concl.*862. *num.*1. *tit.*2. Alii tamen contendunt, eos esse tantummodò suspectos, ut tenent Mascard. *d. concl.* 862. *num.*6. Ital. *d.*§.6. *num.*22. & 30. Costa *variar. tom.*1. *dist.*33. *fol.* 334. Farinac. *de hæresi q.*180. *num.* 8. & 9. Del Bene *de S. Offic. dubit.*46. *num.*23. Pasqualig. *ad Franch. contr. inter Episc. & Regular. de lect. libr. prohibit. nu.*1555. De Angel. *de delict. par.* 1. *cap.* 63. *num.* 28. *in fin.* Fermosin. *d. quæst.*4. *num.*2. & 3. Cened. *collect. canon. collect.* 8. *num.* 2. Capon. *discept. Forens. tom.*2. *discept.*95. *num.*23.

Utrum-

6 Utramquè opinionem conciliat idem Mascard. *d.concl.* 862. *num.* 4. *&* 5. ut prima procedat, si retinentes sint etiam
7 Authores. Si ergo retinentes non sint Authores, de hæresi solummodò suspecti, sivè leviter, sivè vehementer efficiuntur: Bordon. *in Tribun.cap.*14.*n.*44. & Lupus *in edict. par.* 4. *lib.* 25. *dist.* 2. *art.* 2. *diff.* 3. pròut conjecturæ suadebunt, quæ in hac materiâ ponderantur, quæquè desumuntur, tùm ex qualitate personarum, quæ Hæreticorum libros retinent; tùm ex qualitate librorum, qui retinentur; tùm tandem ex occasione, quâ retinentes, hos libros adepti sunt: Pegna *par.*20. *com.* 3. quem sequitur Lupus *loc. cit.* Canter *qu.crimin. cap.* 1. *de hæretic. num.* 64. Pasqualig. *ad Franch.contr.inter Episcop.& Regular. ubi suprà, num.*1523. Leo *Thesaur. For. Eccles.d.par.*3. *cap.*6. *num.* 63. *vers. quæ suspicio*, Fusc. *de visit. lib.*2.*cap.*31.*nu.*7.
8 Etenim quòad personas perpenditur, an retinens sit idiota, itaut nesciat legere, vel non percipiat linguam, quâ conscripti fuerunt libri retenti; nam hoc casu nulla incurritur suspicio, ut docet Bordon. *loco cit.* Fermosin. *in d. cap.cum Christus, quæst.* 4. *num.* 4. *&* 5. Graff.
9 *decis. par.* 1. *libr.* 4. *cap.* 18. *numer.* 49. Item an sit vir probatæ, vel malæ vitæ. Quò ad libros considerandum est, quid tractent; & à quibus compositi fuerint: Sunt enim librorum prohibitorum duo genera; alterum propter hæresim, vel suspicionem hæresis; alterum propter corruptelam bonorum morum, ut ex
10 Brevi Pii IV. incipien. *Dominici Gregis* infert Lupus *d.dist.*2. *art.*3. Qui autem retinent libros secundi generis, quia in eis non continentur errores contrà fidem, nullo modo fiunt suspecti de heresi, nec proindè sunt denunciandi, nec incurrunt Bullam Cœnæ (licèt peccent mortaliter, & sint puniendi ab Episcopo) ut in fortioribus terminis dicit Fagundez *in* 1. *præcept. Decalog. lib.* 1.
11 *cap.*14. *num.*7. At non sic dicendum de retinentibus libros primi generis. *Is*, ait Pius IV. *in dicto Brevi*, *qui Hæreticorum libros*, *vel cujusvis Authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata*, *atquè prohibita legerit, habueritvè*, *ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamquè ob causam in eum, tanquàm de hæresi suspectum inquiri*, *& procedi liceat*, *præter alias pœnas super hoc ab Apostolicâ Sede, Sacris-*
12 *què Canonibus constitutas*. Insuper per Bullam Cœnæ *num.* 1. excommunicantur Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sinè auctoritate Papæ, & Sedis Apostolicæ
13 scienter legentes, aut retinentes. Quò ad occasionem ponderandum est, an inscienter retineantur, putà ratione aditæ hæreditatis; an verò scienter, utpotè, si retinentes hos libros aliundè ad se deferri curaverint: Franch. *contr. Iurisd. inter Episcop. & Regular. de lect. libror. numer.* 1554. Fermosin. *d. tract.* 2. *in cap. cum Christus, num.*4. Lupus, & Bordon. *locis cit.* qui postremus addit, in hoc standum esse Judicis arbitrio.
14 Cæterùm hujusmodi suspicio incurritur ob retentionem librorum hæreticorum, etiamsi retinentes dicant, eos libros se minimè legisse: P. del Bene, *ubi suprà, dub.*40. *num.* 20 & adhuc incurreretur hæc suspicio, si libri retenti, hæresim continentes essent sinè nomine Authoris, cum hujusmodi sola retentio ex se requirat abjurationem: Fusc. *de Visit.lib.*2.*cap.*31.*num.*7. Pistach. *de superstit.par.*2.*cap.*3.*sub num.*21. licet retentores asserant in torturâ, se numquàm malè de fide sensisse. Imò cresce-
15 ret suspicio, si ipsi negarent, se scire à quo receperint tales libros, vel mutato Authoris nomine, alium pro altero indicarent: Simanch. in *Enchirid. tit.* 34. *n.*4. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 46. *n.*26. & super hoc etiam essent torquen-
16 di: quod tamen intelligendum, quandò aliundè, non constaret de hos libros retinentiũ bonâ famâ, & vitâ: Fermosin. *tract.crimin.d.tract.*2.*in cap.cum firmis*, *q.*3.*n.*10. vel non appareret, ab ipsis verũ Authoris nomen mendacio occultatum
17 fuisse. Incurritur quoquè hujusmodi suspicio, si retineantur heretieæ scripturæ, licet Typis non evulgatæ: Fagundez *dict.qu.*14.*num.*11. Pistach. *de superstit. part.*2.*cap.*3.*sub num.* 21. Comprehenduntur enim sub nomine librorum, nam, ut inquit Bordon. *in Tribun. cap.* 14. *num.* 61. priusquàm inventa fuisset mirabilis, & utilissima ars impressionis, volumina, & opera intellectus in unum
18 congesta, vocabantur libri. Imò, nc

circà

circà hoc relinquatur ambigendi locus, omnem difficultatem removent verba Pauli IV. superiùs allegata: *Vel cujuscumquè Authoris scripta*: Nihil enim refert, an scripturæ hæreticæ sint Typis, vel calamo exaratæ: Farinac. *dict. q.*180.*num.*31. Ugolin. *de Censur. par.*2. *gloss. ac eorumdem libros*, *num.* 2. cum aliis plenè congestis per Pasqualig. *ad Franch. loco citato*, *num.*1496. Fusc. *de Visit. lib.*2.*cap.*31.*n.*11. Ricciull. *de jur. person. lib.*5.*cap.*23.*n.*6. Priviter. *Manual. Antist. par.*1.*potest.*50.*sub n.*3. quia liber hæretici nondùm impressus, verè liber dicitur, & propterea qui illum retineret censuram incurreret, præsertim quia periculum infectionis adest (ob quod prohibitio dimanavit) sivè liber sit impressus, sivè non: Cherubin. *Const.* 77. *Pii IV. Schol.* Card. de Lugo *disp.* 21.*sect.* 2.§.1.*nu.*39. Sanchez. *in Decal. lib.*2.*cap.* 10.*num.*28. Pasqualig. *ubi suprà*.

19 Hæc omnia magis procedunt quò ad legentes, ut ex se patet, & prout testantur Menoch. *de præsumpt. lib.*5.*præsumpt.* 6.*num.*18. Farinac. *qu.*180.*nu.*30. & 31. Ugolin. *ubi suprà*.

20 Ampliæ, licet in dictis libris, vel scripturis contineantur bona, & utilia dummodò eorum Authores sint hæretici: nam periculũ est, ne lateat anguis in
21 herbâ, quod etiam verificatur quò ad retinentes: Farinac. *q.*180.*n.*14. reprobatâ Mascardi opinione, quæ habetur *in Conclus.*862.*num.*1. ubi dicit, libros, quamvis hæreticorum, hæresim non continentes, qui retinent, non esse suspectos, quam Mascardi sententiam sequutus fuit etiam Bordon. *ubi suprà*, *nu.*66. (Vide latè apud Lupum *in edict. lib.*25.*dist.*1.*art.* 1.*diff.*2.) Hinc est, quod
22 damnato Authore, ejus quoquè opera sunt damnata, tametsi bona, & Catholica, vigore bullarum Julii III. Pii IV. & ratio est, quia hujusmodi sanctiones emanarunt etiam ad finem mortificandi Hæreticos, ut *in cap. Fraternitatis, de Hæretic. & ibi* communiter observant Interpretes, latè Fermosin. *tract. crim. tract.*2.*in dict. cap. Fraternitatis, qu.* 1.*per tot.* Sanctarell. *de hæresi. cap.*14.*dub. unic. num.*4. Ricciull. *de Iure person. lib.*5. *cap.*23.*num.*1. Farinac. *de hæres. qu.*181. *num.*22.26. & 27. Quibus tamen mini-
23 mè favet Bulla in Cœna Domini, nam ea *in cap.*1 expressè loquitur de libris hæresim continentibus, vel de Religione tractantibus, ut benè ponderat Fagundez *dict. qu.*14.*nu.*13. Pasqualig. *ad Franch. contr. inter. Episcop. & Regular. ubi suprà*, *num.*1542. & 1547.

24 Verùm quod diximus de conjecturis indicantibus qualitatem suspicionis ex librorum retentione resultantem, dici quoquè debet de suspicione, quam incurrunt eos libros legentes, ut firmant Lupus, & Bordon. *ubi suprà*; & proindè perpenditur (ut verbis Lupi utar) primò, an quis hujusmodi libros inconsideratè, vel studiosè legerit? Secundò, an parum, vel multum? Tertiò, an semel, vel pluries? Quartò, si unum tantùm librum, vel plures? Quintò si reprehendenti statim obtemperaverit, vel defenderit factum? Sextò, si præsentaverit illum, vel illos Inquisitori statim, ac intellexerit, esse prohibitum, vel prohibitos, vel se non esse præsentandos, aut comburendos contenderit? Septimò, si sollicitè absolutionem quæsierit, vel potiùs illam contempserit &c.? Ex quibus inferri potest, quod quamvis in Bullâ Cœnæ sermo sit de libris in plurali, aliquâ tamen suspicione laborare, qui unicum ex supradictis libris legerit, ut quoquè innuit Duard. *in Bullâ can.*1. *qu.*13. *nu.* 3. *qu.*54. *num.*16.

25 Legere autem ad hunc effectum dicitur, qui incipit, quamvis pænitentiâ ductus, desinat, dummodò materiæ parvitatem excedat: Duard. *ad Bullam Cœnæ, Can.*1.*part.*2. *qu.*46. *in princ.* Sair *de censur. in Bulla, lib.*3.*tom.*1.*cap.*5.*n.*12.

26 Item legere dicitur, qui oculis lustrat tantùm, etiamsi verba non proferat, nam cum legere minimè consistat in prolatione verborum, sed in eorum inspectione: *l. in Civile* 23.*de Legibus*, & *l.*1. *de his, quæ in testam.* Idcircò absquè dubio incidit in excommunicationem Bullæ in Cœnâ Domini, qui oculis percurrit: Flavius Cherubin. *in Bullâ* 82. *Pii IV. schol.*2. Card. de Lugo *disp.*21.*sect.*2. §.1.*num.*172. P. del Bene *disp.* 38.*petit.* 2. Pasqualig. *ad Franch. contr. Iurisd. dè quo nuper*, *nu.*1488. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.*4.*cap.*18.*num.*45.

27 Cum itaquè legentes dicantur suspecti, eò magis tales reputari debent hujus-

jusmodi libros, vel scripturas transcribentes: Pegna *par.1.comment. 17.vers. sed quæ erit pæna*, Farinac.*qu.*180.*n.*18. Fermosin.*tract.crimin.tractat.2.in cap. cum Christus*, *qu.*4.*num.*7.Inspiciendum
28 tamen est (inquit Lupus *loco cit.dist.9. art.* 5.) an transcribens sit discipulus, & transcribat de mandato Magistri; an verò sit ipse Magister? Similiter, an discipulus ignoret; vel è contrà sciat, quæ scribit? Item, an sit famulus, qui jubente domino librum, vel libros, seu quamlibet damnatam scripturam, aut impia dogmata scribit ignorans; aut è converso sciens, qualia
29 sint? Itidem, an amanuensis sit, & pretio conductus scribat, nesciens; aut è contrà sciens, se venenosa dogmata transcribere? Præterea animadvertendum, an quis sibi ipsi, vel alteri transcribat, quæ damnata esse, non ignorat? Ex his conjecturis quisquè dignoscere potest, an transcriptor, vel Scriptor damnatorum librorum sit denunciandus, nec ne, ad tradita per Pegnam *par.2.com.17.sub litt. C.& D.*
30 Et adhùc magis erunt suspecti componentes hujusmodi libros, seu scripturas. Imò tunc censeri debebunt verè hæretici: Simanch. *in Enchirid. tit.* 39. *n.*2.Farinac.*q.*180.*num.*16. Quod identidem dicendum de corrumpentibus libros Catholicorum, & commiscentibus Catholicis doctrinis dogmata hæretica: Menoch. *de arbitrar. conf.* 449. *num.*5. Fermosin. *tract. crimin.tractat.2.in cap. cum Christus*, *qu.*4. *nu.*8. Farinac.*d.qu.* 180.*num.* 14. Hi enim reverà sunt hæ-
31 retici reputandi, ut habetur in sextâ Synodo Constantinopolitanâ *art.* 13. quam affert Ivo *par.*4. *cap.*198.his verbis: *Percipimus illos, qui falsaverunt libros Catholicos anathemati subjici, & cum hæreticis anathematizari*:(Vide Pegnam *par.2.com.17.sub.litt. C.in director.*) Imò
32 depravare Catholicorum libros esse consuetum hæreticorum morem, eruditè adnotavit Antonius Aug. *par.1.libr.* 10.*tit.*15. Sed plusquàm Hæretici reputandi sunt, qui Hæreticorum scripta Catholicis Auctoribus attribuant: Sic in Ecclesiasticis Historijs habemus, quod Sancto Hieronymo supposita est *Epistola de scientiâ divinæ legis*, quæ est Cælestii Socii Pelagii, prout notavit Joannes Montinensis ad Prosperum: Sancto Augustino adscribitur *opus de Incarnatione*, quod Oreginistarum commentum esse constat, conflatum ex quibusdam Capitibus libri Origenis *de sex principiis*: S.Ambrosio supposita est *posterior apologia de David*, cujus auctor non alius est, quàm Origenista aliquis, quia Auctor illius negat Davidis adulteriũ cũ Bersabea fuisse, illudquè censet allegoricè esse interpretandum: Origenistæ enim omnia ad allegorias vertebant:
33 In hac re nuperi hæretici suis proavis inferiores non sunt: Joannis Calvini opus inscribunt Alcuino Caroli Magni preceptori; Librum Henrici Bellingeri contrà visibilem Ecclesiam S.Athanasio attribuunt; Conciones Bernardini Ochini suppositæ sunt Thomæ Justonopolitano; aliaquè his similia exempla exhibet Theophilus Raynaud. *in Critic.sacr. partit.*1.*Erot.* 10.Id autem peragunt hæretici, ut incauti decipiantur, putantes sanam, & catholicam doctrinam in prædictis libris contineri, ut latè advertit Lupus *ubi suprà*, *dist.9.art.5.diff.*1
34 Similiter maximâ laborare suspicione dicuntur defendentes hæreticorum libros, sivè publicè, sivè privatim, vel occultè eos defendant: Duard. *ad Bullam Cænæ*, *can.*1. *qu.* 55. *num.*2. & 10. Lupus *loco cit. art.* 3. Fermosin. *tract. crim.dict. quæst.* 4. *in cap. cum Christus*, *num.*11. Pasqualig.*ad Franch.contr. Iurisd. num.*1579.*& seqq.* Pistacch. *de superstit. par.* 2.*cap.* 3.*sub. num.*21. Addit
35 tamen Lupus, dummodò defendantur quatenùs hæreticorum libri, non autem si stylus, & eloquentia laudetur: Id ipsum etiam firmat Bordon *ubi suprà*, *nu.* 78.sivè disputativè tuveantur eosdem libros: Duard. *ibidem*, *num.* 6. Bonac. *de censur.in Bullâ disp.*1. *qu.*2. *punct.* 4. *num.* 2. hoc casu tamen crederem, non incurri suspicionem, si animus appareret non improbus, utpotè si defenderentur ad quærendas rationes, quibus hæreses convincerentur: De hac re Baldell. *de fide*, & *infedelit. disp.* 47.*n.* 19. Fermosin. *ubi suprà*, Pasqualig. *ad Franch.contr. Iurisd.d.par.*1. *à nu.*1582.
36 Eo magis erit suspectus, si quis componeret Apologiam in eorumdem librorum defensionem, licet ipsam non publicaret: Baldell. *loco cit.* vel si quis lau-

laudaret tales libros: Ugolin. *de censur. par.2.gloss.ac eorumdem libros*, nu.2. dicendo illos esse bonos, vel utiles, vel non comburendos: Sic Tolet. *summ. in Bullâ Cœnæ, excom.*1. *num.* 26. Sayrus *in Thesauro casuum*, *to.*1.*lib.*3. *cap.*5. *n.* 18. Fermosin. *tract. crimin. tract.*2. *dict. cap. cum Christus*, *quæst.*4.*numer.*11. & alii.

36 Intellige, si huiusmodi laudatio tenderet ad librorum hæreticorum defensionem, ne examini subiicerentur: Sanchez *lib.* 2.*cap.*10.*num.*56. Toletus *ubi suprà.* (Vide Bordonum *loco citat.*) Si-

37 cut diceretur suspectus, qui procuraret apud sacram Congregationem, vel Summum Pontificem, ne prohiberetur liber continens hæresim, aut ne combureretur: Quemadmodùm enim non licet Procuratori, vel Advocato defendere hæreticos, ità nec eorum libros: Card. de Lugo *disp.*21.*num.*100. Lupus *ubi suprà*, *dist.* 9. *diff.* 3.

38 Sunt quoquè suspecti asportantes libros hæreticorum à Provinciis hæreticis ad Catholicas, maximè si id occultè fiat: Pegna *p.*2. *comm.*17.*vers.cæterum*: Azor. *to.*1.*lib.*8.*cap.*17. *qu.*6. Fermosin. *tract. crimin. in cap. cum Christus*, *qu.*4. *n.*7.*de Hæretic. tractat.* 2. Pasqualig. *ad Franch. contr. Iurisd. loco cit. numer.* 1510. Tunc enim præsumuntur non ignorare, quid deferant; & si transportantes ignorent qualitatem libri, quem deferunt, eximuntur ab hujusmodi suspicione, juxtà Lupum *dict. dist.*9. *art.* 4. *diff.*1.

39 Non effugiunt quoquè suspicionem hæresis imprimentes, vel impressioni talium librorum cooperantes: Barbos. *in cap. Fraternitatis, de hæret. num.*7. Farinac. *qu.* 180. *num.* 19. Pasqualig. ad Franch. *contr. inter episc. & Regular. de libr. prohibit. lect. num.*1512. *& seqq.* latè Fermosin. *loco citato*, *num.*7. *& tribus seqq.* Idcircò hanc suspicionem incurrunt, tàm qui librum imprimendum tradit, quàm Typographus, qui illum ad hunc effectum recipit, & qui characteres disponit, & qui eos prælo subjacet: Lupus *ubi suprà*, Pasqualig. proximè citatus *num.*1513.

40 Sunt etiam suspecti, qui retinent, & legunt cujuscumquè authoris, etsi non hæretici, libros, vel scripta propter hæresim, vel falsa dogmata damnata: Sayr. *de Censur. lib.*3.*cap.*5. *n.*15. Card. de Lugo *de fide*, *disp.*21.*num.*108. vel sortilegia, seu incantationes qualificatas continentia: Farinac. *d.qu.*180. *nu.*28. (Vide tamen Lupum *d.dist.*2. *art.* 2. *diff.* 2.)

41 Sunt tandem suspecti, qui legunt, & retinent libros Astrologiæ Judiciariæ, Geomantiæ, Hidromantiæ, de quibus *in regulâ* 4. Indicis: Fermosin. *tract. crim. loco cit. n.*5. Azor *institut. moral. to.*1.*lib.*9. *qu.* 26.*vers.* 5. Sess. *decis. Aragon. vol.*4.*decis.* 464.*num.*24.

Plures tamen adsunt Circumstantiæ, propter quas eximuntur à suspicione retinentes, & legentes hæreticorum libros, ac cæteri, de quibus sermonem usquè adhuc habuimus.

SECTIO II.

De circumstantiis, quibus excusantur à suspicione hæresis Hæreticorum, libros retinentes, & legentes.

SUMMARIUM:

1 *Prima circumstantia excusans est, si retinentes sint imperiti, dummodò aliundè non concurrat hæresis suspicio.*

2 *Ad inducendam hæresis suspicionem requiritur, quod quis non ignoret, eos libros hæresim continere.*

3 *Secunda circumstantia est, quod retinentes sint bonæ famæ; licet nō idiotæ.*

4 *Eò vel magis, si in libris non contineatur dogma fidei, sed mera eruditio.*

5 *Tertia circumstantia, si legantur libri in materiæ parvitate; quod aliqui tamen negant.*

6 *Quænam sit in casu materiæ parvitas? Aliqui dicunt decem lineas: Alii unã paginam; hi tamen meritò reprobantur.*

7 *Sed mediâ viâ incedendo dicendum est, perpendendas esse circumstantias materiæ, libri, & qualitatis Lectoris.*

8 *Diana censet, materiam parvam esse duas, vel tres lineas, licèt in eis contineatur hæresis.*

8 *Si quis legeret proœmium libri, non excusaretur, vel præfationem, vel Indicem.*

10 *Non esset suspectus, qui legeret annotationes ad librum Catholici factas ab Hæretico, dummodò hæresim non continerent.*

11 *Suspectus esset, qui volumen ab Hæretico compositum legeret, licèt in eo nullus error reperiretur, quia damnatur in odium Auctoris.*

12 *Datur quoquè materiæ parvitas in retentione librorum ex parte temporis, & ex parte materiæ.*

13 *Si tempus notabile requiratur ad tradendum commodè librum Inquisitori, scrupulus non habendus.*

14 *Quarta circumstantia est, si libri legantur cum debitâ licentiâ.*

15 *Potestas concedendi licentias legendi libros prohibitos, est in primis penès Summum Pontificem.*

16 *Olim hanc facultatem habebant Legati à Latere, Nuncii, Episcopi, & Generales aliquorum Ordinum: Ab eis posteà adempta.*

17 *Eamdem licentiam concedere possunt Sacræ Congregationes S. Officii, & Indicis, cum limitatione tamen.*

18 *Facultas legendi libros Caroli Molinæi non conceditur à Sacris Congregationibus.*

19 *Quibusnam Sacra Congregatio soleat impertiri facultatem concedendi licentias legendi libros prohibitos?*

20 *Magister Sacri Palatii in Urbe tantùm concedit licentiam legendi libros prohibitos.*

21 *An Collegium Cardinalium Sede Vacante concedere possit hujusmodi licentiam? negat Fagundez.*

22 *Habent licentiam legendi libros prohibitos illi, qui ex officio eos legere debent, ut sunt Inquisitores: Sed eis sublatum est hujusmodi privilegium: Pro Commissariis negativa sententia tenetur: Secùs quoad Cardinales.*

23 *Quinta circumstantia est, si legantur non scienter, etiamsi ignorantia sit affectata.*

24 *Sexta, si legantur libri Ethnicorum, etiam continentes propositiones contrà fidem.*

25 *Referuntur quædam impia dogmata contenta in libris Poetarum Ethnicorum.*

29 *Possunt legi libri Origenis, quamvis in eis contineantur errores contrà fidem;*

27 *Nec prohibentur legi libri Iudæorum: Nec legentes incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

28 *Possunt etiam legi libri Cathecumenorum: licèt adversentur Religioni.*

29 *Oppositum dicendum est de libris Armenorum, & Græcorum, qui sunt Schismatici.*

30 *Cardinalis de Lugo distinguit, nam si libri sunt compositi antè Schisma, legi possunt; secùs, si post Schisma: judicium circà hanc distinctionem.*

31 *Qui legunt Sacram Scripturam translatam in vernaculo idiomate, vel qui eam vendunt, non sunt suspecti de hæresi, licèt peccent mortaliter.*

32 *Si legerentur, & retinerentur libri Hebræorum referti superstitionibus, essent de hæresi suspecti.*

33 *Pariter, si legeretur Alcoranus: in eo enim sunt plures hæreses.*

34 *Si legantur libri Apocriphi hæresim non continentes, non incurritur suspicio, nec excommunicatio.*

35 *Septima circumstantia est, si quis audiat librorum prohibitorum lectionem, dummodò ipse non mandaverit, vel rogaverit, legi ab eis, qui non habent facultatem.*

36 *Probabilior videtur opinio contraria aliquorum.*

37 *Sed hæc sententia videtur nimis laxa, nisi jubens agat ex ignorantiâ.*

38 *Qui licitè audit legentem libros prohibitos, non est immunis à suspicione, si notet in repertorio ea, quæ sunt contrà Religionem.*

39 *Octava circumstantia est, si legantur libri Hæreticorum, quoties non adsit perversionis periculum; & quoties propter bonum Ecclesiæ necessaria sit præsentanea errorum confutatio.*

40 *Hæc duo copulativè requiruntur, undè etiamsi absit periculum perversionis nequeunt legi.*

41 *Sanctus Petrus Martyr fassus est, se ex assiduâ disputatione cum Hæreticis expertum fuisse tentationem contrà fidem.*

42 *Non desunt Auctores, sustinentes, quod cessante periculo perversionis possint legi libri prohibiti.*

43 *Frequens est, non valere argumenta à probabilitate speculativâ ad probabilitatem practicam.*

44 Objectio contrà prædicta, quod scilicet ille talis haberet requisita illorum, qui tales libros legant cum licentiâ.

45 Responsio ex doctrinâ Tamburini, cujus summa est assignare adæquatum finem prohibitionis librorum hæreticorum.

46 Nullus, quamvis fortis, in occasionem labendi se ultrò debet conjicere.

47 Nona circumstantia, si legantur libri obscæni, & contrà bonos mores, non tamen Hæreticorum.

48 Comediæ, quæ non sunt contrà bonos mores, non sunt illicitæ.

49 Qui legunt libros propter lasciviam prohibitos, non sunt de hæresi suspecti.

50 Decima est, si legantur libri prohibiti, donec corrigantur: Ità Lupus.

51 Sed allucinatur Lupus, quandò libri illi continent propositiones suspectas de hæresi, vel sunt compositi ab Hæreticis.

52 Multum deferendum est arbitrio Iudicis in hac materiâ suspicionis, quæ incurritur ob libros prohibitos lectos.

53 Conjectura, quæ resultat ex lectione, vel retentione librorum hujusmodi, est levissima.

54 Qælibet justa, & levis causa excusat ab hac suspicione.

55 Undecima est respectu transcribentium, si videlicet transcribentes ignorent, quid scribant, & metu non audeant renuere; secùs, si scientes esse mala transcriberent.

56 Duodecima est, si componens librum, dogmata falsa continentem, ultimam ei manum non admoverit, nisi ex aliis scriptis appareat de ejus pravâ intentione.

57 Defendentes in libris Hæreticorum aliquam propositionem Catholicam, non dicuntur suspecti.

58 Sicut nec essent suspecti, qui interrogati à Summo Pontifice, an tales libri essent prohibendi, responderent, esse differendum.

59 Asportantes, si nesciant libros à se delatos esse hæreticorum, non sunt supecti.

60 Bibliopolis vetitum est, ne ullos libros in Civitatem deferant sinè licentiâ Episcopi, & Inquisitoris.

61 Imò Inquisitores, vel, si hi non adsint, Episcopi debent naves visitare ad videndum, an adsint libri prohibiti.

62 Eâdem ratione possunt Episcopi Bibliothecas visitare, & libros prohibitos ibi repertos consignare Inquisitori, si adsit; si non, debent Sacræ Inquisitionis Congregationem certiorem reddere.

63 Episcopus, si libros hujusmodi collegerit, tenetur eos Inquisitori consignare, vel si is non adsit, notificare Sacræ Congregationi.

64 Libri prædicti nequeunt comburi auctoritate privatâ.

65 Pœnæ fulminatæ in comburentes libros propriâ auctoritate.

66 Imo nec possunt comburi propriâ auctoritate accedente consensu Episcopi, & Inquisitoris.

67 Possunt Inquisitores præcipere Bibliopolis, ut deferant notam librorum, qui sunt in eorum officinis.

68 Item tàm Inquisitores, quàm Episcopi possunt corrigere libros, quoties corrigibiles sunt.

69 Imprimentes, & Typographi eximuntur ab omni suspicione, quoties à Revisoribus tradita fuit facultas librum cudendi.

70 Omnes libri imprimendi examinari debent, juxtà Constitutionem Concilii Lateranensis, quæ per extensum refertur.

71 Præfatam Constitutionem quòad Superiores, à quibus libri sunt examinandi, ampliavit Concilium Tridentinum, cujus decretum refertur.

72 Quæ dispositio non est intelligenda de illis libris, qui alias sæpissimè fuerunt impressi.

73 Assignantur qualitates revisorum librorum, qui debent examinari, prò impressione.

74 Non debet permitti, ut Catholici dedicent suos libros Eterodoxis.

75 Peractâ revisione, à quibus, & quomodò concedenda sit licentia libros imprimendi?

76 De licentiâ cudendi Imagines, & imprimendi gesta Servorum Dei, qui cum famâ sanctitatis objerunt, remissivè.

77 Imprimentes libros cum revisione, & licentiâ, nullam incurrunt hæresis suspicionem, nec ullâ involvuntur labe.

78 *Ex decreto Urbani Octavi libri in Urbe compositi non possunt imprimi extrà Statum Ecclesiasticum, absquè licentiâ Magistri Sacri Palatii.*

79 *Imprimentes libros sinè licentiâ, non sunt de hæresi suspecti, dummodò non sint hæreticorum libri, vel hæresim non contineant.*

1 PRIMA circumstãtia est respectu retinentiũ, nempè si sint imperiti, adeò ut libros, vel scripturas legere, seu intelligere nequeant, quod superiùs innuimus, & latè probat Fagundez. *in præcept.* 1. *decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *à n.* 19. Tunc enim non possunt dici suspecti de hæresi, quidquid asserat Carena *part.*2. *tit.*10. §.7. dummodò aliundè non concurrat hæresis suspicio: Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap.cum Christus*, *qu.* 4. *num.* 4. *de hæretic.* Mascard. *de probat. concl.* 862. *num.* 6. siquidem requiritur ad inducendam suspicionem, quod
2 quis non ignoret, eos libros hæresim continere: Bursatt. *cons.* 90. *num.* 10. *lib.* 1. Mascard. *d. concl.* 862. *num.* 13. Ital. *de immunit. lib.*1. *cap.* 5. §. 6. *n.*29. & 30. & alii, quos citat laudatus Fagundez. *ubi suprà*.

3 Secunda circũstantia pariter respectu retinentiũ est, dummodò sint bonę vitæ, & famæ, quo casu, licet ipsi non sint idiotę, excusantur à suspicione, juxtà quorũdam opinionem: Undè minimè incurri suspicionem à Viro probatissimo, qui retinet, putat Mascard. *d. concl.* 862. *num.* 11. sivè ad confutandum: Idem *ibidem*, *num.*14. Graff. *decis. par.* 1. *lib.*4. *cap.* 18. *num.* 49. sivè, quia accidentaliter cum hæreditate, vel alio modo liber ad manus ejus pervenit: Mascardus *loco citato*, *num.* 9. Graff. *d. num.* 49. Fermosin. *ubi suprà*, *num.* 4. Veriùs tamen est, quod nullo pacto excusetur, si retineat, & advertat, contineri in dicto libro hæreses: Secùs, si ad id ipse non advertat; vel si in dictis libris,
4 aut scripturis contineatur mera eruditio, & non dogma fidei: Farinac. *qu.*180. *num.* 48. dummodò in jis libris, seù scripturis non contineantur sortilegia qualificata, Negromantia, &c. in quo pariter reprobandus est Carena *ubi suprà*.

5 Tertia circũstantia est respectu legentium, si legantur hi libri in aliquâ parte, quæ materiæ parvitatem non excedere dici possit, licet hoc multi negent, quia in quâcumquè parvitate materiæ contineri potest hæresis, & imbibi à legente; quod tamen parvitas excuset, communiter tenent Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *ad rub. de hæretic. qu.* 1. *n.* 5. Diana *part.*3. *tract.* 5. *resolut.*42. Card. de Lugo *de virtut. fidei*, *disp.*21. *sect.* 2. §. 3. *num.* 82. Pasqualig. ad Franch. *contr. jurisd.* de quo suprà, *num.* 1493.

6 Porrò quæ sit ista parvitas materiæ, decertatur inter auctores, ut videre est apud Fermosin. & Pasqualig. *locis citatis*: Sayrus autem *in Thesauro casuum tom.*1. *lib.*3. *cap.*5. *num.* 12. dicit, quod sint decem lineæ; Sanchez. *in Decal. lib.*2. *cap.*10. *num.*31. putat, unam paginam esse parvam materiam: Cæterùm hæc Sanchez opinio vocatur parùm probabilis à Fermosin. *d. tract.* 2. *qu.* 1. *num.*6. & à Diana *in summ. verb. Hæreticorum libri*, *n.* 39. undè Emmanuel Sà hoc idem docens fuit expurga-
7 tus: Media ergò opinio amplectenda est, quâ perpenduntur circumstantiæ materiæ, libri, & qualitas lectoris: Card. de Lugo *d. disput.* 21. *sect.*2. §. 3. *num.* 82. Si quis enim legeret paucas lineas libri, sciens in illis hæresim contineri, non excusaretur: Card. de Lugo *ibidem*, *num.* 83. siquidem hæresis etiam sub unicâ lineâ contineri potest: Quoniam enim in lege, & maximè pœnali attendi oporteat, quod plerumquè contingit: Lupus *in edictis*, *lib.* 25. *dist.*6. *art.*1. *diff.* 3. idcircò eo casu tantùm, quo legens sciat, hæresim contineri sub unicâ lineâ, efficitur suspectus:
8 Non displicet tamen opinio Dianæ citati, qui cum Mendoza *de fide*, *disp.* 36. *sect.* 5. §. 2. dicit, materiam parvam esse duas, vel tres lineas, licet in eis contineatur hæresis, ob quam liber prohibetur, quia non statim ac quis propositionem hæreticam legit, exponit se periculo imbibendi hæresim, nisi etiam rationes videat: Fermosin. *loco cit. n.* 5. & 6. Pasqualig. *ubi suprà n.* 1494.
9 Pariter, si quis legeret prohæmium libri, vel præfationem, vel indicem non excusaretur, quia plerumquè in his explicatur mens Auctoris: Card. de lugo *ibidem*, §.2. *num.* 60. P. del Bene

disp

disp. 38. *petit.* 2. Portel. *dub. regular.*
verbo libri prohibiti, *num.* 7. Sanchez. *in*
decalog. lib. 2. *cap.* 10. *num.* 28. & 29.
Do exemplum: Novissimè Guilelmus
Cave Anglus etherodoxus edidit hi-
storiam literariam scriptorum Ecclesia-
sticorum, eidemquè præfixit dedicatio-
nem hujus tituli: Sanctissimę, charissimę-
què Matri Ecclesiæ Anglicanæ: Si quis
legeret vel hanc solam dedicationem,
quid pestilentius sub oculis habere pos-
10 set? Qui autem legeret scholia, & ad-
notationes, seù commentaria hæretico-
rum addita libris Catholicorum, dum-
modò mole non superarent, nec æqua-
rent eosdem libros; & dummodò nul-
lam hæresim continerent, ab omni su-
spicione esset immunis; nam hujusmo-
di scripta considerari debent tanquàm
accessoria: Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D.*
Thomæ, *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 11. Navar.
in summ. cap. 17. *num.* 56. Sanctarellus *de*
hæresi, *cap.* 13. *dub. unic. num.* 4. Sanchez.
tom. 1. *decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. Por-
tel. *dub. regular. ubi suprà. num.* 6. Pas-
qualig. ad Franch. *controv. jurisd. p.* 1.
num. 1480. & Bordon. *loco cit. num.* 67.
11 Si verò quis legeret aliquod volumen
ab hæretico compositum, licet in eo
nullus reperiretur error, idem dicen-
dum esset, quod innuimus de libris,
qui in odium Authoris damnantur: (Vi-
de Lupum *de quo suprà*.)
12 Datur quoquè parvitas materiæ in
retentione librorum tùm ex parte tem-
poris, ut si per unum, vel alterum diem
differas (cum cõmodè potuisti) tradere
librum Inquisitori: Pasqualig. *ad Franch.*
contr. jurisd. d. part. 1. *n.* 1508. *cum aliis ibi*
latè congestis, Tamburin. *in decalog. lib.* 2.
c. 1. §. 7. *n.* 44. qui sub *n.* 4. advertit, quod
13 si notabile tempus requirebatur ad
commodè tradendum libros Inquisitori,
non debet scrupulum habere: Potes
enim tunc diù expectare, dummodò
sinè dolo, & fallaciâ id facias: Idem
docet Sanchez. *in decal. lib.* 2. *cap.* 10.
num. 55. tùm ex parte materiæ, ut si
unum folium retineas: Pasqualig. *loco*
modò citato, *num.* 1507. Tamburin. *ubi*
suprà, *num.* 43.
14 Quarta circumstantia est, si legantur
cum legitimâ licentiâ: Sousa *in Aphoris.*
lib. 1. *cap.* 21. *n.* 5. Card. de Lugo *disp.* 21.
sect. 2. §. 3. *num.* 6. Fagundez. *in præcept.*
decalog. lib. 1. *cap.* 14. *num.* 44. Ad hoc
autem, ut hujusmodi licentia legitimè
obtineatur, oportet, eam concedi ab
habente potestatem concedendi illam.
15 Hanc verò potestatem habent: Primò
Summus Pontifex, qui non tantùm li-
berè, & illimitatè impertiri potest li-
centias legendi libros prohibitos, sed
etiam tradere potest facultatem conce-
dendi hujusmodi licentias; & reverà
eam hodiè speciali modo concedit Nun-
16 ciis Apostolicis; & olim ipsâ facultate
fruebantur vi privilegiorũ Legati à La-
tere, Nuncii, Episcopi, & Generales non-
nullorum ordinum Regularium, qui-
bus posteà adempta fuit, undè extant
Bullæ Pij IV. Gregor. XV. & Urbani
VIII. Alzed. *de præexcellentiâ Episc. di-*
gnit. par. 2. *cap.* 6. *num.* 75. Barbos. *al-*
legat. 90. *num.* 7. *part.* 3. *de potest. Episc.*
in terminis Episcoporum; P. Lezana
in summ. part. 1. *cap.* 18. *num.* 16. in ter-
minis Generalis Societatis Jesu; Bor-
don. *in Tribunal. cap.* 14. *num.* 34. 35. &
36. in terminis Generalis Ordinis Mi-
norum; P. Baldell. *de fide*, & *infidelit.*
disp. 46. *numer.* 23. *in fin.* in terminis
Legatorum à latere, & Nunciorum.
17 Secundò Sacræ Congregationes San-
cti Officii, & Indicis licentiam con-
cedere possunt: Fermosin. *tract. cri-*
min. ad text. in cap. cum Christus,
quæst. 3. *numer.* 27. Pasqualig. ad
Franch. *contr. jurisd. sub num.* 1577.
Pac. Jordan. *lucub. lib.* 1. *tit.* 19. *n.* 63.
non verò absquè limitatione, ut Sum-
mus Pontifex, sed restrictè; idcircò ea-
rum licentiæ non sunt generales, nec
perpetuæ, sed ad triennium: Lupus
18 *ubi suprà*, *dist.* 7. *art.* 2. *diff.* 2. ubi ait, fa-
cultatem legendi libros Caroli Molinei
non concedi ab ipsis Sacris Congrega-
tionibus; & si contingat, ipsam Sacram
Congregationem S. Officii impertiri ex-
trà Italiam has facultates generales, id
præstat de mandato Summi Pontificis:
In Italiâ verò præcipit, ut expriman-
tur libri, quemadmodùm benè advertit
19 Albitius *de inconstantia in fide*, *cap.*
30. *num.* 256. & 257. Solet quoquè ea-
dem Sacra Congregatio ex causis sibi
benè visis tribuere Inquisitoribus hæ-
reticæ pravitatis facultatem impertien-
di hujusmodi licentias, ut adnotat
laudatus Albit. *ibidem*, *numer.* 268.

Tertiò

Tertiò habet hanc potestatem conce-
20 dendi licentias Magister Sacri Palatii Apostolici, sed tantummodò in Urbe Româ, & ejus districtu, ubi ipse exercere potest suam jurisdictionem: Priviter *Manual. antist. par.* 1. *potest.* 50. *sub num.* 2. *vers. quòad secundum*, Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 90. *num.* 5. Suarez. *de legibus, lib.* 8. *cap.* 26. *n.* 7. & 12. confutans opinionem contrariam, quod scilicet ejus licentia valeat etiam extrà Urbem, & destrictum.

21 An autem hujusmodi licentiam concedere possit Collegium Eminentissimorum Cardinalium tempore Sedis vacantis? Fagundez. *d. qu.* 14. *num.* 47. negativam sententiam amplectitur.

22 Verùm enimverò censentur habere facultatem legendi libros vetitos, non solùm illi, quibus impertita est ex gratiâ, sed etiam illi, qui ratione muneris injuncti debent ex officio illos legere, ut sunt Inquisitores ex Constit. Pij IV. *num.* 82. quamvis per Bullam Urbani VIII. sublatum eis fuerit hujusmodi privilegium, sicut & Episcopis, ut videre est penès Bordon. *ubi suprà, n.* 31. & adnotant Lupus *loco cit. art.* 3. Barbos. *de potest. episcop. alleg.* 90. *num.* 8. Ricciull. *de jur. person. lib.* 5. *c.* 25. *n.* 4. Quò ad Commissarios consulendus est Albitius *ubi suprà*, *num.* 204. & 207. contrarium firmans. Cardinalibus verò supremæ Inquisitionis, indulsit Clemens X. ut libros prohibitos cujuscumquè generis legere possint.

23 Quinta est, si legantur non scienter: Portel. *dub. regular. verb. libri prohibiti, num.* 1. Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. §. 4. *num.* 10. Baldell. *disp.* 46. *num.* 24. Etiamsi ignorantia sit affectata: Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 31. Pasqualig. ad Franch. *contr. jurisd. n.* 1499. quidquid adversùs Sanchez asserat Bordon. *loc. cit. num.* 77. dummodò non sit coniuncta magnæ temeritati: Baldell. *disp.* 46. *num.* 24. undè ipse Bordon. *ibidem* infert ex eo, quod ignorantia crassa excuset, sufficere, ut qui legit, dubitet, an liber sit hæretici, vel hæresim contineat, vel de Religione tractet, quia dubitare non est scire, quod ego utiquè verum puto, quoties non interveniat, ut dixi, magna temeritas, quæ ex dubii probabilitate fortè resultare potest. Vide tamen Baldell. *ibidem*, ubi explicat, quando dicatur adesse hujusmodi temeritas, & Fagundez *d. qu.* 14. *à n.* 19.

24 Sexta, si legantur libri Ethnicorum, etiam propositiones contrà fidem continentes, in quibus hæresis non potest habere locum, cum Ethnici non habeant fidem, circà quam errare possint, & proindè in prohibitione non comprehenduntur: Pasqualig. ad Franch. *contr. iurisd. d. par.* 1. *num.* 1542. Portell. *dub. regular. verbo libri prohibiti, num.* 5. Ricciull. *de iur. person. lib.* 5. *cap.* 21. *n.* 17. Baldell. *q.* 45. *n.* 15. Bauni *in Bullâ Cœnæ, q.* 1. *pag.* 300. *vers. quarè qui libros*, Cardinal. de Lugo *disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 41. Nemò enim, licet timoratę conscientię, abstinet à lectione veterum Poëtarum,
25 quamvis in ipsis quædam impia dogmata reperiantur; nam, ut de reliquis sileam, Lucretius negat immortalitatem animæ, & apud Statium in Thebaide Capaneus multas blasphemias profert, inter quas atheisinum promovet, ubi dicit

—— *Primus in Orbe Deos*
Posuit timor ——

Quamvis autem periculosa sit nimia, & assidua horum librorum lectio, præsertim si à teneris annis fiat: Alphons. de Castro *de Iustâ hæreticor. punit lib.* 3. *c.* 8. *per tot.* attamen cum eorũ lectio præcipuè inserviat eruditioni, & usui nostro, ad eorũ sententias tanquàm ab iniustis possessoribus vindicandas: Augustin. *lib.* 2. *de doctrin. Christ. c.* 40. nobis proindè nec sunt prohibiti, nec legentes in suspicionem hæresis inducunt.

26 Ità etiam, si legantur libri Origenis, & Tertulliani, licet in ipsis errores contrà fidem contineantur: Ab Ecclesiâ enim ob communem utilitatem permittuntur: Bordon. *ubi suprà*, *numer.* 68. Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. Fraternitatis, quæst.* 1. *num.* 3. *de Hæretic.* Ricciull. *de iur. personar. lib.* 5. *cap.* 21. *sub num.* 17. Graff. *decis. par.* 1. *lib.* 4. *cap.*
27 18. *sub num.* 45. Pari modo prohibitioni non contravenitur, si legantur libri Judæorum: Portius *cons.* 4. *per tot.* Pasqualig. ad Franch. *ubi mox, d. nu.* 1542. Ricciull. *loco citato*, Fragos. *de Regim. Reipubl. Christian. disp.* 3. *num.* 33. *vers. excusantur*, ubi ait, legentes hujusmodi libros, nec incurrere excommunicationem in Bullâ Cœnæ; id quod

etiam firmat Fagundez *loco citato*, *nu.* 5.
Nam isti non sunt libri Hæreticorum,
qui expresse in ipsâ nominantur: Quam-
obrem cum prohibitio sit pœnalis, &
pœnæ sint restringendæ, favores autem
ampliandi, ut ex vulgatis, sequitur, di-
ctam Bullam non afficere, nisi eos, quo-
rum specialis fit mentio: Hebræi enim
non sunt Hæretici: Suarez *disp.* 20. *de*
28 *fide*, *sect.* 2. *num.* 11. *in fine*, & hac ratione
legi quoquè possunt libri Cathecume-
norum, etiamsi adversentur Religioni:
Bordon. *loc. cit.* Pasqualig. ad Franch. *con-*
29 *trov. iurisd. d. par.* 1. *n.* 1486. *in fine*: Op-
positum dicendum venit de libris Ar-
menorum, vel Græcorum, qui sunt
Schismatici, atquè ideò communiter
Hæretici, de suis ritibus tractantes: Ità
Suarez supracitatus contrà Sanchez *in*
Decal. lib. 2. *cap.* 10. *num.* 27. quem etiam
sequitur Pasqualig. nuper allegatus *n.*
1485. Pistach. *de superstit. par.* 2. *c.* 28. *n.*
30 33. *in fin.* Distinguit tamen Card. de Lu-
go *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 42. & 43. Vel libri
Græcorum editi sunt antè Schisma, vel
post schisma: Si de primis agitur, dicit
non esse prohibitos; secùs, si de secun-
dis: Cæterùm inutilis videtur hæc di-
stinctio, quià Schisma Græcorum cœpit
seculo nono, antè quod tempus paucis-
simi illorum libri habentur, & hi adhuc
parùm sanæ doctrinæ, ut manifestum est
etiam vix versatis in Historiis Ec-
clesiasticis.

31 Idem dicendum de iis, qui legunt Sacram Scripturam in vernaculum idioma translatam, ac de iis, qui eam vendunt: Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 21. Fusc. *de visit. lib.* 2. *cap.* 31. *nu.* 13. Quamvis enim hi legentes non sint immunes à peccato, nullâ tamen involvuntur suspicione hæresis, nec subjiciuntur excommunicationi: Pasqualig. ad Franch. *contr. Iurisd. par.* 1. *num.* 1537.

32 Si tamen legerentur, & retinerentur libri Hebræorum, in quibus præter blasphemias adversùs Catholicam Religionem, adessent superstitiones innumeræ, ut sunt Thalmudici, crederem, non esse immunes ab hujusmodi suspicione, attentâ Clem. VIII. Constitutione 20. quæ jubet sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendæ, ut Christi-fideles tradant eos libros Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum, si sint extrà Urbem; si in Urbe, officio S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis: Pasqualig. ad Franch. *contr. iurisd. par.* 1. *num.* 1541. Fermosin. *tract. crimin. in dict. cap. Fraternitatis*, *qu.* 1. *num.* 15. & 16.

33 Pariter, si legeretur Alcoranus, qui omne Arrianorum, aliorumquæ Hæreticorum venenum continet: Etenim cum Sabellio negat Trinitatem; cum Arrio, & Eunomio supponit, Christum esse puram Creaturam; Cum Carpocrate negat, Christum esse Deum, volens tamen Sanctum esse Prophætam; cum Cerdonio affirmat, impossibile esse, Deum habere filium, eò quia uxore careat; cum Manicheis negat, Christum fuisse Crucifixum, sed alium illi similem; Cum Donatistis negat omnia Ecclesiæ mysteria, quæ à Christi Passione efficaciam habent; Cum Originistis dicit, Dæmones salvari; cum Cherinto vltimam felicitatem ponit in voluptatibus, scilicet in gulâ, coitu, &c. cum Ebionistis admittit circumcisionem, & proindè attentis tot, tantisquè impietatibus, quæ adversantur dogmati Ecclesiæ, in prohibitione librorum prohibitorum continetur: Lup. *in edict. Sanct. Offic. vbi suprà*; *dist.* 5. *art.* 3.

34 Similiter, si legantur libri Apocryphi hæresim non continentes, non incurritur suspicio de hæresi, nec excommunicatio Bullæ Cœnæ: Duard. *ad Bullam lib.* 2. *can.* 1. *qu.* 35. *vers. quinta conclusio*, Possevinus *in apparatu Sacro*, *to.* 1. *vers. apocryphi*, *fol.* 177. Gravina *de Catholic. præscript. lib.* 4. *de verbo Dei*, *controversia* 3. *speciali cap. Conclusio Catholica*, *fol. mihi* 192. Quinimò nec sub bullæ Cænæ prohibitione veniunt libri Necromantiæ, Astrologiæ judiciariæ, & similes, nam Magi, & similes, ut sic, non sunt Hæretici: Ità Bonac *de Censur. in pract.* Pasqualig. ad Franch. *contr. Iurisd. par.* 1. *num.* 1498. cum ibi relatis.

35 Septima, si quis non legat, sed audiat librorum prohibitorum lectionem, dummodò ipse non mandaverit, vel non rogaverit legi ab his, qui non habent facultatem: Reginald. *in praxi Pœnitentiar. lib.* 9. *num.* 251. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. Pasqualig. ad Franch. *contr. Iurisd. dict. par.* 1. *nu.* 1490.

qui

qui autem mandaverit, legi ab his, qui
facultate carent, non eximitur ab hæ-
resis suspicione, nec ab incursu bullæ,
licet quibusdam contraria opinio vi-
36 deatur probabilior, ut Sanchez *lib.*2.
*cap.*10.*num.*48. quem sequitur Bordon.
ubi suprà, *num.*74. Portel. *dub. regular.*
verbo libri probiti, *num.*11. eâ ratione,
quod audiens non dicatur legere, ut
exigit prædicta Bulla, quæ in pænali-
bus non est extendenda de casu proprio
ad improprium.

37 Sed bonâ horum pace, hæc opinio vi-
detur nimis laxa, ne dicam erronea, nam
cum non debeant excusari legentes,
nisi gravi metu compulsi: Card. de
Lugo *disp.*21.*num.*79. & 80. non video,
quarè excusandus sit, qui modo supra-
dicto jubet, nisi id agat ex ignorantiâ,
aut ex simplicitate; nec propterea di-
ci debet, Bullam ad casum improprium
extendi, nàm illius intentio non dirigi-
tur ad materialiter tantùm legentes,
undè non afficit eos, qui propriis ocu-
lis legunt, dummodò non intelligant
id, quod legunt; sed finis legislatoris
est principaliter prohibere, ac tollere
præjudicium, quod ex lectione talium
librorum resultare potest: At hujusmo-
di præjudicium per audientium aures
defertur ad eorum animos: Præter au-
tem hoc præjudicium, accedit quoquè
prava mens jubentis: Ipse enim non
solùm se tunc periculo exponit, sed
etiam legentes, ut latè differit Pa-
squalig. ad Franch. *contr. Iurisd. par.*1.
num. 1490. & docet Graff. *decis. aur.*
*par.*1.*lib.*4.*cap.*18.*sub.nu.*45.

38 Quinimò ille etiam, qui licitè audit
legentem libros prohibitos, non est im-
munis à suspicione, si notet in reperto-
rio, vel libro, aut schedulis, quæ
continentur adversùs Religionem, ut
ea memoriæ mandet: Tunc enim cen-
sendus est suspectus, tanquàm libri
hæretici transcriptor: Card. de Lugo
*disp.*21.*num.*37.

39 Octava, si lex prohibitionis non
obliget ad majus fidei, & Ecclesiæ
bonum, scilicet si nullum in legente
adsit perversionis periculum, & propter
bonum Ecclesiæ necessaria sit præsen-
tanea errorum hæreticorum confutatio:
Tunc enim possunt legi libri hæretico-
rum continentes hæreses, & de Religio-
ne tractantes: Caramuel. *in Theol.fun-*
damental.Romæ impressa, *fundament.* 17.
*qu.*2. quod dicendum videtur etiam de
libris, qui in licentiis excipi solent:
Hæc Caramuel opinio approbatur à
Card. Albitio *de Inconst. in Fide*, *par.*1.
*cap.*30. *num.* 400. propter majus fidei,
& Ecclesiæ bonum: sed vereor, an ad
praxim reduci queat, propter scilicet
incertitudinem tàm hujusmodi bonum
consequendi, quàm vitandi periculum
illud, quod legenti hæreticorum libros
imminet: Sed quidquid sit de hujusmo-
di circumstantiâ, certum est, quod ip-
40 sâ cessante nequaquàm licet librorum
hæreticorum lectio, etiamsi lector tu-
tus sit, ei propter illam nullum subver-
sionis discrimen imminere: Siquidem
nemo sibi fidere debet, ut se immunem
à periculo putet: Nam ut in Evange-
lio docuit sapientia increata: *Qui amat*
periculum, *peribit in illo*: Innumerabi-
les sunt hæreticorum tendiculę, qui-
bus incautos imperitorum animos illa-
queare non desistant, ut ipsos verbo-
rum aucupio detentos veneno inficiant,
quod dulciter, & plausibilibus argu-
mentis, & exemplis propinant: Hinc
41 est, quod S. Petrus Martyr, licet incon-
cussus fidei assertor, qui eam vsquè ad
extremam vitæ periodum proprio san-
guine testatus est, ex assiduâ cum Hæ-
reticis disputatione ad fidei propagatio-
42 nem, expertus fuerit tentationem circà
fidem: Cardinalis Albitius *de Inconst.*
in fide, *cap.*30. *num.*400. Non desunt ta-
men authores, tuentes contrariam
opinionem, qui tenent etiam prædictâ
circumstantiâ cessante, posse absquè li-
centiâ legi libros prohibitos, dummo-
dò cesset prævaricationis periculū. Vide
Felin. *in Cap. si quis Episc. in fin. de hæret.*
Albertin. *de agnoscend. qu.*28. *num.*4. &
& 5. Decian. *tract. crim. lib.*5. *cap.*35. *n.*
21, *cap.*46. *num.*26. & 27. Mascard. *de*
probat. concl. 862. Carena *par.* 2. *tit.*10.
§.5. ex quorum authoritate hujusmodi
opinio redditur speculativè probabilis,
cui tamen, utpotè nimis laxæ, nullate-
nus adstipulandum est in praxi: Tùm
quia nemo potest esse Judex in pro-
priâ causâ; & nemo, quamvis in litte-
ris versatus, debet temerè sibi faculta-
tem arrogare secernendi bonum à ma-
lo in prædictis libris contentum, cum

ipsa reservata sit superioribus; Tùm
etiam ratione præcepti; Undè Lupus
loco superiùs citato, dist. 3. art. 2. diff. 2. il-
licitam putat librorum vetitorum le-
ctionem doctis, vigore præcepti; indo-
ctis verò, vigore præcepti, & periculi:
43 Porrò frequens est, quod non valeat
argumentum à probabilitate speculati-
uâ ad probabilitatem practicam, quan-
dò probabilitas speculativa est proposi-
tionis conditionalis, cujus conditio ne-
quit in praxi reperiri, & propterea quã-
vis sit speculativè probabile, licere le-
gere præfatos libros, dummodò cesset
periculum prævaricationis, non valet
consequentia ad probabilitatem pra-
cticam, quia nunquàm potest esse cer-
tum, deesse tale periculum: Itá ratio-
cinatur in consimili casu Joannes Car-
denas *in Crisi Theologica, p. 4. dissert. 22.*
cap. 1. nu. 11. Ex quibus concludendum
44 est, quod tutâ conscientiâ legere ne-
queat libros prohibitos, qui etiã semo-
to legis Ecclesiasticæ contemptu, se
morali certitudine putaret immunem à
quocumquè periculo; & insuper inten-
tionem rectam haberet eosdem legendi
prò suo usu, nequè careret requisitis,
ob quæ concedi solet licentia, quam-
vis illam consequi non potuisset: E-
45 leganter enim Tamburinus *de præ-*
cept. Decalog. lib. 2. Verùm quia reve-
rà nunquàm deest adæquatus finis: diffi-
cile enim videtur, deesse periculum in re
tàm lubricâ, nec apparet periculum solum
esse tantæ prohibitionis finem; est enim
etiam Hæreticorum contemptus ex eorum
exterminatione librorum enascens; est evi-
tatio, quantum fieri potest, communica-
tionis cum ipsis, etiam in eorum scriptis;
est, ut ipsi cum videant suas lucubrationes
de rebus sacris à fidelibus non esse legen-
das, à scriptione desistant; est, ut debi-
ta Sacrorum Inquisitorum, Conciliorum,
Pontificum tàm severis decretis reveren-
tia, & obedientia in re summi momenti
servetur: Quia, inquam, adæquatus finis
nunquàm deest, nullo modo aperienda
est janua, quâ hujusmodi libros evoluere
impunè possis, tametsi putes, te in pericu-
lum errandi non prolapsurum: Putes, in-
46 *quam, sed quandonam, vel quis ferreus*
se unquàm adeò constantem, fortemvè pu-
tare poterit, ut in occasionem labendi ul-
trò se coniicere audeat? Equidem, dum
hæc scribo, quadraginta quatuor annos
ago à sanctâ, ac meâ Societatis Iesu Reli-
gione susceptus, nihilominùs in rebus san-
ctis, ac sacris tàmdiu versatus, luteum
me figmentum portare in dies experior:
Tu, si æneum portas, periculis te ingerito,
ut lubet.

47 Nona circumstantia est, si legantur
libri obscæni, & contrà bonos mores,
non tamen hæreticorum: Possunt ta-
men, qui eos libros legunt, puniri ab
Ordinario, necnon ab Inquisitoribus,
quia graviter peccant propter pericu-
lum probabile consentiendi, à quo ca-
vendum est, etiam de jure naturæ, ut
docent Navarr. *in Man. cap. 23. num. 3.*
& Durand. *qu. 34. num. 2.* Idcircò vita-
ri debent non solùm carmina Poetarum
exprimentia actiones, aut sensus lasci-
uos, sed etiam Comœdiæ, in quibus
res lascivæ repræsentantur, ut innuit
Pasqualigus *in observat. ad Lauretum*
de Franchis, par. 5. & fusè Hieronymus
Florentinius *in Comœdio-Crisi*: Merbes.
in summâ Christianâ, p. 2. 2. qu. 82. Dixi,
48 in quibus res lascivæ repræsentantur,
nam Comœdiæ, quæ non sunt contrà
bonos mores, dũmodò non recitentur in
loco sacro, nec à personis Ecclesiasticis,
nec in tempore Quadragesimali, mini-
mè sunt illicitæ, & de facto permissæ
fuerunt speciali decreto à S. Carolo
Borromæo, postquàm inter Theologos
Rigoristas, & Comicos res fuerit latè
discussa coram eodem Sanctissimo Ar-
chiepiscopo: Hujusmodi decretum pu-
blicatum fuisse *anno* 1583. ac registra-
tum à Reverendissimo Fontana Ferra-
riense *pag. 45 suæ Institut.* testatur Ni-
colaus Barbieri *in suo libello*, Italico
idiomate conscipto, cui titulus est *la*
supplica, c. 38. sed ad institutum nostrum
49 redeuntes, dicimus, eos, qui legunt
libros propter lasciviam prohibitos,
quamvis ipsi graviter peccent, non esse
tamen de hæresi suspectos: Sousa *in apho-*
rism. lib. 1. cap. 21. num. 45. & Lupus *ubi*
suprà dist. 4. art. 4. nec proindè denun-
ciandos: Transmiera *de denunc. qu. 4. cap.*
8. vers. quod amplia.

50 Decima est, si legantur libri prohi-
biti, donec corrigantur; nam horum le-
ctores generaliter non esse denuncian-
dos, putat Lupus *par. 4. lib. 25. art. 3.*
diff. vnic. vers. primum, in fine, sed in hoc

51 hallucinatur Lupus, quia vel isti libri continent propositiones suspectas de hęresi, seu sunt ab hęreticis conscripti, & tunc legentes fiunt suspecti de hæresi; vel è contrà non continent tales propositiones, nec sunt ab hæreticis conscripti, & tunc nullam incurrunt suspicionem: De istis enim censeri debet perindè ac de libris absolutè prohibitis, ideò hos retinens, seu legens peccat mortaliter, cum ab Alexandro VII. *fer.5.die* 18. *Martii 1666.* damnata fuerit opinio asserens, libros prohibitos, donec expurgentur, retineri posse, quousquè corrigantur.

52 Prò corronide addi potest id, quod superiùs innuimus, nempè multum deferendum esse arbitrio Judicis, super materiâ suspicionis, quæ incurritur à legentibus, seu retinentibus libros hæresim continentes, vel ab hæreticis scriptos: Ità quoquè Mascard. *dict.concl.* 862.*num.*7. Ratio est, quia hujusmodi suspicio probationem in contrarium admittit: Marc. Ital. *de Immunit. lib.* 5. *cap.*1. §.6. *numer.* 29. Imò conjectu-

53 ra, quæ resultat ex lectione, hujusmodi librorum, est per se levissima ad inducendam hæresis suspicionem, ideòquè requiruntur aliæ conjecturæ gravissimæ, non solùm, ut quis præsumatur hæreticus, pròut docet Mascard. *ibidem,num.* 15. sed etiam, ut dicatur suspectus: Bursatt.*cons.* 90. *nu.*11.*lib.*1. Minor insuper est conjectura resultans ex retentione librorum Hæreticorum, quàm ex lectione eorumdem, quia majus periculum est in legendo, quàm in retinendo; & quælibet justa, vel probabilis causa excusat ab hac suspi-

54 cione, ut de renitente libros non suos, animo eos restituendi Domino, firmat Decian. *cons.*5.*num.*28. *& seq.lib.*2. sed nisi excuset bona fides, pròut innuit ibidem Decianus, verior sententia est, adhuc censuram incurri, si per notabile tempus retineatur, & pars retenta sit notabilis, juxtà dicta in tertiâ circumstantiâ; ratiò est, quia verè retinetur: Ità Sayr. *in Thesauro Casuum*, *lib*.3. *cap.*5. *nu.*16. Graff.*decis.par.*1. *lib.*4.*cap.* 18.*num.* 48. & hoc procedit, quamvis liber sit sciptus quâvis linguâ, quam retinens non intelligit: Sanchez *in Decal. lib.*2. *Cap.*10.*num.*52.

55 Undecima circumstantia est respectu transcribentiũ, si videlicet transcribens ignoret, quid scribat; seu, si non ignoret, quid scribat, tamen metu non audeat renuere: E contrà vtiquè diceretur suspectus, si sciens, esse mala, quæ transcribit, tamen trascriberet ad effectum retinendi penès se, vel aliis vendendi, propter rationem à fortiori desumptam à fine prohibitionum Apostolicarum respicientium periculum infectionis.

56 Duodecima est respectu componentium, ut si componens librum falsa dogmata continentem, nondùm ei ultimam manum admoverit, quia potest author semper emendare, antequàm edat, & ideò non est ad crimen vocandus: Navar. *in suo magistral.consil.*7.*de hæret. per tot.* quod intellige, nisi ex ejus aliis scriptis appareret de ipsius pravâ intentione.

57 Decimatertia est respectu defendentium libros hæreticorum, quia non dicuntur sespecti ex eo, quod defendant in his libris aliquam propositionem catholicam, pròut in se veram; & multò magis, si illud Catholicum defendatur, non ut contentum in tali libro: Duard. *ab Bullam Cœnæ*, *cap.*55.*n.* 10. vel si laudent stylum, aut ingenium Authoris, non ut hæretici, sed pręcisè secundùm se: Sanchez.*in Decalog.lib.*2.*cap.*10.*n.*58. Sayr.*d. lib.*3.*c.*5.*num.*18. latè Pasqualig ad Franch.*contr.Iurisd.par.*1.*num.*1582.

58 Quemadmodùm non dicerentur suspecti, si à Summo Pontifice, vel à Sacrâ Congregatione interrogati, an hujusmodi libri essent prohibendi, ingenuè responderent, differendam esse talem prohibitionem: Cardinalis Albitius *de Inconst.in fid.cap.*30. *num.*198.

59 Decimaquarta est respectu asportantium hos libros, quotiescumquè asportantes nesciant, ipsos esse hæreticorum; vel quià in Sarcinis inclusi, ut mos est mulionum, asportati fuerint; vel etiam quia non constiterit, eorum compositores fuisse Hæreticos: Carena *par.* 2. *tit.*10. §.6.*nnm.*36. Azor.*Institut. moral.tom.*1.*lib.*8.*cap.*17.*q.ult.*

60 Ideò ad supplendam bibliopolarum ignorantiam, ipsis vetitum est, ne ullos libros in Civitate deferant sinè licentiâ Episcopi, & Inquisitoris, ut docet

cet mox citatus Albit. *de inconst. in fide, cap. 30. num.* 136. Imò Inquisitores, si ad-
61 sint; vel Episcopi, quoties non adsint Inquisitores, debent visitare naves accedentes ad portus, & videre diligenter, ne in doliis, & Sarcinis in eis existentibus sint libri prohibiti, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, quemadmodùm advertit Albitius *loco cit. nu.* 138. Quod intelligendum est, quoties
62 ipsarum Navium mercimonia sint exoneranda: Eâdem de causâ possunt Episcopi Bibliothecas in eorum Diœcesibus existentes visitare, & libros prohibitos in illis repertos consignare Inquisitori, si adsit; quoties verò non adsit Inquisitor, debent Sacram Congegationẽ S. Officii certiorem reddere, eiquè notulam tradere qualitatis librorũ, ac ipsius Sacræ Congregationis responsum expectare, & juxtà illud se gerere: Ità prædictus Eminentiss. *eodem loco, à num.* 139.

63 Et quamvis qui consignat libros Episcopo, vel ejus Vicario, satisfaciat; Itẽ quamvis Episcopus possit colligere hujusmodi libros, & statuere, quod sibi deferantur, nihilominùs tenetur ipsos consignare Inquisitori, si adsit; si non adsit, notificare modo superiùs dicto Sacrę Congregationi, prout firmat idem Albit. *loco citato, n.* 140. 141. *&* 144.

64 Non tamen comburi possunt dicti libri authoritate propriâ ex Constit. Iulii III. incipien. *cum meditatio cordis,* de quâ per Pegnam *par.* 2. *comm.* 3. & ex Decreto Pauli IV. Farinac. *q.* 180. *n.* 40. Sanctarell. *de hæresi, c.* 15. *dub. unic. n.* 16.

65 Adest etiam Constitutio Gregorii XV. incipien. *Apostolatus officium*: Imò addit Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 30. comburentes illos propriâ authoritate subiici excommunicationi, quia præter inobedientiam omittentes tradere illos Inquisitoribus, ut tenentur, auferunt eisdem opportunam occasionem interrogandi detentores de multis, scilicet, undè eos habuerint? an ipsos ex professo legerint: Comburentes tamen non efficiuntur de hæresi suspecti: Homobonus *in exam. Eccles. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 7. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *qu.* 11. Pasqualig. ad Franch. *ubi suprà, dicta par.* 1. *nu.* 1511. quidquid dicat Sousa *ibidem*: Imò non tenentur deferre inquisitori, si deferenti aliquod periculum immineat, ut passim advertunt D.D.

66 Amplia, quod comburi non possint propriâ authoritate, accedente consensu Episcopi, & Inquisitoris; nam consuli debet Sacra Congregatio, ut testatur sępè laudatus Albitius *in dicto cap.* 30. *num.* 143. *& alibi.*

67 Possunt etiam Inquisitores præcipere bibliopolis, ut deferant notam librorum, qui prostant in eorum officinis, & ut in eorum manibus præstent juramentum de fideliter exercendo librarii munere: Idem Albitius *ibidem, n.* 141.

68 Item possunt tàm Inquisitores, quàm Episcopi libros prohibitos corrigere, quoties corrigibiles sint, & sic correctos permittere; imò tenentur ex officio libros nondùm prohibitos, expurgare: Bordon. *loco cit. num.* 29.

69 Decimaquinta circumstantia est respectu imprimentium, per quam typographi eximuntur ab omni suspicione, quandò à revisoribus tradita fuit facultas librum ab ipsis examinatum cuden-
70 di: Sciendum enim est, quod omnes libri imprimendi examinari debent, ut habetur in Concil. Lateranen. *ult. sess.* 10. cujus verba hęc sunt: *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus; quod de cætero nullus librum aliquem, sivè aliam quamcumquè scripturam, tàm in Vrbe nostrâ, quàm in aliis Ciuitatibus, & Diæcesibus imprimere, & imprimi facere præsumat, nisi priùs in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatii Magistrum; in aliis verò Diæcesibus per Episcopum, vel alium ab Episcopo ad id deputandum, & Inquisitionem hæreticæ pravitatis illius Diæcesis, in quâ librorum impressio ejusmodi fieret, diligenter examinetur, & per horum manu propriâ subscriptionem gratis, & sinè dilatione imponendam approbetur: Qui autem secùs præsumpserit, ultrà librorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum Fabricæ S. Petri de Vrbe applicand. solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententiâ innodatus exi-*
71 *stat*: Hujusmodi decretum confirmatum fuit, & ampliatum quò ad Superiores, à quibus libri sunt examinandi, in Concil. Trid. *sess.* 4. sequentibus verbis: *Sed & Impressoribus modum in hac par-*

parte, ut par est, imponere volens, qui jam sinè modo, hoc est putantes, sibi licere quidquid libet, sinè licentiâ Superiorum Ecclesiasticorum ipsos sacræ scripturæ libros, & super illis annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpè tacito, sæpè etiam ementito prælo, & quod gravius est, sinè nomine authoris imprimunt; alibi etiam impressos hujusmodi libros, temerè venales habent, decernit, & statuit, ut posthac Sacra Scriptura, potissimùm verò hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quam emendatissimè imprimatur; Nulliquè liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris, sinè nomine Authoris, nequè illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati, probatiquè fuerint ab Ordinario sub pænâ anathematis, & pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranen. appositâ; Et, si regulares fuerint, ultrà examinationem, & probationem hujusmodi, licentiam quoquè à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxtà formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi anteà examinati, probatiquè fuerint, eisdem pænis subjaceant, quibus Impressores; & qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint authores prò authoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atquè adeò in fronte libri, vel scripti, vel impressi autenticè appareat, idquè totum, hoc est & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda: Porrò hæc minimè intelli-
72 genda sunt de illis libris, qui aliàs sæpissimè fuerunt impressi; sivè de liberculis, quos palàm est, nihil pravi continere, & in quibus non est necesse, ut apponatur tenor approbationis, sed sufficiunt ea verba, *De licentiâ Superiorum*, ut docet Albitius *de inconst. in fide, cap.* 30. *num.* 126.

73 Hi autem revisores, qui non sunt deputandi à Principe Seculari, sed ab Inquisitoribus, vel Episcopis, debent esse homines fide, ac doctrinâ præstantissimi, ac Sacræ Theologiæ doctoratu Laureati: Bordon. *in Tribun. cap.* 15. *num.* 13. qui omnia advertant, etiam ne Authores in literis dedicatoriis utantur majoribus titulis, & inconvenientibus, quàm prò dignitatibus mereantur ii, quibus diriguntur: Idem Albitius *loco cit. num.* 130. Et multò mi-
74 nùs permitti debent, ut Catholici dedicent suos libros hetorodoxis: Idem Albitius *ubi suprà*, *num.* 131.

75 Peractâ vero librorum revisione, & approbatione, concedi potest licentia eos imprimendi, sed licentia ipsa subscribi debet priùs ab Ordinario, deindè ab Inquisitore, & ubi non adest Ordinarius, priùs ab Inquisitore, & postea ab ejus Vicario: Si libri spectant ad Tribunal Episcopi, sola Episcopi licentia sufficit, sicut si contineant indulgentias, vel earum summaria, ac brevia Apostolica; si ad Tribunal S. Officii, sola Inquisitoris facultas requiritur; at si contineant praxim, & modum procedendi in S. Officio contrà Hæreticos, nec Episcopi, nec Inquisitoris licentia sufficit, sed oportet, quod annuat Sacra Congregatio S. Officii; Ità præfatus Eminentiss., *ibidem à num.* 132. Priviter *manual. Antistit. par.* 1. *potest.* 50. *num.* 3.

76 Verùm de licentiâ prò cudendis Imaginibus, vide Bordon. *in Tribun. c.* 15. *num.* 26. & prò imprimendis narrationibus de gestis eorum, qui cum famâ sanctitatis decesserunt, vide ipsum Bordon. *ibidem, num.* 24. & 37.

77 Imprimentes igitur libros supradictis revisione, & licentiâ munitos, non solùm nullam incurrunt hæresis suspicionem, sed nullâ involvuntur labe, dummodò post revisionem ipsos libros non alterent, juxtà ea, quæ tradit Pasqualig. ad Franch. *contr. jurisd. part.* 1. *num.* 1574. ad quod evitandum apud Inquisitorem originalia asservari de-
78 bent: Et quia libri in Urbe compositi ex decreto Urbani VIII. nequeunt imprimi extrà Statum Ecclesiasticū sinè licentiâ Magistri Sacri Palatii, concurrente hujusmodi licentiâ ex decreto Innocentii X. unum originale asservari debet penès eumdem Magistrum Sacri Palatii, & alterum penès Inquisitorem loci impressionis.

79 Tandem imprimentes, seù imprimere facientes libros sinè debitis licentiis, non debent censeri suspecti de hæresi, ut docet Bordon. *loc. cit. num.* 36. quod intelligendum puto, dummodò non

sint

sint Hæreticorum libri, vel hæresim non contineant: Possunt tamen, qui id agere præsumpserint, ab Inquisitoribus puniri, tanquàm transgressores, quemadmodùm firmat idem Bordon. *ubi suprà*, licèt contrarium dixerit Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. in cap. Fraternitatis, quæst. 4. num. 10. de hæretic.*

CAPUT ULTIMUM.

De cæteris suspectis de Hæresi.

SECTIO I.

De cæteris suspectis de Hæresi tàm ob ea, quæ immediatè adversantur Ecclesiæ, quàm ob ea, quæ immediatè Deo opponuntur.

SUMMARIUM.

1 *Suspecti sunt de hæresi, qui funus hæreticorum comitantur.*

2 *Tres casus distinguit Ricciullus, in quibus videtur non esse suspectos de hæresi comitantes funus Hæreticorum, sed reprobatur.*

3 *Hæretici ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Ecclesiasticâ sepulturâ debent carere.*

4 *Et hoc intelligitur de Hæreticis tàm notoriè, quàm non notoriè excommunicatis.*

5 *Sunt etiam de hæresi suspecti, qui Hæreticis relinquunt hæreditatem, dummodò non relinquant illis, ut egenis.*

6 *Incurrunt hæresis suspicionem contemnentes censuras Ecclesiasticas, ut qui lacerant Cedulones, quibus aliquis declaratur excommunicatus.*

7 *Contemnunt Censuras Ecclesiasticas, qui scientes se esse excommunicatos, Ecclesiam ingredi præsumunt, etiam dum divina Officia celebrantur.*

8 *Contemnunt Censuras Ecclesiasticas insordescentes in excõmunicatione per annum: Et hi sunt Hæretici, si excommunicatio lata fuerit ob causam fidei.*

9 *Erunt verò suspecti, si excommunicatio lata fuerit ob aliud delictum.*

10 *Insordescentes debent cogi ad purgationem subeundam.*

11 *Annus insordescentiæ debet esse continuatus, & initium sumere à die, quo fuerunt nominatim excommunicati.*

12 *Idem dicendum de contemnentibus indumenta, quibus Clerici, & Monachi utuntur ad distinctionem Secularium.*

13 *Tertullianus hoc genere irrisionis fuit vexatus.*

14 *Mos tondendi capillos, & assumendi novum genus vestis in Monialibus est antiquus.*

15 *Tonsura Clericorum fuit ab Apostolis præscripta.*

16 *Secundùm Sanctum Dionysium fuit à Sancto Petro instituta ad modum Crucis.*

17 *Eadem tonsura semper extitit in usu apud Catholicos, & in tanto honore habita, ut Episcopi rogarentur per Coronam sui Capitis.*

18 *Qui Coronam Clericalem, & vestes Clericorum contemnit, hæreticis se addictum ostendit.*

19 *Quæ habentur in libro Iulii Cæsaris Scaligeri in contemptu Coronæ Clericalis, videntur addita à Iosepho ejus filio hæretico.*

20 *Inter irrisores Sacrarum rerum computantur contemptores Indulgentiarum, Campanarum, Cæremoniarum, suspensionis, & interdicti.*

21 *Fur Campanarum, & aliarum rerum Ecclesiæ non incurrit hæresis suspicionem, nisi adveniente contemptu.*

22 *Sanctum Officium potuit procedere contrà quosdam Religiosos, qui joci causâ induerunt fratrem vestibus Pontificalibus, & per Claustros deduxerunt.*

23 *Sunt de hæresi suspecti Apostatæ à Religione, si transeant ad partes Hæreticorum, & cum eis communionem habeant.*

24 *Apostatæ Religionis, ut sint de hæresi suspecti, requiritur aliquod adjunctum, quod hæresim sapiat.*

25 *Hoc adjunctum est, si per annum in excommunicatione persistant.*

1 PRAETER supradictos, videntur etiam suspecti de hæresi, qui comitantur funus hæreticorum, eosquè ad sepulturam deducunt, propter scandalum pusil-

pusillorum Catholicorum, & propter aliquam communicationem Ritu um Hæreticorum, quæ continet implicitam confessionem erroris, ut advertunt Cardinal. de Lugo *de fide, disp. 22. sect. 1. num. 1.* Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. in cap. sicut, quæst. 5. num. 24. de hæretic.*

2 Eleganter verò distinguit tres casus Ricciullus *in lib. 1. cap. 9. de jur. personarum*, in quibus omnibus dicit, peccatum minimè committi, contrà præceptum profitendi fidem, & propterea non esse suspectos de hæresi, qui ducunt Hæreticorum funus: Sivè enim Hæretici, quorum cadavera sepeliuntur, sint nominatim denunciati; sivè tales non sint, quamvis notorii; & sivè cadavera ipsa deferantur ad sepulturam prophanam, sivè ad sepulturam Ecclesiasticam, credi potest, qui ea associaverit, hoc fecisse humanitatis affectu, quo casu perpetratur quidem peccatum respectu nominatim denunciati, non semper, sed quotiescumquè deducatur funus ad sepulturam Ecclesiasticam; nunquàm tamen videtur oriri suspicio hæresis, nisi concurrant conjecturæ, de quibus suprà *in Prælimina- ribus*.

3 Verùm huic opinioni minimè adstipulor: Hæretici enim, qui vivi recisi erant ab unitate Ecclesiæ, Ecclesiasticâ sepulturâ carere debent, ut habetur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato *in cap. excommunicamus, §. credentes, verbo, sanè, de hæreticis*. Idem statuitur *in cap. sicut, de hæreticis, & in Constitutione Nicolai III. Non erit Universitas, registr. post Directorium, & Rituali Romano Pauli V. in rubr. de exequiis*, Farinac. *de hæresi, quæst. 192. n. 38.* Lavor. *de prisco, & recenti funerandi more, tit. 2. cap. 12. num. 9.* Murga *in tract. de sepultur. tom. 2. disquisit. 1. conclus. principali, num. 1.* Del Bene *de offic. Inquis. par. 1. dub. 162. petit. 2.* Marchett. *de sepultur. tit. 39. num. 5.* Passerin. *de homin. statib. tom. 2. quæst. 187. artic. 4. num. 64.*

4 Hoc autem dicendum est de Hæreticis, tàm notoriè, quàm non notoriè excommunicatis, eò quia, non propter excommunicationem, sed propter hæresim, quæ in utrisquè reperitur, careant hujusmodi sepulturâ; & de facto priùs Hæreticis, quàm excommunicatis denegata fuit Ecclesiastica sepultura, ut advertit Azor *lib. 8. cap. 13. verb. sexta Hæreticorum pœna*, & tradunt Fermosin. *tract. crimin. in d. cap. sicut, quæst. 5. num. 26. 27. & 28.* Passerin. *de homin. statib. loco cit.* & ratio ea est, quia ad id fideles in Ecclesiâ conduntur, ut ingredientes prò eis Deum precentur: Torreblanc. *Iur. spirit. lib. 13. cap. 16. sub num. 15.* Qui ergò deducunt Hæreticorum cadavera ad Ecclesiam, ut ibi sepeliantur, intendunt, quod ingredientes prò ipsis Hæreticis preces Deo fundant, scilicet prò iis, qui, ut est de fide, cruciantur in Inferno: Verùm quemadmodùm non licet prò damnatis orare, ut superiùs stabilivimus, ità nec licet Hæreticos quoscumquè in Ecclesiâ sepelire: Imò ex eâdem ratione, qui eorumdem cadavera ibi condunt, fiunt suspecti de hæresi, ut docent Pegna *part. 3. comm. 39.* Farinac. *ubi suprà, num. 45. & 49.* Barbos. *in cap. quicumquè, de hæret. lib. 6. num. 5. & de potest. Episc. part. 3. allegat. 50. num. 214.* Pistach. *de superstit. part. 2. cap. 3. num. 42.* Humanitatis verò præsumptus affectus nil prodest quò ad ea, quibus fides nostra tàm apertè adversatur; & perpenditur actio externa, non animus.

5 Videntur etiam de hæresi suspecti, qui ipsis relinquunt hæreditatem, aut Legatum: Ital. *de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 6. à num. 105. usquè ad numer. 114.* quod veritati consonum est, dummodò tamen non relinquant illis uti egenis, prout etiam opinatus est idem Ital. *ibidem*.

6 Incurrunt quoquè suspicionem hæresis contemnentes Censuras Ecclesiasticas, ut qui lacerare audent Cedulones, quibus aliqui declarentur excommunicati: Ricci *in prax. aur. part. 1. resol. 433. versic. Cedulones*; & hos proindè ait Transin. *de denunciat. q. 4. c. 8. num. 4.* revelandos, ut S. Officii Tribunal contrà ipsos, tanquàm contrà de hæresi suspectos procedere queat, ut etiam videre est apud Dianam *part. 4. tom. 8. resol. 103.* Carenam *part. 2. tit. 17. §. 2. num. 7.* Zerol. *prax. episcop. verbo casus, part. 1. vers. Cedulorum excommunic.* Pegn. *director. Inquisit. p. 3. comm. 24.*

Dicun-

7 Dicuntur etiam, censuras contemnere, qui certò scientes se excommunicatos esse, Ecclesiam ingredi præsumunt, etiam dum officia Divina non recitantur; vel qui stantes antè fores Ecclesiæ audiunt officia Divina, aut se se immiscent, sinè ullo respectu, Catholicorum communioni, quam possent facilè vitare, vel qui censuras irrident, ut illi, qui dicunt: *Che Scomunica? Che Scomunica? ancora gli scomunicati mangiano*, de quibus infrà; maximè si hæc proferentes, sint homines pessimæ vitæ: Carena *de sancto offic. loco cit. num.* 7. *&* 8.

8 Inter hos contemnentes censuras adnumerantur etiam insordescentes per annum in excommunicatione, quæ si lata fuerit propter causam ad fidem spectantem, ipsi dicuntur hæretici: Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. excommunicamus*, §. *Qui autem, qu.* 1. *n.* 11. *&* 12. Lupus *in edict. part.* 4. *lib.* 25. *dist.* 6. *art.* 4. Cened. *qu. canon. quæst.* 5. *num.* 2. Antonell. *de tempore legali, lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 2. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *sub num.* 4.

9 Si verò propter aliquod aliud delictum lata fuerit excommunicatio, eam contemnentes dicuntur suspecti de hæresi: Abb. *in cap. gravem*, *num.* 3. *de pœn.* Passerin. *in cap. cum contumacia*, *num.* 34. *de hæretic.* Ugolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 14. §. 3. *num.* 3. Majol. *de irregular. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 12. *vers. præterea*, Sayrus *de censur, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. Cened. *quæst. canon. qu.* 15. *n.* 1. Ricciull. *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 21. Antonell. *de temp. legali, lib.* 2. *d. cap.* 39. *num.* 3. *&* 4. Novar. *de elect. for. sect.* 3. *qu.* 33. *num.* 11. Graff. *decis. part.* 1. *lib.* 2. *c.* 76. *num.* 8. Rota *coram Seraphin. decis.* 1285. *num.* 2. quod expressè definivit Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* ubi dicitur: *Excommunicatus verò quicumquè, si post legittimas monitiones non resipuerit, non solùm ad Sacramenta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis insorduerit, & contrà eum tanquam de hæresi suspectum procedi posset*; quarè benè dixit Rubeus apud Sanctarell. *de hæresi, cap.* 4. *dub. unic. num.* 5. tales insordescentes cogi

10 debere ad purgationem subeundam; undè obiter monemus, cautè legendos esse Pegnam ad Eymeric. *part.* 2. *q.* 47. *comment.* 72. Scacciam. *de judic. lib.* 1. *cap.* 98. *n.* 36. Carenam *part.* 2. *tit.* 15. §. 4. *num.* 18. & Fermosin. *de judic. & for. competent. ad cap.* 1. *qu.* 33. contrarium asserentes, quoties excommunicatio non emanaverit ob causam hæresis.

11 Oportet tamen, quod annus sit continuatus, & initium sumat non à die, quo insordescentes inciderant in excommunicationem, sed à die, quo fuerunt nominatim excommunicati: Sanctarell. *loco cit. num.* 6. Ricc. *in prax. for. eccles. part.* 3. *resol.* 216. *per tot.* Antonell. *de tempor. legal. d. lib.* 2. *cap.* 39.

12 *num.* 5. Idem dicendum de illis, qui cum novatoribus contemnunt specialia indumenta, quibus Clerici, & Monachi vestiuntur, ut distincti sint à communi Populo, & majori honore exci-

13 piantur. Non dissimili irrisione vexatus fuit Tertullianus, quandò abjectâ Togâ sumpsit Pallium, quod erat genus simplicioris Vestis, quo utebantur Philosophi, tàm Ethnici, quàm Christiani, nam non secùs ac novi generis vitæ sectator, humaniquè generis osor, *misanthropos* vocatus fuit, quâ re coactus fuit edere suum tractatum *de Pallio*, ut testatur Cabasutius *in notitia Concil.* & antè eum Jacob. Pomelius *in vitâ Ter-*

14 *tulliani, circà principium*: habemus etiam ex Concilio Carthag. IV. *can.* 104. & apud Dionysium *Eccl. Hierar. cap.* 6. consuevisse Sancti-Moniales novum assumere vestis genus, & capillos tondere, quod etiam testatur Hieronymus *ad Subinianum* his verbis: *Moris est, ut tàm Virgo, quàm Vidua, quæ se Deo devoverint, & seculo renuntiantes, omnes delitias seculi conculcarint, crinem Monasteriorum Matribus offerant desecandum, capite posteà legato, & velato*; nec solùm Sancti-Moniales antiquitùs

15 capillos tondebant, verùm etiam Clerici, quibus tonsuram præscriptam fuisse ab Apostolis, tanquàm inditium, & professionem peculiaris addictionis ad cultum Dei, docet Isidorus *lib.* 2. *divin. offic. cap.* 4. De hac tonsurâ Clericorum videndus est P. Hieronymus Dandinus *in Ethicis Sacris*, ubi ex Dionysio Areopagita docet, à Beato Petro

Apo-

Apostolo institutam eam fuisse in mo-
dum Crucis: Undè hac de causâ eorum,
qui initiandi sunt ad primam comæ ton-
suram, tonduntur Capilli ab Episcopo
adinstar Crucis: Obsequium istud Cle-
ricalis coronæ adeò gratum est Deo, ut
illud comprobare dignatus fuerit pro-
digio, quod narratur à Gregorio Tur-
rinensi *in vita Sanctorum Patrum, c. 17.*
Sanctus (inquit) *Nicetius Episcopus ab*
ipso sui ortus tempore designatus est Cle-
ricus; nam cum partu fuisset effusus, omne
caput ejus, ut est consuetudo nascentium
Infantium, à capillis quidem nudum cer-
nebatur; in circuitu verò modicorum ca-
pillorum ordo apparuit, ut putares, ab jis-
dem Coronam Clerici fuisse signatam: Cle-
17 ricalis igitur tonsura ab Apostolis in-
stituta, & à Deo sic approbata, semper
in usu penès Catholicos extitit, tanto-
què honore habita fuit olim apud ipsos,
ut qui aliquid ab Episcopis consequi
vellent, eum per coronam suam rogare,
& obstetari solerent, ut videre est apud
Hieronym. *epist.* 26. ad Augustinum,
& apud Augustinum *ep.* 147. ad Procu-
lianum Episcopum, & latè tradit Cha-
millard. *de coron. & tonsur. clericor. c.* 9.
18 Qui ergò has vestes peculiares, & co-
mæ tonsuram contemnit temerario au-
su, morem in Ecclesiâ Catholicâ adeò
antiquum conatur destruere, & se hæ-
reticorum perversitati prorsùs addictũ
ostendit: hinc est, quod difficulter ani-
mum inducere queam ad putandum,
19 scripta fuisse à Julio Cæsare Scaligero
Viro Catholico ea, quæ habentur in
suis libris *de arte poetica* in contem-
ptum coronæ Clericalis, sed potiùs ex-
stimem, ipsa addita fuisse à Josepho ejus
filio hæretico, vel ab ejusdem farinæ
etorodoxis, qui egregium illud opus
20 corruperint. Inter hujusmodi irrisores
recensendi sunt ex Transm. *loco cit.* con-
temptores indulgentiarum, campana-
narum, cæremoniarum, & rituum Ec-
clesiasticorum, & contemptores inter-
dicti, & suspensionis à divinis, ut si
quis in Sacro Presbyteratus ordine con-
stitutus crimen aliquod perpatraret, cui
annexa esset suspensio, & tamen non
obstante suspensione cum ejus contem-
ptu celebraret, aut administraret sacra-
menta.
21 Quamvis enim, qui campanas, vestes
sacras, & quævis alia ad ornatum, &
cultum divinum destinata surripiens
absquè contemptu, nullam incurre-
ret hæresis suspicionem, sed tantùm
22 esset sacrilegus, adveniente tamen
contemptu efficeretur suspectus, ut in
terminis eorum, qui contemnunt
campanas, inquiunt Zerol. *prax. Episcop.*
par. 1. *verbo casus, vers. Campanarum,* &
Ricci *in prax. Aurea, par.* 1. *resol.* 433.
ubi narrat, campanarum despectionem
esse unum de erroribus Turcarum.
Idem dicendum de sacras vestes con-
temnentibus: Refert enim Amydanus
in votis, tom. 2. *vot.* 7. fuisse conclusum
in Congregatione Cremonæ, potuisse
Sanctum Officium procedere contrà
quosdam Religiosos, qui joci causâ in-
duerunt quemdam fratrem idiotã vesti-
bus Pontificalibus, mitram illius capiti
imponentes, itàut per claustra dedu-
ctus benedictionẽ impertiretur: Simi-
liter fuerunt puniti per hoc Tribunal
duo Religiosi, quorum alter Missam
de requie; alter, ut ajunt, de gloriâ ce-
lebravit eo die, quo unius Amasia pri-
mo rejecto, cum altero se se conjunxit.
23 Sunt etiam de hæresi suspecti Apo-
statæ à Religione, quoties transeunt ad
partes Hæreticorum, cum jis commu-
nicantes, eorumquè conciones au-
dientes; vel si habitum lacerent, eum-
què pedibus conculcent: P. Del Bene
de Offic. S. *Inquisitionis, par.* 1. *dub.* 47.
petit. 8. Tunc enim concurrunt copula-
tivè egressio à Monasterio, & animus
præsumptus deserendi religionem in
genere, de quibus conditionibus
Lupus *in edict. part.* 2. *lib.* 2. *dist.* 1.
art. 5.
24 Observa igitur, quod ad hoc, ut A-
postatæ fiant suspecti de hæresi, requi-
ritur aliquod adjunctum, quod sapiat
hæresim, aliàs non erunt suspecti, nec
contrà eos procedere poterunt Inqui-
sitores, ut docet idem P. Del Bene *loco*
cit.
25 Verificatur tamen hujusmodi adjun-
ctum, quoties Apostata in excommu-
nicatione per annum perstiterit cum
pertinaciâ, & animi perversitate negli-
gens ad Religionem, & ad Clericalem
habitum redire, quo casu potest ipse
citari ab Inquisitore ad respondendum
de fide: Locat. *in judicial. Inquisit. verbo*
Apo-

Apostata, num. 1. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 71. *num.* 2. Eymeric. *in Director. Inquisit. par.* 2. *quæst.* 49. *numer.* 3. quos sequitur Riccius *in praxi, tom.* 2. *resol.* 12. *num.* 4. Fermosin. *tract. crimini. tractat.* 2. *de Apostat. cap.* 1. *quæst.* 1. *n.* 25. Pistach. *de superstit. part.* 2. *cap.* 3. *sub num.* 21.

SECTIO II.

An sint de hæresi suspecti proferentes propositiones hæreticas, vel parùm Catholicas.

SUMMARIUM.

1 *Suspicionem hæresis incurrunt ji, qui propositiones hæreticas, vel parùm Catholicas proferunt.*

2 *Ingerunt hæ Propositiones vehementem hæresis suspicionem, quia plerùmquè cum pertinaciâ proferuntur.*

3 *Imò videntur inducere formalem hæresim.*

1 NUllo sanè pacto à suspicione hæresis eximi posse videntur ji, qui propositiones hæreticas, vel parùm Catholicas proferunt, & quæ referuntur in edicto Inquisitorum, de quibus Suarez *de fide, disp.* 19. *sect.* 1. Param *de orig. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 3. *de hæresi, & ejus spec.* Pistach. *de superstit. d. par.* 2. *cap.* 3. *num.* 21. sivè sint immediatè contrà Deum, sivè sint immediatè adversùs
2 Ecclesiam: & quamvis hujusmodi propositiones nonnunquàm proferantur ex ignorantiâ, nihilominùs, quià plerumquè sunt ex pertinaciâ, ingerunt hæresis suspicionem, eamquè vehementem, prout rectè advertit Ricciull. *de Iur. person. quæ sunt &c. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 8.

3 Quinimò potiùs videntur tales propositiones (quandò sunt hæreticæ) inducere formalem hæresim; nam ex verbis dignoscitur animus, sicut stabilivimus *in Præliminaribus*; attamen hoc non obstante ex ipsis oriri tantummodò suspicionem, patet ex iis, quæ ponderat doctissimus Canus *de loc. usu lib.* 12. *cap.* 8. Ait enim, quemadmodùm urinam impropriè sanam dici, quod signum sit sanitatis, etiam si fallax sit aliquandò; sic propositionem in voce, vel in scripto vocari hæreticam, quod signum hæresis esse soleat, quamvis interdùm ab hæresi excusetur, qui eam protulerit, quia ignorans id egit, vel non pertinax: Non enim datur hæresis, cui pertinacia non sit adjuncta; & sicut non ater est, si quispiam color sit albo contrarius; nec si quid liberalitati adversetur, mox avaritiæ nomen habet, ità non statim est dicendus hæreticus, qui propositionem fidei contrariam asserit: Est tamen dicendus vehementer suspectus; Sed videamus:

Quænam sint propositiones, quæ hæresis suspicionem inducunt, & quibus regulis tales propositiones dignoscantur.

SUBSECTIO I.

De Propositionibus, quæ hæresis suspicionem inducunt.

SUMMARIUM.

1 *Propositiones, quæ denunciari debent, quæquè hæresis suspicionem inducunt, ad tria genera possunt reduci, scilicet hæreticarum, hæresim sapientium, & temerariarum.*

2 *Propositiones hæreticæ hìc sumuntur, quatenùs in se tales, nullo habito respectu ad objectum.*

3 *Cuidam, qui dubitaverat, animam esse mortalem, indicta fuit abjuratio de vehementi, non de formali, & cur.*

4 *Propositiones hæreticæ sunt assertiones in se adversantes fidei articulis.*

5 *Propositiones ut sint hæreticæ, non exigunt, ut proferens eas, profiteatur Christianam Religionem.*

6 *Ratio formalis, quâ credimus alicui propositioni per fidem Catholicam, est revelatio Dei, sivè immediata, sivè mediata.*

7 *Bordoni contradictio, quod articuli fidei continetur tantùm in tribus symbolis, & postea quod continentur in novo, veteriquè testamento, & in Ecclesiæ definitionibus:*

8 *Auctores recensentur, qui ex professo tractant de propositionibus censurabilibus, & num.* 9.

10 *Propositio censurabilis quid sit?*

11 *Propositiones suspectæ de hæresi respectivè ad denunciationem aliæ sunt hæreticæ; aliæ hæresim sapientes; aliæ hæresi proximæ; aliæ hæreticis faventes.*

12 *Gradus alii propositionum censurabilium secundùm doctrinam Concilii Constantiensis.*

13 *Aliæ propositiones censurabiles assignantur.*

14 *Eadem propositio potest multipliciter censurari.*

15 *Exemplum dictæ doctrinæ affertur.*

16 *Aliud est judicium ferre de propositione penès objectum; aliud, penès subjectum.*

17 *Non est idem, aliqam propositionem esse hæreticam, & qui eam profert, esse hæreticum.*

18 *Propositio hæretica à quocumquè affirmatur, semper est hæretica; non tamen semper hæresis denominabitur.*

19 *Quatuor primariæ sunt propositionum species censurabiles, scilicet Hæretica, Erronea, Sapiens hæresim, & Impia, quibus totidem Catholicæ opponũtur, scilicet de Fide, Theologica, Sapiens fidem, & Pia.*

1 PROPOSITIONES, quæ denunciari debent, juxtà Lupum *in edict. p.*4. *lib.*26.*dist.*1.*art.*3. & quæ proindè hæresis suspicionem plerumquè vehementem ingerunt, ut docet Bordon. *in Tribun.cap.*2.*num.*51. easquè enumerat, reduci posse videntur ad illa tria genera propositionum, scilicet hæreticarum, sapientium hęresim, & temerariarum: Bordon. *de quo suprà, numer.* 48.

2 Antèquàm definiatur, quænam sint propositiones hæreticæ, præmittendum est, eas hìc non sumi, tanquàm hæreses, in quibus consideratur tàm objectum, cui opponuntur, quàm subjectum, è quo proferuntur: P.del Bene *de Offic.S.Inquisit.to.*2.*dub.*268.*à num.*3. Sed sumi quatenùs tales in se sunt, absquè ullâ relatione ad subjectum, à quo proferuntur, ità ut in ipsis nil aliud cõsideretur, nisi objectum, cui opponuntur, secundùm quod hæreticę sunt, licet qui ipsas profert, possit esse non hæreticus, vel quia non sit Christianus; vel quia, si Christianus, culpabili careat pertinaciâ, quo casu hujusmodi propositionum assertor non esset quidem hæreticus, ad quem effectum pertinacia requiritur: Sess. *decis.Aragon.vol.*4. *decis.* 439. *num.*17. *& seqq.* & præcipuè *sub num.*34. Petricc. *de Majest. Militant.Eccles.lib.*1.*disp.* 2. *vers. videndum igitur*, quarè novissimè Pascuccius ex Pignatello *tom.* 2. *pag.* 162. *col.* 2. *circà medium*, testatur, quod cuidam, qui

3 dubitaverat, ac dixerat in viâ Aristotelis, animam esse mortalem, indicta fuit tantummodò abjuratio de vehementi, non autem de formali, quæ tamen abjuratio si imposita fuisset, nullam Reo iniuriam irrogasset S.Tribunal, ut fuit dictum in eâdem sacrâ Universali Inquisitione *die* 8. *Augusti* 1607. eo quod Ecclesia non judicet de occultis: Undè licet ipse reverà non fuisset hęreticus, talis tamen in exteriori foro poterat credi.

4 Hoc itaquè præmisso patet, propositiones hæreticas esse assertiones, quæ in se, & pròut jacent, fidei articulis adversantur, idest, quæ contrariæ sunt veritatibus à Deo revelatis, arctantibus nos ad credendum ex suppositione salutis, pròut benè infertur ex Riccardo ex S.Victore, ità fidei articulos definiēte penès Bordon. *loco cit. n.*1. Fermosin. *tract.crimin.dict.tract.*2.*quæst.*1. *num.*2. Ricciull. *de jur.person.lib.*5.*cap.*8. *num.*1. Campanil. *diversor.jur. can.rubr.*11.*cap.* 26.*num.*28. *&* 29. Sess. *decis.Aragon.vol.* 4.*decis.*439. *num.*2. *&* 3.

5 Eodem quoquè modo ab alijs definiuntur propositiones hæreticæ, licet nonnulli, ut Lupus *loco cit.* exigant in eâ definitione, quod ille, à quo tales propositiones proferuntur, Christianam Religionem profiteatur; sed minùs rectè, ut suprà innuimus, & pròut docent P.del Bene *locò cit. sub num.*4. Fermosin. *ubi suprà, dict. num.* 2. Ricciull. *de jur. person. dict. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 3. Simanch. *de cathol.Instit.tit.*54. *nu.*3. *&* 4.

6 Porrò diximus, *quæ contrariæ sunt assertionibus à Deo revelatis*, quia ratio formalis, quâ alicui propositioni per fidem Catholicam credimus, est revelatio, vel immediatè, vel mediatè à Deo facta: ut benè ait Corduba, *quæst. Theolog. lib.*1.*qu.*17.§.1. & testatur communis

munis DD. sententia: At, quoniam Deus veritates nobis revelavit immediatè per vetus, & novum Testamentum; mediatè verò per definitiones Ecclesiæ, & Conciliorum, idcircò fatendum est, articulos fidei contineri in veteri, & novo testamento, ac in definitionibus Ecclesiæ, & Conciliorum: Franciscus Sylvius *in 2. 2. D.Thomæ q. 11. Art.1.lit.C.col.2.* Ricciull. *de Iur.person.lib.5.cap.8.num.2.* quod pariter sentire

7 videtur Bordon, licet sibi contradicat; nam postquàm dixisset, hujusmodi articulos contineri tantummodò in tribus Symbolis, de quibus ipse *loco cit.num.6.* subjungit *sub n.12.* articulum fidei idem esse, ac propositionem de fide, eamquè in veteri, & novo Testamento, necnon in prædictis definitionibus contineri.

8 Hujus Subsectionis materia propter quotidianæ praxis, æquè ac gravissimæ necessitatem peramplum exigeret tractatum: Verùm pro præsentis operis instituto præcipuè dumtaxat exponentur hìc, *& in §.sequenti* theoricæ doctrinæ, desumptæ potissimùm ex Theologis, quorum est, Propositionum qualitates, & gradus dejudicare: Sesse *decis. Aragon.439.num.51.vol.4.* Qui verò pluribus egent, adeant graviorum auctorum opera, inter quos præsertim rem hanc dignè, & eruditè pertractarunt Franci-

9 scus Suarez *de fide, disp.19.sect.2.nu.6. & 7.* Albertinus *qu.6.de agnoscendis assertionibus Catholicis*, Simancha *in Enchiridio violatæ Religionis, tit.24.& de Cathol.Instit tit. 54.* Antonius Corduba *in quæstionario, lib. 1. qu.17.* Melchior Canus *lib.12.de locis, cap.11.* Turrecremata *de summ.Eccles.lib.4. par. 2.cap.11.* Franciscus Sylvius *in D.Thom.2. 2. qu. 11.* Lazarus *Canonicarum quæstionum de blasphemia 12.à num.87.usq.ad 97.* Turrianus *to.1.in 2.2.disput.55.dub.3.* Coninchius *de actibus supernaturalibus, disp. 18.dub.8. num.136. & sequen.* Tannerus *tom.3.disp.1. quæst.8.dub.5. n.97.* Pegna *2.parte Commentar.28.* Bordon. *de Sacro Tribunali, cap.41. num. 70. & sequent. & in Manuali Consultor.sect. 1. num.27. & sequent.& ibidem sect.57. per totam sectionem, & sect. 6. num. 69.* Laurea *tom. 3. Comment. in 3.sentent. de fide, disp. 16. art.2. §.1.& sequent.* Salelles *de materiis Tribunal. S.Inquisitionis, to.1. cap.12.* Dominicus à Sanctissima Trinitate *in Bibliotecâ Theologicâ, tom.1.sect. 7.per totam*, Merbes. *in summâ Christianâ, par.1.2.qu.56.conclus.1.* Anton. Ricciullus *de Iure personarum, quæ sunt extrà Ecclesiam, lib.5.c.8.* Alph. de Castro *de justâ Hæreticorum punit. lib.1.cap.3.* Param. *de orig.Inquisit.lib.3.qu.3.num.105. & sequent.* Cardinalis de Lugo *de fide, disp.20.sect.3.* Fermosin. *tractat. crimin. tractat.2.in cap.cum Christus, qu.1.* Sess. *decis. Aragon. decis. 439. vol.4.* & alii: His præmissis.

10 Cum propositiones hæresis suspicionem inducentes ideò denuncientur, ut dignâ configantur censurâ, in primis notandum est, quod propositio censurabilis est, *oratio falsa contrà fidem Catholicam directè, vel indirectè, reddens de hæresi suspectum ipsum obloquentem*.

11 Notandum secundò, Propositiones de hæresi suspectas posse reduci ad quatuor genera, scilicet ad *Hæreticas, Sapientes Hæresim, Hæresi proximas, & hæreticis faventes*.

12 Cum autem, ut observat Card. Laurea *de fide, disp.26.art.2.n.19.* præter doctrinas Hæreticas, sint aliæ, quæ nō sunt hæreticæ, & tamen cum fidei doctrinis non omninò conveniunt, ideò Theologi secuti (quemadmodùm inquit Cardinalis de Lugo *de fide, disp.20.sect.3. num.72.* & Fermosin. *dict. tract.2. ead. qu.1.num.1.*) exemplum Concilij Constantiens. in damnatione propositionum Joan. Hus, & Vvicleph, necnon Gregor. XIII. & Pij V. in damnatione propositionum Michaelis Baii, alios gradus propositionum suspectarum censurabilium examinant, uti sunt propositiones *Erronea, Scandalosa, Blasphema, Piarum aurium offensiva, Temeraria, Seditiosa, & Suspecta*.

13 Quinimò Theologi non contenti enumeratis, alias quasdam excogitarunt doctrinarum non Catholicarum notas, nempè *Perniciosam, Malè sonantem, Schismaticam, Injuriosam, Impiam, Maledicam, Improbabilem*.

14 Notandum tertiò, quod una, & eadem propositio damnabilis potest examinari, ut suspecta, & censurari uti talis pluribus gradibus enumeratis: Fer-

mosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap.cum Christus*, *qu.*9. *num*.13.Sesse *decis.Aragon*.439. *num*.60. *vol*.4. Una enim aliorum defectus simul habere potest: Ratio est, quia vitium non adversatur vitio, sed virtutibus: sicut enim virtutes conjunguntur, ità ad unum vitium aliud sequitur: Undè *in cap.excommunicamus* 13.*de hæreticis* dicitur: *Facies quidem diversas habent* (intellige hæreses) *sed caudas adinvicem colligatas*, *quia de vanitate conveniunt in id ipsum*.

15 Exemplificari potest in hac propositione hæreticâ: *Deus est iniquus*: Hæc est *Temeraria*, quia nullâ ratione asseritur; est *Impia*, quia negat in Deo pietatem; *Malè sonans*, quia aures fidelium offendit; *Scandalosa*, quià aliis occasionem dat ruvinæ; *Injuriosa*, quia detrahit Dei æquitati; *Blasphema*, quia derrogat justitiæ Dei.

16 Notandum quartò ex Thoma del Bene *de S. Off. par.*2. *dubit.*268. *n.*3. quod aliud est judicium ferre de qualitate propositionis penès obiectum, cui opponitur; & aliud penès subiectum, à quo illa profertur: Primo modo solùm attenditur logica oppositio, quam propositio habet in significando cum aliquo objecto fidei;posteriori modo, præter hanc oppositionem, attenditur etiã culpabilis malitia, & prava voluntas in proferente.

17 Alii clariùs exponentes prædictam Doctrinam dicunt, non esse idem aliquam propositionem esse hæreticam, & eum,qui illam profert, esse formaliter hæreticum, nam ad denominationem hęretici requiritur pertinacia;Propositio autem hæretica talis est, prescindendo ab intentione proferentis, nimirùm secundùm se, sivè ob suam falsitatem, quamvis non ex pertinaciâ, sed ex ignorantiâ tantùm proferatur, id quod suprà innuimus, & quod observat Card.de Lugo *dictâ disp.*20.*sect.*3.*n.*74. qui addit, quasdam propositiones Bai fuisse à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas tanquàm hæreticas, & tamen ipsum Bajum semper fuisse catholicum, & Ecclesiæ obedientem.

18 Colligitur ex dictis,quod propositio hæretica à quocũquè affirmetur semper est hęretica; non tamen eadem Propositio in quocumquè subjecto hæresis denominabitur, nam in Christiano sciente, & volente, hæresis diceretur; in Judæo, perfidia; in Pagano, Gentilitas; in Atheista, impietas, propter diversitatem scilicet subjectorum.

19 Notandum est ultimò, quod cum quatuor primariæ sint propositionum censurabilium species, scilicet *Hæretica*, *Erronea*, *Sapiens Hæresim*, & *Impia*, totidem eisdem opponuntur propositiones Catholicæ, nimirùm *De fide*, *Theologica*, *Sapiens fidem*, & *Pia*. Quià ergò opposita juxtà posita magis elucescunt, priùs exponemus propositionum Catholicarum essentiam, ut indè magis clareat propositionum suspectarum quidditas: Idquè fiet sequentibus §§. quibus alios subnectemus prò explicandis cęteris speciebus propositionum censurabilium.

§. I.

Quid sit Propositio de Fide, quidvè Propositio hæretica ipsi opposita?

SUMMARIUM.

1 *Propositio de fide quid sit?*
2 *Cum propositio de fide sit illa, quæ revelatur à Deo in propriis terminis, vel æquipollentibus, dupliciter accidit, quod reveletur in terminis æquipollentibus.*
3 *Propositio dicitur revelata æquipollenter, quandò termini subobscurè continent sententias revelatas ex communi Ecclesiæ interpretatione.*
4 *Propositio de fide debet esse à Deo Ecclesiæ revelata, & non alicui privato.*
5 *De revelatione privatâ remissivè.*
6 *Decem motiva ex Scoto ad assentiendum, quod propositio Ecclesiæ sit à Deo immediatè revelata.*
7 *In Sacrâ Scripturâ adsunt propositiones difficiles, quæ indigent declaratione.*
8 *Propositiones de fide continentur: Primò in Bibliis; secundò in Conciliis Generalibus; tertiò in Traditionibus.*
9 *De Regulis ad cognoscendas Propositiones de fide, remissivè.*
10 *Idem sunt Propositio de fide, Articuli fidei, & Objectum materiale fidei.*
11 *Propositio hæretica est illa, quæ in se adver-*

adversatur fidei articulis.

12 *An omnia in Bibliis contenta sint de fide tenenda?*

13 *Affirmativè respondetur, quia utriusquè Testamenti Auctor est Deus.*

14 *Erasmi Rhoterodami imprudẽs blasphemia, quod in sacris libris sit aliquis levis error.*

15 *Erasmi petulantiæ opponitur humilitas S. Augustini.*

16 *Quid dicendum de definitionibus Papæ, & Conciliorum?*

17 *Quid dicendum de eo, qui impugnaret definita à Pontifice, quòad facti quæstionem.*

18 *Non esset censendus Hæreticus, qui impugnaret ea, quæ quodammodò ad Religionem Catholicam pertinent, nisi Pontifex ex Cathedrâ definierit oppositam sententiam.*

19 *Cardinalis à Deo eligitur in Pontificem.*

20 *Ratio theoriæ numeri 18.*

21 *Errant, qui supponunt, Propositionem esse de fide ex eo tantùm, quia vel sit formiter revelata in Sacrâ Scripturâ; vel habeatur ex traditione Apostolicâ; vel ab eis per necessariam consequentiam derivetur.*

22 *Testimonium infallibile Ecclesiæ procedit ex assistentiâ Spiritus Sancti, quâ Ecclesia redditur infalibilis in definiendo.*

23 *An propositio adversans veritati revelatæ alicui particulari sit hæretica? Responsio remissivè.*

24 *Hæreticæ dicuntur propositiones adversantes illis, quas Sancti Doctores unanimiter dicunt esse de fide.*

25 *Quid dicendum de Sanctis Patribus, qui docuerunt, non dari Antipodes?*

26 *Ecclesia non est erroris expers, quandò in determinando nititur rationi naturali.*

27 *Patribus credendum est in jis, quæ ad fidem, vel ad mores pertinent.*

28 *Propositiones hæreticæ dicuntur, quæ adversantur Traditionibus.*

1 PROPOSITIO de fide est illa, *quæ in propriis terminis, vel æquipollentibus secundùm essentiam est à Deo immmediatè revelata Ecclesiæ, à cujus Pastore Pontifice Romano est talis declarata, prò totius Ecclesiæ salute*: Itâ Bordon. *in manual. Consultor. sect. 1. qu. 12. nu. 27. & sequent.*

2 Dicitur primò, *in propriis terminis, vel æquipollentibus à Deo immediatè revelata*, ubi notandum, quod revelatio in terminis æquipollentibus accidit dupliciter: Primò secundùm essentiam rei, ut quandò revelatum immediatè, & essentialiter continet aliud, quod non habetur expresè in Sacrâ Scripturâ: v. g. *Christus est homo*; est propositio immediatè revelata, continens essentialiter, & æquipollenter, quod Christus sit animal sensitivum, substantia, &c. quæ sunt ejus prædicata essentialia, non tamen immediatè revelata.

3 Secundò, propositio dicitur revelata æquipollenter, quandò termini subobscurè continent sensum rei revelatæ ex communi Ecclesiæ interpretatione: v. g. *Ioan. 16. vers. 14.* dicitur: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; intelligitur hæc sententia de Spiritus Sancti processione à Filio: In divinis enim unam Personam accipere ab aliâ, est ab illâ procedere in genere productionis.

4 Dicitur etiam in definitione, *Ecclesiæ revelata*, quia hic sermo est de Fide ex publicâ revelatione, & non privatâ; cum hæc non pertineat ad salutem omnium fidelium.

5 Quæ autem, quotuplex sit revelatio privata, aliaque de eâ, non est nostri instituti tradere: Videndi hac de re Theologi, inter quos novissimè Laurea *de fide, disp. 7. art. 4. per tot.*

6 Sed quænam sunt motiva, quæ inducunt hominem ad tenendum, quod illa, quæ nobis ab Ecclesiâ proponuntur, sint à Deo immediatè revelata? Respondetur ex doctrinâ Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis *in Prologo sententiar. qu. 2. lit. A. & seqq.* esse decem, quæ sunt, *Prophætica prænunciatio: Scripturarum concordia, Scribentium authoritas, Recipientium diligentia, Rationabilitas revelatorum, Irrationabilitas errorum sectarum, Ecclesiæ stabilitas, Miraculorum claritas, Conversio Doctorum per indoctos, & Martyrum fortitudo*: (Consule, si vis, Lauream citatum *art. 5. per tot.*)

7 Dicitur tertiò in definitione, *declarata*, quia in sacrâ Scripturâ adsun Proposi-

mosin. *tract. crimin. tract. 2. in cap.cum Christus*, *qu.9. num.13.*Sesse *decis.Aragon.439. num.60. vol.4.* Una enim aliorum defectus simul habere potest: Ratio est, quia vitium non adversatur vitio, sed virtutibus: sicut enim virtutes conjunguntur, ità ad unum vitium aliud sequitur: Undè *in cap.excommunicamus 13.de hæreticis* dicitur: *Facies quidem diversas habent* (intellige hæreses) *sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum.*

15 Exemplificari potest in hac propositione hæreticâ: *Deus est iniquus*: Hæc est *Temeraria*, quia nullâ ratione asseritur; est *Impia*, quia negat in Deo pietatem; *Malè sonans*, quia aures fidelium offendit; *Scandalosa*, quià aliis occasionem dat ruvinæ; *Injuriosa*, quia detrahit Dei æquitati; *Blasphema*, quia derrogat justitiæ Dei.

16 Notandum quartò ex Thoma del Bene *de S. Off. par.2. dubit.268. n.3.* quod aliud est judicium ferre de qualitate propositionis penès obiectum, cui opponitur; & aliud penès subiectum, à quo illa profertur: Primo modo solùm attenditur logica oppositio, quam propositio habet in significando cum aliquo objecto fidei; posteriori modo, præter hanc oppositionem, attenditur etiā culpabilis malitia, & prava voluntas in proferente.

17 Alii clariùs exponentes prædictam Doctrinam dicunt, non esse idem aliquam propositionem esse hæreticam, & eum, qui illam profert, esse formaliter hæreticum, nam ad denominationem hęretici requiritur pertinacia; Propositio autem hæretica talis est, prescindendo ab intentione proferentis, nimirùm secundùm se, sivè ob suam falsitatem, quamvis non ex pertinaciâ, sed ex ignorantiâ tantùm proferatur, id quod suprà innuimus, & quod observat Card.de Lugo *dictâ disp.20.sect.3.n.74.* qui addit, quasdam propositiones Bai fuisse à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas tanquàm hæreticas, & tamen ipsum Bajum semper fuisse catholicum, & Ecclesiæ obedientem.

18 Colligitur ex dictis, quod propositio hæretica à quocũquè affirmetur semper est hęretica; non tamen eadem Propositio in quocumquè subjecto hæresis denominabitur, nam in Christiano sciente, & volente, hærėsis diceretur; in Judæo, perfidia; in Pagano, Gentilitas; in Atheista, impietas, propter diversitatem scilicet subjectorum.

19 Notandum est ultimò, quod cum quatuor primariæ sint propositionum censurabilium species, scilicet *Hæretica*, *Erronea*, *Sapiens Hæresim*, & *Impia*, totidem eisdem opponuntur propositiones Catholicæ, nimirùm *De fide*, *Theologica*, *Sapiens fidem*, & *Pia*. Quià ergò opposita juxtà posita magis elucescunt, priùs exponemus propositionum Catholicarum essentiam, ut indè magis clareat propositionum suspectarum quidditas: Idquè fiet sequentibus §§. quibus alios subnectemus prò explicandis cęteris speciebus propositionum censurabilium.

§. I.

Quid sit Propositio de Fide, quidvè Propositio hæretica ipsi opposita?

SUMMARIUM.

1 *Propositio de fide quid sit?*

2 *Cum propositio de fide sit illa, quæ revelatur à Deo in propriis terminis, vel æquipollentibus, dupliciter accidit, quod reveletur in terminis æquipollentibus.*

3 *Propositio dicitur revelata æquipollenter, quandò termini subobscurè continent sententias revelatas ex communi Ecclesiæ interpretatione.*

4 *Propositio de fide debet esse à Deo Ecclesiæ revelata, & non alicui privato.*

5 *De revelatione privatâ remissivè.*

6 *Decem motiva ex Scoto ad assentiendum, quod propositio Ecclesiæ sit à Deo immediatè revelata.*

7 *In Sacrâ Scripturâ adsunt propositiones difficiles, quæ indigent declaratione.*

8 *Propositiones de fide continentur: Primò in Bibliis; secundò in Conciliis Generalibus; tertiò in Traditionibus.*

9 *De Regulis ad cognoscendas Propositiones de fide, remissivè.*

10 *Idem sunt Propositio de fide, Articuli fidei, & Objectum materiale fidei.*

11 *Propositio hæretica est illa, quæ in se adver-*

adversatur fidei articulis.

12 *An omnia in Bibliis contenta sint de fide tenenda?*

13 *Affirmativè respondetur, quia utriusquè Testamenti Auctor est Deus.*

14 *Erasmi Rhoterodami imprudēs blasphemia, quod in sacris libris sit aliquis levis error.*

15 *Erasmi petulantiæ opponitur humilitas S. Augustini.*

16 *Quid dicendum de definitionibus Papæ, & Conciliorum?*

17 *Quid dicendum de eo, qui impugnaret definita à Pontifice, quòad facti quæstionem.*

18 *Non esset censendus Hæreticus, qui impugnaret ea, quæ quodammodò ad Religionem Catholicam pertinent, nisi Pontifex ex Cathedrâ definierit oppositam sententiam.*

19 *Cardinalis à Deo eligitur in Pontificem.*

20 *Ratio theoriæ numeri 18.*

21 *Errant, qui supponunt, Propositionem esse de fide ex eo tantùm, quia vel sit formiter revelata in Sacrâ Scripturâ; vel habeatur ex traditione Apostolicâ; vel ab eis per necessariam consequentiam derivetur.*

22 *Testimonium infallibile Ecclesiæ procedit ex assistentiâ Spiritus Sancti, quâ Ecclesia redditur infalibilis in definiendo.*

23 *An propositio adversans veritati revelatæ alicui particulari sit hæretica? Responsio remissivè.*

24 *Hæreticæ dicuntur propositiones adversantes illis, quas Sancti Doctores unanimiter dicunt esse de fide.*

25 *Quid dicendum de Sanctis Patribus, qui docuerunt, non dari Antipodes?*

26 *Ecclesia non est erroris expers, quandò in determinando nititur rationi naturali.*

27 *Patribus credendum est in jis, quæ ad fidem, vel ad mores pertinent.*

28 *Propositiones hæreticæ dicuntur, quæ adversantur Traditionibus.*

1 PROPOSITIO de fide est illa, *quæ in propriis terminis, vel æquipollentibus secundùm essentiam est à Deo immmediatè revelata Ecclesiæ, à cujus Pastore Pontifice Romano est talis declarata, prò totius Ecclesiæ salute*: Itâ Bordon. *in manual. Consultor. sect. 1. qu. 12. nu. 27. & sequent.*

2 Dicitur primò, *in propriis terminis, vel æquipollentibus à Deo immediatè revelata*, ubi notandum, quod revelatio in terminis æquipollentibus accidit dupliciter: Primò secundùm essentiam rei, ut quandò revelatum immediatè, & essentialiter continet aliud, quod non habetur expressè in Sacrâ Scripturâ: v. g. *Christus est homo*; est propositio immediatè revelata, continens essentialiter, & æquipollenter, quod Christus sit animal sensitivum, substantia, &c. quæ sunt ejus prædicata essentialia, non tamen immediatè revelata.

3 Secundò, propositio dicitur revelata æquipollenter, quandò termini subobscurè continent sensum rei revelatæ ex communi Ecclesiæ interpretatione: v. g. *Ioan. 16. vers. 14.* dicitur: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; intelligitur hæc sententia de Spiritus Sancti processione à Filio: In divinis enim unam Personam accipere ab aliâ, est ab illâ procedere in genere productionis.

4 Dicitur etiam in definitione, *Ecclesiæ revelata*, quia hic sermo est de Fide ex publicâ revelatione, & non privatâ; cum hæc non pertineat ad salutem omnium fidelium.

5 Quæ autem, quotuplex sit revelatio privata, aliaque de eâ, non est nostri instituti tradere: Videndi hac de re Theologi, inter quos novissimè Laurea *de fide, disp. 7. art. 4. per. tot.*

6 Sed quænam sunt motiva, quæ inducunt hominem ad tenendum, quod illa, quæ nobis ab Ecclesiâ proponuntur, sint à Deo immediatè revelata? Respondetur ex doctrinâ Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis *in Prologo sententiar. qu. 2. lit. A. & seqq.* esse decem, quæ sunt, *Prophætica prænunciatio: Scripturarum concordia, Scribentium authoritas, Recipientium diligentia, Rationabilitas revelatorum, Irrationabilitas errorum sectarum, Ecclesiæ stabilitas, Miraculorum claritas, Conversio Doctorum per indoctos, & Martyrum fortitudo*: (Consule, si vis, Lauream citatum *art. 5. per tot.*)

7 Dicitur tertiò in definitione, *declarata*, quia in sacrâ Scripturâ adsun Proposi-

positiones difficiles, quæ plures sensus habere possunt, ideò opus est interprete: Talis est solus summus Pontifex, qui, ut Vicarius Christi, & S. Petri successor, non potest errare, cum Christus ei promiserit: *Ego rogavi prò te, Petre, ut no deficiat fides tua*, & notant Brovius *Pontif. Roman. cap.* 21. *per tot.* Roccabert. *de Roman. Pontific. auctorit. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 483. Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib.* 2. *cap.* 11. *circa fin.*

8 Ex his colligitur primò: Propositiones de fide inveniri in Sacris Bibliis; secundò: eas esse tales, quas definit esse tales Papa in Conciliis generalibus, vel extrà; tertiò: contineri in traditionibus Christi propositis ab Apostolis Ecclesiæ.

9 Ad has tres reducuntur aliæ regulæ cognoscendi propositiones de Fide à Theologis assignatæ, de quibus agunt Directorium Inquisitor. *part.* 2. *quæst.* 2. & ibi Pegna *commentar.* 27. Albertin. *q.* 5. Locatus, *verbo credibilia*, *n.* 8. *& seqq.*

10 Colligitur quoquè, quod idem sunt propositio de Fide; articulus Fidei; & objectum materiale Fidei: Aliqui tamen distinguunt articulos Fidei à propositionibus de Fide, quod illi sint, qui continentur in symbolo, ab omnibus sciendi de necessitate; istæ verò, quæ non sunt ab omnibus necessariò sciendæ, ut quod *Adam habuerit plures filios*: Ità sentire videtur Bordonus *loco cit. n.* 6. sibi tamen contradicit infrà *n.* 12.

His ergò traditis circà propositionem de fide, deveniendum est ad declarandam propositionem hæreticam.

11 Propositio hæretica est *assertio, quæ in se, & prout jacet, adversatur Fidei articulis, sivè, proferens, Christianam Religionem profiteantur, sivè non*, ut nuper probavimus.

Cum autem non tantùm aliquot propositiones, sed quidquid continetur in utroquè Testamento, ac in definitionibus Ecclesiæ, innitatur Deo, ut primæ veritati revelanti, vel testificanti: Torreblanc. *jur. spirit. par.* 1. *in Prologom. num.* 14. insurgit quæstio non

12 prætereunda, an scilicet ex illis, quę nobis in prædictis locis narrantur, &, quæ nos ad Deum minimè ordinant, utporè sunt, quod *Stella in claritate differat à Stellâ*; quod *Tobias habuerit canem*; quod *Machabæus hostes debellaverit*, omnia sint credenda de fide, ità ut ipsa negari, hæresis censeri debeat?

13 Prò resolutione hujus quæstionis, quam etiam excitant Corduba *in quæstion. lib.* 1. *quæst.* 17. & Ricciull. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. distinguendum est; nam quoad Vetus, & Novum Testamentum, cum utriusquè Author sit Deus, qui nunquàm mentiri potest, etiam in re levi, ut benè inquit Ricciull. *loc. cit.* quidquid ibi narratur, de fide credendum est, alioquin si admitteremus, quemadmodùm scribit Augustinus ad Hieronymum *ep.* 97. Mendacium aliquod dari posse in Sacrâ Scripturâ, quamvis jocosum, ipsa redderetur suspecta, quod firmat quoquè

17 P. Del Bene *d. dub.* 268. *num.* 27. Quamobrem valdè reprehendendus est Erasmus, qui *in suis annot. super cap.* 2. *&* 17. S. *Matth.* dicere non erubuit, repetiri posse aliquem errorem levem in sacris Libris; & Sanctos Evangelistas aliquandò memoriâ lapsos fuisse: Digno proindè Sarcasmo in eumdem Erasmum lusit, qui prò sepulchrali inscriptione ei apposuit suum idem nomen in duas distinctum syllabas, sic: *Eras-mus*, nimirùm acutissimè notavit, illum fuisse temerarium Sacræ Scripturæ corrosorem murem: Erasmi audaciam retundat generosa Sancti Augustini humilitas, qui in *epist.* 19. ad Hieronymum *cap.* 1. ità scripsit: *Ego fateor charitati tuæ, quod libris illis Scripturarum, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremquè deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam; At si aliquid in eis libris offendero, quod contrarium videatur veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum Codicem; vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est; vel me minimè intellexisse, ambigam.*

16 Quò verò ad determinationes, & definitiones Papę, & Conciliorum, licet qui ipsis in materiâ fidei temerario ausu contraire præsumit, hæreticæ pravitatis notam incurrat, pròut Carnotensis Episcopus scribit ad Richerium *ep.* 8. Nihilominùs cum Deus non promiserit Ecclesiæ, vel Papæ assistentiam Spiritus Sancti ad docendam, & revelandam omnem veritatem absolutè, sed tan-

tantùm ad ea definienda, quæ pertinent ad fidem, vel mores: Hinc est, quòd si quis propositionem proferret contrà determinationem Pontificis, & Concilii in rebus, quæ nec ad fidem, nec ad mores pertinent, non diceretur pronunciasse propositionem hæreticam: Ità Corduba *loco cit.* Idem dic quòad eum, qui impugnaret, quæ definiuntur à Pontifice, quoties ea spectarent ad quęstionem facti particularis: Nam errasse Stephanum VI. & Sergium III. irritantes facta Formosi Papæ, inter alios docet Eminentissimus Bellarminus *de Romano Pontifice, lib.4. cap.12. à lit.D.*

18 Quinimò etiamsi quis impugnet ea, quæ ad Religionem Catholicam quodammodò pertinent, nisi tamen Pontifex ex Cathedrâ definierit oppositam sententiam, non ob hoc censendus esset hæreticus: Quamobrem si quis verbi gratiâ, contendere vellet, eum, qui eligitur in Pontificem, non eligi à Deo, temerariam quidem propositionem assereret, non verò Hæreticam, cum nihil super hoc reperiatur definitum de Fide, licet ratio, & Christiana pietas id suadeat: siquidem minimè putandum est, Deum in re tanti ponderis, atquè Ecclesiæ adeò necessariâ, ut est Pontificis electio, modo quidem parti-
19 culari non concurrere; Undè rectè Sixtus V. in Constitutione, quâ Cardinalium creandorum præstantiam, numerum, ordinem, ætatem, & qualitates determinavit in ordine *la* 50. §.2. expressè dixit, Cardinalem à Deo eligi in Pontificem: Hanc Sixti declarationem indicavit mihi Cardinalis Sperellus, Princeps omniscius, & pietate pariter, ac purpurâ Eminentissimus, cui, quidquid nactus sum in litteris, acceptum debeo.

20 Ratio autem, quarè propositio, quę opponitur illi, quę definita fuerit à Pontifice, non tamen ex Cathedrâ, non sit hęretica, hęc videtur esse, quia propositio sic definita non nititur testimonio infallibili, sed tantùm naturali rationi, cui innixam Ecclesiam aliquandò errasse, putant nonnulli ex eo, quod definivit in Concilio Nissen.2. Angelos esse picturâ exprimendos, *quia*, inquit, *corporei sunt*. Nec mirùm; nam discursus naturalis non perhibet testimonium infallibile; undè quoties Ecclesia eo tantummodò utitur, non dicitur definire ex Cathedrâ: Ego verò cum Joann. Gabriel. Boycun. *in Theolog. Scoti, par.1. de creat. Mundi, disput.2. de Angel. qu.1. concl.2. in fin.* verius existimo, Concilium prędictum approbasse quidem ex professo, Angelos posse pingi; non autem approbasse, nisi per transennam, quod corporei sint: Primum enim erat in quęstione, non secundum. Rectè tamen de communi Theologorum sententiâ firmant Doctores cum Cano
21 *lib.7. de loc. cap.3. concl.4.* propositionem esse de fide ex eo tantùm, quia vel sit formaliter revelata in Sacrâ Scripturâ, aut habeatur ex traditione Apostolicâ, vel ex harum alterâ ab Ecclesiâ per necessariam consequentiam sit deducta; nam omnia, quę possumus credere, & Pontifex valet definire, revelata fuerunt Apostolis, ut patet ex Joann. c.15. ubi: *Vos autem dixi amicos, qui omnia, quæcumquè audivi à Patre meo, nota feci vobis*; & cap. 16. loquendo de Spiritu Sancto dicitur: *Ille docebit vos omnem veritatem*, & proptereà quotiescumquè Summi Pontifices veritatem ad fidem pertinere definierunt, novos non condiderunt fidei articulos; sed illas veritates jam divinitùs revelatas, quę non ità perspectæ, ac cognitę fidelibus erant; vel quę hęresibus obscuratę videbantur, suę luci reddiderunt, ac fidelibus credendas proposuerunt, non testimonio fallibili, videlicet rationi naturali, sed infallibili, idest supremę veritati innixi.

22 Testimonium igitur infallibile procedit ex immediatâ Spiritus Sancti assistentiâ, quâ Ecclesia redditur infallibilis in definiendo ex vi judicii absoluti, & independenter à discursu naturali; & quotiès ex Cathedrâ definit Ecclesia, ei non deest hujusmodi assistentia, ut indubitatum est, & latè tradunt Reding. *de auctorit. Cathedr. art.4. disquis.2. art.40. & seqq.* & Roccabert. *de infallibilit. Rom. Pontif. per totum tractatum*.

23 Quęrit etiam Corduba *loc.cit.* an illa esset propositio hęretica, quę adversaretur veritati revelatę alicui particulari: Huic quęstioni satisfaciunt ea, quę diximus *in Prælim.* 16. ubi distinctionem

nem

nem assignavimus, quâ si usus fuisset Corduba, meliùs, ut mea fert sententia, egisset.

24 Similiter hæreticæ dicerentur propositiones, quæ advesarentur illis, quas esse de Fide vnâ mente, unâque voce docuerunt Sancti Patres: Corduba de quo *suprà*, Sesse *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 439.*num*.4. Etenim, ut ait Canus *de loc. lib.*12. *c.* 7. consentiens eadem Sanctorum omnium, conspiransquè scripturarum intelligentia ipsissima est Fidei Catholicæ veritas: Hæc assertio *in* 7. *lib. cap.*3. *concl.*5. ab eodem Cano fusè, latèquè & explicatur exemplis, & confirmatur rationibus, ac testimoniis.

25 Adversùs tamen hujusmodi assertionem dici potest, quod Procopius, Lactantius, Augustinus, ac alii docuerunt, tanquàm de Fide, non dari Antipodes; & tamen si quis hodiè illos negare vellet, ineptus omninò haberetur: Sed, ut

26 huic obiectioni satisfaciamus, repetenda sunt ea, quæ diximus suprà, videlicet, Ecclesiam non esse erroris expertem, quoties in determinando nititur præcisè rationi naturali, quam tantummodò sequuti sunt prædicti Patres: Cum enim nondùm navigationes Hispaniarum novos, qui nunc inventi sunt, Orbes detegissent, & fama esset omnium scriptorum assensu firmata, quod inter hanc borealem, & illam Australem plagam, maximus interfunderetur Oceanus, quem nemo permeasset unquàm, nequè etiam permeare posset, prudentissimè prædicti Patres antipodes negarunt hac ratione moti, ne si eos concessissent, statim cogerentur fateri, homines illos non dependere ex semine Adam: Ità Sixtus Senens. *biblioth. lib.*5. *annot.*13. Adde, quod omni-

27 nò credendum est Patribus in iis, quæ ad fidem, vel ad mores spectant, in quibus etiam omnibus inter se conveniunt; at in cæteris sæpè sibimetipsis contradicunt, ut mox dicturi sumus.

28 Tandem illæ dicuntur propositiones hæreticæ, quæ adversantur traditionibus: Lupus, & Canus *ubi suprà*: Per ipsas enim nobis à Deo veritates revelatæ sunt, quod etiam innuit Corduba *loco superiùs allegato*: De ipsis traditionibus tractat Paulus Grysaldus in *decis. Fidei Catholicæ, & Apostolicæ, in verbo traditio*.

§. II.

Quid sit Propositio Theologica, quidve Propositio Erronea eidem opposita?

S V M M A R I V M.

1 *Quid sit propositio Theologica?*

2 *In hoc Syllogismo: omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergò Christus est risibilis, conclusio dicitur propositio Theologica: Sed hoc exemplum reiicitur.*

3 *Quandò in materiâ fidei controvertitur inter Catholicos, vel inter Catholicos, & Hæreticos, resolutio est objectum fidei.*

4 *Quandò conclusio non immediatè, sed mediatè tantùm per multos discursus deducitur à principio revelato per scientiam naturalem, ejus assensus non est fidei, nequè scientificus, sed Theologicus.*

5 *Assensus ad dictam Conclusionẽ non est ob solam revelationem: exemplo declaratur.*

6 *Assensus ad dictam Conclusionem est cum aliquâ formidine: exemplo declaratur.*

7 *Theologia distinguitur ab habitu fidei.*

8 *Propositio Theologica, quomodò sit opposita propositioni erroneæ.*

9 *Differentia inter propositionem Theologicam, & propositionem Theologiæ.*

10 *Differentia inter Conclusionem Theologicam, & Conclusionem de Fide deductam ex duabus præmissis de fide.*

11 *Quomodò propositio deducta ex duabus præmissis de fide efficiatur propositio de fide.*

12 *Exempla prò explicatione doctrinæ.*

13 *Propositio erronea post hæreticam pejor est reliquis propositionibus suspectis.*

14 *Non satis constat apud Theologos, quid sit propositio erronea.*

15 *An propositio erronea sit hæresis sinè pertinaciâ?*

16 *An benè explicetur propositio erronea, esse illam, quæ est contraria fidei Catholicæ, non tamen alicui articulo revelato.*

17 *Propositio erronea est illa, quæ continet*

erro-

errorem contrà veritatem aliquam nondùm planè ab Ecclesiâ definitam, & non omnibus manifestam.

18 *Exemplum talis propositionis erroneæ ex propositionibus Vvicleph damnatis à Concilio Constantiense.*

19 *Aliud exemplum in aliâ propositione ejusdem Hæretici.*

20 *Aliud exemplum: Beatissima Virgo aliquandò venialiter peccavit.*

21 *An negans, Christum esse risibilem sit hæreticus? non est hæreticus formalis, sed præsumptus.*

22 *Sub propositione erroneâ potest collocari propositio errori proxima.*

23 *Tripliciter propositio dicitur errori proxima.*

24 *Sub eodem titulo venit propositio erroris suspecta.*

1 PROPOSITIONI erroneæ opponitur propositio, non de Fide, sed Theologica, vt testatur De Lugo *de fide, disp.20.sect.3. num.* 78. Hanc ergò diligenter explicare debemus, ut illam securiùs proponamus.

Definitur communiter Propositio Theologica, illa, *quæ deducitur ex præmissis veris, quarum una est naturalis, & altera de fide*: Exemplificari solet in Conclusione hujus syllogismi: *Omnis homo est risibilis; Christus est homo; Ergò Christus est risibilis.* Cæterùm hoc exemplum non esse ad rem, quidquid opinetur Sesse *decis. Aragon.*439.*nu.*12. & 13.*vol.*4. patet, quia dum conclusio eruitur immediatè, & necessariò ex naturâ subjecti, aut prædicati alicujus præmissæ de Fide, licet id fiat per naturalem discursum, conclusio illa est objectum Fidei: Ratio est, ut egregiè arguit Laurea *disput.9. de fide, art.*14. *num.*412. quia materia illius conclusionis est revelata in præmissâ: Deductio autem illa aliud non est, quàm explicatio ipsius præmissæ, ac ejus resolutio in prædicata essentialia, vel in suas proprietates; sit exemplum: Hæc propositio est à Deo revelata: *Ego sum, qui sum*; si quis inferat, *Ergò Deus est bonus, Verus, Unus, &c.* Conclusio est de fide, quia omne ens est bonum, Unum, Verum. Aliud exemplum: Hæc est revelata: *Antè me non est alius*; si quis ex hac concludat, *ergò Deus est primus omnium in existendo*, conclusio est de Fide, quia qui est antè alios, est primus.

3 Sanè dum aliquid in materiâ Fidei controvertitur inter Catholicos; vel inter istos, & hæreticos, resolutio est obiectum fidei, & tamen deducitur per discursum, & necessariam consequentiam à Patribus Concilii, vel à Theologis: Hi, si non inveniant materiam definitam per Scripturam, vel per Traditionem, vel per Patres, per necessariã consequentiam, affirmativam, vel negativam deducunt sententiam, quam referunt Pontifici, vel Patribus, qui sic deductam definiunt de Fide: Hec autem deducta non revelatur de novo, sed explicatur consultivè à Theologis, & definitivè à Summo Pontifice.

4 Ut ergò meliùs firmemus quidditatem propositionis Theologicæ, dicendum est cum laudato Laurea, quod dum Conclusio non immediatè, sed mediatè tantùm, & per multos discursus deducitur à principio revelato, mediante adiutorio scientiæ naturalis, assensus ejus nõ est neque de fide, neque scientificus, sed Theologicus: Primum
5 patet, scilicet quod nõ sit assensus fidei; nã assensus ad dictam Conclusionẽ non est ob solam revelationem, sed etiam ob discursum naturalem, qui in omni reperitur argumento Theologico, quo concluditur aliquod, quod non trahitur à visceribus subjecti immediatè, sed per multas argumentationes, v.g. Principium Fidei est, quod Deus sit unus in tribus personis: Sed quod Personæ constituantur per quid à Deitate diversum; & quod per relationes, sint istæ personæ diversæ, hujusmodi conclusiones per varia argumenta naturalia deducuntur: Secundum, nimirùm quod il-
6 la conclusio non sit scientifica, similiter patet; nam assensus ad ipsam esset cum aliquâ formidine: v.g. antè Concilium Ephesinum talis erat hæc propositio: *Persona Verbi unita fuit humanæ naturæ non personaliter*, quæ propositio antè dictum Concilium non erat definita, & per multas argumentationes cum formidine deducebatur à præmissis revelatis: Tertium proindè à sufficienti enumeratione eruitur, quod sit Conclusio Theologica: Si enim iste

discursus non sit Theologicus, assignari nequit in quo consistat assensus Theologicus, & Conclusio Theologica, cum tamen omnes Theologiam ab habitu Fidei distinguant: De facto enim multi dantur hæretici Theologi, qui tamen non habent Fidem divinam actualem, vel habitualem.

8 Adhuc tamen unica superest difficultas; Nam stando in doctrinâ modò deductâ, non esset assignabilis propositio Theologica opposita propositioni erroneæ: Etenim Conclusio deducta ex unâ de Fide, & alterâ naturali immediatè, est de Fide, ut suprà probatum est; & sic ei opposita non est erronea, sed hæretica: Conclusio autē deducta mediatè, secundùm doctrinam traditam, esset quidem Theologica; at sua opposita non esset erronea, sed opinativa, juxtà scholas tàm Thomistarum, quàm Scotistarum: Cæterùm dicendum est, dif-

9 ferentiam esse inter Propositionem Theologicam, & Propositionem Theologiæ, eò quod prima deducitur ex propositionibus veris, ut patet ex exemplis supradictis, cujus conclusio vocatur Theologica scientifica: Propositio autē Theologica deducitur ex Propositionibus opinativis, & dicitur Theologica probabilis; Nam Theologia, sicut & aliæ scientiæ, diversas habet opiniones.

10 Ad pleniorem notionem hujus materiæ, notandum est ex Bordon. *de sacro Tribun. cap.* 41. *num.* 72. differentiam inter conclusionem Theologicam, & Conclusionem de Fide deductam ex duabus præmissis de Fide; nam licet hæc probetur per medium syllogisticum, non ideò tamen ei assentimur, quia sic ex veris præmissis probetur, sed quia immediatè à Deo reveletur, tanquàm vera: Medium namquè syllogisticum habet vim inferendi in genere entis, non in genere moris: Propositiones autem de Fide spectantur in genere moris, non entis; ideò requirunt causam moralem, scilicet Deum liberè revelan-

11 tem: Etenim licet conclusio deducta à duabus præmissis de Fide, non fiat de Fide per medium syllogisticum, efficitur tamen talis per illud, & connexionem præmissarum, quia extrema conclusionis habent eamdem veritatem, & certitudinis nexum in se, quam habet medium cum eisdem extremis in præmissis; sed extrema cum medio nectuntur veritate, & certitudine Fidei; ergò sic in Conclusione; adeòquè forma syllogistica dat cognoscere, conclusionem antè de Fide fuisse.

12 Exemplificatur doctrina prædicta sic: *Ordo est Sacramentum* ex Trident. *sess.* 7. *can.* 1. *sed Diaconatus est Ordo*: *sess.* 23. *can.* 2. *& 3. ergò Diaconatus est Sacramentum*. Item, *omne Sacramentum confert gratiam*; *sed Baptismus est Sacramentum*; *ergò Baptismus gratiam confert*: Ex quibus exemplis cognoscitur conclusio de Fide, quia præmissæ sunt de Fide, quasi communicantes illi certitudinem supernaturalem, quam antè in se habebat ex vi divinæ revelationis: His omnibus præmissis de propositione

13 Theologicâ, deveniendum est ad tradendam definitionem propositionis erroneæ ipsi Theologicæ opposite: Profectò propositio erronea post hæreticam pejor est reliquis suspectis, & censurabilibus assertionibus, adeòquè in Concilio Constantiensi, & in Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. post Hæreticas ea ponitur immediatè.

14 De hac verò propositione erroneâ non satis constat apud Theologos, quid illa sit, pròut observat Simancha *de Catholicis Institut. tit.* 54. *num.* 8. Ideò in assignandâ quidditate ejus in diversas abierunt sententias: Aliqui dicunt, propositionem erroneam esse illam, *quæ fidei non contradicit, sed ei defecit aliqua conditio ex requisitis ad hæreticam*. Verùm hæc definitio est nimis generalis, nam omnes doctrinæ suspectæ de heresi sunt hujusmodi, quia aliquid eis deficit, ut non sint hereticę, & tamen ex Concilio Constantiense, & à prędictis Summis Pontificibus fiunt di-

15 versę ab erroneis: Alii censent, propositionē erroneam esse heresim, sinè pertinaciâ: At pertinacia respicit Personam, non propositionē, ut benè in his terminis advertit Card. de Lugo *dict. disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 74. Deindè, cessante pertinaciâ, ut in mortuo, adhuc doctrina heretica ab eo, ut haretica pronuntiata, punitur ut talis: Alii dicunt, propositionem erroneam differre ab hereticâ, tanquàm genus à specie; sed malè, nam erronea non est genus ad speciem, sed species,

sivè

sivè nota theologica ab hęreticâ distincta, ut de eâ loquitur Concilium Constantiense, & Summi Pontifices: Si enim erronea esset genus respectu hęreticæ, insipienter esset dictum: Aliquæ sunt hęreticę, aliæ erroneæ, nam asserens speciem, asserit etiam genus.

16 Alii declarant erroneam, quod sit quidem contraria Catholicæ fidei, non tamen alicui articulo, seù doctrinæ expresse revelatæ: Sed hæc est definitio propositionis temerariæ: v. g. tota Ecclesia tenet, B. Virginem assumptam in Cælum, etiam cum corpore, de quâ doctrinâ non habemus revelationem, neque decretum Conciliare: Negantes tamen hanc propositionem non sunt erronei, sed temerarii: Dicendum est ergò, propositionem erroneam esse illam, *quæ est contraria Theologicæ*, scilicet alicui propositioni per vim consequentiæ deductæ ex præmissâ de fide, & alterâ naturali per discursum modo suprà

17 declarato; Undè in hoc sensu benè definiunt Propositionem erroneam: Fermosin. *tract.* crimin. *tract.* 2. *in cap. cum Christus, qu.* 1. *num.* 3. Ricciull. *de jur. personar. lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 10. Sesse *decis. Aragon. vol.* 4. *decis.* 439. *num.* 38. scilicet, quod ea sit, quæ continet errorem contrà veritatem aliquam nondùm planè ab Ecclesiâ definitam, & non omnibus manifestam. Hoc solo motivo aliquæ propositiones Wicleph, & Joannis Hus existimatæ fuerunt erroneæ, & non hæreticę per Concilium Constant. & eodē motivo per Summos Pontifices Gregor. XIII. & Pium V. fuerunt cōdemnatę nonnullæ propositiones Michaëlis Bay:

18 Exemplum habemus *in art.* 24. wicleph damnato à Concilio Constant. qui talis est: *Fratres tenentur per laborem manuum victum aquirere, & non per mendicitatem*. Dixerunt Patres, quod secunda pars est erronea, prò quanto asserit, non licere fratribus mendicitatem; non autem est erronea, nisi quia ex Evangelio habetur, quod dans operam vitæ perfectæ, potest omnia sua erogare pauperibus, & ipse mendicare: Minor est evidens naturaliter, scilicet quod fratres dant operam vitæ perfectæ; Ergò si negetur, eis licere mendicare, propositio erit erronea, quia contraria propositioni Theologicę modo prædicto deductæ.

19 Aliud exemplum sit in aliâ propositione ejusdem hæretici: *Quilibet Tyrannus potest licitè, & meritoriè occidi per insidias, non obstante juramento præstito.* Concilium dixit, hanc propositionem esse erroneam: Erroneitas sic convincitur: Ex divino præcepto nulli privato licet occidere; subditi sunt privati; ergò &c.

20 Tertium exemplum sit hæc propositio: *Beata Virgo aliquandò peccavit venialiter*: Antè Concilium Tridentinum erat propositio erronea, quia contrà veritatē obscuram: eam verò declaravit hæreticam Trident. *sess.* 6. *can.* 23. Quærendum hinc est, an negans Christum esse risibilem sit hæreticus? Respondetur non esse hęreticum formalem, sed tantùm pręsumptum, quia præsumitur negare conclusionem magis in ordine ad principium fidei, quàm naturale, nam Christus est risibilis ex eo, quod est homo, & proindè si non est risibilis, neque homo; intellectus enim primario videtur in hoc referri, quàm in id tendere, quod non omnis homo sit risibilis: Ità DD. apud Bordon. *de Sac. Tribun. cap.* 41. *num.* 77. & dixit Sesse *decis. Aragon.* 439. *nu.* 14. *vol.* 4.

22 Sub propositione erroneâ potest collocari propositio errori proxima, ut discurrit auctor Bibliot. Theolog. *tom.* 1. *lib.* 2. *sect.* 7. *cap.* 3. Sicut enim propositio erronea est illa, quæ opponitur directè propositioni Theologicæ apud omnes Theologos communi consensu receptæ, ob evidentem, quam habet cum aliquo fidei principio, connexionem; ità propositio errori proxima erit illa, quę opponitur Conclusioni, quæ à plerisquè, licet non ab omnibus, asseratur Theologica: Sesse *dicta dec.* 439. *num.* 45.

23 Tripliciter potest reperiri propositio errori proxima: Primò, quandò quis negat conclusionem, quæ evidenter sequitur ex unâ præmissâ evidenti, & alterâ, quam plerique, licet non omnes, de fide esse existimant: Secundò, quandò conclusio negata deducitur ex unâ indubitanter revelatâ, & alterâ evidenti, per consequentiam tamen, quam non omnes, sed plerique judicant evidentem. Tertiò, quandò negatur aliqua

propositio, quæ evidenter infertur ex unâ pręmissâ, indubitanter revelatâ, & alterâ, quam plerique, sed non omnes judicant evidentem.

24 Pariter sub eodem titulo continetur propositio erroris suspecta: Sicut enim datur propositio hæresis suspecta, quia præstat minus fundamentum suspicandi hæresim, quàm propositio hæresi proxima, dabitur quoquè propositio suspecta erroris, quia minus fundamentum præstat suspicandi errorem; adeòquè majus fundamentum prębet probandi errorem, erit tunc errorem sapiens, aut errori proxima: (Consule Eminentissimum de Lugo *de fide disp.* 20. *sect.* 3. *à num.* 79. *& à num.* 87.)

§. III.

Quid sit propositio sapiens fidem; quidue propositio sapiens hæresim ipsi opposita?

SUMMARIUM.

1 *Propositio sapiens fidem quid sit?*

2 *Propositio sapiens hæresim quid sit?*

3 *Potest esse aliqua propositio nunc sapiens hæresim, quæ alio tẽpore talis non erat.*

4 *Reiicitur Bordonus asserens, propositionẽ sapientem hæresim esse illam, quæ adversatur propositioni Theologicæ, & num. 5.*

6 *Propositio sapiens hæresim non est, quæ prima facie videtur habere sensum hæreticum, contrà Ignatium Lupum.*

7 *Propositio sapiens hæresim est illa, quæ præsefert similitudinem hæresis.*

8 *Indicia ad arguendam hanc similitudinem qualia debeant esse?*

9 *Propositio sapiens hæresim non solùm deducitur ex vi sermonis, sed etiam ex qualitate objecti.*

10 *Quid requiritur ad faciendam justam qualificationem, quæ scilicet non sit temeraria, & absquè fundamento.*

11 *Propositio æquivoca, vel ambigua quid sit?*

12 *An propositio æquivoca, vel ambigua debeat, vel possit censurari contrà, vel ad favorem proferentis.*

13 *Ad favorem proferentis interpretatur, nisi militent indicia, & præsumptiones contrà ipsum.*

14 *Differentia inter proferentem propositionem hæreticam, & proferentem propositionem æquivocam.*

15 *Propositio hæresi proxima quid sit?*

16 *Potest aliquando propositio esse hæresis, & censurari tantùm, quod sit proxima hæresi.*

17 *In censurandâ propositione hæresi proximâ, quibus verbis uti debeant censores.*

18 *Ut propositio dicatur proxima hæresi, non sufficit, quod unus, vel alter Doctor dicat, eam esse hæreticam.*

19 *Propositio modalis non est proxima hæresi, eo quod propositio Cathegorica sit proxima hæresi.*

20 *Gravior est propositio hæresi proxima, quàm errori proxima.*

21 *Ad hanc seriem pertinet propositio hæresis suspecta, & quænam sit ista?*

22 *Differentia est inter propositionem sapientem hæresim, & hæresis suspectam.*

23 *Propositio favens hæresi est, quæ personis, aut erroribus hæreticorum aliquo modo favet.*

1 Tertia species propositionis censurabilis vocatur communiter sapiens hæresim, cujus opposita est sapiens fidem: Talis est illa, quę non est revelata, nequè ex revelatis formaliter deducta, sed communiter est ab Ecclesiâ recepta, ut est hujusmodi: *Est abstinendum ab esu carnium, & laticiniorum in quadragesimâ.*

2 Cum ergò, quæ universaliter ab Ecclesiâ solemnizantur, sapiant fidem, quia suam veritatem, & certitudinem habent per communẽ Ecclesię sensum, & approbationem divinâ inspiratione intùs cogente, propterèa propositio sapiens hæresim est illa, quæ adversatur propositioni ex communi Ecclesiæ sensu receptæ.

3 Potest autem fieri, prout observat Ludovicus Bayl. *Summa Conciliorum, tom.* 1. *ad Concilium Ephesinum, pag.* 214. quod habeatur aliqua propositio hæresim sapiens, quæ in alio tempore talis non erat: v.g. antè Hæresiarcham Nestorium absquè hæreseos notâ à Catholicis dicebatur, *Christus Deifer*, sivè *Christus homo divinus*; post Nestorium verò eadem propositio videtur hæresim sapiens: Imò Concilium Ephesinum anathematizavit quemlibet dicentem, *Christum hominem Deiferum.*

4 Stante traditâ definitione propositionis

tionis hæresim sapientis, Bordoni doctrina est rejicienda, qui in *Tribunali*, *cap.* 2. *numer.* 8. secutus Cordubam *qu.* 7. *Theolog. lib.* 1. *qu.* 17. §. 2. ait, propositionem hæresim sapientem esse illam, *quæ adversatur propositioni Theologicæ*, idest deductæ ex unâ propositione de fide, & alterâ rationali: v. g. negare Beatum Gregorium fuisse Papam, esset propositio sapiens hæresim; nam de fide est, quod qui canonicè eligitur in Pontificem, sit Papa, stante decreto Martini V. in Concilio Constant.

5 Reiicienda est, inquam, hæc doctrina; nam confundit propositionem sapientem hæresim cum propositione erroneâ, sivè cum propositione hæreticâ, ut superiùs docuimus; & reverà propositio prædicto modo definita, & præfato exemplo explicata, non sapit hæresim, sed est hæretica, ut docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. apud Albertin. *de agnoscend. qu.* 6. *num.* 1. *&* *qu.* 5. *num.* 5. 15. *&* 18. & apud Paramum *de de orig. Inquisit. libr.* 3. *de hæresi quæst.* 3. *à numer.* 103. Verùm Ignatius Lupus existimat in *par.* 4. *lib.* 26. *dist.* 1. *art.* 3. quod propositio sapiens hæresim sit illa, quæ primâ facie videtur habere sensum hæreticum:Ità quoquè Simancha *de Cathol. Instit. tit.* 54. *num.* 6. Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. cum Christus*, *qu.* 1. *nu.* 4. Ricciull. *de jure person. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. Sesse *dec. Aragon.* 439. *num.* 53. *vol.* 4.

6 At propositiones non sunt degustandæ primis labiis, ut censurentur; sed penitiùs introspiciendæ, & lentè festinandum in tanto negotio censurandi propositiones, ne præcipitanter agendo injusta detur confixio: Collaudat ex hoc capite Ludovicus Vives *lib.* 5. *de tradendis disciplinis ferè in fine* Adriani Florentii (qui posteà fuit Adrianus VI. Sum. Pont.) facilitatem, & sapientiam, quod cum Lovaniensis Academię Decanum ageret, omnia quorumvis Catholicorum dicta, quantùm fas esset, benignâ soleret interpretatione condire: E contrà Card. de Lugo *de fide disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 105. vellicat Luisium Turrianum, eò quia *in suis centuriis censurarum*, excedit sinè fundamento, censuras proferens contrà plures sententias probabiles gravissimorum doctorum.

7 His difinitionibus rejectis, ad uberiorem expositionem hujus materiæ, quę in praxi frequenter occurrit in Sacro Tribunali addendū est, Propositionem sapere hæresim, nil aliud esse, quàm præseferre similitudinem hæresis, juxtà illud Persii: *Cum sapimus Patruos &c.*

Dicitur itaquè aliquis proferre propositionem, quæ hæresis similitudinem præsefert, quotiescumquè ex ejus verbis resultant indicia, quibus coniici possit, non quidem temerè, sed prudenter, quamvis cum aliquâ hæsitatione, eumdem in mente hæresim

8 latenter fovere: Verùm ubi hujusmodi indicia ità deficiant, ut nec attingant quidem limites ambiguitatis, aut è contrà ubi ità abundent, ut dubietatis limites prætergrediantur, tunc tàm propter defectum, quàm propter excessum destruitur hæc hæresis similitudo; undè quicumquè rebus sic stantibus eam admitteret, aut intellectus sui acie nimis cernere videretur, dum ea, quæ nullo modo hæresim sapiunt, hæresim sapere affirmaret; aut nimis in apertâ etiam luce caligarent mentis ejus oculi, dum non distinguerent id, quod verè Hæreticum est, ab eo, quod hæresim tantummodo sapit: Debent igitur indicia inter latitudinem probabilitatis consistere, intrà quam quò majora erunt ipsa indicia, manifestior erit quoquè hæresis sapor.

9 Animadvertendum est etiam, quod propositionem hæresim sapere, deducitur, non tantùm ex vi sermonis, cujus sensus perpenditur, sed etiam ex qualitate objecti, cui sermo ipse opponitur: Verùm, si constaret, objectum esse de fide, illiquè sermonis sensum opponi, tunc nemo inter ambiguitatis limites detineretur: Oportet igitur, vel non esse evidens, quod objectum, cui evidenter opponitur propositio, sit de fide; vel non esse evidens, quod illa propositio opponatur objecto, quod certum

10 sit, esse de fide: ne verò qualificatio, quâ censuratur propositio, sit temeraria, & absquè fundamento, requiritur moralis probabilitas, vel respectu objecti, nempè, quod sit de fide, vel respectu sensus propositionis, scilicet quod opponatur objecto evidenter de fide: Porrò quia hujusmodi moralis probabilitas

litas potest esse, vel levis, vel vehemens, vel violenta, hinc propositiones, quæ hæresis suspicionem pariunt, pertinere dicuntur ad genus propositionis, quæ sapit hæresim.

Patet igitur, propositionem, quæ sapit hæresim, esse illam, *quæ opponitur fidei ex morali tantummodò probabilitate resultante, vel respectu qualitatis objecti, vel respectu ipsiusmet propositionis sensus.*

11 Ex hucusquè recensitis resultat alius gradus propositionis censurabilis, nimirùm propositio æquivoca, vel ambigua, quæ non est purè Catholica, nec purè damnabilis, sed mixta ex duabus, vel potiùs præseferens duplicem sen-
12 sum, quâpropter quęri potest, an propositio æquivoca, vel ambigua debeat, vel possit censurari contrà, aut ad favorem proferentis eamdem propositionem. Respondetur esse sumendam in favorem proferentis, nisi aliquid aliud constet, propter quod ipsa debeat contrà proferentem interpretari: Ratio est, quia non videtur verisimile, quod quis verba ambigua protulerit secundùm utrumquè sensum, videlicet Catholicum, & Hæreticum, quia verba debent ad unum tendere, ergò secundùm sensum Catholicum, cum ex vulgatis juribus dubia in meliorem partem sint interpretanda, & delicta non debeant pręsumi: *l. meritò si, ff. pro socio, cap. 2. de regulis juris*, & nos supra *in Prælim. 9. numer. 6. in Prælim. 10. num. 5. & in Prælim. 20. num. 3.*

13 Hæc autem procedunt, quandò in contrarium non militent inditia, & pręsumptiones: v. g. si proferens ęquivoca aliàs fuit in S. Officio, sivè quia est persona malę famæ, vel quia est de genere infidelium; vel quia est de aliquo loco suspecto; vel quia aliud simile in facto occurrit, quod etiam advertit Sesse *d. decis. 439. num. 55. vol. 4.*

14 Notanda est hìc differentia inter proferentem propositionem æquivocam, & proferentem hæreticam, quod æquivoca declarari potest per eumdem proferentem, cui est credendum, quando nequit aliud objici: Hæretica verò, seù aliter suspecta constituit Reum ex pręsumptione juris habuisse malam, & Hęreticam intentionem, quâpropter eam purgare debet per torturam, quę dicitur dari super intentione, nequè eidem asserenti, se habuisse Catholicam intentionem, creditur, sicut de ęquivocâ: Sub hac serie propositionis sapientis hęresim potest poni propositio hęresi proxi-
15 ma: Hanc, ut faciliter definiamus, supponendum est, quod propositio hæretica sit illa, quę contradictoriè opponitur propositioni de fide indubitanter tali; adeòque propositio hęresi proxima censenda est illa, quæ opponitur doctrinę, quę licèt reipsâ, & secundùm se sit de fide, quia immediatè à Deo revelata, quò ad nos tamen non est omninò certa, sed tantùm probabiliter de fide.

16 Potest quidem aliquandò propositio esse de facto hæresis, & tamen hac tantùm censurâ castigari, quod sit proxima hęresi, quia cum hęc censura inuratur propositioni illi, quæ opponitur certæ doctrinę, quam non omnes, sed plures putant esse de fide; vel quam non omnes, sed plures existimant opponi doctrinæ indubitatę de fide; & sępè contingat, veram esse opinionem dicentium, eam propositionem opponi fidei, sequitur, ut quoties opinio vera sit, toties hęc propositio sit verè à parte rei hęresis; aliter opinio docens contrarium esse de fide, vel eam propositionem opponi fidei, non esset vera, sed falsa, contrà suppositionem.

17 Illa itàquè propositio erit hęretica de facto; in judicio tamen ultimo fidei Censores non debent judicare illam, ut hęresim simpliciter, & sinè addito, sed debent dicere, eamdem plurium judicio esse hęreticam: sed quià alii pauci eam talem negant, esse judicandam proximam hæresi, idcircò hæc censura (proxima hęresi) non tàm videtur intrinseca eidem propositioni, quàm extrinseca, propter diversa Doctorum judicia.

18 Nota primò ad rem pręsentem, quod, ut propositio dicatur proxima hęresi, non sufficit, ut unus, vel alter Doctor dicat, eam esse hæreticam, ut advertit Cardinalis de Lugo *de fide disp. 20. sect. 3. num. 81.* Sunt enim multi proclives ad censuras acerbiores; sed requiruntur plures, jiquè graves Auctores, & cum gravi fundamento, paucis reclamantibus, & levi fundamento.

19 Nota secundò, propositionem modalem non esse proximam hæresi, eò quod pro-

propositio Cathegorica sit proxima hæresi: v. g. datâ hypothesi, quod hæc propositio: *Parvuli non habent justitiam inhærentem*, non esset explicitè definita, tunc quamvis ipsa diceretur proxima hæresi, non tamen erit proxima hæresi Propositio modalis dicens: *non est de fide, nec definitum, quod parvuli habeant justitiam inhærentem*, quia ut ex Hurtado ponderat Eminentiss. de Lugo *ubi suprà, num.* 82. hæc non negat objectum fidei, scilicet justitiam inhęrentem, sed tantùm gradum certitudinis.

20 Nota tertiò, quod gravior est propositio hæresi proxima, quàm errori proxima: gravior quoquè est propositio erronea, quàm hæresi proxima, quia qui dicitur hæresi proximus, solùm significatur, quod in aliquâ sententiâ hæreticus sit, quæ tamen opinio falsa esse potest: At qui negat conclusionem Theologicam deductam evidenter ex præmissâ de fide, negat præmissam esse de fide.

21 Facit etiam ad hanc seriem censuræ propositio hæresis suspecta, idest illa, quæ aliquandò ab Hæreticis ad occultandam suam hæresim usurpatur: Hoc modo Nestoriani appellabant B. Virginē, *Dei Susceptricem*, & dicebant, Deum cum Christo adorandum esse: Semiarriani, filium in substantiâ Deo Patri esse *similem*, sivè *Homiousion*, non *Homousion*, asserebant.

22 Differentia aliqualis est inter propositionem sapientem hæresim, & hæresis suspectam, ut notat auctor *Bibliot. Theologicæ, lib.* 2. *sect.* 7. *cap.* 4. quidquid in contrarium sentiat Laurea *disput.* 14. *de fide, art.* 2. §. 2. Utraquè quidem dat occasionem timendi, ne lateat hæresis; neutra dat fundamentum sufficiens suspicandi, hæresim esse apud proferentem: Verùm cum hoc fundamentum non consistat in indivisibili, sed habeat latitudinem secundùm magis, & minus, ideò secundùm illum excessum distingui possunt duo censurarum gradus: Si enim fundamentum sit probabile, sufficit ad censurandam propositionem sapientem hæresim, nam sapor indicat substantiam rei, quæ sentitur; Si verò fundamentum erit tantùm sufficiens ad suspicionem, appellatur tunc propositio de hæresi suspecta, quæ censura est minor primâ: Ità discurrendum est conformiter ad superiùs tradita.

23 Tandem est propositio favens hæresi, illa scilicet, *quæ personis, aut erroribus Hæreticorum quoquo modo favet*, uti est hæc: *hæretici non sunt puniendi*, quę propositio potest etiam dici hæræetica, quatenùs Hęreticos puniendos, sanxerunt Concilia.

§. IV.

Quid sit propositio pia, Quidvè Propositio impia eidem opposita?

SUMMARIUM.

1 *Propositio Pia quid sit?*
2 *Propositio impia quid sit?*
3 *Exempla propositionum impiarum.*
4. *Impietas Pharisæorum ergà parentes, quorum filios avertebant à succurrendo eis prætextu devotionis.*
5 *Inter propositionem impiam, & piam, media non Pia.*
6 *Declarantur quatuor gradus propositionum Catholicarum.*

1 QUARTAM speciem principalem propositionis censurabilis esse Impiam, dicit Bordonus citatus, cui opponitur Pia: Estquè Propositio Pia, quę non revelata, non deducta, non solemnizata fovet religionem, fidem, Charitatem, & deuotionem; & quę dictamina prębet pietatis ergà Deum, & parentes; vel favet operibus misericordiæ: Exempla hujus doctrinę sint, quod *Sancti Advocati, Angeli Custodes adsint nobis in extremo vitæ periculo*; quod *Angeli comitentur animas ad Cælum; quod Maria Virgo viderit in hac Vitâ essentiam Divinam*, aliaquè
2 exempla afferuntur: Quâpropter propositio Impia censenda erit illa, quę tendit contrà pietatem: Ricciull. *de Iure person. lib.* 5. *cap.* 8. *nu.* 10. Vel si propriissimè loqui velimus, est illa, *quæ debitum cultum Deo, & Sanctis; vel honorem parentibus, atquè majoribus aufert*:
3 Exempla Propositionis Impiæ sint: *Eleemosynæ non sunt facilè dandæ*; *Mortui non sunt sepeliendi*. Tales possunt vocari pro-

propositiones Vvicleph, quarum 32. est: *Ditare Clerum est contrà regulam Christi*; 33. *Sylvester Papa, & Constantinus erraverunt, ditando Ecclesiam*; 34. *Dantes eleemosynam Patribus mendicantibus, sunt excommunicati*; *Indulgentiæ concessæ prò defunctis, eis non prosunt*, quę etiam est hęretica, sicut & multę aliæ impiæ.

4 In hac impietatis serie recensenda Phariseorum doctrina, quos Christus redarguit: *Matth.* 15. qui ut oblationes Templi in proprium utile vergentes augerent, eas prçferebant pietati ergà parentes; filiosquè impiè à debitâ pietate avocabant: ibi, *munus quodcumquè est ex me tibi proderit*, ut notat Card. de Lugo *loco cit. n.* 101.

5 Inter propositionem Impiã, & Piam media potest statui, scilicet non Piam, quę licet sit probabilis, non tamen favet fidei: Ità Del Bene *de Inquisit. par.* 2. *dubit.* 288. *num.* 18.

6 Descripti sunt usquè modò quatuor gradus propositionum Catholicarum, qui suam certitudinem gradatim habent, nam fidelis habet suam certitudinem in summâ Dei veracitate: Huic proxima est certitudo Theologica; sequitur certitudo sapientis fidem, & demùm certitudo pietatis. Primus gradus est ex revelatis; Secundus gradus ex deductis; Tertius ex solemnizatis; & quartus ex piis operibus. Contrà hos gradus Catholicarum propositionem militant totidem magis, & minùs falsę, juxtà datam explicationem: sed quia alię sunt propositiones inventæ ad avertendam fidem, ideò sit.

§. V.

De Propositione temerariâ, aliisquè similibus.

SUMMARIUM.

1 *Propositio temeraria quid sit?*
2 *Exempla propositionis temerariæ.*
3 *Quid minùs habeat propositio temeraria respectu propositionis hæreticæ, quæ etiam temeraria est?*
4 *Temeritas Erasmi Rhotherodami in dubitando, an symbolum fidei Catholicæ fuerit ab Apostolis conditum.*
5 *Eamdem notam incurrunt Tertullianus, & Aureolus circà apparitiones Angelorum in formâ corporeâ.*
6 *Temerarii censendi, qui negarunt Angelos esse merè spirituales; temerarii item, qui contendunt, non adesse Cœlum Empireum.*
7 *An temerarii censendi asserentes, animas generari ab animabus parentum, ut putavit Tertullianus?*
8 *Propositiones temerariæ, aliæ sunt temerariæ positivè, aliæ negativè.*
9 *An propositio temeraria privativè sit digna censurâ?*
10 *Regula ad cognoscendum, an propositio aliqua sit temeraria.*
11 *Propositionis temerariæ multiplices nomenclaturæ.*
12 *Propositio nova est illa, quæ apud nullum sanum scriptorem invenitur.*
13 *Duplex novitas; quidvè unaquæquè sit, & quando contingat?*
14 *Novitas irreprehensibilis, præcipuè quæ inducta est ad soluenda fidei Mysteria.*
15 *Cum malâ propositione novâ coincidere videtur propositio suspecta.*
16 *Propositiones suspectæ Copernici.*
17 *Propositio improbabilis reducitur ad temerariam, & quænam sit?*
18 *Propositio Theologica pertinet ad Inquisitores, quatenùs damnum potest inferre bonis moribus.*
19 *Ad classem propositionis temerariæ pertinet etiam propositio arrogans, & quænam illa sit?*
20 *Fatua, & stulta propositio est sub classe temerariæ.*
21 *Sub classe propositionit temerariæ, est propositio legis Dei contemptiva.*
22 *Censurandi sunt contemnentes Indulgentias, Campanas, Templa, cæremonias, & ritus sacros.*
23 *Imò tales possunt reputari Athei, quibus ludus est religio.*
24 *Abjuravit quidam, qui in nocte Sabathi Sancti abstulit Martellos à quibusdam Campanis.*
25 *Aliũ exemplum de iis, qui quemdam induerunt vestibus Pontificalibus.*
26 *Sub nomine dictæ censuræ veniunt facta, & dicteria contemptiva censurarum Ecclesiasticarum.*
27 *Meritò ab Inquisitoribus fuerunt processati quidam, qui deturpaverant* Cedu-

Cedulones excommunicatos.

28 *Qualiter hujusmodi Contemptores abjurare debeant?*

1 RECTE definitur propositio temeraria à Bordono superiùs sępè citato *num.* 50. à Lupo *in eodem articulo*, à Sesse *decis. Aragon.* 439. *sub num.* 47. *vol.* 4. & ab aliis, quod sit, *quæ adversatur propositioni non revelatæ, sed auctoritate firmatæ*: Nimirùm, quæ communi DD. sensui opponitur, aut quę contrà Doctores Theologos sentit sinè fundamento: Exempla sint, si

2 quis diceret: *Diem Iudicii futurum intrà unum, aut alterum annum: Christum post resurrectionem fuisse in Arcâ fœderis per* 40. *dies: Discipulos, & Joannem clamasse, Crucifige, Crucifige.*

3 Quia verò omnis propositio Heretica, vel erronea est etiam temeraria, cum sinè sufficienti fundamento opponatur communi DD. sensui, ideò ut ostendatur, propositionem temerariam aliquod minus censuræ mereri, quàm propositionem hæreticam, & erroneam, in ejus definitione diximus, propositionem temerariam non opponi propositioni revelatæ; sed tantùm authorizatæ à communi Doctorum, & fidelium sensu.

4 Idcircò temeritatis damnandus est Erasmus, qui *in præfat. ad suas Paraphrases in S. Matthæū* dubitavit, an symbolum fidei Catholicę ab Apostolis fuerit conditum, cui opinioni videtur adstipulari novissimè Dupin. *in suâ Biblioth. pag. mihi* 22. Hoc enim contrarium est iis, quę communiter docentur à SS. PP. ut à S. Ambrosio *in serm. de Elia, & Iejunio*, à S. Hieronymo *ep.* 6. à S. Leone *epist.* 13. à S. Augustino *serm.* 2. *Dominicæ in Palmarum ramis*, qui etiā unicuiquè Apostolorum suum articulum tribuit, contrà quod sentit idem Dupin. *pag mihi* 16. *ubi suprà.*

5 Eamdem notam temeritatis incurrunt Tertullianus *in lib de Carne Christi*, & Aureolus circà aparitiones Angelorum in formâ corporeâ: Asserebat enim ille, quod Angeli assumpserunt corpus, sicut assumptum fuit corpus humanum à Verbo Divino; & iste dicebat, Angelum vniri corpori, sicut formam materiæ: Est enim utraquè harum opinionum contrà communem Theologorum sententiam.

6 Nec minùs temerarii censendi sunt, qui vel negarunt, Angelos merè spirituales esse, nam id repugnat communi DD. sensui, licet super hoc nihil definitum sit: (Vide S. Thom. *qu.* 16. *de malo art.* 1. ubi firmat, Lateranense Concilium in hoc nihil ex instituto definisse;) vel qui contenderunt, non adesse Cęlum Empireum, cum illud existere, doceant S. Basilius *homol.* 2. *in exam.* S. Joann. Damasc. *lib.* 2. *de fide, cap.* 6. S. Ambros. *lib.* 2. *exam. cap.* 3. S. Thom. 1. *par. qu.* 66. 2. 3. & alii.

6 An verò censendi sint temerarii, qui asserunt, animas generari ab animabus Parentum, non secùs ac corpora à corporibus, quam opinionem Tertulliano tribuit S. Hieronym. *in epist. ad Marcellinum, & Anapsychiam*, est in quæstione, nam nonnulli eos temeritatis tantùm notant; hęreticos tamen eos putat D. Thom. *qu.* 118. *cap.* 2.

8 Propositionis temerarię duplex gradus assignari potest, scilicet temerarię positivè, & temerarię negativè: Prior est illa, quę pugnat contrà receptam Patrum sententiam, vel Scholasticorum sensum, itàut omnes, vel ferè omnes conveniant, sivè asserendo rem esse certam, sivè probabilem: Posterior est illa, quæ solo proprio Judicio sinè sufficienti auctoritate, vel cogente ratione excogitata est, pręsertim si sit contrà generales regulas, in fide, vel in Theologiâ: Verùm non solùm propositio te-

9 meraria positivè, sed etiam propositio temeraria privativè est digna censurâ, licet minori, ut inquit Suarez; Nullâ tamen censurâ eam existimat dignam Hurtadus; sed Cardinalis de Lugo putat, hanc esse puram quęstionem de nomine.

10 Ex eodem Cardinali de Lugo *de fide, disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 98. prò regulâ statuitur ad cognoscendum, an propositio aliqua sit temeraria, quamvis de eâ Patres, & DD. non loquantur, diligenter attendere, quid dixissent Patres, vel Doctores interrogati de tali propositione in particulari, quantum ex reliquâ eorum doctrinâ colligere possumus: Si enim constat, eos propositam propositionem negaturos, tunc

censetur temeraria, cum sit contrà habitualem saltem Patrum sensum: De propositionibus temerariis videtur fuisse locutum Concilium Constantin. *sess.8.& 15.* sub his verbis: *Quædam enim doctrinæ sunt novæ, inauditæ, nullo fundamento Scripturæ, aut Patrum innixæ, sed spiritu Vertiginis adin-*
11 *ventæ*: Quâ Concilii phrase fortassè motus Becanus, vocat propositionem temerariam, impudentem, seu insolentem: Alii dicunt esse irrationabilem, dolosam, fatuam, indiscretam, præsumptuosam, & in contemptum legis Dei: Proindè sub his nominibus exactiùs trademus notionem propositionis temerariæ, incipiendo à terminis usurpatis à Concilio Constantiense.

12 Propositio nova definitur illa, *quæ in materiâ Sacrâ apud nullum scriptorem, aut sanum Theologum antè reperta invenitur*, adeòque cavenda, & inconsultâ S. Sede nequaquàm usurpanda: Talis erat illa ævo D. Hieronymi: *In Deo sunt tres Hypostases*, quam nolebat proferre S. Doctor inconsulto oraculo Damasi Papæ:

13 Sed observandum est, novitatem duplicem esse, alteram, quæ reprehensibilis est, & quæ declinans à rationis, & veritatis tramite, aliquid innovat, & quæ proindè adversatur communi fidelium consensui: Hac notâ se inuri querebatur Sanctus Basilius *lib. de Spiritu Sancto, cap. 6.* dicendo: *Nos novitatis Architectos, & novos tractatores, & quibus non probatissimis nominibus appellant*; & D. Hieronym. *epist.* 104. dicebat: *Me asserunt nova prò veteribus &c.*

14 Altera novitas est, quæ damnari nequit, eò quod aliquis in melius dirigat, atquè persæpè in vocibus inducta est ad salvanda fidei mysteria contrà subortas hereses: Hinc ait Concilium Calcedonense *art. 1. Qui scrutatur, non innovat*. Hoc pacto in Mysterio Eucharistię contrà Lutheri inpanationem, utimur Transubstantiationis vocabulo: Sic antiqui Patres, cũ emersisset Sabelii Hæresis, induxerunt in sanctissimæ Trinitatis Mysterio nomen *personæ*, anteà non usurpatum, ad declarandas ibidem tres Hypostases: Ulteriùs occasione hæresis Arii, Patres Concilii Niceni vocem *Homousion* adinvenerunt: Reclamãtibus autem Arrianis, & hujus vocabuli novitatem objicientibus egregiè respondet S. Hilar. *in libro contrà Constantium*: *Dic prius, si rectè dici putas, nolo adversùs nova venena novas mendicamentorum comparationes: Nolo adversùs novas insidias nova Consilia. Novitates Vocum devitare jubet Apostolus, sed prophanas: Tu cur pias excludis?*

15 Cum malâ propositione novâ coincidere videtur propositio, quæ nuncupatur suspecta; nam quod in materiâ fidei erumpit novum, suspicionem præsefert de novatione: Verùmtamen potest esse propositio suspecta, quamvis non sit nova; sed quæ antiquata, si renovetur. Exemplum sit: A Coper-
16 nico renovata est hypotasis Philolai, scilicet Solem esse in mundi centro; Telluremquè gyrare circà solem, quam sententiam amplexatus Galileus, Concivis mei Claramontii antagonista, adactus est Romam petere, & palinodiam recantare: Suspicio poterat esse, ipsum parvipendere Scripturã dicentem: *Oritur Sol, & occidit; terra autem in æternũ stat*: Prædicta tamen sententia est potiùs dicenda hæretica, quia directè adversatur sacræ Scripturæ, ut patet ex ipsius Scripturę verbis mox allatis.

17 Ad temerariam reducitur quidem propositio Improbabilis: Hæc definitur à Bordono *de Sacro Tribunali, cap. 41. num. 88.* quod sit illa, *quæ improbatur ab Ecclesiâ, vel à SS. Patribus, vel Doctoribus, & quæ nullo nititur solido fundamento*: Olim antè Clementem VIII. sustinebatur opinio asserens, licere per litteras confiteri, quam idem Summus Pontifex reprobavit. Sic Urbanus VIII. proscripsit opinionem de recipiendis pluribus Eleemosynis pro unicâ missâ celebrandâ.

18 Ex his deducit auctor *Biblioth. Theogicæ, cit. cap. 6. in fine*, quo sensu accipiatur propositio Theologica pertinens ad Inquisitores, nimirùm quatenùs versans in materiâ morali potest damnum aliquod inferre bonis moribus: Cæterùm improbabilis, quâ talis, non meretur censuram Theologicam, præsertim si versetur in materiâ merè speculativâ, & ex quâ nullum fidei præjudicium mediatè, vel immediatè immineat.

19 Ad hanc classem temerariæ spectat etiam

etiam propositio arrogans, in quâ scilicet quis plus sibi, vel alteri tribuit, quàm oportet, ut si quis diceret, se posse gratiam consequi: Vel est illa, in quâ quis plus asserit, quàm probare possit, ut si quis diceret, Deum in hac Vitâ à nobis videri posse: Advertendum tamen est, prædictas propositiones censurari etiam tanquàm hęreticas: Prior enim videtur contrà illud Sacrę Scripturæ: *Non currentis, sed miserentis Dei*; & contrà illud Apostoli: *Gratiâ Dei sum id, quod sum*: Posterior autē videtur opponi eidem Sacræ Scripturæ, ubi: *Non videbit me homo, & vivet*. Non negatur tamen, ipsas propositiones esse arrogantes, cum eadem propositio possit recipere diversas censuras, ut alibi diximus.

20 Ejusdem farinæ est propositio nuncupata Fatua, seu Stulta, seu Insana; nam temerè dictum, seù factum est, quod fit stultè, sinè causâ, sinè consilio, & indirectè: Eodemquè modo discurrendum est de propositione, quā vocant Irrationabilem: Eâdem pariter ratione hùc spectat propositio dicta Dolosa, nam temerè dictum, seu factum vocatur illud, quod per dolum, negligentiam, fatuitatem, & inconsideratè fit. Meliùs tamen dicitur, propositionem dolosam esse illam, quæ à personâ suspectâ æquivocè profertur, de quâ suprà locuti sumus.

21 Tandem sub genere temerariæ venit propositio vocata Contemptiva legis Dei; nā temeritas est aliquid dicere, vel facere in legis contemptum, ut ex Sanchez *lib. 1. cap. 8. num. 43.* docet Bordon. *de sac. Tribunali, cap. 41.* Hin contemnentes Indulgentias, Campanas, Cęremonias, & ritus Ecclesiæ sunt censurandi, ut docent Canonistæ, & Scribentes apud Sebastianum Salellem *de Inquisit. tom. 3. regula 396. n. 444.* ac nos suprà. Quinimò tales possunt reputari Athei, prout observat Theophyl. Raynau. *de Bonis, & malis, par. 3. Erotem. 3.* Porrò hujusmodi hominibus Religio ludus est, & sinè rubore, ac sinè conscientiæ scrupulo facetos agunt, vel potiùs scurras in rebus quoquè Sanctissimis, itàut quamvis apertè Religionis, & cultum Numinis non proscindant, tamen scommatibus, & jocis irreverentiam præseferunt ergâ ea, quæ maximâ veneratione digna sunt.

22

24 Exemplum de Campanis affert Zerola *in praxi Episcoporum, Verbo casus*: Quidam enim in nocte Sabathi Sancti abstulit martellos à quibusdam Campanis, & illos appendit in arbore nucis, qui propterea post longam Carcerationem abjuravit: Aliud exemplum affert Carena de Sancto Officio apud laudatum Sebastianum Salellem, de quibusdam religiosis, qui joci causâ induerunt quemdam fratrem idiotam vestibus Pontificalibus, mitram Capiti ejus imponendo, & ei honorem, uti Episcopo, deferendo, ipsum imposuerunt super Asinum, qui sic sedens dabat benedictionem per Claustra Monasterii aliis fratribus vario modo eidem irridentibus.

26 Sub prefatæ notę nomine veniunt facta, & dicta contemptiva censurarum Ecclesiasticarum, quia arguunt contemptum Clavium, & hęresis suspicionem ingerunt, plus, vel minùs, juxtà varium modum contemnendi, de quo puncto laudatus Salelles, ubi latè de insordescentiâ in excommunicatione propter contemptum censurarum.

27 Franciscus Pegna *3. par. director. Coment. 24.* approbat, & meritò, quod ab Inquisitoribus fuerint processati quidam homines, quod nimis audacter deturpaverint cedulones excommunicationis, propter suspicionem contemptus Censurarum: Addit Genuensis *in praxi Archiepiscop. Neapolit., cap. 7. num. 6. & 8.* procedendum esse ab Inquisitoribus contrà illum, qui in contemptum excommunicationis auderet dicere: *Che scommunica*; *Che scommunica?* latissimè Menoch. *de Arbitrariis Iudiciis, casu 416. per tot.*

28 Qualiter autem hujusmodi contemptores abjurare teneantur, apud nullum auctorem resolutum invenio: Ait Salelles suprà relatus, referens quemdam dixisse, *anche li scommunicati mangiano*, eumdem ex voto Congregationi S. Officcii Cremonæ fuisse habitum prò suspecto hæresis de vehementi.

§. VI.

De Propositione malè-sonante, aliisquè similibus.

SUMMARIUM.

1 *Sub propositione malè-sonante possunt revocari aliæ propositiones.*

2 *An propositio malè-sonans differat à propositione piarum aurium offensiva?*

3 *Cardinalis Laurea reijcitur, non agnoscens differentiam inter dictas propositiones.*

4 *Propositio malè-sonans est illa, quæ in aliquo sensu est hæretica, & in alio sensu Catholica.*

5 *Propositio malè-sonans potest dici illa, quâ quis peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi.*

6 *Propositio malè-sonans duplex est: Ab intrinseco, & ab extrinseco.*

7 *Propositio malè-sonans ab intrinseco habet tres gradus.*

8 *Exemplum propositionis malè-sonantis.*

9 *Aliud exemplum in eo, qui diceret: filius in divinis est suppositum, & aliud à Patre.*

10 *Undè natum proloquium in scholis, quod ex verbis inordinatè prolatis nascitur hæresis.*

11 *Propositio piarum aurium offensiva quid sit? Quid intelligatur per pias aures.*

12 *Censura hujus propositionis à propositione malè-sonante.*

13 *Propositio potest esse piarum aurium offensiva dupliciter: Primò in re, secundò in modo.*

14 *Propositio scandalosa quid sit.*

15 *Cum omnes propositiones censurabiles in proximum ruinam spiritualem possint generare, quid in hoc specialiter habeat propositio scandalosa?*

16 *Propositiones 45. damnatæ ab Alexandro VII. non hæreticæ, sed scandalosæ sunt.*

17 *Exempla plura de propositionibus scandalosis.*

18 *Sub classe propositionis scandalosæ venit propositio periculosa.*

19 *Cum propositione periculosâ coincidit propositio perniciosa: Exempla afferuntur.*

20 *Sub classe propositionis malè-sonantis venit propositio dura, seu rigorosa: Quandò hæc sub censurâ cadat?*

1 ALTERAM Classem damnabilium propositionum constituimus sub propositione censurabili, quam vocant malè-sonante, quia sub eâ revocari possunt sequentes, scilicet *Piarum aurium offensiva, Periculosa, Perniciosa, Scãdalosa, Dura, Indiscreta, & Larga*: Propositio malè sonans definitur ab aliquibus esse illam, quæ licet possit habere bonũ sensum, præsefert etiam malum, itâut possit censeri contraria fidei: v. g. Si quis absquè ullo addito poneret, quod humanitas Christi peccabilis est, nec diceret, quod de solâ non repugnantiâ, sivè de potentiâ remotâ sit sermo, & in sensu diviso, ejus sermo malè sonaret: In hoc sanè sensu propositio malè-sonans non videtur differre ab æquivocâ.

2 Ulteriùs propositionem malè-sonantem non differre à propositione Piarum aurium offensivâ, tenent aliqui, inter quos Cardinalis Laurea *de fide, disputat.* 16. *art.* 2. §. 3. *num.* 77. eâ ratione, quod Concilium Constantiense (quod in his notis est omnium regula) loquens de articulis Wicleph, & Joannis Hus, dicit, aliquos esse Piarum aurium offensivos; & de malè-sonantibus non loquitur: eodẽ pariter modo se gerit Pius V. in condemnatione errorũ Baii; undè dicunt etiam aliqui, hanc notam non esse distinctam à Sapiente hæresim, & Scandalosâ: 3 Cæterùm argumentum Eminentissimi Laureæ, tanquàm ab auctoritate negativâ, urgere non videtur, & de facto aliæ sunt censuræ propositionum, quæ nequè à Pontifice prædicto, nequè à Concilio Constantiense recenseantur. Insuper, quamvis sit verum, quod propositiones Scandalosa, & Sapiens hæresim malè sonent in latâ significatione, quo sensu omnis hæresis est error, distinguuntur tamen in ordine ad diversa connotata, quod sufficit ad constituendas diversas species damnabilium propositionum: 4 Itaquè juxtà hanc explicationem meliùs potest deffiniri propositio malè-sonans, quod sit illa, quę in aliquo sensu propositio est hæretica, & in alio etiam propositio est Catholica: Ità Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 11.

n. 11. sivè est illa, quę habet sensum congruentem fidei; verba autem incongrua.

5 Sub aliis terminis posset dici, quod propositio malè-sonans est illa, quę non dat audientibus fundamentum judicandi, vel suspicandi, quod proferens habeat in corde suo hæresim, vel errorem aliquem circà fidem; sed solùm peccat in abusu vocum diversarũ ab usu communi.

Ex his definitionibus potest commodè explicari differentia propositionis malè-sonantis à quâcumquè aliâ propositionis notâ, quod meliùs constabit inferiùs.

6 Propositio malè-sonans est duplex: Quædam enim talis dicitur ab intrinseco; quædam verò ab extrinseco: Propositio malè-sonans ab extrinseco ea dicitur, ex quâ propter circumstantias personæ, loci, & temporis malus sonus, aut suspicio oritur: Ità cum aliis Suarez *de fide, disput.* 19. *sect.* 2. *num.* 18. penès Sousam citatum *num.* 12. undè minus rectè hoc pacto definiunt Propositionem malè-sonantem, ut sic, Fermosin. *in tract. crimin. tract.* 2. *in cap. cum Christ. qu.* 1. *num.* 8. Sesse *decis. Aragon.* 439. *num.* 52. *vol.* 4.

7 Propositio malè-sonans ab intrinseco est illa, quæ absolutè malè sonat; ejusquè tres sunt gradus: Primus, quandò significatio hæretica est magis usitata, & propria, ut si quis diceret: *Deum in Incarnatione Creaturam factum*; Secundus gradus, quandò utraquè significatio æquè propria, & usitata est: Tertius, quãdo significatio catholica magis propria, & magis usitata invenitur.

8 Stando in secundâ superiùs datâ definitione Propositionis malè-sonantis, posset afferri exemplum de eo, qui diceret: *In Deo sunt tres essentiæ relativæ*: hæc propositio nullam habet hæresis suspicionem in proferente; omnes enim credent, eum nõ asserere, esse in Deo tres essentias, sed solùm tres substantias relativas, quas tamen non deberet significare nomine essentiæ relativæ, quia nomen essentiæ usurpatur à Catholicis ad id solum significandum, quod commune est toti Trinitati, adeòquè verba illa inusitata malè sonant.

9 Aliud exemplum posset afferri ad rem, si quis diceret: *filius est aliud à Patre*: Catholicè loquitur, quia solùm significat distinctionem in personâ: Si autem quis ità loquatur: *filius est suppositum, & aliud à Patre*, occultat hæresim, significans filium esse aliud à Patre absolutè loquendo, quod est significare distinctionem in personâ nòn solùm, sed etiam in essentiâ.

10 Ex hoc aliqui putant, ortum esse in scholis illud commune proloquium, quod ex verbis inordinatè prolatis nascitur hęresis: Hinc Sanctus Hieronymus *in epist. ad Damasum Papam* dicit: *Non sufficit sensus; ipsum nomen efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis latet*, quâ sententiâ utitur Magister sentent. *in* 4. *dist.* 15. & post eum S. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 2.

11 Propositio Piarum aurium offensiva est illa, in quâ profertur aliquid indecens, & indignum in materiâ Religionis, vel indecorum Deo, aut Sanctis, non tamen falsum asseritur: Ut si actiones humanæ Christi, omni homini necessariæ, explicentur nominibus obscænis. Idem est, si de Sanctis, sacris Cæremoniis, statu Ecclesiastico proferantur, quæ sinè rubore non possunt audiri. Nota, pias aures in casu, de quo agimus, debere esse prudentes, & doctas; nam aliquandò offendit imprudentes, imperitos, & malevolos propositio, quæ doctos, prudentes, & benevolos non offendit; & hæc nequit dici Piarum aurium offensiva. Hujusmodi

12 censura differt à malè-sonante, quia hæc abutitur vocibus extrà communem significationem, eas applicando ad minùs usitatam, quarè ejus indecentia consistit in usurpatione vocum, quæ habent significationem falsam, licet usurpentur ad veram: At propositio, quæ pias aures offendit, usurpat voces in suâ usitatâ, & verâ significatione: Sed tamen loquitur in tali, & tali modo,

13 ut fidelium pietatem offendat. Quia verò hujus censuræ malitia consistit in eo, quod dicitur; & in modo, quo dicitur, duplex potest esse propositio offensiva piarum auriũ: Prima ex re, quæ dicitur, quę licet sit vera, non tamen debebat dici; nam propter humanam infirmitatem non audiuntur sinè offensione omnia, quæ sunt vera in rigore; v. g. si quis cum fundamento putaret, debere expungi ex Breviario aliquam narrationem,

nem, diceret, Ecclesiam nobis fabulas, & Apocrypha proponere: Secunda propositio offensiva piarum aurium est in modo tantùm, & in vocibus indecentibus, quibus res alioquin verè narrantur, ut si in nominatione Membrorum Christi, vel aliorum actuum naturalium, usurpentur voces obscœnæ; vel si aliquis diceret: *Ora pro nobis Sancta Maria Uxor fabri*; vel *Sancta Maria Magdalena Meretrix*; vel *Sancte Petre perjure*.

14 Sequitur propositio scandalosa, à prędictis quidem distincta, sed analogicâ quadã affinitate eisdem unita, & est illa, quæ præstat occasionem ruvinæ spiritualis, inclinando audientes ad peccata; vel eosdem avertendo ab exercitu virtutum: Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. in cap. cum Christus q.1. n.7.* Ricciull. *de jur person. lib.5. cap. 8. num.* 14. Sesse *decis. Aragon* 439. *num.* 57. *vol.* 4.

15 Omnes quidem propositiones censurabiles spiritualem ruvinam in proximum generare possunt, quò ad malè credendum, vel malè operandum, sicut observat Cardinalis Laurea *citata disp. 16. de fide, art. 2.* §. 3. *numer.* 70. speciali tamen modo dicitur scandalosa doctrina illa, quæ hæretica non est, nec erronea, nec temeraria, nec suspecta, & tamen ruvinam causat, vel causare potest in proximo. Pro exemplis possũt

16 adduci 45. propositiones, tanquàm scandalosæ ab Alex. VII. *anno* 1665. damnatæ, quæ hæreticæ non sunt, quia nec contrà Scripturam; nec contrà Traditionem; nec contrà Ecclesiæ decreta, nec erroneæ, nec sapientes hæresim; & de tempore, quo novissimè asserebantur, auctoritate non carebant extrinsecâ plurium Auctorum, & tamen inducebant homines ad mala multa, ut patet.

17 Possunt adduci plura exempla in individuo: Primum, si quis incommoda, vel pericula status religionis, præcipuè personis idiotis narraret; secundũ, si populo, vel alicui in Ecclesiâ diceret, *quis scit, an hæc hostia sit consecrata?* vel, *an hoc Corpus veneratum sit illius Sancti?* Tertium, si quis enumeraret incommoda confessionis auricularis, quorum enumeratio ab Erasmo facta, toti Germaniæ scandalum fuit: Innumera exempla harum assertionum videri possunt apud Amaden. Guimenium, cujus tamen opus prohibitum est, non quia ipse eas defendat, sed quia ipse omnes illas immunditias ab aliis enumeratas, & in operibus suis quasi clanculùm existentes, in unam massam redegit, & non omnes refutavit.

18 Sub ordine propositionis scandalosæ venit Periculosa, & est illa, quę absolutè, & generaliter dicit, licitum esse, & fieri posse, quod tamen vix, aut nullatenùs fieri potest: Vel est illa, quę in doctrinâ fidei, vel moribus potest causare periculum fidelibus: Exemplum primum definitionis: *Solus cum solâ sinè periculo peccati potest manere in eodem lecto*, aut *diu cum mulieribus conversari licitè potest*: Exemplum secundæ: *sinè jejuniis, aut sinè externâ pænitentiâ homo potest esse perfectus*. Item, *sufficit pænitentia in extremis*.

19 Cum propositione periculosâ coincidit alia, quam vocant perniciosam, quatenus ruvinam spiritualem causare potest, ut docet Cardinalis Laurea citatus §. 3. *numer.* 96. exemplificans in multis propositionibus Vvicleph, præcipuè in 18. quę est talis: *Decimæ sunt puræ Eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata Prælatorum ad suum libitum auferre eis*. Item in 39. *Imperator, & Domini seculares seducti sunt à Diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus*.

20 Sub genere malè-sonantis potest venire pariter propositio nominata dura, seu rigorosa; nam propositio tunc cadit sub censurâ, quandò novatianissimi speciem inducit: v. g. si quis diceret, pęnitenti non esse dandam absolutionem antè satisfactionem, sicut in humanis remissioni culpę pręcedit satisfactio, quod in Petro de Osma damnatum fuit à Sixto IV. *anno* 1479. & posteà ab Alexandro VIII. inter propositiones ab eodem damnatas la 17. ubi: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*. Satisfactionis enim dignitas debet à gratiâ procedere: Opposita autem rigoristis stat secta laxorũ sub specioso nomine probalitatum, apud quos vigent propositiones nuncupatę largę, quas, non est dubium, censuras mereri, prò-

proùt de facto quamplures censuratę, & condemnatę sunt novissimè à summis Pontificibus.

§. VII.

De aliis propositionibus suspectis censurabilibus.

S V M M A R I V M.

1 *Propositiones censurabiles, de quibus in hoc articulo agitur, exponuntur.*
2 *Athea propositio quid sit?*
3 *Ethnici calumniabantur Christianos tanquàm Atheos.*
4 *In ordinem Atheorum referendi sunt, qui Dei prudentiam convellunt.*
5 *Polyteismus est clancularia species atheismi, & quid sit?*
6 *Peripatetici notati ab Origine, tanquàm Polyteistæ, quorum Princeps Nicolaus Machiavellus.*
7 *Præcipua Machiavelli principia in Polyteistâ.*
8 *Propositio pagana est illa, quâ plures Dei asseruntur.*
9 *Alcoranus quarè prohibitus? Avicennæ, Auerrois, & aliorum Medicorum Arabum libri non prohibiti.*
10 *Raymundus Lullus frustrà tentavit, ut Commentarii Averrois in Aristotelẽ prohiberentur.*
11 *Iudæa prosipotio est illa, quâ profertur aliquid secundùm leges synagogæ.*
12 *Propositio schismatica est illa, quæ aperit viam divisioni Ecclesiæ.*
13 *Propositio seditiosa est illa, quæ incitat subditos, contrà superiorem.*
14 *Propositiones seditiosæ tangentes Ecclesiæ Hierarchiam.*
15 *Propositio Blasphema admodùm censurabilis.*
16 *Propositio Blasphema alia simplex, alia hæresis; & de utrâquè.*
17 *Blasphemia Elizabethæ Reginæ Angliæ adversùs Sacrum Oleum.*
18 *Per quid distinguatur propositio blasphema à propositione contumeliosâ?*
19 *Propositio Deo injuriosa esset dicere, Sacram Scripturam scatere erroribus grammaticalibus.*
20 *Propositio maledica in rigore non est eadem ac propositio contumeliosa, & iniuriosa.*
21 *Exempla propositionis maledicæ.*

1 ALIQUALEM Doctrinæ Methodum servando, in hoc Paragrapho gradatim trademus notiones Propositionum censurabilium, quæ adhuc remanent, & sunt propositiones *Athea*, *Pagana*, *Iudæa*, *Schismatica*, *Seditiosa*, *Blasphema*, *Contumeliosa*, *Maledica*, &
2 *Injuriosa*. Athea propositio est illa, in quâ Atheus negat omnem Deum, juxtà illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Ad hanc speciem plura reduci possunt Hæreticorum dogmata, sicut ut plurimùm clancularii Atheistæ sunt ipsi hæretici: (Vide Lindanum *in dubitanti, dialogo 2. cap. 9.*)

3 Sanè Ethnici, quamvis impiissimo errore ducti, quia dum Christianos diversorum dogmatum promulgatores videbant, Atheos judicabant, prout testantur prisci Propugnatores Religionis Christianæ Justinus, Athenagoras, Arnobius, Lactantius, aliiquè, ac proindè libri Christianorum) in quos plurima sunt lata Ethnicorum Principum edicta, nominatim verò Diocletiani, ut refert Euseb. Cæsarien. *lib. 8. Histor. cap. 3.*) eo nomine ad incendium tanto ardore vestigabantur ab Ethnicis, quod Atheismum tradere insimularentur.

In genere Athearum propositionum ex consequenti censendæ illæ sunt præcipuè, in quibus negatur animæ rationalis immortalitas, & resurrectio corporum nostrorum.

4 In Atheorum ordinem referendi sunt, qui Divinam providentiam convellunt: Qui enim Deum faciunt improvidum, Deum negant, quia vel amore operum suorum, vel potestate illis prospiciendi, aut cognitione indigentiæ eorum privare Deum censentur, & curam adimentes rerum, quas condidisse fatentur, aut forte ab alio editas, vel à à se ipsis natas arbitrantur: De numero illorum, qui contrà Divinam prouidentiam garriunt, fuit ille, quem S. Augustinus introducit sic loquentem: *O Deus, ista est justitia tua, ut mali floreant, & boni laborentur?* cui respondens S. Augustinus inquit: *Dicis Deo, ista est justitia tua? & Deus dicit tibi; hæc est fides tua?*

5 Polytesimus est alia clancularia Atheorum species, qui nimirùm Religiosorum cultum eatenùs probandum, & reti-

retinendum censent, quatenùs conducit ad continendos populos in civili disciplinâ, & obedientiâ politicâ, utentes Religione, tanquàm personâ super scenam, quatenùs oportunè evadit ad firmandum, & amplificandum Principatum. In hanc hominum colluviem conjicit Origenes Peripateticos, ut legere est *in lib.7. contrà Celsum*, ubi dicit, illos ad oculum, & gratiam hominum Religionis externam formam probasse: Polyticorum Atheorum Princeps fuit Nicolaus Machiavellus, tàm projectæ in Religionem, & sancta omnia audaciæ, ut ipsi quoquè Sectarii in eum calamum strinxerint, ejusquè libros exterminandos censuerint: Vera Diaboli fistula, quâ plurimi incauti dementati sunt, cujus finem miserandum intueri deberent, nam blasphemans evomuit improbum spiritum: Præcipua illius Nebulonis hæc erant principia atheismi: *Principes probare debere falsa miracula in populo, ad populum, quo res ferat, excitandum; In eumdem finem revelationes falsas, tanquàm à Deo revelatas, esse confingendas, & in vulgus spargendas; Belli initium consistere in eâ, quam sibi statuit necessitas; Pravis moribus implendam esse Civitatem, aut Provinciam, quam sinè bello ulcisci velit: Datæ fidei habendam esse rationem, quamdiù commodum est; Inter subditos factiones esse alendas.*

6

7

8 Ethnica, seù Pagana propositio est illa, quâ plures Dei asseverantur, & inducitur idololatria: Ad hanc possunt reduci assertiones Mahometanorum, idcircò meritò proscripti sunt libri dogmatici ipsorum, uti Alcoranus, quamvis censeat Antonius Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 14. dub. unico, proposit. 7.* per se non prohiberi Alcoranum, sed ratione Scholiorum impiorum, notarumquè, ac præfationum Lutheri, Melanchtonis: Addit etiam, prohiberi, quia in eo agitur de Religione Nationis hoc tempore maximè potentis, & ad corporum voluptates potissimùm aperientis ostium, quæ sunt corruptelæ illectamenta. Loquendo tamen universaliter de libris Saracenorum, & Turcarum non ideò damnandi, quia Saracenorum sunt, sed quia Saracena dogmata, ritusquè amplectuntur; Ideò Avicennæ, Averrois, aliorumquè Medicorum Arabum libri medica tractantes non sunt interdicti, licèt in eis aliquid incidenter adversùs Christianos habeatur.

9

10 Scribit Carolus Bovillus *in vita Raym. Lulli*, hunc à Clemente VIII. Summo Pontifice, tentatâ etiam interpositione Philippi, Francorum Regis, expetiisse, ut Averrois in Aristotelem Commentarios proscriberet, eò quod adversarentur Catholicæ veritati, sed neque à Summo Pontifice, neque à Rege fuit auditus Lullus.

11 De Judæâ propositione facit mentionem Auctor Biblioth. *Theol. tom. 1. lib.2. sect.7. cap.1.* dicens, esse illam, in quâ profertur aliquid, secundùm leges Synagogæ jam sepultæ: v. g. Propositio dicens, Christum nondùm venisse, sed venturum esse, quæ debet etiam dici hæretica, quia expressè contrà Sacram Scripturam, adeòquè opposita propositioni de fide, quidquid dici possit ratione proferentis.

12 Propositio schismatica illa est, quæ aperit viam divisioni Ecclesiæ, aut illam quomodocumquè promovet, sivè quæ molitur recessum à Papæ obedientiâ, sivè ab ejus subjectione: Fermosin. *tract. crimin. tract. 2 in cap. cum Christus, qu.1. num.9.* Ricciull. *de jur. person. lib.5. cap. 8. num.13.* Exempla plura hujus doctrinæ dat Card. Laurea *de fide, disput. 8. art.2. §. 3.* ex Propositionibus Wicleph, & Joannis Hus, uti sunt istæ: *Si Papa sit malus, non habet potestatem super fideles: Post Vrbanum VI. nullus recipiendus est in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis: Papa si quærit avaritiam, est Vicarius Iudæ Iscariotis.*

13 Sequitur propositio seditiosa, illa scilicet, quæ importat doctrinam incitantem subditos contrà superiores: Verum est, quod talis propositio, nisi opponatur aliundè doctrinæ fidei, non apparet digna censurâ Theologicâ: Meritò tamen Ecclesia hujusmodi propositiones prohibet: v. g. *jus est in armis: Inimici sunt occidendi: Quisquè potest sibi justitiam facere: Resistendum est superiori.*

14 Aliter dicendum est de propositionibus seditiosis tangentibus Ecclesiæ Hie-

Hierarchiam, multas quarum evomuerunt Wicleph, Hus, & Lutherus, *ut quod obedientia Ecclesiastica est adinventum Sacerdotum Ecclesiæ: Per censuras Ecclesiasticas Clerus populum sibi suppeditat: Nullus Prælatus, vel Princeps Civilis est Dominus, quando est in peccato: Populares possunt ad arbitrium suum corrigere Dominos delinquentes.*

15 Præcipua est propositionis censurabilis species, quæ vocatur blasphema: Hæc continet irreverentiam contrà Deum, vel Sanctos, vel sacras res inanimatas: Fermosin. *tract. crimin. tract. 2. in cap. cum Christus, quæst. 1. num. 11.* Ricciull. *de jur. person. lib. 5. c. 8. n. 17.* Etsi enim Doctores communiter definiant blasphemiam, quod sit convicium in Deũ, ut superiùs stabilivimus, quià formalem rationem blasphemiæ desumunt ex irreverentiâ contrà Deũ, non per hoc tamen maledicentia contrà ejus Sanctos, & res sacras extranea est à blasphemiâ, quia sicut Deus in Sãctis, & rebus sacris honoratur, ità in eis dehonoratur, ut paritèr suprà demonstravimus.

16 Cum autem blasphemia sit hæreticalis, seù qualificata; & simplex, seù non hæreticalis, ità etiam propositio blasphema erit, sivè hæreticalis, quandò scilicèt in eâ affirmatur, vel negatur aliquid contrà fidem; vel meliùs, quandò simul cum irreverentiâ contrà Deum, vel Sanctos jungitur error contrà fidẽ: Sivè simplex, vel non hæreticalis, quandò nimirùm tantùm peccatur contrà reverentiam Deo, vel Sanctis ejus, aut rebus Sacris debitam: Exemplum

17 adducit Cardinalis de Lugo referens, Elisabetham impiam Hæretici Regis ex Anna Bolena filiam, adepto regno, unctam de more Oleo Sacro, dixisse nobilioribus circumstantibus per blasphemum jocum: *Abite, ne fetor hujus olei vos offendat*: Ita ex Sandero *lib. 3. de schismate Anglicano.*

18 A propositione blasphemâ distinguitur propositio contumeliosa; nam illa est contrà Deum, Sanctos, vel res Sacras: Hæc verò contrà religiosum ordinem, Principes seculares, & personas publicas; undè definitur, esse illam quę alicui, aut statui, aut personæ illustri injuriam facit, aut alterum lędit, de quâ Fermosin. *dicto tract. 2. in cap. cum Christus, quæst. 1. numer. 6.* & Ricciull. *de jur. person. lib. 5. capit. 8. num. 15.*

19 Propositio injuriosa est eadem, ac contumeliosa: Datur tamen propositio, quæ potest vocari Deo injuriosa: v. g. si quis diceret: *Sacra Scriptura scatet erroribus gramaticalibus*: Item: *ejus sermo rudis est, & sinè eloquentiâ*, nam taxant Deum de ignorantiâ gramaticæ, de ruditate, & de imperitiâ: Sed vide ea, quæ suprà stabilivimus, ubi de blasphemiâ egimus.

20 Tandem quantùm ad censuram propositio maledica est eadem ac contumeliosa, & injuriosa, quamvis non in rigore sermonis: Est enim contumelia propriè, quæ coram injuriato fit, injuria, quæ ad factum extenditur.

21 Alia exempla possunt addi maledicæ propositionis censurabilis ex Cardinali Laurea *disp. 16. de fide, art. 2. §. 3. num. 83.* Primum: *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, eo ipso traditor Regni, & Regis est*: Quæ est 12 Wicleph. Secundum: *Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student eis*, quæ est 38. in ordine ejusdem Wicleph: De his tribus ultimis propositionibus iterùm redibit sermo inferiùs, ubi magis amplè hæc materia discutitur.

SUBSECTIO II.

De regulis, quibus dignoscitur propositio, quæ infert hæresis suspicionem.

SUMMARIUM.

1 *Prima regula est, si quis proferat propositionem à Sanctâ Sede damnatã, licet nom ut hæreticam.*

2 *Quantâ audaciâ asseratur, in damnatione propositionum non fuisse adhibitas diligentias.*

3 *Certissima adest Spiritus Sancti assistentia, vel ne decernat Ecclesia sinè maturâ deliberatione, vel ne erret, si absquè maturâ deliberatione decernat.*

4 Reiiienda sententia asserentium posse Pontificem errare in damnandis propositionibus, si non audiat Consilia Cardinalium.

5 Sentit cum Hæreticis, qui contemnit censuram Pontificis.

6 Quâ censurâ notandi illi, qui dicerent, Summum Pontificem errare posse in damnandis propositionibus ad mores pertinentibus.

7 Qui doceret, aliquam propositionem ex damnatis à Summis Pontificibus, non diceret aliquid erroneum, seù scandalosum, sed aliud juxtà censuram Pontificiam.

8 Objectio contrà prædictam doctrinam, & responsio.

9 Qui profert propositionem qualificatam ab Academiâ, non est de hæresi suspectus.

10 Academia Parisiensis immeritò censuravit propositiones S. Thomæ.

11 Suspicio oritur ex propositione etiam non damnatâ à Sanctâ Sede, quandò illa opponitur auctoritati majoris partis SS. Doctorum.

12 Asserens propositiones obscuras, quandò non sit suspectus?

13 Propositio ambigua importat suspicionem ex malâ qualitate proferentis.

14 Encomium ergà Archiepiscopum Cameracensem.

15 Inquisitores judicantes de aliquâ propositione, non statim debent illam absolutè, ut hæreticam pronuntiare, vel ejus assertorem hæreticum.

16 Inquisitores debent considerare, an audiens propositionem ab aliquâ prolatam, eam intellexerit secundùm sensum hæreticum.

17 Quid agendum cum assertore propositionis suspectæ, quandò audiens non est scandalizatus; sed ille aliàs est de hæresi suspectus.

18 Suspicio incurritur per propositionem continentem absurdum, & peregrinum sensum, alienum à communi modo loquendi Patrum, & Scholasticorum.

19 Multò magis tales propositiones censurandæ, quandò à Concionatoribus proferuntur.

20 Suspectus est assertor propositionis, quæ sub Religionis prætextu subvertit simplicem plebem, eamquè incitat contrà Magistratum, & Pastores.

21 Hæresis suspicionem ingerit propositio, quæ arcet Catholicos à piis operibus; & multò magis, si alios avertat à fide amplectendâ.

22 Ad hunc conatum reducuntur Tractatus Marci Ephesini, & aliorum Græcorum, quos ediderunt post Concilium Florentinum, ut arcerent Græcos ab unione Catholicorum.

23 Eâdem censurâ notantur verba prolata contrà recens conversos ad fidem.

24 Item verba, quibus invehitur in conversos à Iudaismo.

25 Hujusmodi propositiones propriè seductivæ dicuntur, vel scandalosæ.

26 Aliis notis inuruntur eædem propositiones.

27 Notantur propositiones, quæ novitatem inducunt contrà ritus Sacramentorum.

28 Propositio periculosa in moribus quid sit?

29 Meritò euulgantes has propositiones subduntur Inquisitoribus.

30 Suspecta est propositio, quæ detrahit alicui statui fidelium, seù dignitati, vel potestati personæ illustris.

31 Hac propositione si Deo, vel Sanctis irrogetur injuria, est propositio blasphema.

32 Propositio fidei denigrativa quænam sit?

33 Est propositio denigrativa fidei etiam illa, quæ procedit contrà propheticas revelationes, Miracula, & gesta Sanctorum.

34 Cur subdantur Inquisitoribus illi, qui de seipsis evulgant, vel evulgare faciunt prodigiosa, vel prophetias, revelationes, &c.

35 Inquisitores attendant, quandò isti tales excusari possint ex ignorantiâ invincibili, seù crassâ.

36 Obligatus denunciare hujusmodi seductores, non debet sibi persuadere, vera illorum esse miracula.

37 Vera miracula hisce temporibus rarissima sunt: Ratio ex Sancto Gregorio Magno.

38 Sæpè nostris temporibus cur audiantur mira-

miracula fieri ad Sanctorum intercessionem?

39 *Propositio irrogans rebus sacris iniuriam, vocatur irreverens.*

30 *Decretum Concilii Tridentini contrà admiscentes scurrilia in verbis Sacræ Scripturæ, eademquè verba ad scurrilia, & vana convertentes.*

41 *Isti tales hæresis suspicione involuuntur, juxtà instructionem Clementis Octavi Summi Pontificis.*

42 *Quod dictum est de Sacræ Scripturæ verbis, idipsum dicendum de libris Sanctorum Patrum, de officiis Ecclesiasticis, & his similibus.*

43 *Quid requiratur ad incurrendam suspicionem hæresis in abutentibus Sacrâ Scripturâ?*

44 *Sæpè Sancti Patres locutiones sacras explanarunt laudabiliter per locutiones prophanas Philosophorum, & Poeatarum Gentilium.*

45 *Ad incurrendam prædictam hæresis suspicionem requiritur, quod indecenter sacra prophanis immisceantur.*

46 *Sub propositionibus irreverentibus comprehenduntur illæ, quibus non allegantur fideliter verba Sacræ Scripturæ.*

47 *Sivè quibus retorquetur ad repugnantem sententiam exprimendam.*

48 *Transmiera nimis rigorosè censet, hæreticum esse, qui extortam interpretationem ponit in Divinis Scripturis.*

49 *Propositio Ecclesiæ decolorativa quænam sit?*

50 *Iniuriosè procedit, qui probabiles opiniones Catholicorum censurat tanquàm hæreticas, vel erroneas.*

51 *An si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset? Ad hanc quæstionem duplex est Catholicorum opinio.*

52 *Plures Michaelis Baii propositiones damnatæ à Pio V. & Gregorio XV. quia ignominiosè carpunt opiniones fidelium.*

53 *Propositiones præsumptuosæ quænam sint.*

54 *Averroes, & Arabes Philosophi abusi sunt doctrinâ Aristotelis ad probandum, fidei mysteria esse veritati parùm consona.*

55 *S. Thomas Aquinas hanc falsiitatem detexit, explicando doctrinam Aristotelis.*

56 *Censuranda quomodò sit propositio, quæ iniuriam irrogat principiis Philosophorum.*

57 *Concilium Constantiense coegit Hieronymum de Praga ad abjurandam censuram datam contrà probabilem Sententiam ex Universalibus desumptam.*

58 *Finis censurantis Sententias Philosophorum faventes Religioni Catholicæ, eruitur à qualitate ipsius censurantis.*

59 *Propositio satyrica est, quæ irrogat injuriam personæ in dignitate constitutæ; sub quâ comprehenduntur dicteria, quæ adversùs Ecclesiasticos à quibusdam è suggestu proiiciuntur.*

60 *Tales Concionatores sunt ab Inquisitoribus severissimè puniendi, secundùm decreta plurium Conciliorum.*

61 *Eò vel maximè, quia tales Concionatores ferè semper abutuntur exemplis Sacræ Scripturæ: Undè contrà eos militat Concilii Tridentini decretum.*

62 *Quomodò iniustè abutantur exemplis Sacræ Scripturæ?*

63 *Iudicandi ab Inquisitoribus illi, qui callidè, tacitis nominibus, personas circumscribunt, ut eas cognoscere faciant.*

64 *Propositio illa est suspecta, quæ licet non possit impugnari urgentibus testimoniis, & fundamentis, tamen in materiâ morum nequit practicari absquè scrupulo.*

65 *Suspecti secundùm descriptas regulas puniendi sunt ab Inquisitoribus, non solùm de consuetudine, sed etiam ex Constitutione Pauli III.*

66 *Propositiones ipsorum licet nil contineant contrà fidem, sunt tamen contrà Charitatem, Iustitiam, & alias Virtutes.*

67 *Descriptæ regulæ desumptæ sunt ex Constitutionibus Summorum Pontificum, ex Conciliis, & Universitatibus Doctorum Scholasticorum.*

68 *Plures qualificationes sæpè concurrunt in eâdem propositione.*

1 PRIMA regula sit, eum esse de hæresi suspectum, qui profert, & tuetur propositionem à Sanctâ Sede damnatam, licet non tanquàm hæreticam.

Veritas hujus regulæ patet ex Constit. Pauli III. editâ *die* 14. *Ianuarii* 1542. registratâ post Director. *fol. mihi* 140. & itâ tenent Alberghin. *in Manual. qualific. cap.* 12. *numer.* 21. Transm. *denunciat. qu.* 4. *cap.* 4. *num.* 13. *versic. multis verò ex Capitibus*: Ratio est, quia quælibet propositio à Sede Apostolicâ damnata, spectat ad unum illorum generum, quæ suprà stabilivimus: Qui ergò profert propositionem damnatam, eamquè tuetur, præsumitur malè sentire, ex hoc præcipuè, quia credit fallibile Ecclesiæ Judicium.

2 Nec excusari potest ex eo, quod prætendat, debitas diligentias adhibitas non fuisse in damnandâ tali propositione: Nam temerarium est credere, deesse providentiam Dei, ac assistentiam Spiritus Sancti, quibus regitur Catholica Ecclesia, itàut sinant, Summum Pontificem inconsideratè, & temerè procedere; & authoritate illâ, quæ infallibilis est, abuti: S.Thomas *quodlib.* 9. *art. ultimo*, Suarez *de fide*, *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 10. *in fine*, Bannez 2.2. *qu.* 1. *art.* 10. *dub.* 2. *in respons. ad* 4. *argum.* Raynald. *subnot.* 2. *verit.* 7. *vers. non oportet*, *pag. mihi* 267. Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap. cum. Christus*, *qu.* 9.
3 *num.* 19. Quarè, ut optimè notavit Pater Jannerus *tom.* 3. *disp.* 1. *qu.* 4. *dub.* 6. *num.* 136. certissima adest divini spiritus assistentia ad unum è duobus, vel ne Pontifex in materiâ fidei, & morum aliquid decernat, absquè maturâ deliberatione; vel ne erret, si absquè maturâ deliberatione decreverit. (Vide Joac. Carden. *in Crisi Theologicâ*, *par.* 4. *dissert.* 1. *præmiali*, *cap.* 5. *num.* 167.

4 Et multò magis reiicienda procul est sententia eorum, qui dicunt, in casu damnandi propositiones posse errare Pontificem, si non audiat Consilia Cardinalium, & Theologorum, nam si Pontifex legat in libris doctorum, quidquid Cardinales, & Theologi possunt consulere, maturior erit deliberatio, quàm quod doctrinam Cardinalium, & Theologorum audiat.

5 Videretur etiam, qui contemneret hujusmodi censuram à S.Sede propositionibus impositam, esse particeps erroris hæreticorum, qui asserunt, non esse adhibendam fidem Pontifici definienti, cum ipse, ut blaterant, non sit in his rebus Judex, contrà quod benè Lupus *in edict. par.* 4. *lib.* 26. *dist.* 5. *art.* 2. Bellarm. *lib.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 2. & 3.

6 Proindequè notandi essent censurâ propositionis erroneæ, quia propositio erronea est illa, quæ contradicit Conclusioni Theologicæ deductæ ex unâ præmissâ de fide, & alterâ evidenti, qualis est illa, quæ docet, Pontifices non posse errare in doctrinâ fidei, & morum, concurrentibus omnibus requisitis ad rectè definiendum: Ità Cardin. de Lugo *disp.* 20. *de fide*, *sect.* 3. *num.* 109. Moya *tom.* 1. *select. quæst. tract.* 3. *disp.* 8. *qu.* 6. *nu.* 22. Aloys. Turrianus *disp.* 55. *dub.* 5.

7 Verum tamen est, quod qui doceret, aliquam propositionem ex damnatis à Summo Pontifice, non diceret aliquid erroneum, sed tantùm, vel aliquid scandalosum, vel aliter, juxtà censuram Pontificiam: Ratio est, quia non debemus assignare propositioni damnatæ rigidiorem censuram, quàm est ea assignata à Summo Pontifice; undè si Pontifex propositioni damnatæ à se, assignat solùm censuram scandalosę, non debemus proindè illi assignare censuram erroneæ: Et quamvis, qui dicit
8 Pontificem errare in damnatione propositionis, aliquid erroneum dicat, ut patet ex supradictis; non sequitur indè, quod si quis asserat, licitum esse furari, non solùm in extremâ, sed etiam in gravi necessitate, dicat aliquid erroneum, eò quia videatur virtualiter affirmare, quod erret Pontifex in damnatione illius propositionis, quæ est trigesima sexta ex damnatis ab Innocentio XI. Siquidem, dum quis firmat oppositum Propositioni per Pontificem damnatæ, potest credere in eâ censurâ Pontificem procedere probabiliter, & pruden-

prudenter, & ità non concedere, quod Pontifex erret,

9 Notandum deniquè circà hanc primam regulam, quod qui proferret aliquam propositionem, quæ qualificatur ab Academiâ, non esset de hæresi suspectus: Hujusmodi enim qualificatio est fallibilis, ut patet ex eo, quod contigit Academiæ Parisiensi inter cæteras celeberrimæ; nam ipsa in articulis *anni 1226. art. 16.* vexavit censurâ S. Tho-
10 mæ Aquinatis doctrinam, eiquè errores imposuit: sed crescente in dies famâ sapientiæ, & sanctitatis illius Angelici Doctoris, quæ adinstar Solis totum replevit Orbem, eoquè à Joanne XX. Sanctorum numero adscripto, eadem Academia prioris censuræ asperitatem temperavit; & notam erroris, quam inflixerat doctrinę S. Thomę, retractavit, vt ponderat in his terminis P.
11 del Bene *in præfatâ dubit. 268. numer. 34.*

Secunda regula sit, suspicionem oriri ex propositione etiam à S. Sede Apostolicâ non dãnatâ, quandò propositio illa opponitur authoritati omnium, vel majoris partis Sanctorum Doctorum: Quãvis enim ipsi quandoquè sibi invicem in expositionibus contradicant, & in aliquos errores inducantur, ut videre est penès Sixtum Senensem *Biblioth. lib. 5. ferè per totum illum lib.* nihilominùs non ità res se habet in jis, quæ ad fidem, vel ad mores spectant, quemadmodùm probat Corduba *quæst. Theolog. lib. 4. qu. 1. pag. mihi 233. col. 2. versic. respondeo*: Stante hujusmodi Regulâ, eò magis suspicionem inducit propositio, quæ fidei principiis opponitur, licet ipsa inter expressè damnatas non recenseatur: Antequàm enim propositiones ab Ecclesiâ improbentur, & tanquàm hæreticæ judicentur, hæreses in se continent, ut docet Fermosin. *de legibus Eccles. ad cap. damnatus*
12 *fin. num. 16.* Verùm si propositiones adeò obscuræ sint, ut lateat, eas opponi Sanctorum authoritatibus, nec ab Ecclesiâ damnatæ sint, & earum assertor non sit pertinax, sivè proferat hujusmodi propositiones cùm protestatione, quâ declaret, se, suumquè judicium S. Ecclesiæ Catholicę prorsùs subjicere, non sit ullo pacto suspectus: Imò tali protestatione negans propositionem, quamvis certa, & indubitata sit, si tamen ab Ecclesiâ nondùm definita fuerit, nunquàm hæreticus dici potest, sed erraticus tantùm: Sess. *decis. Aragon. 439. num. 15. Vol. 4.* & patet ex iis, quæ suprà *in præliminaribus* recensuimus, quibus consona sunt, quæ dicuntur à Fermosin. *loco cit.*

13 Tertia regula sit ad majorem confirmationem eorum, quæ dicta sunt in *primo paragrapho* de propositione etiam ambiguâ, quoties proferatur ab aliquo, cujus malæ qualitati congruat error, quem importare potest eadem propositio: Si enim quis ex Arianâ sectâ asserat, Patrem esse minorem Filio, suspicari potest, eum loqui in sensu hæretico: P. del Bene *d. dub. 268. num. 10.* nec mirùm, inquit Canus *de loc. Theol. lib. 12. cap. 10.* quod idem Vinum aliquid sapiat, si ex uno vase profluat, quod non saperet, si efflueret ex alio: At è contrà, quamvis sit damnatus articulus, quo asseritur: *Amandum esse Deum, quia bonus est, non autem propter beneficia hominibus collata*, nihilhominùs, si ab aliquo pio Viro insinuetur, ut Deus in se, & propter se ametur, non oritur proindè ulla suspicio, ut innuit Lupus *loco cit. dist. 3. art. 2.* Quarè Gerson. *de Imit. Christi, lib. 3. cap. 5.* laudabiliter inquit: *Amor non respicit ad dona, sed ad donantem se convertit super omnia bona*; & S. Thomas Theologorum Coriphæus, nil aliud petiit à Christo in suorum laborum mercedem, nisi ipsum Christum: Perpendenda est igitur unà cum cæteris circumstantiis qualitas personæ proferentis ad eruendum sen-
14 sum propositionis prolatæ: Sesse *decis. Aragon. 439. n. 55. vol. 4.* Nemo equinem sibi persuadere debet, his nostris temporibus Archiepiscopum Cameracensem, Virum eximium, & non tantùm ob dignitatem, quâ fulget, sed etiam ob scientiam, & ob morum integritatem, quibus pollet, perspicuum, aliquam hæresis suspicionem contraxisse, à quâ prætereà se immunem reddidit, tùm propter obscuritatem veritatis illarum propositionum, quas super amoris puritate docuit: Tantâ enim caligine

involuebantur, ut diù Romæ apud sa-
pientissimos fidei nostræ Judices dispu-
tatum fuerit, quidnam de ipsis sentien-
dum esset, totâ interim Galliâ, imò
vniverso quoquè Catholico Orbe Sum-
mi Pontificis declarationem anxiè ex-
15 pectante; Tùm etiam, quia postquàm
Sanctissimus Pontifex Innocentius XII.
ad quem ipse recursum habuerat, matu-
rè discussâ quæstione, definierit, quid
de propositionibus illis censeri debeat,
tunc præfatus Præsul, ut omnibus no-
tum faceret, nullâ hæresis suspicione
animum ejus infectum fuisse; sed tan-
tùm fervore Charitatis ab ejus Calamo
excidisse, quæ ab eo minùs rectè scri-
pta fuerant, palinodiam generosè ca-
nere non erubuit, quæ res majorem ei
conciliavit existimationem, quarè sicut
antea tanti Viri Eloquentiâ admiraba-
mur, posteà venerati sumus animi ampli-
tudinem, quâ summi Pontificis decla-
rationi promptè se submisit. Advertit
oportunè Corduba *loco cit.* §. 15. *notab.*
5. quod Inquisitores de aliquâ proposi-
tione judicantes, non statim debent
illam absolutè hæreticam, nec ejus as-
sertorem hęreticum pronunciare; sed
propositionem ipsam in malo sensu,
quem sonat, ut hæreticam damnare; &
in bono sensu expresso, quem recipit,
permittere: absolutè autem sinè aliâ
expressione, ut malè-sonantem reproba-
re: At circà assertorem addit, quod In-
16 quisitores debent considerare, an ali-
quis illam propositionem ab ipso abso-
lutè prolatam juxtà sensum hæreticum
intellexerit, & scandalizatus sit, &
tunc vocandus est illius propositionis
assertor, & cogendus, ut verum sensum
illorum verborum, quæ dixit, publi-
cè interpretetur, ut sic scandalum au-
ditorum auferatur, quod etiam adno-
tat Fermosin. *tract. crimin. tract.* 2. *in cap.*
Cum Christus, qu. 9. *num.* 11. Si verò il-
17 lius propositionis assertor aliàs de hæ-
resi suspectus sit, sed nullum auditores
ex illis Verbis scandalum conceperunt,
tunc ille secretò vocandus est, & de
verborum suorum intelligentiâ interro-
gandus; & si juxtà Catholicum sensum
ea dixisse constet, liberè absquè ullâ pu-
nitione dimittendus est; nequè opus est,
illum ad publicam verborum suorum
declarationem cogi, ne fortè ex hac
aliquis scandalizetur, qui antè non fue-
rat scandalizatus: Iustum tamen est,
ut ille per inquisitores admoneatur, ne
similia, sinè manifestâ verborum decla-
ratione iterùm audeat proferre: Si verò
id neget, se juxtà hæreticum sensum
credere, & tamen consideratis conside-
randis maneat adhuc suspicio, illum
ex errore in fide, seu ex Infidelitate sic
locutum fuisse, injungatur illi purgatio
canonica cum moderatâ pænitentiâ, in
quâ si defecerit, agatur cum eo non se-
cùs, ac fieri debet, secundùm jura,
cum suspectis de hęresi in suâ purgatio-
ne deficientibus.
18 Quarta Regula sit, suspicionem in-
curri per propositionem, quæ contineat
absurdum, & peregrinum sensum à
communi, usitatoquè modo loquendi
Patrum, & Scholasticorum alienum:
Solet enim censurari hujusmodi propo-
sitio, utpotè malè-sonans, seu piarum
aurium offensiva: P. del Bene *dict. dub.*
168. *num.* 11. & Corduba *qu.* 17. §. 14.
cum contineat quid absurdum, &
piis auribus indignum, ut si dicat: *Deus*
facit malum; nam cum Deus non faciat
malum culpæ, sed malum pænæ, id-
circò hujusmodi propositio condemna-
tur à D. Augustino, & ab Isidoro penès
Cordubam *loc. cit.*
19 Verùm si hujusmodi propositiones
piorum aures semper offendere dicun-
tur, & proindè suspectę habentur, mul-
tò magis hac notâ inuri debent, quo-
ties proferuntur in Concionibus, ad
quos audiendos commixtim concurrunt
ignorantes, qui, ut ait Albertin. *de*
agnoscend. Cathol. assert. qu. 7. *num.* 19. ex-
tricare non valent paradoxa, & à com-
muni tramite devia, quæ à Conciona-
toribus exagerantur potiùs, ut audito-
rum auribus pruriant, quàm ut eorum
animas pascant; idquè audent in rebus
non moralibus tantùm, sed etiã Theo-
logicis, ac ad fidem ipsam Catholicam
spectantibus, non minùs inutiliter,
quàm periculosè. Imò quod magis
damnandum est, ad hujusmodi tricas,
ineptiasquè tutandas eò usquè pertin-
gunt, ut Sanctorum Patrum sententias
mutilare non erubescant, easquè in sen-
sum ab eorum mente alienum trahe-
re;

re, quâ de re stomachatus conqueritur Transmiera *loco infrà citando*. (Vide superiùs dicta circà propositionem piarum aurium offensivam.)

20 Quinta Regula sit, suspectum esse assertorem propositionis, quæ sub pietatis, veritatis, aut religionis prætextu simplicem, rudemquè plebem subvertit, eamvè instigat contrà legittimos Magistros, & Pastores, ipsorũ vitia, aut ipsorum ignorantias propalando, vel aliis modis fideles à Sanctis Operibus artificiosè retrahendo, ut si quis pericula frequentis communionis exageret, vel incommoda status Religiosi amplificet, vel tandem mala, quę provenire somniantur ex confessione auriculari enumeret, quemadmodùm magnâ animarum totius Germaniæ jacturâ molitus fuit Erasmus, testibus P. del Bene de quo suprà, *num.* 15. & Corduba *loco cit.* §. 22. & superiùs nos diximus, loquendo de propositione scandalosâ: Ratio, propter quam prædictæ propositionis assertor efficiatur suspectus de hæresi, est, quia ipse videtur malè sentire, aut de frequentiâ Communionis, aut de Sanctis Religiosorum institutis, aut de pęnitentiæ Sacramento, dum fideles ab eis arcere nititur.

21 Verùm si propositio, quę Catholicorum animos à piis operibus arcet, hæresis suspicionem ingerit, majorem profectò suspicionem oriri necesse est à propositione, quæ eorumdem animos vel avertit ab amplectendâ fide orthodoxâ, & ab obedientiâ Ecclesiæ pręstandâ; vel ipsos anxios, tristesquè reddit ob fidem susceptam: Sub hoc gradu ait Transmiera *loco sæpè citato* comprehendi tractatus, quos Marcus Ephesinus, & alii Græcanici ritus Episcopi evulgaverunt post Concilium Florentinum sub Eugenio IV. celebratum, per uniuersas
22 Provincias Orientales: Ipsi enim perciti odio, quo prosequebantur Ecclesiam Latinam, sivè Occidentalem, falsò imposuerunt illi sævitiem in judicando, avaritiam in exigendo, & alia Crimina, quibus eam magis odiosam reddere possent, vt plebei à suscipiendâ fide deterrerentur, ac si qui jam suscepissent, ad ipsam ejurandam, & detestandam inducerentur.

23 Comprehenduntur quoquè sub hoc propositionis gradu ea verba, quæ ab aliquibus jactari consueverunt contrà recens conversos à Mahometanâ, vel ab Ethnicâ sectâ, quibus objicitur illis, quod aut non sincerè fidem suscipiant, aut quod pauci, aut nullus forsan ex ipsis sincerè, ac non fictè credat id, quod professi fuerunt, & alia hujus generis, quæ, vel obicem ponunt ingredi cupientibus Ecclesiam; vel pudorem, aut tristitiam inferunt iis, qui eam ingressi sunt.

24 Idem dicendum est contrà eos, qui similiter invehuntur indignissimis verbis in illos, qui deserto Judaismo, ad Religionem Christianam convertuntur, quos meritò Lusitana Inquisitio punit, & castigat, & hujusmodi tractatus è li-
25 bris expungit. Hinc est, quod hujusmodi propositionem propriè seductivam vocant Corduba *loco cit.* §. 22. P. del Bene *ubi suprà*, *num.* 15. & Transmiera *de denunc. q.* 4. *cap.* 4. *n.* 2. quo vocabulo utitur etiam Leo X. in Bullâ contrà Martinum Lutherum: Hæc propositio vocatur etiam scandalosa à Bordon. *in Tribun. in cap.* 2. *n.* 76. ab eodem Corduba *loco cit.* §. 20. & à P. del Bene *d. dub.* 268. *n.* 14. Eamquè quoquè Pius IV. in Constit. quæ incipit:
26 *Dominici Gregis*, denominat pietati, & morum honestati inutilem: Posset etiam cum P. del Bene *ubi suprà*, *n.* 16. nuncupari periculosa, quod nomen ei congruit, seù quia talis sit in jis, quæ ad fidem spectant; seu quia talis sit in ijs, quæ ad mores pertinent: Periculosa autem in fide dicitur propositio, quæ licet hæresim, vel errorem manifestè non exprimat, est tamen periculum, ut ex illâ hæresis, vel error oriatur, ut suo loco latiùs diximus. Sub hoc gradu con-
27 tinentur ea, quæ à Clemente VIII. in Instructione Pontificiâ prohibentur, jis verbis: *Quæ contrà Sacramentum Ritus, & consuetudinem S. R. E. novitatem aliquam inducunt; prophanæ etiam novitates vocum ab hæreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ*: Periculosa verò in
28 moribus est propositio, quæ speculativè considerata aliquam habet verisimilitudinem, & quemdam apparentem colorem probabilitatis; verùm in praxi,

xi, moraliter loquendo, sinè gravis culpæ reatu nequit executioni mandari: Hujusmodi propositio à Clemente VIII. in dictâ instructione appellatur bonis moribus contraria; quamobrem si ejus causâ periculum timeatur, quod disciplina relaxetur, pietas labefactetur, & morum corruptioni via sternatur, tunc magis cavendum est, ne ipsa à nemine probetur, & laudetur, ut obstruatur aditus reducendi eam ad praxim, & executionem.

29 Benè, sapienterquè igitur institutum est, ut evulgantes, & disseminantes hujusmodi propositiones, justissimo Inquisitorũ judicio condemnentur, &, ut ab eisdem debitis pænis afficiantur, ab aliis denunciandi sint, ut rectè perpendit Transmiera *ubi suprà*.

30 Sexta Regula sit, suspectam esse propositionem, quæ detrahit alicui statui fidelium, seù dignitati, & potestati Illustris personæ, quo casu propositio illa dicitur injuriosa: P. Del Bene *loco cit.*
31 & Corduba *ubi suprà*, §. 24. Verùm, quia tali propositione irrogari potest injuria, non tantùm alicui personæ, sed etiam ipsi Deo, ac sanctis ejus, idcircò quoties inferatur injuria Deo, vel Sanctis, nuncupatur illa propositio blas-
32 phema: Corduba *ibidem*: Irrogari quoquè potest injuria fidei nostræ, & ea propositio, quæ fidei nostræ splendorem obtenebrare, & denigrare tentat, appellatur fidei denigrativa, vel subsannativa: De hujusmodi propositionis gradu loquitur Bulla Martini V. ad finem Concilii Constantiensis.

33 Quoniam verò prophetiæ, revelationes, miracula, gesta Sanctorum, vitæ asperitas, & integritas sunt efficacissima argumenta ad stabiliendam probabilitatis fidei evidentiam, & consequenter ad ipsam fidem corroborandam, idcircò propositio prædicta, quæ hujusmodi argumenta infirmat, aut enervat directè, sivè indirectè, dicenda est pariter denigrativa fidei, & per consequens illius propositionis assertor efficitur sus-
34 pectus: Hæc est ratio, propter quam subdantur Sacræ Inquisitioni illi, qui de se ipsis evulgant, aut evulgare faciunt prodigiosa, vel operationes miraculosas, sivè propheticas revelationes, aut cælestes illustrationes, & inusitatas corporis afflictiones ad captandam secularem gloriam: Censendi enim sunt tanquàm falsarii adulatores probatissimæ monetæ, quam prophetæ, & operatores virtutum exhibuerunt, ac proindè debent statim denunciari. Non tamen
35 me latet, ipsos posse aliquandò excusari à deceptione, aut ab invincibili, seù crassâ, ac sinè fictione affectatâ ignorantiâ, tamen hoc judicium, ut rectè ait Transm. *loco cit. n. 3.* Inquisitoribus est omninò relinquendum, ipsiquè delatores, & denunciatores simplicitate uti debent potiùs, quàm affectatâ prudentiâ, quæ in hoc casu imprudentia, & arrogantia esset denominanda.

36 Nequè aliquis, ut se eximat ab onere denunciandi hos falsarios, debet sibi persuadere, vera esse illa miracula, vel alia superiùs notata, quousquè Ecclesię authoritate, vel testimonio non fuerint reprobata; alioquin, ut animadvertit idem Transmiera, quamplurium præsertim simplicium homuncionum, aut ambitiosarum fæminarum error, & superbia foveretur; ac magna insuper injuria irrogaretur veris mira-
37 culis, quæ his temporibus cum adeò necessaria non sint ad Catholicam fidem confirmandam, ideò rarissimè ab Omnipotenti Miraculorum Authore conceduntur, quod perspicuè, ut solet, observavit Magnus S. Gregorius, Ecclesiæ Doctor egregius, familiæquè meæ Protector, *in hom. 29. in Evang.* ubi ait: *Numquid fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: Ut enim ad finem cresceret multitudo credentium, miraculis fuit nutrienda. Quia & nos, cum arbusta plantamus, tamdiù eis aquam infundimus, quousquè ea in terrâ coalvisse videamus; & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit: Hinc est enim, quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

38 Verumtamen cum miraculorum patratio etiam fiat à Deo ad manifestandam Sanctitatem servorum suorum, quia mirabilis Deus in sanctis suis, ideò sæpè ad intercessionem Sanctorum miracula fieri audiuntur, etiam nostris temporibus.

39 Po-

39 Potest similiter propositio injuriam
irrogare ipsismet rebus sacris: Hæc ap-
pellatur irreverens, & sub eâ continen-
tur dicteria, & alia verba, quæ mis-
cent impudenter sacra profanis: Hu-
jusmodi crimen non est adeò leve, ut
quibusdam fortasse videtur; nec illud
perpetrantes dicendi sunt ab hæresis
suspicione immunes, eò quòd ab Epis-
copis tantummodò puniendi sint, juxtà
40 Concil. Trid. *sess.4.* cujus verba hæc
sunt: *Temeritatem illam reprimere vo-
lens, quâ ad profana quæquè conver-
tuntur verba, & sententiæ Sacræ Scrip-
turæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana,
adulationes, detractiones, superstitiones
impias, & diabolicas incantationes, di-
vinationes, sortes, libellos etiam famo-
sos, mandat, & præcipit ad tollendam
hujusmodi irreverentiam, & contemptum,
ne de cætero quisquam quomodolibet ver-
ba sacræ Scripturæ ad hæc, & similia au-
deat usurpare, aut omnes hujusmodi ge-
neris homines temeratores, & violatores
verbi Dei, juris, & arbitrii pænis per
Episcopos coërceantur*: Non dicantur, in-
41 quam, isti nullâ hæresis suspicione in-
volvi; nam post instructionem Pontifi-
ciam Clementis VIII. *anno* 1495. co-
gnitio, ac animadversio adversùs eos-
dem impudentes etiam ad Inquisitores
pertinet: *Expungi oportet* (ait Clemens)
*verba Scripturæ sacræ quæcumquè ad pro-
fanum usum impiè accommodantur*: Quod
42 explicitè dictum est de Scripturis Sa-
cris, similiter intelligendum est de li-
bris Sanctorum Patruum, de Officiis
Ecclesiasticis, & de Viris Sanctitatis
eximiæ, & eorum gestis, si ad scurrilia,
adulatoria, aut detractoria accommo-
dentur, cum id non sinè magnâ irreve-
rentiâ, & Sanctorum contemptu con-
tingere possit, ut ait Transm. *loco cit.*
43 Hæc omnia verò non adeò rigorosè
sunt intelligenda, ut censeri debeant in-
currere hujusmodi suspicionē quicum-
què simpliciter Sacra profanis immis-
cent, ut rectè observat sæpè laudatus
Transf. sed insuper necesse est, ut irreve-
renter, vel rediculè, vel maledicè id fiat;
aliter nec peccatur quidē; imò sępè San-
cti Patres, & interpretes, res, & locu-
44 tiones sacras per res, & locutiones pro-
fanas, Philosophorum, Poetarum,
& Oratorum eruditè, & laudabiliter
explanarunt, de quibus passim exem-
pla suppetunt. Cum ergò ad hoc, ut in-
curratur hujusmodi suspicio, requira-
45 tur, quod indecenter sacra profanis
immisceantur, puniendi erunt plerum-
què à Sacrâ Inquisitione, qui sacra ar-
gumenta, Sanctorum gesta, vel para-
bolas ad comica transferunt argumen-
ta, & ex illis fabulas effingunt: quâ-
proptèr cum Cemœdiæ exposcant, ut
cum risu, scommatibus, scurrilitate, fa-
cetiisquè pertractentur, (de quibus
Comicis, & tragicis spectaculis agit
Martinus Schockius *exercit. var. exerc.*
29.) nisi multum prudentiæ, ac cautio-
nis adhibeatur, facilè est, ut res sacræ
profanis, & irreverentibus ineptiis
involvantur.

46 Sub hoc pariter gradu propositionis
irreverentis comprehenduntur, juxtà
Transm. *loco cit.* propositiones non al-
legantes fideliter verba Scripturæ Sa-
cræ, de quibus instructio Clementis
VIII. sic habet: *Verba Sacræ Scripturæ
non fideliter prolata, vel ex pravis Hæ-
reticorum versionibus deprompta*. Ratio
est, quia impietatem redolet, & Sacrę
paginæ verbis iniuriosum est, pro divi-
nis oraculis verba hominum venditare,
sivè id fiat allegando pro verbis Dei,
ea, quę talia non sunt; sivè ipsa alte-
rando, contrà illud pręceptum Divi-
num *cap.4. Deuter.* evulgatum: *Non ad-
47 detis, neque diminuetis*; sivè eadem,
quamvis fideliter allegata ad extortam,
& repugnantem sententiam retorquen-
do, & trahendo. Hoc genus irreveren-
tię tantâ malitiâ refertum esse judica-
vit Ludovicus Vivaldus *in decima per-
secutione* apud Transm. de quo *suprà*, ut
48 dixerit (nimis rigorosè tamen) hære-
ticum esse eum, qui falsam, & extor-
tam interpretationem in scripturis Di-
vinis ponit, docet, vel prędicat, ad
quod allegat verba Hieronymi: *Qui-
cumquè aliter Scripturam Sacram intel-
ligit, quàm sensus Spiritus Sancti effla-
gitat, quo conscripta est, licet ab Ecclesiâ
non recesserit, tamen hæreticus appellari
potest*.

49 Item injuriâ afficitur Ecclesia à pro-
positione, quę illi detrahit, undè nun-
cupatur Ecclesię decolorativa, juxtà
San-

Sanctum Bonaventuram *in* 4. *dist.*19.

50 Similitèr infertur injuria assertionibus probabilibus Catholicorum Doctorum à propositione, quę eorum assertiones probabiles nimis audacter vilipendit, dum ipsas vocat hęreticas, aut erroneas, aut impias; vocaturquè hęc pręsumptuosa propositio, ac temeraria, ut patet ex litteris Apostolicis Sixti IV. allegatis à Francisco Diago *lib.* 1. *Annal. Aragon. cap.* 33. & ab Alphonso Fernando *in concertatione prædicatoriâ*, *editionis Salmanticensis*, *pag.* 227. 228.

51 *&* 229. Ait enim Pontifex ille: *Cum duplex sit opinio Catholicorum DD. circà causas præcipuas Incarnationis Verbi Divini intuentium; Altera, quod si Adam non peccasset, Dei Filius humanam carnem non assumpsisset; altera, quod etiamsi non fuisset humana natura in primo Parente lapsa, adhuc Dei filius carnem assumpsisset, & opinio utraquè pietati, fidei auctoritatibus, & rationibus subsistat: Cumquè priori opinioni versus illi innitantur*, (qui sunt

Peccatores non abhorres,
Sinè quibus nunquàm fores
Tanto digna filio.)

dicimus, quidquid contrà dictos versus attentatum fuit, temerarium, præsumptuosum, & pœnâ dignum fuisse, tanquàm contrà opinionem à DD. Catholicis positam. Ex quibus constat, subjungit Transm. *loco superiùs cit.* juxtà mentem Sanctæ Sedis Apostolicæ puniendos esse tanquàm temerarios, præsumptuosos, & animadversione dignos ab Inquisitoribus illos, qui damnant propositiones à DD. Catholicis, veluti

52 probabiles, toleratas. Nil igitur mirum, si Pius V. & Gregorius XV. in Bulla adversus Michaelem Bajum varias illius Doctoris propositiones condemnent, quarum nonnullæ non aliam ob causam damnantur, nisi quia ignominiosè carpunt aliquas opiniones probabiles DD. Catholicorum, ut apud Transm. *ubi suprà*, recensent Suarius *Prologm.* 6. *de gratia*, *cap.* 2. Turrian. 2. *par. select. centur.* 3. *dub.*6. *pag.* 33. *& disp.* 31. *dub.* 59. *& in opusc. de gratia, tract. ult.* & pro eodem sensu allegantur Cardinalis Toletus, Ga-

53 briel, Vasquez, & alii. Porrò propositiones, à quibus injuria irrogatur sententiis Philosophicis quorumcumquè Authorum, quæ faveant fidei Catholicæ, vocantur præsumptuosæ. Quamvis enim Catholica dogmata non indigeant fundamento Philosophiæ Aristotelis, seù aliorum Authorum, quibus fulciantur, tamen cum duæ ejusdemmet rei veritates, quarum una consona sit fidei Catholicæ, altera Philosophiæ, nequeant contrariæ esse inter se, ut benè ait Lupus *in edictis, libr.* 26. *dist.* 2. *art.* 2. idcircò faciliùs persuadentur veritates Catholicæ, si conformes appareant philo-

54 sophiæ principiis. Hinc est, quod cum Arabes, ac eorum Antesignanus Averroes, interpretarentur Aristotelem, tunc propter ingruentia bella ignotum in Occidente, atquè principiis peripateticis adversùs Religionem Catholicam abuterentur, accidit, ut sacrosancta fidei nostræ mysteria à compluribus veritati parùm consona putarentur; sed quoniam Deus Ecclesiæ suæ nunquàm deest, eidem providit, dum eam clarificare dignatus est

55 mirâ eruditione Sancti Thomæ Aquinatis, qui postquàm sedulam peripateticæ Philosophiæ, cujus tanta apud omnes erat existimatio, operam impendisset, ità explicavit Aristotelis doctrinam, eamquè adeò consonam Catholicæ Religioni patefecit, ut nemo posteà à verâ fide discessere possit, quin Peripato quoquè non deficiat; idcircò necesse fuit nostrorum temporum Hæresiarchis, qui Vaticanum expugnare tentarunt, Lyceo quoque bellum indicere, quemadmodùm ait Cardinalis Pallavic. *hist. libr.*7. *cap.*14. *num.* 16.

56 Cum ergò ità res se habeat, jure meritò damnanda est propositio, quæ injuriam irrogat Philosophorum principiis, dummodò id faciat, quatenùs ea principia fidei nostræ dogmatibus con-

57 sonant; id, quod patet ex Concil. Constant. *sess.*19. *pag.*895. *juxtà edition. Colonien. ann.*1618. quæ sessio quò ad hanc partem fuit approbata à Martino V. Nã generalis eadem Synodus Constant. coegit Hieronymum de Praga ad abjurandam, tanquàm Catholicæ Religioni no-

noxiam, censuram, quâ infamaverat sententiam quamdam probabilem ex tractatu de Universalibus desumptam: Hic tamen finis in censurante sententias Philosophorum faventes Religioni nostræ eruitur præcipuè à conditione,
58 & qualitate ipsiusmet censurantis: Est enim hujusmodi censura æquivoca, cum possit esse tàm propter opinionem merè philosophicam, quàm propter odium Religionis Catholicæ, & in dubio benignior interpretatio facienda est.

59 Tandè propositio irrogare potest injuriam alicui personę dignitate fulgenti, & hæc vocatur acerba, seu satyrica: Sub ipsâ comprehenduntur dicteria, quæ adversùs Ecclesiasticos à quibusdam è suggestu proiiciuntur, ut ait Transm. *loco cit.* Hoc enim dedecet Concionatores Verbi Divini, qui non possunt acerbioribus verbis, & objurgationibus à Sacro Pulpito vulnerare, & infamare determinatas personas Catholicas, præcipuè Ecclesiasticas, vel status in Ecclesiâ receptos, aut legit-
60 timè toleratos: Sunt igitur hujusmodi Concionatores severissimè puniendi ab Inquisitoribus, prout (inquit Transmiera) firmatum est authoritate Conciliorum nominatim Senonen. *cap.* 36. *in decretis morum*, *pag.* 167. Colonien. *par.* 4. *cap.* 8. *pag.* 186. *&* *par.* 6. *cap.* 13. 15. 16. *&* 17. *pag.* 190. Augustensis *cap.* 13. *pag.* 214. Trevirensis *cap. missi*, *pag.* 270. Mediolanen. 1. *pag.* 261. *juxtà editionem Colonien. ann.* 1618. Quod identidem, præter Concilia, Canones Religiosorum cætuum, Theologos, Summistas, & Juristas, statuit Paulus III. *anno* 1542. *in bullâ*, quæ incipit: *Apostolici Culminis*; & rationabilissimè, nam similes objurgationes sunt non modò inutiles, sed etiam scandalosæ, seditiosæ, & viam ad schismata sternunt, tumultus provocant; id, quod pluribus historiarum monumentis comprobatur.

61 Adde, quod ferè semper hæ reprehensiones fiunt, ut observat idem Transmiera, cum abusu exemplorum Sacrarum Scripturarum, propterea juxtà decretum Concil. Trid. *sess.* 4. trans-
62 gressores sunt graviter puniendi. Abutuntur verò exemplis scripturarum, dum ad suam defensionem adducunt Christi Domini, & Prophetarum reprehensiones, quæ non possunt ad exemplum trahi prò ordinariis prædicationibus; Tùm quia Prophetis extraordinaria inerat objurgandi Jurisdictio, & personam Summi Numinis singulari modo ipsi repręsentabant; Tùm quia spiritus, à quo dirigebantur Prophetæ, hominum culpas noverat, & privatas à publicis secernebat, ipsique Dei jussu nominatim singulas corripere debebant; Tum etiam quia ipsi ex Prophetiæ dono videbant, quandò objurgatio futura esset tempestiva, & proindè quid utilitatis, vel contrà quid detrimenti ex silentio sequuturum esset. Hæc verò omnia minimè verificantur de his Concionatoribus, qui non prophetico impulsu, sed solùm magistrali, & doctrinali præditi sunt. (Vide, si vis, Concil. Lateranen. sub Leone X. *sess.* 11. & Clementinam *Religiosi, de Privilegiis*,
63 cum Concil. Vienen.) Neque ab Inquisitorum Judicio eximi debent ji, qui callidè, dum nomina tacent, personas ità circumscribunt, ut in eorum notitiam cum facilitate deveniatur.

64 Septima regula sit, eam propositionem esse suspectam, quæ quamvis non possit vrgentibus testimoniis, aut fundamentis impugnari, semper tamen in materiâ morali cum formidine, ac scrupulo executioni demandatur; & in materiâ speculativâ non sinè scrupulo, & formidine docetur, cum è converso opposita doctrina omni careat scrupulo, & anxietate.

65 Hæ igitur sunt regulę, quibus dignoscitur, quandò hæresis suspicio inducatur à propositione, cujus assertores sunt propterea puniendi ab Inquisitoribus, nō solùm ex consuetudine, ut putat Corduba *ubi suprà*, *sub notab.* 4. sed ex Constitutione Pauli III. ut probat Fermosin *tract. crim. tract.* 2. *in c. cum Christus*, *q.* 9.
66 *n.* 6. & rationabiliter propter criminis gravitatem simul, & propter affinitatem cum hæresi: Et licet in pluribus casibus nihil contrà fidem mediatè, uel immediatè dicatur, plura tamen dicuntur cōtrà charitatem, justitiam, & alias virtutes, quarum indemnitas ad curam Inquisitionis pertinet, quæ sicut non tantùm prohibet libros circà fidem, sed

etiam

etiam circà bonos mores; ità potest linguam coercere ab hujusmodi propositionibus, quæ gravissimè bonos mores possunt perturbare.

67 Porrò hujusmodi regulæ desumuntur ex Summorum Pontificum Constitutionibus, ex Conciliis, & ex Universitatum, ac Scholasticorum qualificationibus, quæ cum plures simul in eâdem propositione sæpè concurrant, ut advertit Corduba *loco cit.* §. 28. *in notab.* & nos *suprà*; ità ex pluribus regulis reddi potest suspecta una, & eadem propositio.

Hæc sunt, quæ in priori hujus Operis parte discutienda putavi ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam: Si autem quid præter meam intentionem perperàm dictum fortasse fuerit, illud imbecillitati, non malitiæ meæ tribuendum; & tanquàm non dictum esse, velit Lector, sicut expungi, & reiici cupio.

F I N I S.

INDEX

INDEX

Omnium rerum Notabilium.

A

ABIURATIO.

ABjuravit quidam, qui nocte Sabbathi Sancti abstulit martellos à quibusdam campanis. Cap.ult. Sect.2. Subsect. 1. §.5. num.24. pag.495.
Contemptores Cedulonum qualiter abjurare debeant? Ibid. num. 28. pag. 495.
Qui Hæreticos putatos defendunt, abjurare coguntur, licèt non incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ. Cap.4. Sect.2. num.5. pag. 424.
Papa nunquàm permittit matrimonium Catholicorum cum Hæreticis, nisi priùs hæresim isti abjurent. Cap. 5. Sect.1. num.44. pag.440.
Qui iteratò suscepit Baptismum, abjurare debet. Cap.3. Sect.4. num.21. pag.391.
Idem dicendum de eo, qui iteratò recipit Sacramentum Confirmationis. Ibid. num. 22. pag.391.
Concilium Constantiense coegit Hieronymum de Praga ad abjurandam censuram datam contrà probabilitatem ex universalibus desumptam. Cap. ult. Sect.2. Subsect.2. num.57. pag.510.
Quomodo abjuret Polygamus? *Vide in verbo* POLYGAMIA.
Quomodo abjuret Blasphemus? *Vide in verbo* BLASPHEMUS.

ABORTUS.

Maleficium abortus quomodò operetur Dæmon? Cap.2. Sect.6. Subsect.3. n.22. pag. 238.

ABSENS.

Olim absentibus denunciabantur Hæretici, & quomodò? Cap.4. Sect.1. Subsect.1. num.3. pag.399.

ABSOLUTIO.

An absolutio Sacramentalis eximat blasphemos à poena debita? Multi affirmant. Cap.1. Sect.6. num.77. pag.132.
Ratio assignatur pro dicta opinatione, pro qua etiam allegatur lex Saxonica. ibid. num.78. pag.132.
Communis opinio est, quod absolutio Sacramentalis non eximat blasphemum à pœnis juris. ibidem numer. 79. pag. 132.
Referuntur aliquorum Doctorum dicta ad hoc cum doctrinis. ibid. num. 80. pag.132.
Illatio absurdi contrà dictam opinationem. ibid. num.81. pag.132.
Hæreticorum errores in formâ absolutionis Sacramenti Pœnitentiæ, qui, præter verba, exigunt signum visibile. Cap.3. Sect.1. Subsect.3. num.12. pag.304.
Inter formam Absolutionis Latinam, & Græcam, est tantùm accidentale discrimen. Ibid.num.16. pag.305.
Forma Græcorum, quæ est: *Habeo te absolutum à peccatis tuis*, non licet Latinis, ea uti; Græci tamen tollerandi sunt ex decreto Sacræ Inquisitionis. Ibid. n.14. pag. 305.
Forma absolvendi Orientalium per modum deprecativum, nunquàm fuit improbata, nec adversatur ei Concilium Tridentinum. Ibid. num.15. pag.305.
Potestas absolvendi à peccatis, licèt proveniat indelebilitèr à charactere Ordinis, requirit tamen jurisdictionem, tanquàm conditionem, sinè qua non. Cap.3 Sect.3. Subsect.1. num.11. pag.341.
In casu necessitatis, vel in mortis articulo omnes Sacerdotes habent potestatem absolvendi à peccatis, vel jure Divino, vel jure Ecclesiastico. Cap. 3. Sect. 4. num.12. pag.389.
An Confessarius absolvere debeat Blasphemum consuetudinarium? *Vide in verbo* CONFESSARIUS.
Quando absolvendus sit Reus? *Vide in verbo* ACCUSATUS.
Alia *vide sub verbis* CONFESSIO, POENITENTIA, POENITENS.

ABUSUS, & ABUTENS.

Sacræ Scripturæ Abusus in sortibus licitè adhibitis, intervenire nequit. Cap.2. Sect. 4. Subsect. 1. num. 6. pag. 208.

Abutentes Sacramentis sunt de hæresi suspecti. Cap.3.num.1.pag. 262.

Atrocitas sceleris in Sacramentorum abusu. Ibid. num.3. pag. 263.

Heresis suspicio inducta ex abusu Sacramentorum, levis non est, quocumquè modo consideretur. Ibid.nu.4.pag.263.

Ludovicus Correa reiicitur, putans ex concupiscentia excusari Sacramentis abutentes. Ibid. num.5. pag.263.

Sacramentorum abusus hæresis inducit suspicionem, quia hæretici, vel despiciunt omnia Sacramenta, vel nonnullis abutuntur. Ibid. num.6.pag.263.

Non quilibet Sacramentorum abusus inducit hæresis suspicionem, & qualis abusus eam inducat? Ibid. n.7. pag.363.

Quomodò poterit cognosci, quod Sacramentorum abusus habeat fundamentum in hæresi? Ibid. num.8. pag. 264.

Ex qualitate personæ abutentis judicatur etiam de abusu Sacramenti, an inducat hæresis suspicionem. Ibid. n.9. pag.264.

Quamvis non omnis Sacramentorum abusus inducat hæresis suspicionem, aliquis tamen abusus Sacramentorum eam inducere potest in quolibet Sacramento. Ibid.num. 10.qag. 264.

Quot modis abusus in Sacramentis possit contingere? Ibid.num.11.pag.264.

Septem modis contingere potest abusus Sacramentorum in conficiendo. Cap.3. Sect.1. num.1.pag.265.

Abusus in conficiendo in quibusnam Sacramentis committi possit? Ibid. nu.2. pag.265.

Non Sacerdos audiens confessiones abutitur Sacramento pęnitentiæ, & est vehementer de hæresi suspectus, & quare? Cap.3.Sect.1.Subsect.1.nu.12. pag.268.

Qui vivente prima uxore aliam ducit, est verè Polygamus, abutens Sacramento Matrimonii, & de hæresi suspectus. Cap.3. Sect.1.subs.1. §.1. nu.1.pag.273.

Abutitur Matrimonio, qui contrahit cum Infideli, vel hæretica. Cap.3. Sect. 1. Subsect.1.§.4. num.1. pag.291.

Abusus Sacramenti ob non debitam materiam in conficiendo, sæpè fit ad sortilegium, præcipuè in hostiâ. Cap. 3. Sect.1. Subsect.2. num.1. pag. 295.

Circà materiam, ex qua conficitur matrimonium, nullus est abusus inducens hæresis suspicionem. Ibid.num.31.p.301.

Abusus in non debitis cæremoniis potest tantum contingere in Sacramentis Eucharistiæ, & Matrimonii. Cap.3.Sect.1. Subsect.6.num.1.par.317.

Abusus circà cæremonias Sacramentorum tripliciter occurrit. Ibid. num. 2. pag.317.

Primus modus est, non debitas adhibere cæremonias: Hic contingit, quando in Missa recitantur preces nefandæ, & turpes. Ibid. num.3. pag.317.

Secundus modus est, quando ex cotemptu cęremonię omittuntur, qui abusus favet hęresi Calvini, & Lutheri. Ibid. num.4.pag.318.

Tertio casu Sacramentum non debitis cęremoniis conficitur, si ea, quæ voce submissa sunt dicenda, clara voce dicantur. Ibid.num.29.pag.322.

Abusus vasorum vilium in Sacrificio observatus in Maronitis. Ibid. num. 12. pag.319.

Abusus in conferendo Sacramento committitur in omnibus Sacramentis excepto Matrimonio; tamen respectu Baptismi ex defectu potestatis nullus committitur abusus. Cap.3. Sect.3. num.1. pag.337.

Abusus Sacramentorum in conferendo, nō adimpletis iis ad quę Minister exindè tenetur, non potest contingere, nisi respectu Sacramenti pęnitentiæ. Cap. 3. Sect.3.Subsect.6.num.1.pag.384.

Abutitur Sacramento Pœnitentiæ, qui revelat audita in confessione. Ibid.n.12. pag.385.

Abutitur quis Baptismi Sacramento, si suscipiat à Ministro hæretico, & talis fit suspectus de hęresi. Cap.3.Sect.4.nu.1. pag.388.

Abusus Sacramentorū in suspiciendo cōmittitur, si accipiatur in non debita materia, ut si quis vellet Eucharistiam in hostia non consecrata. Ibid. num. 16. pag.390.

Abutitur Sacramentum Baptismi, & est Apostata, qui patitur se rebaptizari. Ibid. num.18.pag.390.

Et quando hic Abusus soleat contingere? Ibid. num.19.pag.390.

Qui conficiunt aliquod Sacramentum, eo abu-

abutuntur in omittendo, si deficiant in substantialibus. Cap.3. Sect.5. num.1. pag.392.
Abutitur Sacramento in omittendo, qui eum vel nunquàm, vel rarò recipit. Ibid.num. 14. pag. 394.
Quid requiratur ad incurrendam suspicionem heresis in abutentibus Sacra Scriptura? Cap.ultim.Sect.2.Subsect.2. num.43.44.45.pag. 509.
Quomodò injustè abutantur concionatores exemplis Sacræ Scripturæ? Cap.ult. Sect.2.Subs.2. num.61.& 62. pag.511.
De Abusu Sacræ Scripturæ. *Vide in verbo* SACRA SCRIPTURA.
De Abusu Sacramentorum, vide sparsim in suis sedibus. *Alia vide sub verbis* FORMA, SOLLICITATIO.

ACCADEMIA.

Qui profert propositionem qualificatam ab Accademia, non est de heresi suspectus. Cap.ult.Sect.2. Subsect.2.num.9. pag. 505.
Accademia Parisiensis immeritò censuravit propositiones Sancti Thomæ. Ibid. num.10. pag.505.

ACTIO.

Actionis indifferentia undè desumenda? Cap.5.Sect.2. num.35. pag.448.

ACTUS.

Actus externi, quando sint idololatriaci? *Vide in verbo* IDOLOLATRIA.
Reliqua *Vide in verbo* FACTUM.

ACCUSATIO.

Directè dicuntur impediri Ministri S.Officii, si Princeps statuat, ne aliquis accusetur. Cap.4.Sect.2. num.34.pag.427.

ACCUSATUS.

Accusatus de Crimine ob notitiam ex cõfessione habitam, est absolvendus. Cap. 3.Sect.3. Subs.6.num.20. pag.386.

ADAM.

De Adami sapientia nomina rebus imponentis. Cap.2.Sect.2.Subs.4.§.2. n.10. pag. 185.
An si Adam non peccasset, Verbum Incarnatum fuisset? Ad hanc quæstionem duplex est Catholicorum opinio. Cap. ult.Sect.2.Subs.2.num.51. pag.510.

ADAMAS.

Virtus Adamantis circà Magnetum: *Vide in verbo* MAGNES.

ADMONITIO.

Protestatio non excusat in judicio, quando quis est admonitus, ne promoveat aliquam propositionem, tanquàm hæreticam. Prelim.17.num.10. pag.31.
Est evidens pertinacia non credere Episcopo, seù Inquisitori admonenti in expresè damnatis. Ibidem num. 11. pag.31.
Secus in iis, quæ ab Ecclesiâ non sunt expresè damnatis. Ibid.num.12.
An requiratur monitio, ut quis dicatur pertinax. Ibid. n.14.pag.31.
Prava voluntas non flectitur per simplicem admonitionem. Ibid. nu.14. pag. 31.
Effectum, quem sortiri potest admonitio, faciliùs consequi possunt libri. Ibid. n. 14.pag.32. Declara. Ibid.
Admonitio necessaria est ad justificandam incorrigibilitatem. Ibid. num.15. pag. 32.
Termini ad effectum, ut heretici resipiscant per admonitiones, dantur in S.Officio. Ibid. num. 15. pag.32. Et quales debeant esse cum hæreticis negativis? Ibid. num.16.
Admonitio non est necessaria respectu illius, qui diù latenter in errore fuit. Ibid. num.17. pag.32.

ADSTANTES.

Disputatio cum hæreticis nocere potest Adstantibus, maximè si sint Idiotæ. Cap. 5. Sect.2.num.90. pag.454.

ADULTERIUM.

Altero conjuge Adulterante potest alter ordines suscipere, absquè ullo consensu. Cap.3.Sect.1.subs.1. §.3.n.13. pag. 289.
Quando præsumatur, quod uxor sit commissura adulterium? *Vide in verbo* UXOR.

ADULTI.

An sint baptizandi Adultus, vel potius Infantes? *Vide in verbo* BAPTISMUS.

ADUOCATUS.

Defendere dicuntur hæreticos in judicio, qui eos defendunt, tamquam Advocati. Cap.4. Sect.2.num.6. pag.424.

Advocatus an defendere possit Clientem hęreticum? *Vide in verbo* DEFENSIO.

ÆQUALITAS.

Qui sortes tentant, æquali Jure niti debent. Cap.2. Sect.4. Subsect.1. num.7. pag. 208. *Vide in verbo* SORTES.

ÆQUIUOCA.

Sunt priùs distinguenda, antequàm definiantur: Prælim.1. num.7. pag. 2.

Verba æquivoca sunt sumenda in sensu Catholico, nisi mala fama loquentis aliter suadeat; & ideò ex ipsis non oritur suspicio hæresis. Prælim.9.num.6.pag. 16.

Liberius Pontifex approbavit formulam fidei æquivocam. Pręlim. 9. num.6. pag.16.

Propositio æquivoca, seù ambigua viri bonæ famæ non est interpretanda in sensu hæretico. Prælim.9.nu.6.pag.16.

De propositione æquivoca. *Vide in verbo* PROPOSITIO.

AER.

Aëris temperies indicat ingenii pręstantiam, & è contrà; necnon mores. Pręlim.5. num.6. pag.8.

Aëris futuræ qualitates ab Avibus, cęterisquè brutis dignosci possunt. Cap. 2. Sect.3. Subs.1. num.14. pag. 203.

AEROMANTIA.

Æromantia apud veteres quomodò fiebat, & quomodò apud Judæos, qui ferè soli sunt, qui eam exerceant? Cap. 2. Sect.4.Subs.3.num.9. pag.214.

ÆTAS.

Ob defectum ætatis professio est nulla. Cap.3. Sect. 1. Subsect.1. §. 2. num.27. pag.286.

An minor ætas excuset, vel saltem minuat pęnam blasphemanti? Minimè, dummodò excedat annum sextum decimũ: exempla referuntur. Cap.1. Sect.6.nu. 66.pag.130.

Limitant alii responsionem in minore doli capace, & sensum blasphemiæ sentiente. Cap.1.Sect.6.num.67.pag.130.

Minor ætas doli capax meretur pœnę minorationem, quia non est perfecti judicii. Cap.1. Sect. 6.num.68. pag.131.

Qua ætate generati possit? Cap.3.Sect.1. Subs. 5.num.31.& 32.pag. 315.

Reliqua *vide sub verbis* PROFESSIO, MATRIMONIUM.

AFFECTATIO.

Affectatio ex quo proveniat in Ignorantia? Prel.14.n. 13.pag.24.

Affectata ignorantia an, & quando ab hęresi excuset? *Vide in verbo* IGNORANTIA.

AFFECTUS.

Numeratur Affectus inter causas Idololatriæ. *Vide in verbo* IDOLOLATRIA.

ALBANENSES.

Albanenses hæretici an differant à chateris? *Vide in verbo* CHATERI.

ALCORANUS.

In Alcorano plures sunt hæreses: Ideoquè, qui ipsum legit, est suspectus de hęresi. Cap.6.Sect.2.num.33.pag.467.

Alcoranus quare prohibitus? Cap. ult. Sect.2.Subs.1.§.7.num. 9. pag.500.

ALLEGATIO.

Sunt irreventes ii, à quibus nõ allegantur fideliter verba Sacræ Scripturo. Cap. ult.Sect.2.subs.2.num.46.pag.509.

AMANUENSIS.

Amanuensis scribens blasphemias ad calamum experiendum, est de hæresi suspectus. Cap. 1. Sect. 6. num. 49. pag. 128.

An Amanuensis, & quando sit suspectus de hæresi, transcribens libros hæreticorum? Cap.5.Sect.1.num.29.pag.460.

AMASIA.

An liceat Amasiam vocare Deam? Cap.1. Sect.3.num.15. pag.102.

AMBIGUUM.

Propositio Ambigua importat suspicionem ex mala qualitate proferentis. Cap. ult.Sect.2.Subsect.2.n.13.pag.505.

Ideò excusatur Archiepiscopus Cameracensis. Ibid. num.14.pag.505.

Alia

Alia *vide in verbo* PROPOSITIO.

AMENTIA.

Vide in verbo DEMENTIA.

AMICITIA.

Non cessat denunciationis obligatio, licet criminosus sit amicitia conjunctus. Cap. 4. Sect. 1. subsect. 1. num. 19. pag. 401.

An debeat cessare amicitia, quando urget obligatio non inferendi damnum Innocentibus? Ibid. num. 27. pag. 402.

Multi censent, suspicionem hæresis non incurri ab eis, qui receptant hæreticos maxima amicitia conjunctos. Cap. 4. Sect. 1. subs. 2. num. 27. pag. 409.

Reliqua *vide sub verbis* CONFOEDERATIO, DENUNCIATIO, FAMILIARITAS, RECEPTATIO.

AMICUS.

Ex Amicis improbis oritur suspicio. Prel. 11. num. 1. pag. 18. Ratio. Ibid. num. 2. & num. 4.

Amicus non est aliud, quàm una anima in duobus corporibus. Prelim. 11. n. 3. pag. 18.

Amicus sufficit Amici mores suis similes reddere. Prel. 11. num. 4. pag. 18.

Faciliùs vitia, quàm virtutes Amicitia acquiruntur. Prel. 11. nu. 5. pag. 18.

Ex omnibus actibus Amicitiæ oritur suspicio. Prel. 11. num. 7. pag. 19.

Amici recti quam sint desiderabiles. Prel. 11. num. 4. pag. 18.

In Amicitia plus valet similitudo morum, quàm affinitas. Prel. 11. num. 3. pag. 18.

A malâ voluntate unius Amici valet illatio ad voluntatem alterius. Præl. 11. num. 3. pag. 18.

Inter Amicitiæ actus quinàm numerentur. Prælimin. 11. num. 7. pag. 19.

AMOR.

An Amor excitetur per quamdam herbam? Cap. 2. Sect. 2. subs. 5. num. 21. pag. 195.

Quomodò generetur carnalis Amor per oculorum aspectum, ex quo Amasii non patiuntur separari ab invicem? exempla Stratonicæ, & Amonis. Cap. 2. Sect. 6. subs. 2. n. 3. pag. 232.

Violentia causata à Malefico in parte sensitiva elucescit, vel ex Amore, vel ex odio, quod per Maleficia causari potest: Exemplum ex S. Hieronymo. Ibid. num. 11. pag. 233.

De Philtris, eorumquè violentia. Ibid. num. 12. pag. 233.

Quomodò exhibeatur maleficium amatorium? Remissivè. Cap. 2. Sect. 6. subs. 2. num. 13. pag. 234.

Malefici non solùm possunt amorem ingerere, sed ipsum destruere. Ibid. nu. 14. pag. 234.

Malefici statuas cereas ad ignem admovent, vel thoro locant, ut Amorem ingerant: Ubi de alio modo maleficii amatorii. Cap. 2. Sect. 6. subs. 3. num. 14. pag. 237.

ANGELUS.

Quod Angeli sint Corporei, plures è Sanctis Patribus crediderunt. Prel. 17. n. 5. pag. 30.

Homines progenitos fuisse ex Angelis è Cœlo dejectis, nonnulli Sancti Patres dixerunt. Prelim. 17. n. 5. pag. 30.

Superstitio imponendi pecularia nomina Angelis: sicquè reprobantur nomina Angelorum moventium Cælos, quia sunt nomina Cabalistarum. Cap. 2. Sect. 7. subs. unica num. 53. pag. 259. & num. 54. & 55. pag. 260.

Sunt suspecti de hæresi publicantes alia nomina Angelorum, præter tria in Scriptura Sacra. Ibid. num. 56. pag. 260.

Reprobatur Cornelius à Lapide testans B. Amadeo revelata fuisse nomina septem Angelorum. Ibid. num. 57. pag. 260.

An admittendus Angelus Uriel? Ibidem nu. 58. pag. 260.

Temeraria Opinio Tertulliani, & Aureoli circà apparitiones in forma corporea. Cap. ult. Sect. 2. subsect. 1. §. 5. num. 5. gag. 493.

Temerarii censendi, qui negarunt Angelos esse merè Spirituales. Cap. ult. Sect. 2. subs. 1. §. 5. num. 6. pag. 493.

ANGLI.

Anglorum Reges hæretici an habeant virtutem sanandi strummas concessam Edovardo? Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. §. 3. nu. 5. pag. 174.

ANIMA, & ANIMUS.

Cuidam, qui affirmaverat Animam esse mortalem, indicta fuit abjuratio de vehemen-

hementi, & cur? Cap.ult.Sect.2.subs.1. num.3.pag.478.
An Magi possint revocare animas ad corpus? Cap.2.Sect.2. subs.2. num.14. pag.158.
Dęmon nequit educere animas ab Inferno, vel à Purgatorio. Cap.2. Sect.2. subs.2.n.33.pag.162.
Corpus, & Anima proportione quadam harmonica sibi invicem congruunt, motusquè corporis in animam, sicuti & animæ in corpus facillimè, & vehementissimè penetrant. Prælim. 6. num. 2. pag.9.
Ad operationes animi maximè concurrit organorum qualitas. Pręlim.6. num.2. pag.9.
Essentiâ est Anima justa. Pręlim. 8. nu.3. pag.13.
An Temerarii censendi asserentes, Animas generari ab Animabus parentum, ut putavit Tertullianus? Cap.ult.Sect.2.subsect.1.§.5.nu.7.pag.493.
Animæ sunt divinæ, juxtà Platonem. Cap.2. Sect.4.subs. 3. num.11.pag.215.
Alia *vide sub verbis* APPARITIO, MAGI, NECROMANTIA.

ANIMALIA.

An possit Animalia Dęmon producere? Cap.2.Sect.2.subs.2. num. 27. pag.160.
Lingua, Oculus, & Tactus animantium, mirabiles producit effectus. Cap. 2. Sect. 2. subsect.4. §. 2. num.1. par.283.
Voces, & cautus Animalium naturali Magia non destituuntur. Ibid. num.4. par.184.
An Tianæus, Melampus, & Salomon voces Animantium intellexerint? Ibid. num.9. pag.185.
Notabilis Doctrina Hurtadi de verbis, quibus Animalia incantantur. Ibid. n.16. pag.185.
Nedùm homines, sed etiam animalia bruta per tactum mirabilia operantur. Ibid. num.34. pag.189.
Alia *vide sub verbis* BRUTA, INCANTATIO.

ANTIPODES.

Quid dicendum de Sanctis Patribus, qui docuerunt non dari Antipodes? Cap. ult.Sect.2.subs.1. §.1.num.25. pag.484.

ANNULUS.

De Annulis Jarcæ Indorum Principis, & de aliis similibus. Cap.2.Sect.2.subs.4. §.1.n.3.& 4. pag.180.
Medici, & Chirurgi an uti possint annulis, & Imaginibus Astronomicis? Ibidem, num. 5. & 6.

APOGRAPHI.

Si Legantur libri Apographi hæresim non continentes, non incurritur suspicio hæresis, uec excommunicatio. Cap.6. Sect.2. nu.34. pag.467.

APOLOGIA.

An sint suspecti de hæresi componentes Apologiam ad defensionem librorum hæreticorum? Cap.6. Sect. 1. num.35. pag.460.

APOSTASIA.

In quo differat hæresis ab Apostasiâ. Pręl. 16.n.3.pag.28.
Hæresis, & Apostasia inter se confunduntur. Præl.15.num.4. pag.28.

APOSTATA.

Sunt de hęresi suspecti Apostatę à Religione, si transeant ad partes hæreticorum, & cum eis communionem habeant. Cap. ult.Sect.1.n.23. pag. 476.
Apostatæ Religionis, ut sint de hæresi suspecti requiritur aliquod adjunctum, quod hæresim sapiat. Ibid. num. 24. pag.476.
Hoc adjunctum est, si per annum in excommunicatione persistant. Ibid. nu. 25.pag.476.
Qui patitur se rebaptizari, est Apostata. Cap.3.Sect.4.nu.18.pag.390.

APOSTOLI.

Temeritas Erasmi Rhotherodami in dubitando, an symbolum Fidei Catholicæ fuerit ab Apostolis conditum? Cap. ult.Sect.2.subsect.1.§.5.nu.4.pag.493.
Quibus linguis uterentur Apostoli in tradendis fidei misteriis. Cap.3. Sect. 1. subs.6.num.48.& num.51. pag.325.

APPARITIO.

Marsilius Ficinus vigore pacti initi cum Michaele Mercato, ei apparet post mortem. Cap.2. Sect. 2. subsect. 2.num.15. pag. 158.

AQUA.

Abiit indesuetudinem purgatio per aquam frigidam, & ferventem: Hæc videbatur habere fundamentum in sacris Canonibus. Cap.2.Sect.4. subs.3. nu. 20. pag.217.

An licitum sit Baptismum conferre Aqua non benedicta, vel Rosacea, & qua ille sit tradendus? *Vide in verbo* Baptismus,

Alia *vide in verbo* Observatio, Palomantia, Consecratio.

ARBITRIUM.

Intrat Arbitrium Judicis in materia suspicionis de hæresi, quæ incurritur ob lectionē librorum prohibitorum. Cap. 6. Sect.2.n.52. pag.470.

ARGUMENTUM.

Non valent Argumenti à probabilitate speculativâ ad probabilitatem practicam. Cap.6. Sect.2. num.43. pag.469.

A similibus fieri potest argumentum. Pręl.8.n.9.pag.14.

In rebus fidei debet quilibet non argumentis, sed auctoritati se submittere. Prælim.17. num.13.pag.31.

ARISTOTILES.

Averroes. & Arabes Philosophi abusi sunt doctrina Aristotelis ad probandum, fidei mysteria esse veritati parum consona. Cap.ult. Sect.2. subsect.2.num.54. pag. 510.

Sanctus Thomas Aquinas hanc falsitatem detexit, explicando doctrinam Aristotelis. Ibid. n. 55. pag.510.

ARMA.

Non licet deferre Arma ad infideles, & deferentes, vel transmittentes sunt de hæresi suspecti. Cap.4.Sect.2.num.19. pag. 425.

Si arma deferantur prò Redæmptione Captivorum, non incurritur hęresis suspicio, nec excommunicatio Bullæ Cęnę. Ibid.num. 20. pag. 426.

Canonistæ putant in dicto casu Christianos nō posse arma ad Infideles deferre, quoties contrà Christianos habent bellum. Ibid.num.21. pag. 426.

Theologorum opinio est in Contrarium. Ibid.num.22.pag.426.

An vendentes Arma Infidelibus in terris Christianorum incidant in Bullam Cænæ? Ibid. num.23. pag.426.

Quid dicendum de Christianis vendentibus Arma iis, quos sciunt ad Infideles delaturos? Ibid. num.24. pag.426.

Prædicta Theologorum opinio limitatur respectu deferentium arma in tali quantitate, ut periculum causaretur Christianæ Reipublicæ. Ibid.num.26.pag.426.

An si deferens Arma ad Infideles sit Mercator, incidat in pęnas Bullæ Cœnæ? Ibid.num.26. pag.426.

Dicuntur impedire indirectè Ministri S. Officicii, si ipsis Arma gestare prohibeantur. Ibid.num.52.pag. 429.

Inquisitores habent familiam Armatam pro eorum jurisdictione exercenda. Ibid.num.53. pag.429. & num.67. pag. 430.

Familia Inquisitorum constat Apparitoribus, vel satelitibus, vel Familiaribus. Ibid.num.54. pap.429.

Omnes isti gaudent privilegio deferendi quælibet Arma, quæ solent deferri ab Officialibus, & Biruariis Curiæ Secularis. Ibid. num. 55. pag.429.

Non possunt tamen deferre archibusettos brevioris mensuræ, nec pugiones, seu stillettos: Deferentes tamen non sunt subjecti Curię Seculari. Ibid.num. 56. pag.430.

A fortiori eodem privilegio gaudent Vicarii foranei, Notarii, Cancellarii, Fiscales, Scriptores. Ibid. num.57. pag. 430.

Consultores possunt concedere uni famulo licentiam deferendi Arma, non solum dum eos comitantur, sed etiam dum soli incedunt. Ibid. num.58. pag. 430.

Hujusmodi licentiæ expediri solent immediatè ab Inquisitoribus. Ibid.n.59. pag.430.

Gaudentes eo privilegio, debent secum portare suas patentes literas. Ibid. n. 60.pag.430.

Privilegiati debent vocare testes, si alię Curię Executores prętendant, eos capere propter Arma. Ibidem num.61. pag.430.

Qui impedirent ipsis Ministris Armorum delationem, essent puniendi, tanquam violatores Sacri Tribunalis. Ibid.n.73. pag.431.

ARRO-

ARROGANS.

De propositione Arrogante. *Vide in verbo* PROPOSITIO.

ARS.

Quoties verba prodigiosa adhibentur per modum Artis, sunt suspecta de superstitione. Cap. 2. Sect. 2. subsect. 3. §. 3. n. 22. pag. 177.

Ars Notoria an sit prorsùs inefficax? Affirmativè, imò expressè damnatur. Cap. 2. Sect. 5. subs. 2. num. 1. pag. 228.

Fabula est, quod Salomon fuerit Artis Notoriæ Auctor: Ubi de Sapientiæ dono Salomoni concesso. Ibid. num. 2. pag. 228.

Superstitio Artis Notoriæ hæreticalis est: causa hujus. Ibid. num. 3. pag. 228.

Quidquid dicitur de Arte Notoria, dici potest de Arte Paulinâ, cujus Auctor fabulatur S. Paulus in Ecstasi raptus. Ibid. num. 4. par. 228.

Ars Paulina extitit apud veteres, non tamen iisdem ritibus. Ibid. num. 5. pag. 228.

Dæmon docere valet scientias, & artes, tàm externâ, quàm internâ locutione. Ibid. num. 6. pag. 228.

ARTICULUS.

Articulis fidei adversantur propositiones hæreticæ. Cap. ult. Sect. 2. subs. 1. num. 4. pag. 478.

Articuli fidei an contineantur tantùm in tribus symbolis? Ibid. num. 7. pag. 479.

Idem sunt Propositio de fide, Articuli fidei, & objectum materiale fidei. Cap. ult. Sect. 2. subs. 1. num. 10. pag. 482.

ARTISTÆ.

Artistæ ex consuetudine in iracundia blasphemantes, quando excusentur? Cap. 1. Sect. 6. num. 38. pag. 127.

ASPECTUS.

De Aspectu Strygarum, Basililisci, Lupi, & consimilium. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 2. num. 27. 28. 29. 30. & 31. pag. 188.

De vi nocendi per solum aspectum. Ibid. n. 33. pag. 189.

Reliqua *vide sub verbis* OCULUS, VISUS, FASCINATIO, & FYSIONOMIA.

ASPICIO.

Antiquitus sumebatur *Specio*: Imò *Spicio* pro *Aspicio*. Præl. 1. nu. 3. pag. 2.

ASPORTANTES.

Asportantes, si nesciant libros à se delatos esse hæreticorum, non sunt suspecti de hæresi. Cap. 6. Sect. 2. num. 59. pag. 470.

ASSASSINIUM.

Assassinium committendum revelari debet ab eo, qui illius notitiam habuit sub secreto naturali. Cap. 3. Sect. 3. subs. 6. num. 23. pag. 387.

Amplia. Ibidem num. 24. pag. 387.

ASSENSUS.

Assensus quando sit de Fidei: *Vide in verbo* PROPOSITIO.

ASSERTOR.

De Assertore propositionis suspectæ, vel alio modo censurabilis, *Vide in verbo* PROPOSITIO.

ASTRA.

Quid Astris adscribendum sit? Cap. 2. Sect. 3. subs. 1. n. 5. pag. 200.

Contingere potest aliquis effectus mirabilis per virtutem Astrorum, & rerum naturalium, qui causis inferioribus confici nequeat; Ejus tamen auctor esset suspectus, donec se omni suspicione purgaret. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 3. num. 4. pag. 191.

Ex astris nequit exhauriri Magia naturalis. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 1. num. 7. pag. 180.

Idque secundum communem Theologorum sententiam. Ibid. n. 8.

Damnandi Auctores, qui Astris subjectant Religionis nostræ Mysteria, quæ Dæmon perfectissimus in Astrologiâ ignoravit. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 1. nu. 11. pag. 181.

Refellitur Petrus de Alliaco jactans Reges Magos prævidisse in Astris Christi Nativitatem. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 1. num. 12. pag. 181.

Reliqua *vide sub verbis* CAELUM, IMAGO, ASTRONOMIA, ASTROLOGIA, ANNULUS, STELLAE.

ASTRO-

ASTROLOGIA.

Judiciariā quid operari possit? Prælim.5. n.6.pag.8.

Sunt suspecti de hæresi legentes libros Astrologiæ Judiciariæ. Cap.6.Sect.1. num.41. pag.461.

Astrologia naturali utentes non sunt suspecti de hæresi. Cap.2. Sect. 3. num. 6. pag.197.

Astrologia revelationis quid probabiliter indicare possit? Cap.2.Sect.3.subsect.1. n.3.pag.199.

Astrologia Genethliaca quid possit prædicere circà hominum inclinationes? Ibid.nu.4.pag.200.

Astrologia hæc potest conjecturaliter prædicere fortunas hominum prosperas, vel adversas, quarum causa sunt actiones. Ibid.nu.5.pag.200.

Astrologia electionum absolutè damnari nequit, nisi in vanitatibus exerceatur, uti faciunt, & docent superstitiosi Arabes. Ibid.num.6.pag.200.

Quænam sit Chiromantia Astrologica, & an sit licita? *vide in verbis* Chiromantia, Electiones, Interrogationes, Revelationes.

ASTROLOGUS.

Dæmon est peritissimus Astrologus. Cap. 2.Sect.3. subs.2.n.3.pag.204. *Vide in verbo* Daemon.

ASTRONOMIA.

Imagines Astronomicas habere peculiares virtutes,tenuerunt aliqui, & cur? Cap. 2.Sect.2.subs.4.§.1.num.2.pag.180.

Medici, & Chirurgi an uti possint annulis,& Imaginibus Astronomicis? Cap. 2.Sect.2.subs.4.§.1.nu.56.pag.180.

Non reperiuntur in Cælo illæ imagines, ad quarum similitudinem componuntur imagines Astronomicæ. Cap.2.Sect.2. subs.4.§.1.num.9.pag.181.

ATHEUS.

Qui contemnunt Indulgentias, Campanas, Templa, Cæremonias, & Ritus Sacros possunt reputari Athei, quibus ludus est Religio. Cap.ult Sect.2.subs. 1.§.5.num.23. pag.495.

Athea propositio quid sit? Cap.ult.sect. 2. subs. 1.§.7. num.2.pag.499.

Ethnici calumniabantur Christianos,tanquam Atheos. Ibid.num.3.pag.499.

In ordinem Atheorum referendi sunt, qui Dei prouidentiam convellunt.Ibid.n.4. pag.499.

Polyteismus est claucularia species Atheismi. Ibid.n.5. pag. 499.

Peripatetici notati ab Origine, tanquàm Polyteistæ, quorum Princeps Nicolaus Machiavellus. Ibid. num.6. pag.500.

Præcipua Machiavelli principia in Polyteistâ. Ibid.num.7.pag.500.

AUCTOR.

Auctores solent in libris suis protestari,ac se submittere correctioni S.Ecclesiæ Catholicæ. Prel.17. n.7.pag.30.

Si retinentes libros prohibitos non sint eorumdem Auctores, an suspicionem hæresis incurrant? Cap. 6. Sect.1. n.7. pag.458.

Damnato Auctore, ejus quoquè opera,licet bona, damnata sunt. Ibid.num.22. pag.459.

AUDIENTES.

An Audientes lectionem librorum hæreticorum sint suspecti de hæresi? Cap.6. Sect.2.n.35.pag. 467.

Inquisitores debent considerare, an audientes propositionem ab aliquo prolatam, eam intellexerint secundum sensum hæreticum? Cap. ult. sect. 2. subs.2.num.16. pag. 506.

Quid agendum cum assertore Propositionis suspectæ, quando audientes non sunt scandalizati, sed ille aliàs est de hæresi suspectus? Ibid.nu.17. pag.506.

Reliqua *vide in verbo* Libri.

AVERROES.

Libri Averrois non prohibiti. Cap. vlt. Sect.2. subs.1.§.7.num.9. pag.500.

Raymundus Lullus frustra tentavit,ut cōmentarii Averrois in Aristotelem prohiberentur. Ibid. n.10. pag. 500.

Vide in verbo Aristotelis.

AVES.

Ab Avibus cognosci possunt Aeris futuræ qualitates,pròut etiam ab aliis brutis dignosci possunt intemperies &c. Exempla istorum. Cap.2.Sect.3.subs.1. n.14. pag. 203.

AURORA.

An liceat celebrari Missam antè Auroram? *Vide in verbo* Missa.

AVUS.

Vide in verbo Filii.

AUXILIUM.

Princeps Catholicus non potest auxilium prebere hæretico ad occupandam ditionem Catholici. Cap.5. sect.2.nu.79. pag.453.

AZYMUS.

Vide in verbo Consecratio.

B

BALDELLUS.

Perperàm scripsit, in Regionibus infectis excusari Catholicos; qui hereticis dignitates conferunt. Cap. 4. Sect.1.subs.2.§. 3. num.6.pag.419. & n. 11.12.& 13. pag.420.in quibus respondetur ejusdem rationibus.

BAPTISMUS.

Ille propriè reputatur hæreticus, qui suscepta fide per Baptismum, ab ea se separat per hæresim. Præl. 18. num.1. pag.33.

Ut quis dicatur hæreticus coram Ecclesia, requiritur Baptismus undæ;coram Deo, sufficit Baptismus flaminis. Prel.18.n.2. pag. 33.

Coactè Baptizatus, si à fide recedat, est hæreticus. Præl.18.n.13.pag.35. dummodò tamen coactio non fuerit absoluta. Ibid.

An invalidè Baptizatus, si recedat à fide, sit hæreticus? cum distinctione respondetur. Prelim.18.nu.14. pag. 35.

Abusus in conferendo committitur in omnibus Sacramentis, excepto matrimonio; tamen respectu Baptismi ex defectu potestatis nullus abusus committitur. Cap.3. Sect.3.num.1.pag.337.

Error Græcorum deterrimus, qui absente Presbytero, permittunt absquè baptismo decedere infantes. Ibidem, num.2. pag.337.

Calvinus in hoc græchizat, dum nequè in extrema necessitate laicis baptizare permittit. Ibid.num.3.pag.337.

S.Athanasius puer alios pueros baptizavit, & in Concilio Lateranensi decernitur validum Baptisma à quocumquè ritè administratum. Ibid. num. 4. pag. 337.

Alia Ecclesiæ decreta ad idem. Ibid.n.5. pag.337.

S.Stephanus P. abrogavit Canonem Firmiliani Episcopi in Concil.Iconiensi de Baptismo ab Hæreticis collato reiterando, Ibid.nu.6.pag.337.

SS.Basilius, & Athanasius, post decretum Stephani Papæ, & aliorum,mirum, quod adheserint Firmiliano. Ibid. n.7. pag.337.

Priscis temporibus quæstio valdè implicata, an valeret baptismus collatus à non Baptizato. Ibid.num.8. pag.338.

Intrusus à corruptoribus error inter Canones Apostolorum de iis rebaptizandis, qui à laicis, & ab hæreticis baptizati fuerint. Ibid.n.6.pag.338.

Conferens baptismum non in aqua naturali,est de hæresi suspectus, Cap.3.Sect. 3.subs. 2.num.1. pag. 346.

Lutheri error est, adhiberi prò materià Sacramenti Baptismi quidquid potest habere rationem balnei: Idipsum Calvinus, & alii sentiunt. Ibid. num.2. pag. 349.

Anglorum error priscus erat, Baptisma administrare in aqua rosacea. Ibid. nu.3. pag.347.

Alij antiquiores respuerunt à Baptismate aquam omninò. Ibid.num.4.pag.347.

Nullus est error,conferre Baptismum cum aqua calefacta,quod Græci faciunt.Ibid. nu.5.part.347.

Non est de essentia Baptismatis, quod aqua sit benedicta, quod exemplis probatur. Ibid. n.6.pag.347.

Benedictio aquæ in Baptismo est ab Ecclesia præscripta. Ibid. n. 7. pag. 347.

Utens aqua non benedicta in Baptismate, non faceret contrà finem Sacramenti, nec ea uteretur, tanquam medio ad peccandum. Ibid. num.8. pag.347.

Græci Judaizantes, nolebant Baptizari pueros antè octiduũ; nec Mulieres menstruatas. Cap. 3. Sect. 3. subs.3. nu.10. pag. 356.

Aliorum Græcorum superstitio, qui tantum adultis Baptismum conferri volunt. Ibid.num.11. pag.356.

Ludo-

Ludovicus Vives reiicitur, qui tenet, olim baptismum nonnisi adultis fuisse concessum. Ibid.num.12.pag.357.

Contrarius vsus Ecclesiæ rationabilis probatur. Ibid. num.13.pag.357.

Et in hoc enituit divina ergà nos Clementia, ut docet S.Cyprianus. Ibid.nu.14. pag.357.

Qui Baptismum vult differre, de Anabaptistarum, & Lutheranorum hæresi ostenditur suspectus. Ibidem num.15. pag.357.

Reiicitur Bordonus cum Passerino contrarium sentientes. Ibid. num.16. pag. 357.

Probatur quod sit suspectus, qui contrà generalem Ecclesię consuetudinem differt Baptismum. Ibid.num. 18. pag.358.

Orientales, qui Baptismum Masculorum differunt ad diem quadragesimum, & fęminarum usquè ad octogesimum cur non sint de hæresi suspecti? Ibid. nu. 19. pag.358.

Est pariter de hæresi suspectus, qui infantes adhuc in utero existentes baptizat, & damnatur in hoc Cajetani opinio. Ibid.num.20.pag.358.

Baptismi capax est ille tantum, qui ab aqua potest aspergi. Ibid.num.21.pag. 358.

Scrupulus quorumdam ignavorum, qui censuerunt, Ecclesiastica sepultura privandum, qui in ventre Matris baptizatus fuit, educto tantùm brachio. Ibid. n.22.pag.358.

In necessitate quælibet pars corporis potest ablui aqua baptismali, etiamsi esset tantùm digitus, imò etiamsi essent Capilli. Ibid.n.23.pag.359.

An adhuc esset in dicto casu validus Baptismus, si brachium retraheret infans post ablutionem. Ibid.nu.24. pag.359.

Baptismus parvulorum indebitè protrahitur à Græcis, ut qui baptizantur, magis dispositi sint ad receptionem Sacramentorum Eucharistiæ, & confirmationis. Ibid. nu.32. pag.360.

Deplorabilis Græcorum consuetudo differendi pueris Baptismum, ut expectetur patrinus peregrè profectus. Ibid. num.33.pag.360.

Quid dicendum, si à Latinis hodiè cum Baptismo darentur Confirmatio, & Eucharistia? Ibid.nu.34.pag.360.

Est suspectus de hæresi, si baptizans omitteret nominis Impositionem, & esset de hęreticorum regione. Ibid. num. 38. pag.361.

Mos dandi nomina in Baptismo est antiquissimus. Ibid.nu.39. pag.361.

Item si quis non imponeret filiis nomina Catholicorum, sed Hęresiarcharum. Ibid. num.40. pag.361.

Qui baptizatis imponit hæc nomina, velle præsumitur, ut baptizati imitentur hæreticorum facta. Ibid. nu.41. pag. 361.

Judæus effectus Christianus esset suspectus, si suum priscum nomen retineret. Ibid.nu.42. pag.361.

Non esset suspectus de hæresi, si quis in Baptismo non adhiberet patrinos. Ibid. n.43. pag. 362.

Limita, si adesset contemptus. Ibid. n.44. pag.362.

Nec suspectus esset, qui aquam pro Baptismo adhiberet non benedictam, vel non trina mersione baptizaret. Ibidem numer.45. pag. 362.

Cur Concil.2. Generale Eunomianos rebaptizari præceperit, qui unica tantùm mersione fuerint abluti? Ibid. num.45. pag.362.

Gregorius Magnus cur mandavit, ut in Hispania vnica tantùm mersione baptizaretur? Ibid. num.46. pag.362.

Non esset suspectus, qui baptismum conferret non mersione, sed infusione, vel aspersione: Potest enim Baptismum mersione conferri. Ibid.n.47. pag.362.

Potest etiam Baptismus infusione conferri, Christi exēplo, quod practicatur apud Ministros Græcos. Ibid.n.48. pag.363.

Aspersione potest conferri Baptismus, quâ Apostolis multa millia facilè fuit baptizare. Ibid. num.49. pag.363.

Subiecto incapaci tribuunt Sacramentū, qui baptizant vel irrationalia, vel inanimata. Cap.3.Sect.3.subs. 4. n.1.pag. 366.

Isti tales sicut Sortilegi sunt de hæresi suspecti, & ob hujusmodi factum hæreticale torquentur super intentione. Ibid.nu. 2.pag.366.

Incidunt in hæresis suspicionem, qui iterant Sacramenta characterem imprimentia. Ibid.n.3.pag.366.

Rationes plures, cur semel baptizatus non sit capax alterius Baptismi. Ibid. nu.4.pag.366.

Qui Baptismum reiterat, quomodò, secun-

cundum dictum Apostoli, iterùm Christum crucifigat? Ibidem num. 20. pag. 366.
Si non appareat, aliquem fuisse baptizatum, potest reiterari Baptismus. Ibid. n.6.pag.367.
Quoties prudenter dubitatur de Baptismo, is potest reiterari. Ibid. num. 7. pag.367.
In tali casu peccaret mortaliter, qui reiterationem differet, si post diligens examen dubium remaneret. Ibid.nu.8. pag.367.
Si prudens non esset dubitatio, tunc non posset reiterari Baptismus, etiam si de eo non suppeterent testimonia. Ibid.n. 9. pag.367.
Synodus Trullana decrevit, debere Baptizari, quoties non inveniuntur testes de recepto Baptismo. Ibid. num. 10. pag 367
Sed hoc intelligitur in Terris Hæreticorum. Ibid.num.11.pag.367.
Non est prudens dubitatio, eò quod Baptismus ab Obstetrice fuerit collatus. Ibid.nu.12.& 13.pag. 368.
Non obstat, quod in eis quandoquè sit, vel malitia, vel ignorantia. Ibid.nu. 14. pag.368.
Tertullianus notatus, dum mulieribus non facit facultatem baptizandi. Ibid. num.15.pag. 368.
Nec sunt rebaptizandi infantes, etiamsi obstetrices asserant, se non abluisse caput puerorum, sed vel pedem, vel manum: Ibid.num.16.pag.368.
Hodiè, ob damnatam ab Innocentio propositionem, reiterandus Baptismus in dubio de valore. Ibid. num. 17. pag. 368.
Respectu puerorum, qui sunt expositi, non est prudens de valore Baptismi dubitatio. Ibid. nu.18.pag.368.
Hoc tamen intelligitur, si contingat in terris Catholicorum; secùs in terris Infidelium. Ibid.n.19.pag.368.
In levi suspicione sufficit Baptismus Flaminis. Ibid. num.20.pag.368.
Non est prudens dubitatio de valore Baptismi, si ea proveniat, eò quod Minister fuerit Hæreticus. Ibid. nu.21.pag. 369.
Agrippinus Episcopus Carthaginensis fuit primus ex PP. antiquis, qui Baptismum ab Hæreticis susceptum, reiterari præcepit. Ibid.num.22.pag.369.
Aggripinum secutus est S. Cyprianus in errore, sicut & in Episcopatu Carthaginensi. Ibid.num.23. pag.369.
Præcessit tamen Cyprianum in eo errore Firmilianus Iconis Episcopus. Ibidem num.24.pag.369.
Impellente Firmiliano, S. Cyprianus pugnam aggressus est aduersùs Sanctum Stephanum Papam celebratis Synodis. Ibid. num.25.pag.369.
Episcopi harum Synodorum mutarunt sententiam, & resipuit quoquè Firmilianus: Sed an S. Cyprianus resipuerit, dubium est. Ibid.num.26. pag.369.
An in eundem errorē impegerit S. Basilius cum SS. Athanasio, Optato Milevitano, & Cyrillo Alexandrino? Ibid. nu. 27. qag. 369.
Ratio præcipua erroris S. Cypriani, & aliorum sequacium. Ibid.num.28.pag. 370.
Illi PP. errarunt, quia non perceperunt Ministrum Sacrementi esse tantùm instrumentum. Ibid. num.29. pag.370.
Non est Baptismus iterandus ex eo quod in ipso gratia non infundatur, nam character imprimitur. Ibid. num.30. pag. 370.
Maimburgus carpit Sanctum Stephanum Papam, quod in decreto circà PP. Carthaginenses erraverit in fide. Sed ille hallucinatur. Ibid. num.31.& 32.pag. 370.
Ut Baptizentur illi, qui ab Hæreticis sunt baptizati, advertendum, an adsit defectus materiæ, vel formæ, vel intentionis Ministri. Ibid.num.33. pag.370.
Sacr. Congregatio decrevit, Colchos, & Iberos esse rebaptizandos, non quia baptizati à Schismaticis, sed quia error in materia. Ibid num. 34. pag.370.
Ritus Baptismi Colchorum, & Iberorum describitur. Ibid.n.35. pag.370.
Perpendendæ sunt circumstantiæ, ex quibus resultat intentio necessaria in Ministro. Ibid.num.36. pag.371.
Si ignoretur, an fuerit baptizatus ille, qui ortus est ex infidelibus, perpendantur circumstantiæ. Ibid. num. 37. pag. 371.
Baptismi Sacramento abutitur ille, qui suscipit à Ministro hæretico, & talis fit suspectus de hæresi. Cap. 3.Sect.4.n. 1. pag.388.

Baptis-

Baptismi Sacramentum, urgente necessitate, possunt laici administrare. Cap. 3. Sect. 4. num. 6. pag. 388.
Baptismum conferre Ecclesia permittit laicis, ne quis sinè remedio salutis moriatur. Cap. 3. Sect. 4. num. 7. pag. 388.
Quod Baptismi sacramentum in necessitate laicus administret, prodiit ex traditione Apostolica. Cap. 3. Sect. 4. num. 8. pag. 389.
Ad suspiciendum baptismum à laicis, requiritur necessitas, & ea urgente laudabile est illum suscipere ab hæretico. Cap. 3. Sect. 4. num. 9. pag. 389.
Baptismi sacramento abutitur ille, qui patitur se rebaptizari, & est Apostata. Cap. 3. Sect. 4. num. 18. pag. 390.
Patiens se rebaptizari, vel ob dubium de validitate Baptismi, vel propter simplicitatem, non fit de hæresi suspectus. cap. 3. Sect. 4. num. 20. pag. 390.
Extra hos casus Baptismum iteratò suscipientes, semper sunt de hæresi suspecti, & abjurare debent. Cap. 3. Sect. 4. num. 21. pag. 391.
Baptismum differens pueris non est de hæresi suspectus, si hoc faciat ob causas inanes; secùs si differret, putando, pueros non esse baptizandos. Cap. 3. Sect. 5. num. 18. & 19. pag. 394.
Non Baptizatis subditis potest Princeps concedere libertatem conscientiæ; secus verò Baptizatis. Cap. 4. Sect. 1. subs. 2. §. 2. num. 2. pa. 415.
Baptismum recipiens ab hæreticis est de hæresi suspectus. Cap. 5. Sect. 1. nu. 18. pag. 437.
In casu receptionis Baptismi ab hæretico supplendæ sunt Orationes, & alia à Ministro Catholico. Cap. 5. Sect. 1. num. 19. pag. 437.
Baptismum recipies ab hæretico absquè necessitate, efficitur irregularis. Cap. 5. Sect. 1. num. 20. pag. 437.
Nunquàm permittitur Catholico adhibere in Baptismo patrinum hæreticum, nec filios hæreticorum de sacro fonte suscipere. Cap. 5. Sect. 1. num. 21. & 22. pag. 437. & 438.
Judæi quando post Baptismum dicantur hæretici? *Vide in verbo* Judaei.
Alia *vide in verbo* Filii.

BARTOLUS.
Ejus anima cruciatur in inferno, & quare? Prælim. 9. num. 4. pag. 16.

BASILISCUS.
De mirabili effectu, quem producit Basilisci aspectus. *Vide in verbo* Aspectus.

BEATI.
Blasphemia est conviciari Beatos nondum Canonizatos, propter habitudinem, quā & ipsi habent ad Deum. Cap. 1. Sect. 1. num. 38. pag. 87.
Blasphemia est pariter convicium in illum, qui nondùm est beatificatus; imò in illum, qui adhuc est mortalis, quia illud in Dei contumeliam redundat. Cap. 1. Sect. 1. num. 39. pag. 87.
Vide in verbo Sancti.

BELLUM.
Quoties non est contrà Religionem, Catholicus, si est subditus hæretici, potest pro eo militare; secùs si bellum sit contrà Catholicam Religionem. Cap. 4. Sect. 2. num. 15. pag. 425.
Alia *Vide in verbo* Observatio.

BENEDICTIO.
De usu Benedictionum Imprecatoriarum quid dicendum? Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. §. 3. n. 26. pag. 178.

BENEFICIUM.
An filii hæreticorum ipso jure pensionibus, & beneficiis ecclesiasticis priventur? Præl. 6. n. 4. pag. 10.
Beatissimæ Virgini tribuitur cultus mediatricis absque ullo præjudicio tituli mediatoris, quod soli Deo competit. Ibid. n. 4. p. 243.

MARITUS.

Vide in verbo VXOR.

MARTELLI.

Quidam, qui Martellos abstulit à campanis in nocte Sabbati Sancti, abjuravit. Cap. ult. Sect. 2. subs. 1. §. 5. numer. 24. pag. 495.

MARTINUS QUINTUS.

Martinus Quintus carpitur à nonnullis, ex eo quia quasi definiverit, fidem non esse seavandam Hęreticis. Cap. 4. Sect. 1. Subs. 2. §. 1. n. 21. p. 413.
Vi Bullæ Martini V. *ad evitanda* communicare possumus cum excommunicatis, nisi sint nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percussores. Cap. 5. Sect. 1. n. 3. p. 436.

MARTIRIUM.

Martirium passus est Sanctus Polycarpus, qui noluit jurare per fortunam Imperatoris.

toris. Cap.5. Sect.2.nu.9.p.446.

MAS.

An Dæmon possit convertere fæminnam in marem? *vide in verbo* Foemina.

MASCARDUS.

Contra Mascardum easdem pœnas incurrunt, eademque verificantur de retinentibus libros Hereticorum, seù prohibitos, ac de legentibus. Cap.6.Sect.1. num.21.p.459.

MARSILIUS FICINUS.

Apparuit Michaeli Mercato post mortem. *Vide in verbo* Apparitio.

MATER.

Vide in verbo Filius.

Debet benè educare filios, & propterea laudantur genitrices, quæ benè educarunt suos liberos. *Vide in verbo* Educatio.

MATERIA.

De parvitate materiæ, *vide in verbo* Parvitas.

Abusus Sacramenti ob non debitam materiam in conficiendo sæpè fit ad sortilegium, præcipuè in hostia. Cap.3.Sect.1. subs.1.num.1.pag.295.

An materia consecrationis sit fermentatum, vel Azymus? *Vide in verbo* Consecratio.

Conficitur Sacramentum in non debita materia, si in altera tantum specie consecretur. Cap.3. Sect. 1. subs. 2. n. 13. pag. 297.

Est non debita materia, si consecretur hostia jam consecrata. Ibid. n. 17. pag. 298.

In Sacramento penitentiæ quando sufficiens materia non adhibeatur? Ibidem n.15. pag. 296.

Circa materiam, ex qua conficitur matrimonium, nullus est abusus inducens hæresis suspicionem. Ibid. numer. 31. pag. 301.

Materiæ parvitas excusat legentes libros hæreticorum, seu prohibitos, ab hæresis suspicione. Cap.6. Sect. 1. n. 25. pag. 459. & Cap. 6. Sect. 2. n. 5. pag. 464. Quod tamen aliqui negant, ut Ibid.

Circà materiæ paruitatem in supradicto casu varia dicuntur. Ibid. num. 6. 7. & 8.

Materiæ parvitas datur quoque in librorum prohibitorum retentione. Ibid. n. 12. pag. 465.

In materia suspicionis, quæ incurritur ob libros ptohibitos lectos, multum Judicis arbitrio est deferendum. Cap. 6. Sect. 2. n.52. pag. 450.

In materia fidei, quando controvertitur inter Catholicos, vel inter Catholicos, & hæreticos, resolutio est objectum fidei. Cap. ult. Sect.2. subs. 1. §. 2. n. 3. pag.485.

Reliqua *vide in verbo* Consecratio, Vinum, Matrimonium, Poenitentia, & *in verbo* Cuiuscumque Sacramenti.

MATRIMONIUM.

Cur Romanis vetitum cum exteris nuptias contrahere? Prel. 5. n.4. pag.7.

Apud quosdam populos matrimonia sunt communia. Prel.6. n. 3. pag.9.

Catholicorum matrimonia cum hæreticis quare non sint permissa? Præl.7. n. 4. pag.11.

Urbanus VIII. quibus conditionibus permisit Principi Catholico matrimonium cum hæretica? Præl. 7. n. 4. pag.11.

De vana observantia non ineundi matrimonium certo tempore, *Vide in verbo* Observatio, Coniuges, Maleficium.

Dæmon cum Magis abutitur Sacramento Matrimonii, agendo Incubum, & Sucubum. Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. n. 10. pag. 166. Ubi an Dæmon incubus possit generare?

In Oriente olim Trigamia ex consuetudine matrimonium irritabat. Cap.3. Sect. 1. subs. 1. n. 28. pag.271.

Qui vivente prima uxore aliam ducit est verè Polygamus abutens Sacramento Matrimonii, & de hæresi suspectus: Ratio. Cap.3. Sect. 1. subs. 1. §.1. num.1. pag. 273.

Non est de hæresi suspectus, qui sponsalia contrahit cum expresso pacto non ineundi matrimonium, nisi post mortem coniugis. Ibid. n. 3. pag. 274.

Discrimen inter contrahentem Sponsalia, & contrahentem matrimonium vivente prima uxore. Ibid. n. 4. pag. 273.

Polygamia contra Arnisæum non opponitur primario fini matrimonii, scilicet prolis gignendæ. Ibid. n.17. pag.276.

Adrianus Pontifex non dispensavit cum Carolo Magno in Polygamia, sed primum Caroli matrimonium cum muliere Longobarda soluit. Ibid. num. 19. pag. 277.

Iudicare de validitate matrimonii pertinet ad Ecclesiasticum judicium contrà hæreticos, quibus favent Launojus, & Spondanus. Ibid. num. 20. & 21. pag. 277.

Leges Civiles de matrimoniis dirimendis sunt à jure Canonico correptæ. Ibid. n.22. pag.277.

Prætendens matrimonium nullum, si transit ad secunda vota, non excusatur à levi suspicione hæresis; secus verò si habet pro se opinionem probabilem, etiamsi lata esset sententia prò validitate primi matrimonii. Ibidem numer.23. pag. 278.

Transmiera cum aliis Doctoribus tenet, eo tantum casu non incurri hæresis suspicionem, quando est certitudo moralis de nullitate primi matrimonii, quod ampliatur. Ibid. n.24. & 25. pag. 278.

Primum matrimonium declaratum validum per Judicis sententiam non irritat secundas nuptias. Ibid.n.26. pag.278.

Qui cum certitudine morali invaliditatis primi matrimonii transit ad secundum, debet probare se egisse cum tali certitudine. Ibid.n.27. pag.278.

Parochus conscius prioris Matrimonii, si secundo assistat, est suspectus de hæresi; ita pariter est suspectus, qui profert falsos testes ad probandam prioris uxoris mortem. Ibidem num.32. & 33. pag. 279.

Quid dicendum de matrimonio ad castè vivendum? Ibid.n.35. pag.279.

An, si nulliter contrahatur matrimonium in dicto casu, oriatur hæresis suspicio? Ibid.n.36. pag.279.

An, qui fictè contrahit secundum matrimonium durante primo, sit suspectus de hæresi? Ibid.n.37. pag.270.

In primitivâ Ecclesiâ, si conjux infidelis volebat degere cum fideli absque creatoris injuria, matrimonium erat insolubile, & cur? Ibid. n.39. pag.280.

Contrahens per Procuratorem secundas nuptias vivente prima uxore, adhuc est suspectus de hæresi. Ibid.n. 29. pag. 279.

Procurator in tali casu est magis suspectus, quam principalis, & cur? Ibid. n.30. pag. 279.

Mater consulens filiam contrahere aliud matrimonium, incurrit hæresis suspicionem. Ibid. n.31. pag.279.

Vide in verbo POLYGAMIA, UXOR, SPONSALIA.

Quid dicendum quò ad suspicionem hæresis respectu ejus, qui vivente uxore, matrimonium contrahit cum impotente? Cap.3. Sect.1. subs.1. §.1. n.34. pag.279.

Sacerdotes contrahere non possunt matrimonium. Cap.3. Sect.1. subs.1. §.1. n.1. pag.281.

Olim tamen Sacerdotibus, & Levitis permissum erat Matrimonium. Ibid. nu.2. pag.281.

In primordiis nascentis Ecclesiæ non fuerunt permissæ nuptiæ Sacerdotibus. Ibidem n.3. pag.281.

Quamvis eo tempore uxorati admitterentur ad sacros ordines ob penuriam Sacerdotum. Ibid.n.4. pag.282.

Paphnutii instantia de tollerando matrimonio Sacerdotũ in Ecclesia Orientali convincitur falsitatis. Ibid. nu.5. pag.282.

Historia Sancti Malchi relata à Sancto Hieronymo non probat pro Polygamia similitudinaria, quia matrimonium illius fuit nullum. Ibid. n. 6. pag. 282.

Adeò indecentes existimabantur Sacerdotibus Nuptiæ, ut Sanctus Basilius increpet Sacerdotem, qui dimissa uxore, eam postea assumpsit. Ibid.n.7. pag. 283.

Ursinus Sacerdos uxorem suam tamquam pestem fugiebat. Ibid. n.8. pag. 283.

Nuptiæ an, & quando fuerint olim subdiaconis prohibitæ? Ibid. n.9. & 10. pag. 283.

Subdiaconi hodiè si matrimonium contraherent, essent suspecti de hæresi, tamquam polygami. Ibid. num. 11. pag. 283.

Tàm Sacerdotes ordinati in Ecclesia latina, quàm Sacerdotes ordinati in Ecclesia Græca non possunt matrimonium contrahere. Ibid.n.13. pag.283.

Ratio. Ibid.n.15. pag.284.

Idque statuitur in Concilio Tridentino, contrarium defendente Luthero. Ibidem

dem. numer. 14. pag. 284.

Religiosi professi, etiam si non sint in sacris, si matrimonium contrahant, sunt de hæresi suspecti. Ibid. n. 16. pag. 284.

Papa potest dispensare cum Sacerdotibus ad mortimonium contrahendum. Ibid. n. 17. pag. 284.

Potest item dispensare cum religiosis voto solemni obstrictis: Exempla. Ibid. n. 18. pag. 284.

Causa ad dispensandum cum Sacerdotibus, & Religiosis, ut matrimonium contrahant, debet respicere bonum publicum, quod exemplis declaratur. Ibid. n. 19. pag. 284.

Ad dispensandum cum Sacerdotibus, ut matrimonium contrahant, cur causa requiratur, cum Cælibatus sit annexus Sacerdotio, tantum de Jure Ecclesiastico. Ibid. n. 20. pag. 285.

Ad prædictam dispensationem non sufficit utilitas privata, vel periculum incontinentiæ. Ibid. n. 21. pag. 285.

Ad præfatam dispensationem in Religiosis requiritur causa, quæ sit sufficiens ad irritandum votum, quod est de jure divino. Ibid. n. 20. pag. 285.

Qui per vim, & metum ordines susceperunt, Polygamiam non incurrunt, sine vis fuerit absoluta, sive conditionalis, si matrimonium contrahant. Ibid. n. 25. pag. 286.

Latâ sententiâ super nullitate professionis, potest Religiosus inire matrimonium, si non sit in sacris ordinibus. Ibid. n. 28. pag. 286.

Matrimonium, si sit tantum ratum, & non consumatum, unus coniux, altero invito, potest resilire, & religionem ingredi. Cap. 3. Sect. 1. subs. 1. §. 3. nu. 6. pag. 288.

Conceditur bimestre ad deliberandum, an velit conjux, adhuc non consumato matrimonio, religionem ingredi. Ibid. n. 7. pag. 289.

Elapso prædicto bimestri, si conjux non deliberet profiteri, cogitur redire, & quibus mediis? Ibid. n. 8. pag. 289.

Si deliberet, expectatur annus probationis, ac tempus aptum ad profitendum. Ibid. n. 9. pag. 289.

Matrimonium nondum consumatum solemni Voto dirimitur. Ibid. n. 10. pag. 289.

Absque consensu alterius Conjugis non potest alter ad sacros ordines promoveri, etiam si adhuc non sit consumatum Matrimonium. Ratio. Ibid. n. 11. pag. 289.

Monasticæ vitæ repugnat matrimonium ex sui natura; ordini verò, ex solo Decreto Ecclesiæ. Ibid. n. 12. pag. 289.

Discrimen inter matrimonium consumatum, & matrimonium tantummodò ratum. Ibid. n. 16. pag. 290.

An Pontifex possit solvere matrimonium tantummodò ratum? Ibid. nu. 16. pag. 290.

Contrahens nuptias cum infideli, vel hæretica, abutitur matrimonio, & est de hæresi suspectus. Cap. 3. Sect. 1. subs. 1. §. 4. n. 1. pag. 291.

Lutheri error. Ibid. n. 2. pag. 291.

Auctoritates Sacræ Scripturæ, & Patrum contra matrimonia cum infidelibus. Ibid. n. 3. pag. 291.

Matrimonium cum infideli, quatenus Sacramentum, contrahi nequit: Ratio. Ibid. n. 4. pag. 291.

Matrimonium inter infideles quandonam solvi possit? Ibid. n. 5. pag. 291.

Exempla eorum, qui contraxerunt cum infidelibus, ac ipsis satisfit. Ibid. n. 6. & 7. pag. 291.

Quandonam liceat matrimonium contrahere cum infideli? Ibid. num. 8. pag. 291.

Ignorantia, & consuetudo excusat contrahentes matrimonia cum infidelibus. Ibid. n. 9. pag. 292.

Matrimonium cum hæreticis improbatur in pluribus Conciliis. Ibid. n. 10. pag. 292.

Matrimonium cum hæreticis est validum. Ibid. n. 11. pag. 292.

Matrimonium cum hæreticis est illicitum in regionibus, in quibus non viget libertas conscientiæ; secus in iis regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses: Contrarium etiam in hoc secundo casu. Ibid. numer. 12. & 13. pag. 292.

Contrahens cum hæreticis, semper prophanat Conjugium, & corrumpit ordinem ad Deum, & Ecclesiam. Ibid. n. 13. & 14. pag. 293.

Conjunctio cum hæreticis habet innatum perversionis periculum, præcipuè si ineatur cum fœminis hæreticis: habet etiam impedimentum bonarum ope-

operationum, & impedit prolis educationem. Ibid.n.15. pag.293.

Tollerantur matrimonia cum hæreticis in regionibus, in quibus viget libertas Conscientiæ, sed non permittuntur aliquo actu positivo; imò quando impediri possunt, nec tollerantur; eò magis, si conventiones impię interveniant. Ibid.n.16.pag.293.

Vide in verbo Forma.

Circa materiam, ex quà conficitur Matrimonium, nullus est abusus inducens hæresis suspicionem. Cap. 3. Sect. 1. subs.2.n.31.pag.301.

Quando Principes compellunt cives ad contractus matrimoniales, imperant, ut illi consentiant &c. Ibid. num. 32. pag. 301.

Matrimonium celebrare ante legitimam ętatem nō inducit hęresis suspicionem. Cap.3.Sect.1.subs.1.n.30.pag.315.

Exempla eorum, qui in puerili ætate genuerunt. Ibid.n.31.pag.315.

Quod etiam procedit in fœminis. Ibid. n.32.pag.315.

Non obstat, quod jura præfixerint terminum ætatis ad contrahendum matrimonium, ut indè incurratur suspicio in contrahendo antè legitimam ætatem. Ibid.n.33. pag.315.

Dispensatio ad contrahendum antè legitimam ætatem Matrimonium in doli capacibus an necessariò concedenda sit à Sede Apostolica, vel sufficiat Ordinarii dispensatio? Ibid. num. 34. pag. 316.

Ecclesia cur irritavit matrimonia, quæ celebrantur sine Parocho, & testibus? Cap.3. Sect.1. subsect.6. num. 21. pag. 321.

Ecclesia potuit irritare matrimonium celebratum sine Parocho, & testibus. Ibid. n.22.pag.321.

Si quis contraheret matrimonium sinè Parocho, & testibus, nullam incurreret hęresis suspicionem, & cur? Ibid. n.23.pag.321.

Non sufficit Parochus hæreticus ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii. Ibid.n.24.pag.321.

Secus tamen decrevit Sacra Congregatio Sancti Officii circa Orientales schismaticos vi Extravagantis Concilii Constantiensis. Ibid.n.25.pag.321.

Substinetur hæc Extravagans prò Orientalibus, explicata constitutione Pauli IV. Ibid. n.26.pag.321.

Quomodò in Parochis Orientalibus schismaticis adsit jurisdictio prò assistendo matrimoniis? Ibid.n.27.pag.322.

An committatur abusus in conferendo matrimonio? *Vide in verbo* Abusus.

Matrimonium validè contrahitur à Catholico cum hæretica, illicitè tamen. Cap.5.Sect.1.n.43.pag.439.

In dictis matrimoniis Papa numquam dispensat, nisi persona hæretica priùs hæresim abjuret. Ibid.n.44.pag.440.

Tali pacto dispensavit Clemens Octavus inter Catharinam Sororem Enrici IV. & Ducem Barensem. Ibid.n.45.

Item dictus Pontifex noluit dispensare, ut Rex Neoburgius matrimonium contraheret cum filia Palatini Bipuntini. Ibid.n.45.

In hujusmodi matrimoniis potest Sedes Apostolica dispensare, etiam cum periculo perversionis alterius Conjugis, ob publicam causam. Ibid.n.49.

An consuetudo ineundi Matrimonia cum hęreticis, ubi viget libertas conscientiæ, sit corruptela? Ibid.n.47.

Matrimonio inter personam Catholicam, & hæreticam, non est licitum Parocho assistere, nec benedictionem nuptialem impertiri, nisi adsit dispensatio Apostolica. Ibid.n.49.& 50.

MATTHIÆ BERLINCHII.

Quare proscriptus fuit liber? Cap.1. Sect. 1.n.34.pag.80.

MAXIMILIANUS IMPERATOR.

Maximilianus Imperator à Pio V. reprehensus, quod vellet concedere Germanis confessionem Augustanam. Cap.4. Sect.1.subs.2. §.2.n.11.pag.417.

MEDIATOR.

Vide in verbo Maria.

MEDICI.

An Medici uti possint Annulis, & Imaginibus Astronomicis? Cap. 2. Sect.2. subs.4.§.1. n.5.& 6.pag. 280.

Complures Medici nunquam fatentur dari maleficia, contra quos militat Sacra scriptura, ac ratio. Cap.2.Sect. 6. subs. 1.n.4. pag.231.

Medicorum hęreticorum opera non est lici-

licitum Catholicis uti absque necessitate. Cap.5. Sect. 2. numer. 106. pag. 455.

Medicorum Arabum libri non sunt prohibiti. Cap.ult.Sect. 2. subs.1.§.7. n.9. pag.500.

MEDICINA.

Verba non habent virtutem medendi morbos; & reiiciuntur contrarium asserentes. Cap.2.Sect.2.subs.4.§.2.n.25. pag.287.

An ad medendum tarantismo valeat musica, & sonus? Ibidem num.26. pag. 188.

De vi medendi per solum aspectum. Ibid. n.33. pag.189.

Mas inter fratres septimus suo tactu strumas medetur sx Lessio, & aliis. Ibid. n.36.pag.189.

Sed falsum est. Ibidem numer.37. pag. 190.

De privilegio medendi strumas per Regē Galliæ, & aliorum. Ibid.n.36.pag.189. & n.38.pag.190.

Vide in verbo STRUMAE.

An manus immatura morte raptorum valeat ad medendas Paroptides? Ibid. n. 40.pag.190.

Vide in verbo SYMPATIA.

MEDIOLANUM.

In Ecclesia Mediolanensi quomodò hodiè offeratur materia Eucharistiæ? *Vide in verbo* MISSA.

MEMBRA.

An Deo attribui possint humana membra. *Vide in verbo* BLASPHEMIA, & JURAMENTUM.

MEMORIA.

An Dæmon agere possit in memoriam? Cap.2. Sect.2. subsect.2. num. 24. pag. 160.

Memoria adjuta in confessione per notulam, ea notula cadit sub sigillo. Cap. 3.Sect.3.subs.6.n.18.pag.386.

MENDACIUM.

Vide in verbo ORACULUM.

MENDAX.

Momo mendax nil, nisi prauum, & pessimum excogitare potest. Prǽl.9. nu.1. pag.15.

An omnis blasphemus sit mendax? *Vide in verbo* BLASPHEMIA.

MENSA.

De vana observantia in mensa; *vide in verbo* OASERUATIO.

MENSIS.

De vana mensium observantia. *Vide in verbo* OBSERUATIO.

MERBURGENSIS EPISCOPUS.

Laudatur, quia noluit permittere Ekio disputationem cum Luthero. Cap.5.Sect. 2.n.89.pag.454.

MERCATOR.

Mercator deferens arma ad infideles an incidat in pęnas Bullæ Cœnæ? Cap. 4.Sect.2. n.26.pag. 426.

MERCATURA.

Mercaturę titulo potest haberi conversatio cum hæreticis propter publicam utilitatem. Cap.5. Sect.1.num.16.pag. 437.

MERETRIX.

Meretrices confessionem annuam, & communionem ommittentes an sint de hæresi suspectæ? Cap.3.Sect.5.n.20. & 21. pag.394. & 395.

MERIDIES.

An liceat celebrare Missam post meridiē? *Vide in verbo* MISSA.

METALLA.

Vide in verbo PALOMANTIA.

METHEOROLOGICA.

Vide in verbo PRODIGIA.

METOSCOPI.

Vide in verbo PHYSIOGNOMIA.

METUS.

Metus, quo quis cogitur abnegare fidem, excusat ab hæresi. Prǽl.14.n.23.pag.26. & Prǽl.19.n.10.pag.38.

Imò excusat etiam à peccato, si sit absolutus, non autem conditionalis. Præl.19. n.10.pag.38.

Vide in verbo TIMOR.

Mi-

Minor metus excusat mulierem. Præl.15. n.1. pag.26.

Debet admitti metus, qui cadere possit in constantem virum. Præl.15.n.1.pag. 26.

Metus cadens in constantem virum quinquè requirit conditiones. Præl.15.n.2. pag.26.

Etiam viri metuunt. Præl. 15. n. 1. pag. 26.

Propter metum defecit Marcellinus Papa, sicut & Petrus. *Vide in verbo* Marcellinus.

Timor cadens in costantem virum impedit libertatem, & ex eo oritur coactio conditionalis. Præl.15. num. 3. pag.27. *vide in verbo* Coactio.

Ob timorem tormentorum non licet externè fidem negare. Prælim.19. num. 9. pag.37.

Qui per metum ordines suscepit, potest statum liberum sibi vindicare. Cap. 3. Sect. 1. subsect. 1. §. 2. num. 25. & 26. pag.286.

Metus probabilis alicujus magni damni vel sibi, vel filiis, vel parentibus, videtur eximere ab onere denunciandi eorum hæresim. Cap.4. Sect.1. numer.23. pag.402.

Metus cadens in constantem virum excusat. Ibid.num.33.

Metus, & vis eximit receptatorem à suspicione hæresis. Cap.4. Sect.1. subsect. 2. num.21. p. 408.

Ex metu, & ignorantia transcribens librum prohibitum, seù hæreticum, non est de hæresi suspectus; secùs si sciens transcribat. Cap.6. Sect. 2. numer. 55. pag.470.

MICHAEL BAJUS.

Michaelis Baii plures propositiones damnatæ à Pio V. & Gregorio XV. quia ignominiosè carpunt opiniones fidelium. Cap.ult. Sect.2. subsect.52.nu.52. pag.510.

MILITES.

Vide in verbo Corona, *& in verbo* Suspicio.

Militans pro Principe Catholico contra Religionem ad pœnam effugiendam, non est de hæresi suspectus. Cap. 4. Sect.2.num.17. p. 425.

Militibus Christianis captivis licet remigare contra Christianos ob timorem mortis, sed cum descendunt in terras Christianorum, non licet eis devastare domos. Ibid.nu.18.

Milites Christiani qua forma juramentum fidelitatis præstarent Imperatoribus? Cap.5. Sect.2. num. 11. p. 446.

Militis Valentiniani ingenua constantia ergà Julianum Apostatam. Ibid.nu.29. p.448.

MILINUS.

Millinus: Joannes Baptista Cardinalis Millinus, *vide in verbo* Cardinalis.

MINÆ.

Minæ quando faciant judicium ad torturam? Præl.9. n.1. p.15.

Minantes testibus, vel Ministris S. Officii dicuntur indirectè impedire. Cap. 4. Sect.2. num.75. p.431.

Minitans tantum testibus in actu testificantibus, non est de hæresi suspectus reputandus. Cap.4. Sect.2. subs. unic. num.9. p.433.

MINISTRI.

Verba sacra pervertuntur, quoties pro usu Ensalmi nullus habetur Ministrorum delectus. Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. §. 2. n.71.pag. 172.

De Ministro Confessionis, *vide in verbo* Confessio.

De Ministro Eucharistiæ, & Missæ, *vide in verbo* Eucharistia, & Missa.

Obligatio ad continentiam in sacris Ministris, ratione, & auctoritate inducta. Cap.3. Sect.1. subs.1. §.2. n. 15. p.284. *Vide in verbo* Sacerdotes.

Minister Confirmationis quis sit? *Vide in verbo* Confirmatio.

Quis sit Minister Eucharistiæ? *Vide in verbo* Communio.

Quis sit Minister Extremæ unctionis? *Vide in verbo* Extrema unctio.

Quis sit Minister Ordinum? *Vide in verbo* Ordo.

Divus Augustinus superbis Ministris gloriantibus de sanctitate Sacramentorum ex sanctitate Ministri, opponit humilem loquendi modum Christi. Cap.3. Sect.3. subs.3. n.6. p.356.

A Ministro hæretico suscipiens quis Sacramentum baptismi, abutitur Sacramento, & fit suspectus de hæresi. Cap.3. Sect.4.num.1.p.388.

Ministri intentio est necessaria ad conficien-

ciendum Sacramentum ex decreto Ecclesiæ. Cap.3. Sect.5. n.9. p.392.
Minister mimicè administrans nihil agit, ut declarat Concilium Tridentinum contrà Hæreticos. Ibid.n.12. p. 393.
A Ministro Catholico supplendæ sunt Orationes, & unctiones in casu receptionis baptismi ab hæretico. Cap.5.Sect.1. num.19.p.437.
A Ministro hæretico possumus recipere Sacramentum Eucharistiæ in mortis articulo, si absit Minister Catholicus. Ibid.n.33. p 439.
Item recipere Sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis. Ibid. numer. 36. 37.& 38.
Ministro Pontificis non licet intervenire nuptiis hæreticorum; aliis verò privatis licet. Ibid.n.51. p.441.
Ministros S. Officii impedientes sunt semper denunciandi sub pœna excommunicationis ipso jure. Cap. 4. Sect. 2. num.27. pag.427.
Ministri S.Officii dicuntur directè impediri, quando occiduntur, vulnerantur, vel offenduntur. Ibid.n.44.p.428.
Ministri S. Officii dicuntur indirectè impediri, quando non principaliter, sed consecutivè impediuntur. Ibid. nu.50. pag 429.
Item dicuntur directè impediri à personis privatis,quando domi detinẽtur testes, ne examinentur. Ibid. num.74. p.431.
Ministri S. Officii, qui nec directè, nec indirectè impediri possunt, sunt qui actu inserviunt. Cap.4. Sect. 2. subsect. unic.nu.1.p.432.
Offendens Ministrum S. Officii remotum ab officio, non est de hæresi suspectus. Ibid. num.3.
Qui tamen Ministrum S. Officii offenderet intuitu S.Officii, incurreret hęresis suspicionem, secundum Carenam,qui rejicitur. C.4. Sect.2.subs.unic.n.4.p. 432.
Sub nomine Ministri S. Officii veniunt familiares, dum actu exercent ministerium; principaliter tamen inter dictos Ministros sunt Inquisitor, Vicarius, Cancellarius,Commentariensis,Satellites, & Cursores: videntur etiam adnumerandi accusatores, denunciatores, & testes. Ibid. n.6. 7. & 8. p.433.
An inter Ministros S. Officio inservientes censendi, qui tales non sunt, sed reum capere volunt? Ibid. n.11.
Inter Ministros S. Officii connumerantur Confratres, seù Cruce signati, qui tamen fruuntur tantum privilegiis spiritualibus. Ibid. n.12. p.434.

MINOR.

Vide in verbo ÆTAS.

MIRABILIA.

Non est statim damnandum opus insolitum, quantumvis mirabile, quia quædam mirabilia non excedunt naturalem sphęram. Cap.2.Sect.2. subs.4. n.1. p 178.
Vide in verbo MIRACULUM.
Lingua, Oculus, & Tactus animantium mirabiles producere effectus,experientia docet. Cap.2. Sect. 2. subs.4. §. 2. num. 1. pag.183.
Exempla effectuum mirabilium linguæ. Ibid.num.2. & 3.
Vis, quæ inest verbis ad producendum mirabilia, provenit vel à virtute supernaturali divina, vel à virtute supernaturali diabolica. Ibid. numer. 29. pag. 186.
Phormiginis mirabilis effectus, scilicet urinam provocandi: Gracchi exemplum, & Davidis Citharam pulsantis, quá Dæmon expellebatur. Ibid. nu.23. pag.187.
Effectus mirabilis, quos producunt verba, tribui quoque possunt virtuti intentionali eorumdem verborum. Ibid. num.24. p. 187.
Nedum homines, sed etiam bruta per tactum multa mirabilia operantur: exempla. Ibid. num. 34. pag. 189.
Elementa litteraria inter se itá, vel itá ordinata, miranda exhibere valent, juxtà Brauum. Ibid. nu.12. pag. 185. Sed rejicitur. Ibid. n.14. & 15. p.185.
Contingere potest aliquis effectus mirabilis per virtutem Astrorum, & rerum naturalium,qui causis inferioribus confici nequeat: Ejus tamen Auctor esset suspectus, donec se omni suspicione purgaret. Cap.2. Sect.2. subsect.4. §.3. num.4. pag. 191.
Quando res mirabilis sit naturalis, vel superstitiosa? *Vide in verbo* NATURA, SUPERSTITIO, & MIRACULUM.

MIRACULUM.

Gratia miraculorum an requirat statum charitatis? Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. §.3. num. 10. & 11. pag. 175.

Divus Augustinus narrat tanquam miraculum naturæ, catenam magnetica virtute connexam. Cap. 2. Sect. 2. subs. 4. §. 3. n. 2. pag. 190.

Vide in verbis MIRABILIA, & PRODIGIA.

Ad superstitionem falsi cultus reducitur publicatio miraculorum, & revelationum: Ubi de duobus nuperis grusсatoribus. Cap. 2. Sect. 7. subs. unic. n. 59. pag. 261.

Gesta, miracula, & revelationes servorum Dei quomodò possint describi ne pereant? Ibid. num. 60. pag. 261.

Hujusmodi miracula, & gesta descripta nullam facerent fidem in ordine ad beatificationem, nisi adesset examen, & approbatio ordinarii. Ibid. num. 61. pag. 261.

Quæ procedit contrà miracula, prophæticas revelationes, & gesta Sanctorum, est propositio denigrativa fidei. Cap. ult. Sect. 2. subs. 2. n. 33. pag. 508.

Miracula seductorum esse vera, non debet sibi persuadere obligatus denunciare illos. Ibid. n. 36.

Vera miracula hisce temporibus rarissima sunt: Ratio ex Sancto Gregorio Magno, Ibid. num. 37.

Miracula fieri ad SS. intercessionem cur sæpe nostris temporibus audiamus? Ibid. num. 38.

MISSA.

Abusus Sacrificii Missę ad magiam est sortilegium hæreticale. Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. n. 6. pag. 166.

Damnantur omnes, qui in missarum celebratione aliquid addunt præter ritum in missale præscriptum, & qui missarum, & candelarum numerum considerant. Cap. 2. Sect. 7. subs. unic. numer. 2. pag. 246.

Triginta Missæ Sancti Gregorii malè à Moura, & aliis reprobantur, & quo sensu admitti possint? Ibid. n. 3. pag. 246. Declara. Ibid. n. 5.

Reprobandæ sunt missæ Sancti Amatoris, & Sancti Augustini. Ibid. num. 4. pag. 246.

Antiquitus inter missarum solemnia exhibebatur pax per mutua oscula: Declara. Ibid n. 17. pag. 248.

Sacra Rituum Congregatio an permiserit, ut in Civitate Allatrina celebraretur commemoratio S. Sixti cum processionibus, & saltationibus? Ibid. n. 20. & 21. pag. 248. *vide in verbo* CANTUS.

Qui non Sacerdos celebrare missam præsumit, est de hæresi suspectus. Cap. 3. Sect. 1. subs. 1. n. 3. pag. 266.

Ampliatur, etiam si solum attentet missam celebrare; Contrarium tamen alii. Ibid. n. 4. pag. 266.

Qui sacras assumit vestes ad missæ celebrationem, non est vehementer de hæresi suspectus. Ibid. n. 6. pag. 266.

Qui nō Sacerdos celebrans elevat hostiam, facit, ut fideles in crimen Idololatriæ ignoranter incurrant. Ibid. n. 7. pag. 266.

Id ipsum dicendum de Sacerdote celebrante, & non consecrante. Ibid. n. 8. & 9. pag. 267.

Inserviens celebranti non Sacerdoti, si sciat non esse Sacerdotem, est ipse quoque suspectus. Ibid. n. 10. pag. 267.

Joannis Moschi historia de non Sacerdote celebrante, qui a Deo visus fuit approbari, est suspecta. Ibid. n. 11. pag. 267. *Vide in verbo* SACRIFICIUM, EUCHARISTIA. CONSECRATIO, GRECI, FORMA.

Sacerdos conficit Sacramentum in loco non debito, quando missam celebrat in loco non sacro, vel sacro, sed prophanato. Cap. 3. Sect. 1. subs. 4. n. 1. pag. 306.

Quid requiritur ad hoc, ut locus sit sacer? Ibid. n. 2. pag. 306.

Episcopi habent privilegium celebrandi super altare portatile ubivis, etiam ob solam devotionem. Ibid. n. 3. pag. 307.

Clemens VIII. privilegium concessit Græcis ad celabrandū super altare portatile, annuentibus Episcopis latinis, in quorum Diœcesibus morantur. Ibid. n. 4. pag. 307.

Concilium Tridentinum monet Episcopos, ne permittant celebrari in Domibus privatis, & in hoc ipsis sublata est facultas, quam habebant. Ibid. num. 5. pag. 307.

Locus sacer prophanatur vel per sanguinis, vel per seminis emissionem; vel per

per sepulturam excommunicati. Ibid. n. 6. pag. 307.
Qui celebrat loco non debito, non evadit suspectus de hæresi, licet esset irreverentia. Ibid. n. 7. pag. 307.
Quandoque in loco non sacro peragi potest Missa. Ibid. n. 8. pag. 308.
Blaterant Hæretici repræhendentes Catholicos celebrantes in locis privatis. Ibid. n. 9. p. 308.
Antiquæ historiæ referunt plura exempla celebrationum in privatis domibus. Ibid. n. 10. p. 308.
Cessatis in Ecclesia persecutionibus Imperatorum Gentilium, editæ sunt ordinationes de Missis non amplius in privatis domibus celebrandis. Ibid. nu. 11. pag. 308.
Hæretici deridentes templorum, & altarium consecrationes, prætendunt quemlibet locum esse aptum ad Missas celebrandas. Ibid. n. 12. p. 308.
Celebrans in loco non sacro, non fit de hæresi suspectus, sed ab Ordinario puniendus est: Casus regularis, quem ob transgressionem correxit Sacra Congregatio Concilii. Ibid. n. 13. pag. 309.
An in casu summę necessitatis liceat etiam absque Episcopi consensu celebrare in loco non sacro? Ibid. n. 14. p. 309.
An super navigiis in longis navigationibus permitti debeat Missam celebrari: Auctoritates pro affirmativa. Ibid. n. 15. pag. 309.
Præferuntur Auctores pro negativa, & limitationes Auctorum, qui stant pro affirmativa. Ibid. n. 16. pag. 309.
Pro affirmativa affertur declaratio Sacræ Congregationis Rituum ad instantiam Episcopi Limensis. Ibid. num. 17. p. 310.
In principalioribus Universitatibus Hispaniæ fuit conclusum, posse concedi licentiam celebrandi Missam in navibus Indicæ Navigationis. Ibid. n. 18. p. 310.
Pontifex concessit licentiam pro navibus, sed eam negavit pro triremibus. Ibid. nu. 19. p. 310.
Indecens est etiam in navibus celebrare Missam. Ibid. n. 20. p. 310.
Miraculum Wlphrani Episcopi Senonensis. Ibid. n. 21. p. 310.
Si Missa celebretur ante auroram, vel post meridiem, non debito tempore celebratur. Cap. 3. Sect. 1. subs. 5. n. 1. p. 311.
Missa nequit celebrari notabili spatio antea auroram. Ibid. n. 2. p. 311.
Et hoc vel ex immemorabili consuetudine, vel ex decreto præscribitur. Ibid. num. 3. p. 311.
Privilegia regularium celebrandi ante auroram. Ibid. n. 4. p. 311.
Illicitum est, celebrare notabili spatio post meridiem. Ibid. n. 5. pag. 311.
Qui ante auroram, vel post meridiem celebrat, superstitiosè agere videtur. Ibidem num. 6. p. 31.
Lutherani, & Calvinistæ credunt, omne tempus esse aptum ad celebrandum: Ibid. n. 7. p. 312.
Veriùs est, nō incurri superstitionē, si celebretur nō debito tēpore. Ibid. n. 8. p. 312.
Antiquitus Missa celebrabatur tam ante auroram, quàm Vesperi; sed sedatis persecutionibus, variæ horæ fuerunt assignatæ. Ibid. nu. 9. pag. 312.
Quando celebrare non debito tempore arguat conniventiam cum hæreticis? Ibid. n. 10. p. 312.
Quælibet rationabilis causa sufficit ad excusandum à culpa mortali celebrantem post meridiem. Ibid. n. 11. p. 312.
Celebrans post meridiem, quando de errore esset suspectus? Ibid. nu. 12. p. 313.
Quænam sit hora celebrandi in illis regionibus, in quibus est perpetuus dies, vel perpetua nox? Ibid. n. 13. p. 313.
Non licet ante mortem anticipare Missarum celebrationem pro anima sua. Ibid. num. 14. pag. 313.
Ratio, cur dicta anticipatio non liceat? Motiva in contrarium solvuntur. Ibid. nu. 15. pag. 313.
Remissio pœnæ per Sacrificium Missæ, nequit haberi per celebratas Missas ante mortem. Ibid. n. 16. pag. 313.
Decretum Pauli V. de missis non celebrandis pro primo, qui daturus sit eleemosinam. Ibid. n. 17. pag. 313.
Fructus Sacrificii ex opere operantis nequit prodesse, nisi defunctis, quia preces missæ, sunt pro defunctis. Ibid. numer. 18. pag. 314.
Nulla hæresis suspicio incurritur ex celebratione Missarum pro defunctis ante mortem ejus, pro quo celebrantur. Ibid. n. 19. pag. 314.
Magni Auctores sentiunt, licere celebrare sibi facere Missas defunctorum ante mortem. Ibid. nu. 20. pag. 314.
Sacra Congregatio Concilii indecisam reliquit quæstionem, an liceat Missas pro defun-

defunctis in suffragium animæ viventis celebrare. Ibid.n.21. pag.314.

Exempla tria scilicet Sancti Theodosi pro quodam Monacho; Caroli V. & Alberti Magni pro se ipsis. Ibid. num.22. 23.24.26.& 27.pag.314.

Consuetudo in Hispania asseritur celebrandi suffragia defunctorum pro vivis. Ibid. n.25. pag.314.

Celebrans Missam defunctorum pro Inimico vivo non incurrit crimen hæresis: sed contrarium tenendum. Ibid. nu.28. p.315.

Abusus circà cæremonias Sacramentorum est, quando in Missa recitantur preces nefandæ, & turpes. Cap.3.Sect.1.subs.6. nu.3. p.317.

Sacerdos, qui in conficienda Eucharistia sacras vestes respuit, est de hæresi suspectus. Ibid.n.6.p.318.

Incurrit suspicionem, qui vasa sacra in sacrificio damnat, sivè aurea, sivè argentea. Ibid.nu.7. pag.318.

Vasa aurea, & argentea primis seculis Christianitatis fuerunt in Ecclesia. Ibid n.8. pag.318.

Prisca Ecclesia Christiana vilia vasa in celebratione Sacrificii Missæ adhibuit. Ibid.n.9.pag.319.

Dictum notabile S.Bonifacii Martyris, & S.Hieronymi de Sancto Exsuperio de Calicibus in viliori materia. Ibid.n.10. pag.319.

Græcorum avaritia in hoc. Ibid. num.11. pag.319.

Abusus vasorum vilium in Sacrificio observatus in Maronitis. Ibid. n.12 .p.319.

Græcorum irreverentia circà materiam consecrationis, & attrectationem Corporis, & Sanguinis Christi. Ibid.nu.14. pag.319.

Suspectus est de hæresi, qui in celebratione Sacrificii Missæ negat cereos esse adhibendos, qui fuere semper in usu, & ex præcepto Melchiadis. Ibid. n. 16. pag. 320.

Honorius V. officio Sacerdotali privavit Sacerdotem, qui Missam sine cereis celebravit. Ibid.n.17.p.320.

Suspicio hæresis in non adhibente ad Missam cereos, fundatur in hæresi Vigilantii, qui dictum usum impugnabat. Ibid.num.18.pag.320.

Remoto contemptu plures cœremoniæ omissæ in missa non ingerunt hæresis suspicionem. Ibid. n. 19. pag. 320.

Contemptus debet patere, & quomodo? Ibid.num.20.pag.320.

Maronitæ possunt adire Schismaticorum Ecclesiam ad Missam audiendam. Ibid. num.28.pag.322.

Abutitur Sacramento ob non debitas cærimonias, qui clara voce recitat ea, quæ in Missa, voce submissa, sunt dicenda. Ibid.num.29.pag.322.

Eodem modo delinquit, qui lingua vernacula Missã celebrat Ibid. n. 30.p.322.

Qui tali lingua Missam celebrat, est de hæresi suspectus, & suspicio oritur ex opinione Hæreticorum asserentium, divina officia lingua vernacula esse celebranda. Ibid.nu.31.pag.322.

Præter linguam latinam, sunt aliæ linguæ, in quibus celebrari potest, sed non in lingua gallica. Ibid.n.32. pag. 322.

Non licet in regione infidelium Patrio ipsorum idiomate celebrare pro faciliori eorum conversione. Ibid.num.33. pag.323.

Ecclesiæ consuetudo respuit hujusmodi vernaculas translationes, quæ tantumodò in tribus linguis, Græca, Latina, & Hebraica consuevit semper celebrare. Ibid.n.44.pag.324.

Sancti Missionarii in Asia nunquam curarunt, ut eorum linguis celebraretur. Ibid.n.45.pag.325.

Permittere celebrationem in lingua vernacula est adversari Ecclesiæ consuetudini, & hæreticis favere. Ibid.num.46. pag.325.

Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. videtur statuere celebrationem divinorum officiorum secundum varietatem linguarum. Ibid.nu.47. pag.325.

Missalis Gotticus illæsus ab igne, licet inter flammas conjectus: Quid de hac historia censendum? Ibid. n.48. p.325. & n.54.p.326.

Apostoli variis linguis fidei misteria tradiderunt. Ibid. num. 51. pag.325.

Varietas versionum non expedit, sed aliquando admitti potest causa conversionis infidelium. Ibid.num.52.p.325.

Ritus Mozarabus prædicto motivo fuit introductus in Hispania. Ibid. num.53. pag.326.

Dispositio spiritualis est status gratiæ, ob cujus defectũ in Sacerdote quotidiè celebra-

lebrante, vult Bordonus, induci hæresis suspicionem. Cap.3.Sect.1. subs. 6. n.2. pag.326.
Sed quando hoc verificetur? Ibidem, nu. 3. pag. 326.
Sacerdos, qui nocte præcedenti meritricatus est, & mane absque prævia confessione celebravit, non punitur in Sancto Officio. Ibid.n.4. pag. 326.
Qui celebrat in peccato mortali, non peccat immediatè contrà Sacramentum, quia dispositio respicit Ministrum, non Sacramentum. Ibid.n.6. pag. 327.
Videtur de hæresi suspectus, qui Missam celebrat non jejunus, & quarè? Ibidem num.7.& 8. pag.327.
Contrarium est verius. Ibid.n.9. pag.327.
Celebrans non jejunus non peccat contra finem Sacramenti, quia in aliquo casu potest Sacerdos non jejunus celebrare. Ibid.n.10. pag.327.
Cur Sacerdoti non sit permissum celebrare non jejuno ad tradendum Viaticum moribundo, benè autem ad Viaticum sumendum ab ipso? Ibid.num.11.p.328.
Qui offert Missæ Sacrificium absque potestate, est suspectus de hæresi. Cap. 3. Sect. 2. subsect. unic. numer. 1. pag. 332.
Ecclesia non habet facultatem instituendi Sacrificium. Ibid. num.2. pag. 333.
Obiecto de oblationibus quorumdam mulierum. Ibid.n.3.pag.333.
Apud Veteres latinos magna olim religio in parando pane Eucharistico. Ibidem num.4. pag.333.
Mulieres Sanctimoniales, & pueri innocentes frumentum granatim eligebant pro materia Eucharistica conficienda, & alia ad idem notantur. Ibid. num. 5. pag. 333.
Mediolanensis Ecclesia decem viros, & totidem matronas seligit prò offerenda materia Eucharistiæ. Ibid. num. 6. pag. 333.
Suspicio hæresis inducitur, si in missa Ecclesiæ ritus violentur. Ibid. num. 7. pag. 334.
Græci Patres antiqui consueverunt multas offerre particulas in eodem sacrificio ad exprimendos diversos fines sacrificiorum legis veteris, quod præstant adhuc Græci. Ibid. num.8. 9. & 10. pag. 334.
Latinis quidem non licet imitari hunc græcorum morem, & imitantes, hæresis suspicionem incurrerent: Græci tamen non sunt in hoc damnandi. Ibid. num. 11. pag. 334.
Mos Sancti Germani offerendi panem, undè est desumpta ostia major in memoriam Corporis Virginis. Ibid. n.13. pag. 334.
Antiquitus erat Eulogiarum distributio, & quomodo? Ibid. n. 13. pag. 334.
Eulogiæ non tantum in Ecclesia distribuebantur, sed etiam foras ad fideles mittebantur, quod postea prohibuit Concilium Laodicenum. Ibid. num. 15. pag. 335.
Abusus offerendi sacrificium prò animabus defunctorum damnatorum inducit suspicionem. Ibid. n. 16. pag. 335.
Suspectus in fide est qui dicit, pœnas damnatorum in inferno aliquando mitigari orationibus, & sacrificiis. Ibid. n. 17. pag. 335.
Iunior Græcia, non vetus, est dicto errore infecta. Ibid. n. 18. pag. 335.
Est abusus in offerendo, si offeratur missæ sacrificium pro Beatis, & offerens esset de hæresi suspectus. Ibid. num. 19. pag. 335.
Quomodò interrogantur Græci quando in liturgia offerunt Sacrificium prò Sanctis? Ibid. n.20. & 21. pag.336.
Duplici de causa ex Sancto Augustino offerimus sacrificium in honorem Sanctorum: Primò, ut agamus Deo gratias de illorum Victoriis; secundò, ut orens ipsi pro nobis. Ibidem num. 22. pag. 336.
Ratio, quare sacrificium Altaris offeratur pro sanctis, prò vivis, & prò mortuis. Ibid. n.23. pag.336.
Nequit celebrari Missa de requie prò parvulis baptizatis decedētibus ante usum rationis, & celebrans esset suspectus. Ibid. n. 24. pag. 336.
Missam celebrantes in peccato mortali, & non consecrantes, gravius peccant, quàm consecrantes. Cap. 3. Sect. 5. n. 2. pag. 392.
Missam inservire, & indumenta ad id necessaria præstare Domino hæretico non licet famulo Catholico. Cap. 5. Sect. 2. n. 34. pag. 448.

MIS-

MISSIONARIUS.

In missionariorum *patentibus* cavet Sacra Congregatio, ne hi adeant hæreticorum templa ad illorum Conciones. Cap. 5. Sect. 2. num. 14. pag.446.

Missionariis, neque ubi est libertas conscientiȩ, licitum est hæreticorum templa adire, nisi instante necessitate confutandi aliquem hæreticum. Ibidem num. 15.

Vide in verbo CONSECRATIO.

MYSTERIA FIDEI.

Ad probandum, mysteria fidei esse parum veritati consona, Averoes, & Arabes Philosophi abusi sunt doctrina Aristotilis: Sanctus Thomas hanc falsitatem detexit. Cap.ult. Sect. 2. subs. 2. n. 54. & 55. pag. 510.

MODALIS PROPOSITIO.

Modalis propositio non est proxima hæresi, eo quod propositio Cathegorica sit proxima hæresi. Cap. ultim. Sect. 2. subs. 1. §. 3. n. 19. pag. 490.

MODUS.

Quibus modis operentur malefici? *Vide in verbo* MALEFICUS, & MALEFICIUM.

Per propositionem continentē absurdum, & peregrinum sensum alienum à communi modo loquendi Patruum, & scholasticorum, incurritur hæresis suspicio. Cap. ult. Sect. 2. subs. 2. num. 18. pag. 506.

MOLINEVS.

Caroli Molinei libros legendi non conceditur facultas à Sacris Congrationibus. Cap. 6. Sect. 2. n. 18. pag. 465.

MONACVS.

Monachorum, & Clericorum indumenta contemnentes, sunt de hæresi suspecti. Cap. ult. Sect. 1. n. 12. pag. 475.

Vide in verbo RELIGIO.

MONIALIS.

Historia Monialium, quas Demon vexabat. Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. §. 3. num. 6. pag. 174.

MONITIO.

Vide in verbo ADMONITIO.

MORBVS.

Morborum qualitates quādo arguant suspicionem maleficii? Cap. 2. Sect. 6. subs. 4. n. 9. pag. 241.

Vide in verbo INFIRMITAS, & MEDICINA.

Morbus lethalis an permittat sumptionem viatici illis, qui manè communicaverunt. Cap. 3. Sect. 4. num. 25. pag. 391.

MORES.

Aeris temperies indicat mores incolarum. Præl. 5. num. 6. p. 8.

Nationes suos sibi peculiares mores habent. Præl. 5. n. 6. pag. 8.

In mores quomodò influant stellæ? Præl. 5. n. 6. pag. 8.

Filiorum mores similes sunt moribus parentum. *Vide in verbo* FILIUS.

Mores dignoscuntur ex Poysognomia. *Vide in verbo* PHYSOGNOMIA.

Contrà bonos mores, & obsceni si legantur libri, non tamen hæreticorum, non incurritur hæresis suspicio. Cap. 6. Sect. 2. n. 47. pag. 469.

Depravare Catholicorum libros est consuetus hæreticorum mos; sed pejus est libros hȩreticos Catholicis attribuere. Cap 6. Sect. 1 n. 32. pag. 460.

Quatenus damnum potest bonis moribus inferre propositio Theologica, pertinet ad Inquisitores. Cap. ultim. Sect. 2. subs. 1. §. 5. num. 18. pag. 494.

Comœdiæ, quæ contra bonos mores sunt, non sunt illicitæ. Ibid. n. 48.

Mos tondendi capillos, & assumendi novum genus vestis in monialibus est antiquus. Cap. ult. Sect. 1. num. 14. pag. 475.

Qua censura notādi illi, qui dicerent, summum Pontificem errare posse in damnandis propositionibus ad mores pertinentibus. Cap. ult. Sect. 1. subs. 2. num. 6. pag. 504.

Propositio, quæ non potest impugnari testimoniis, & fundamenti, sed in materia morum nequit practicari absque scrupulo, est suspecta. Cap. ult. Sect. 2. subs. 2. n. 64. pag. 511.

MORS.

Vide in verbo INFIRMITAS.

Quoties verba promittunt preservationem à morte, sunt suspecta de superstitione. Cap. 2. Sect. 2. subs. 3. n. 7. pag. 174.

Vide in verbo COMETAE.

Est expectanda conjugis mors, antequam novum contrahatur matrimonium. *Vide in verbo* MATRIMONIUM, POLYGAMIA.

An liceat celebrare Missam prò defuncto ante

ante mortem ejus, prò quo celebratur? *Vide in verbo* MISSA.

Mortis articulus præbet potestatem omnibus Sacerdotibus absolvendi à peccatis, vel jure divino, vel Ecclesiastico. Cap.3.Sect.4. n.12. pag.389.

In mortis articulo potest laicus per semetipsum sumere Eucharistiam. Ibid.n.13. pag.390.

In mortis articulo possumus à Ministro hæretico recipere sacramentum Eucharistiæ, si absit Minister Catholicus. Cap.5.Sect.1.n.33.pag.439.

Item Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis. Ibid.n.36. 37.& 38.

Cur mori maluit Sanctus Ermenegildus, quàm Euchistiam accipere ab Arriano Episcopo. Ibid.n.34.

Etiam si sub mortis pęna Princeps hæreticus jubeat, omnes hæreticorum templa adire, est licitum Catholicis illa ingredi. Cap.5.Sect.2.n.5.pag.445.

Neque cum mortis periculo licitum est Catholico, Campanam pulsare ad concionem hæreticorum. Ibid. n.74. pag. 452.

MOTIVUM.

Motiva decem ex Scoto ad assentiendum, quod propositio Ecclesiæ sit à Deo immediatè revelata. Cap.ult.Sect.2.subs. 1.§.1.n.6.pag.481.

MOYSES.

An pingi possit Moysis facies cornuta? *Vide in verbo* IMAGO.

MULIER.

Quando propter simplicitatem excusentur mulieres ab hæresi? *Vide in verbo* SIMPLICITAS, *& reliqua in verbo* ECCLESIA.

Mulieris nuda planta serpentes necat. *Vide in verbo* SERPENS.

Reliqua in verbo UBERA, MALEFICIUM.

Mulieres possunt conferre Sacramentum Baptismi. *Vide in verbo* BAPTISMUS.

An mulieres sint capaces Sacramento Ordinis? *Vide in verbo* ORDO.

Quænam essent olim mulieres presbyterę, & Diaconissę? *Vide in verbo* ORDO.

Mulieres testificari renuentes in causa hæresis, fiunt de hæresi suspectæ. Cap.4. Sect.1.n.46.pag. 404.

Mulier, quæ percussit Clericum indicantem Cursori S.Officii, ubi esset sua Mater inquisita de sortilegio, declaratur non comprehendi in Bulla Pii V. Cap. 4.Sect.2.subs.unica.n.2.pag.432.

Cum mulieribus hæreticis caveant Catholici copulam carnalem habere, nam propter mulieres alienigenas depravatum est cor Salomonis. Cap.5.Sect.2.n. 107. pag.455.

Cum muliere Christiana rem veneream habentes judæi ab Episcopis, non ab Inquisitoribus puniuntur. Ibid.n.109. pag.456.

MUNUS.

Munus disputandi cum hæreticis non expedit, ut sibi Idiotę assumant. Cap.5. Sect.2. n.99.pag.455.

Interdicitur laicis ex præsumptione, quod Clerici soleant esse magis instructi. Ibid.n.102.

MUSICA.

Musica an curet Tarantismum? Cap. 2. Sect.2.subs.4.§.2.n.26.pag.188.

Vide in verbo SONUS.

MUSTUM.

Vide in verbo CONSECRATIO.

N

NAAMAN.

NAaman ratione famulatus permissus ab Eliseo adire templum Idolorum. Cap.5.Sect.2.n.27.pag.447.

NARRATIO.

Quomodò sint narranda gesta, & miracula eorum, qui non sunt Sancti? *Vide in verbo* MIRACULUM.

NATIONES.

Habent suos sibi peculiares mores. Præl. 5.n.6.pag.8.

NATURALITER, NATURA.

Multa agunt mirabilia naturaliter. Cap. 2. Sect.2.subs.4.n.1.pag.178.

Vide in verbo MAGIA.

An juxta naturæ principia possimus naturalem assequi felicitatem. Præl.8. n.3. pag.13.

Humana natura hodiè corrupta est. Præl.8. n.4. pag.13.

De

De effectibus naturalibus. *Vide in verbo* LINGUA, OCULUS, TACTUS, VOCES, VERBA, SONUS, CABALA.

An Orationes naturaliter obtineant effectum à Deo? *Vide in verbo* ORATIONES.

Reliqua in verbo SERPENS, INCANTATIO, FASCINATIO, MAGIA.

Contingere potest aliquis effectus mirabilis per virtutem Astrorum, & rerum naturalium, qui causis inferioribus confici nequeant; Ejus tamen auctor esset suspectus, donec se omni suspicione purgaret. Cap.2.Sect.2.subs.4.§.3. n.4.pag.191.

Effectus mirabilis, quem causare videntur res naturales, non fit ex vi naturæ, quoties res naturales effectum non producunt, si protestatio adhibeatur de non consentiendo pacto Dęmonis. Cap. 2.Sect.2.subs.5.n.1 pag.191.

Non est naturalis effectus, quem producunt res sacræ: Tunc enim omnis virtus vel est à Dæmone, vel à Deo. Ibid. n.2.pag.192.

Quoties res in distanti operantur, non dicuntur naturaliter operari ubi examinatur magnetica virtus. Ibid. n.7.pag. 193.

An sanguinis emissio ex cadavere ad præsentiam occisoris sit naturalis? Ibid. n.11.pag.194.

Ubera mulieris naturaliter sterilescunt, si dum infantem nutrit, lac in prunas emulgeat. Ibid.n.12.pag.194.

Res destruentes proprium *quarto modo* dictum, absque subjecti destructione, non dicuntur agere naturaliter. Ibid. n.13.pag.194.

Quando res naturales agunt in spirituales, non agunt naturaliter. Ibid.n.15. pag.194.& n.19.pag.195.

Vide in verbo MIRABILIA, & MIRACULA.

Prophetizantes virtute naturali non sunt suspecti de hæresi. Cap.2.Sect.3. num.5. pag.197.

Et quinam sint isti? Ibid.

Astrologia naturali utentes non sunt suspecti de hæresi. Ibid.n.6.pag.197.

Metoscopi si naturaliter operentur, non non sunt de hæresi suspecti. Ibid. n.10. pag.198.

Revelationes phantasticæ, vel naturales non inducunt hæresis suspicionem; Ibid.n.11.pag.198.

Multa homo prædicere potest futura ex causis naturalibus. Cap.2. Sect.3.subs. 1.n.1.pag.1.

Vide in verbo PRAEDICTIO, DIVINATIO.

De causis naturalibus somniorum, & an tunc omnia observanda? *Vide in verbo* SOMNIUM.

Quidquid fieri potest à causis naturalibus, patratur à Dæmone in maleficiis. Cap. 2.Sect.6. subs 3. n.22. pag.238.

Dupliciter aliquid opponitur Juri naturę, strictè, & largè: In iis, quæ Juri naturæ largè opponuntur, potest Deus dispensare. Cap.3.Sect.1.subs.1.§.1. n.16. pag.276.

Polygamia an, & quando opponatur Juri naturæ? *Vide in verbo* POLYGAMIA.

NAUFRAGIUM.

Ad evitandum Naufragium an licitum sit tentare sortes, ut appareat, quisnam in mare sit proiciendus? Cap.2. Sect.4. subs.1.n.8. pag.208.

NAVIS.

An super Navigiis in longis navigationibus permitti debeat missam celebrari? Auctoritates prò affimativa. Cap.3. Sect.1.subs.4.n.15.pag.309.

